De Familia Augusta Franconica, cum Familiis Ducum Sueviæ vel maxime conjuncta. Dissertatio Genealogica sub Præsidio JO. DAVID. KOELERI P. P. a Carolo Gustavo Furer de Heimendorff & Wolckersdorf proposita. Altdorffii 1722. reusa ibid. 1733.

VII.

De Hadvvige Suevorum Duce, Vicaria Imperii Commentatio ad Illustriss. S. R. I. Comites a Brühl. Auctore JO. GOTTLOB. BOEHMIO PP. & Colleg. Maj. Princip. Socio. Lipsiæ 1754.

VIII.

Nachricht von Hermanno Contracto, Comite Veringensi & Moncho Reichenau. Ejusdemque Chronici variis Editionibus. In Gundlingianis Part. I. Art. III. p. 51.

IX.

De fide & Authoritate Monachi Weingartensis in Generis Welfici Augustissimi vetustate & dignitate. Prolusio Academica JO. DAVID. KOELERI in Regia Götting. Hist. PP. 1735.

X.

Fragmenta de Welponibus Ducibus, & acquisitione Comitatus Altorffensis & Ravensburg. ab Henrico Welpone facta. Ex vetustis membranis Illustriss. LUD. OTTON. NOBILIS DOMINI DE PLOTHO a Domino de Ludvvig Tomo VIII. Lib. II. Reliquiarum omnis ævi Diplomatum MSCtorum inserta.

XI.

De Nomine & quibusdam ramis incognitis Augustæ Gentis Guelficæ, Observatio Viri PerJll. L. B. DE SENCKENBERG. Götting. 1753.

XII.

Nonnulla de Welphorum & Hohenstauffiorum Necessitudine, speciatim de Juditha, Ludovici Pii Conjuge, Regibus Burgundiæ Welphis, & Friderico Suevo, Henrici IV. Socero. In Gundlingianis Part. VII. pag. 97.

XIII.

Judithæ Welfficæ, Augustæ Franciсæ, Elogium a M. GEORG CHRISTIANO GEBAUERO pro loco disputatum. Lipsiæ. 1720.

XIV.

De Rudolfo Suevo Anti-Cæsare, cujus manus in prælio amputata, Merseburgi in Templo Cathedrali asservatur. Positiones Historicæ cum annotationibus locupletioribus M. JO. SAM. STRAUSII. Lipsiæ. 1709. & recus. Halæ Magdeburg. 1745. in 4.

XV.

Genealogia Familiæ Augustæ Stauffensis, ex Diplomatibus & optimis scriptoribus asserta & correcta, atque sub Præsidio JO. DAVIDIS KOELERI P. P. exhibita a Georgio Friderico Wœlckero Norimbergensi. Curis posterioribus correctior & auctior Altorff. recus. 1747.

XVI.

De Primis Suevorum Cæsaribus, Conrado III. & Friderico I. qui Civitatem Norimbergensem ornarunt & amplificarunt. Oratio habita ab ERHARDO CHRISTOPH. BEZZELIO. Norimbergæ 1741.

XVII.

De Rebus a Conrado III. Franciæ Orientalis Rege (Duce Sueviæ) gestis. Dissertatio Historica in ill. Fridericiana ab ARNOLDO HENRICO DE TRESKOW, Equite Magdeburgico habita 1709. & denuo Francof. & Lipsiæ edita anno 1730.

XVIII.

Teutsches Staats-Recht zu den Mittlern und absonderlich Kayser Conrads des III. Zeiten. Von Jacob Paul von Gundling Königl. Preußischen Geheimen Rath. Franckf. und Leipzig 1740. in 8.

XIX.

Simon Friederichs Hahn teutsches Staats-Recht unter den Kaysern Conraden dem III. und Friderichen dem I. Edit. Ibid. eodemque anno.

XX.

De Imperatore Romano Friderico Ahenobarbo vel Barbarossa Oratio MARTINI CRUSII Græco-Latini & Oratorii in Academia Tubing. Professoris. Habita ibid. 1593.

XXI.

XXI.

De Friderico Ænobarbo Dissertatio prior, Præside M. ELIA WEIHENMAJERO, Gymnasii Ulmani quondam Rectore & PP. Respondente Danj. Niclas. Nordlinga-Suevo, habita Vitenbergæ 1689.

XXII.

De Friderico Ænobarbo Dissertatio posterior, Præside eod. WEIHENMAJERO & Resp. Georg. Barthol. Sandtberg. Ulmensi. Ibid. & anno eod.

XXIII.

De Friderici I. Imperatoris, cognomento Ænobarbi, Expeditione in Terram Sanctam, Disputatio Historica JO. CHRISTOPH. ARTOPOEI Eloq. Prof. & Cap. Thom. Canonici. Resp. Hermanno Wagner. Ulmensi. Argent. 1696.

XXIV.

Friderici I. Imperatoris Judicium de Henrico Leone Sax. & Bau. Duce. Dissertatio Academica Præsid. JO. GEORG. SCHERTZIO PP. Auctore & Respond. Fr. Henrico Bischoff. Argent. 1715.

XXV.

GEORGI REMI JCti & Procancellarii Universit. Altorff. Dissertatio, qua commentum esse putidum, calcasse collum Imperatoris Friderici I. Ahenobarbæ Cæsaris Alexandrum III. Pontificem Romanum ostenditur. Habita in Actu Doctoreo solemni Altorphi Norimberg. 1625. Recusa posthac ac notulis passim inspersis aucta & emendata, Lugd. Batav. ut præ se fert, sed haud dubie Altorffii in 4.

XXVI.

Refutatio Argumentorum Cardinalis Baronii, omnibus Historicis mendacii dicam scribentis, Alexandrum III. pedibus calcasse collum Imperatoris Frid. I. a D. JOHANNE GERHARDO in Dedicatione Operis egregii, quod inscriptum est *Confessio Catholica*, Jenæ 1634. in 4. edit. ubi ad argumenta Cardinalis Baronii Tom. XII. Annal. ad A. C. 1170. No. 85. factum negantis, fusius respondet, eaque refellit.

XXVII.

Defensio Historicorum, fastum Alexandri III. in Imperatorem Fridericum I. pedibus conculcatum negantium, CHRIST. ADAMI RUPERTI, in inclyta Altorffina quondam Histor. Profess. celeberrimi in *Observationibus* ad Historiæ Universalis Synopsin Besoldianam minorem. Edit. Norimb. 1659. in 8. ibique pag. 663. sqq.

XXVIII.

Dissertatio M. FRID. GEORG. LAUTENSACK. quod Fridericus I. Aug. ab Alexandro III. P. M. calcibus non fuerit protritus. Helmstad. 1701.

XXIX.

Dissertatio JO. BURCHARDI Maii Eloq. & Hist. P. P. qua Imperatorem Fridericum Ænobarbum ab Alexandro III. Pontifice pede non esse conculcatum probatur. Kiloni 1701.

XXX.

CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI Dissertatio Historico-Critica, fabulam de Frid. I, Imp. a Pontifice Romano pedibus conculcato refellens. Isenaci 1710. Et in ejusd. *Pöecile* sive Epistolis Miscell. Tom. III. Art. X. p. 145.

XXXI.

De Henrici VI. Imperatoris Romani eaque ignominiosa Coronatione, Disquisitio Inauguralis sub Præsidio CHRISTIANI GOTTLIEB SCHWARZII, P. P. a Jo. Casp. Schröeck. Norimberg. proposita Altorff. 1737.

XXXII.

Von unterschiedlichen zur Historie Philippi Seuvi gehörigen Büchern NIC. HIERON. GUNDLING. P. P. In otiis ipsius IIten Auflage Franckfurth und Leipz. 1706. in 8. Cap. I.

XXXIII.

XXXIII.

Das Leben Philippi Suevi, von Jacob Paul Gundling/ PP. Jur. Publ. & Literarum Human. in Academia Equestr. Berolin. In Otiis Gundling. loco antea cit. Cap. II.

XXXIV.

MARTINI CRUSII Oratio de Regina Romana, Augusta Irena vel Maria Græca, Philippi Suevi, quondam Romani Cæsaris, charissima Uxore. Tubingæ 1597. in 4.

XXXV.

JAC. PAUL DE GUNDLING, Consiliarii Regii Borussici, Geschichte und Thaten Kayser Conrad des IVten/ aus dem Geschlecht der Herzoge von Schwaben/ aus den Schrifften solcher Zeit und andern Documenten ausgefertiget. Berlin 1719. in 8.

XXXVI.

Allerhand Anmerckungen von dem letzten Herzog von Schwaben/ *Conradino*, und dessen Schicksal. In Gundling. P. IV. Art. II. p. 417.

XXXVII.

De Prævaricationibus Pontificum Romanorum in Principes Imp. Rom. Germanici, exemplo Pontificis Clementis IV. & Conradini Sueviæ Ducis. Dissertatio Academica ex historia universali depromta, sub Præsidio PAULI BIBERSTEINII PP. a Jac. Frid. Hutten. Kircho-Tecc. defensa Tubingæ 1743.

XXXVIII.

De Ducatu Sueviæ & Alemanniæ, Specimen Juris Publici Suevici, quod pro summis in utroque jure honoribus & privilegiis Doctoralibus consequendis Eruditorum Examini submisit LUD. BARTHOL. HERTENSTEIN. Ulma Suevus. Argent. 1731.

XXXIX.

Fata Ducatus Alemanniæ & Sueviæ, ex antiquis Historiæ Germanicæ monumentis breviter exposita, sub moderamine JO. DAV. KOELERI PP. ab Authore & Respondente Jo. Frid. Balbach. de Gastel. Altorffii 1735.

XL.

Jus Publicum, quod in S. R. Imperio InterRegni magni temporibus obtinuit, Præside D. JO. GUIL. HOFFMANNO Eruditorum Examini publico propositum ab *Ottone Christoph. de Podewils* Equite Pomerano in Academia Viadrina 1736. Recus. Francof. cis Viadrum 1740. & Mantissæ loco huic Tomo II. insertum.



DISSER-



DISSERTATIO I.
DE INITIIS SUEVIÆ CULTIORIS.

SI litteræ, quas liberales & ingenuas intelligentior vetustas dixit, ipsæ per se loqui possent, Auditores! arbitror, indignaturas fore illas, quod in homine, quem ipsa sapientia æterna terris atque omnibus, quæ terra profert, clementissime præfecit, hujuscemodi torporem aliquando videant inesse, ut subinde profutura susque deque habeat, & eo ipso, dum felicitatem exigit majorem, eam ante pedes positam imprudens aversetur. Etenim si jure fatuus existimatur, qui innoxias & saluberrimas ad victum herbas vel esurie laborans spreverit, propterea quod illas veram nutriendi vim habere numquam intellexit: quidni miser iste itidem a nobis diceretur, qui alendæ mentis, qua cum maxime censentur homines, exquisitissima subsidia repudiet, ignarus, sine illis nullam hominis perfectionem, nullam stabilem felicitatem, atque nullum veriorem vitæ cultum obtineri posse. Ac ne quis ab eo, quod propositum est mihi, jam in ipso limine deflectat, equidem hoc ante omnia constare velim, solis litteris ingenuisque artibus natura tantum boni datum esse, ut adolescentiam decenter alant, senectutem varie oblectent, secundas res egregie exornent, adversis certum aliquod perfugium solatiumque præbeant, tum vero, ubi opus fuerit, recessus sapientiæ scienter pandant, eademque opera totius populi salutem & fortunas temperent, promoveant, custodiantque. Et videmus certe, terræ etiam ipsius, quam labore manuum, & litterarum, quas ingenio tractare fas est, non dissimilem naturam esse: primum quod innumeri thesauri nobis ab utrisque offerantur, sed non sine diligentia parandi; tum quod, sicut illa corpus alit, ita hæ inprimis animum cognitione certa atque copiosa instruant; & sui tandem apud inficetos & ignavos homines contemtum mire vindicent. Persenserunt quondam populi, corruptam vitæ regulam sequuti, seriem haud facile narrandam plurium malorum; sed remedia

remedia calamitatis tota ac perpetua non invenerunt, donec litterarum studiis adplicuere mentes, & illarum ope, quid sit vere bonum & honestum, didicerunt. Testes hic adpello veteres *Ægyptios*, *Chaldæos*, *Persas* atque *Græcos*, inter quos præcipue postremi satis diu montes, silvas & speluncas, beluarum ritu habitarunt, & perpetua formidine huc illuc agitati, nescii religionis atque melioris instituti; quemlibet errorem mentis, universo generi damnosum, adsciverunt; sed, quum Musas tandem colere severo studio cœpissent, omnium opinione citius adepti sunt, ut sapientia, & cultu, & felicitate omnibus præstare putarentur. At enim *Spartiatas*, ajunt, litterarum studiis in urbe sua locum non fecisse, qui omnino tamen florentissima republica gavisi, & potissimum virtute bellica obtinuisse visi sunt, ut inter ipsos Græcos eminerent. Ego vero vehementer miror, Auditores, pridem aliquos fuisse, qui Spartanos turpis ignorantiæ & odii adversus bonas litteras potuerint insimulare; quasi vero sapientia non multo lætius floresceret, nec bonæ mentis semina felicius in juventutem spargerentur, ubi jam firmata præstantissimæ virtutis stirpe utique non unus atque alter tantum, sed omnino tota civitas philosophatur. Scilicet tametsi Lacedæmone adolescens ad philosophos non mittebatur, atque phrontisteria ibidem nulla cernebantur, quæ formandis ad humanitatem animis fuissent destinata; ea tamen & similia hoc probri genus in Spartanos jure conjici non probant. Quid enim? annon Spartiatæ, otium ab armis nacti, illud unice agebant, ut sermonibus præclaris de republica, de virtute, deque comite illius gloria, nec non de oppositis honesto vitiis in juvenum conspectu disputarent, & illius rei caussa a quibusque aliis laboribus, quos minus liberales, & proinde civibus ingenuis haud satis dignos judicabant, abstinerent? Quid lex illa maxime insignis, ne quis annum septimum egressus domi apud matrem, sed in luce, & convenienter institutis publicis educaretur? porro, ut amasium ex pube patria delectum, quisque civium haberet, quem in omni laudum ac virtutum genere instrueret, & rei publicæ idoneum formaret? Ea vero si egerunt Spartiatæ, ut egisse illos uno velut ore antiquissimi scriptores tradunt; tantum abest, ut in iis exsulasse litteras credamus, ut propemodum easdem illas nusquam tam adcommodate ad civilis vitæ usum, atque reipublicæ necessitatem, quam hoc ipso loco, pertractatas esse arbitremur. Et quid multis attinet, rem illam disputare, Auditores? An res publica consistere, & felix esse posset, quæ non dico modica, sed nulla sapientia firmatur? Sed qui sapientiam inveneris in iis, qui cognitione artium defecti jura civibus describere; quid unicuique sit tribuendum, explanare; lites ac dissidia ad æqui, justi & honesti regulam componere; futura atque imminentia prospicere; & quidquid singulis in rebus factu optimum tutissimumque sit, perpendere non didicerunt? Quantumcunque igitur fortuna hujuscemodi hominibus, aut civitati ejus generis favere videatur, tamen ob id ipsum, quoniam in illa fato ac temeritate omnia aguntur, stabile felicitatis genus inibi haud umquam erit, quum præsidia tutandæ rei, id est, sapientia consiliumque desint. Taceo, in gente, quæ his talibusque institutis utitur, humanitatis cultum atque eam elegantiam, qua populi morati ab inscitis atque immansuetis discernuntur, tantum non ubivis ac perpetuo desiderari. Et quam vellem, Auditores, ut, qui superiore anno puerorum educationem apud veteres Germanos liberalem dicere non dubitavi, & in argumenti fidem rationes aliquot non facile infitiandas protuli, jam quoque priscis Suevis meis jure quidem suo, tantum decoris conciliare possem, ut a feris barbarisque gentibus haud paullo longius distare, quam a cultioribus videri possent! Sed non usque vincet amor patriæ, ut Historiæ præcipuam sanctissimamque legem, id est, veritatem violemus. Utut ergo res eorum comparebunt, ita illas etiam sermone nostro prosequemur; quum-

quumque nihil ſit, quod cultum eis commentitium, vel debito majorem, tribuamus; equidem hac opportunitate, ſi vos, Viri ſumma ac decenti pietate venerandi, ita jubeatis, tantum DE INITIIS SUEVIÆ CULTIORIS aliquid verborum faciam, eoque argumenti genere efficere conabor, ut, qui auſcultandi cauſſa adſunt juvenes, perſpecta temporum priorum infelicitate, ſorte ſua gaudeant, ac tempeſtive ad politiorum & ſeveriorum litterarum cultum ſibi comparandum excitentur.

Aſperam & vepribus completam viam ingredi neceſſe eſt, ſi Suevos, ubicunque olim habitarunt, perſequi velimus, Auditores! Ingens, quondam populus Suevorum, nec fecundus tantum prole ſua, ſed & late proferens poſſeſſionum fines, adeo ut regionum terminos non pateretur definiri, armis ſcilicet confiſus, quorum jus hoc eſſe proprium putabat, ut victoris diceretur, quidquid ille dextera cepiſſet. Itaque non male TACITUS, *Suevorum*, inquiens, *non una, ut Cattorum Tencterorumve gens. Majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque diſcreti, quamquam in commune Suevi vocentur.* Hæc ille, explicatius deinde tradens, in quas gentes ſive nationes, ea Suevica familia excreverit. Sed diſtingui tamen tempora debebunt, ſi quæ veteres perhibuerunt, cogere in ordinem, & invicem conciliare quodam modo, voluerimus. Sub Octaviano enim certum eſt, incoluiſſe illos Cis-Alpinam partem veteris Germaniæ, & Langobardos quidem loca aquilonia, Marcomannos autem, & qui præter illos ſplendido Suevorum nomine ſuperbiebant, tractus Rheno paullulum viciniores: donec his in Bojohemum demigrantibus, iſtisque a Tiberio, Auguſti Cæſaris legato, proſpere trans Albim pulſis, quæque domicilium eorum ab Hermunduris occuparentur. Verum Taciti ætate iterum mutata eſſe aliqua videmus. Ea enim, quidquid ad meridiem Danubio, ad occidentem ſolem ab aris Flaviis, ſeu Nerolinga, ad Salæ fontes, eo ipſo amne, nec non Albi atque Traua fluviis, tum Codano ſinu & mari Germanico; ad ſeptentriones vero mari glaciali; denique & orientem verſus ſinu atque lacu albo, ſinu Botnico, mari Codano, & Viſtula Maroque fluminibus includitur, Suevorum populis ſubjectum eſſe dicebatur. At ſi ei limites fortaſſis placeant, jam jamque gloria antiqua, quæ ex nomine majorum venit, infeliciter excidimus. Qui enim nos, qui agros Decumates colimus, eorum famam atque decora ceu genti noſtræ propria adſerere poſſemus, qui non ultra *Nerolingam* atque *Dinckelsbilam* tendere tum quidem voluerunt? Et deſiſtere incepto animus jam eſſet, Auditores! niſi ratio adhuc ſuppeteret, qua patres & majores noſtros Suevis utique adnumerandos eſſe comprobemus.

Degreſſis enim, ut jam diximus, ab Rheno Marcomannis, ſociisque, *leviſſimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubiæ poſſeſſionis ſolum occupavere. Mox limite aucto, promotisque præſidiis, ſinus imperii & pars provinciæ habentur.* Ita *Tacitus*, Romanus ſcriptor, cui, ſi quid minus plene de Germanis dixit, ignoſcendum erit. Cæterum hoc noſſe intereſt, Decumates agros, de quibus Tacitus hoc loco verba facit, eas eſſe regiones, quas deſeruere Marcomanni, quum ipſorum princeps *Maroboduus*, tumultuarium pertæſus regnum, ductus in incinctos Herciniæ ſilvæ campos, i. e. *Bojohemum*, copiis, id ageret, ut aliquanto firmiorem inter ſuos ſibimet pararet principatum. Iſtuc igitur conveniebant diverſarum nationum viri, *Sequani*, *Rauraci*, *Helvetiique*, accedentibus haud dubie nonnullis Rhætiæ, Pannoniæ, nec non Germaniæ colonis; ut proinde non immerito hunc populum ex pluribus commixtum, ſed ex Gallis maxime conflatum ſtatuamus, rectumque *Strabo* teneat, quando gentes Gallicas diſerte inter Rhenum collocat Danubiumque.

Habemus igitur ALEMANNORUM, ut vocari tum vel ipsi voluere, vel ab aliis virtutis caussa dici consueverunt, prima omnium exordia; sed initia SUEVORUM, qui his terris nostris nomen pepererunt, nondum ideo habemus. Contigere ista, si quid judicare possum, inclinante seculo secundo; siquidem Alemannorum nomen ante tempora Antoninorum in historicorum commentariis non invenimus; id quod nobis certe non accideret, si gens, quæ paullo post in formidandas vicinis suis opes excrevisse visa est, citius in aliquam societatem, certis legibus firmatam coivisset. Quod vero ad illorum ortum attinet, Germanos quidem eos uon fuisse, inter plura alia hinc etiam patescit, quod, quum decem anni sæculi post Christum natum tertio exacti essent, imperator quolibet dedecore insignis Antoninus Bassianus, titulis queis antea superbiebat, Parthici, Arabici, Germanicique, novum illum *Alemannici* adjunxerit, testatus adeo, se gentem illam armis prostravisse. Sed non debellatos tamen una aliqua victoria illius esse Alemannos, quum permulta produnt, tum inprimis terror iste comprobat, quem ipsi imperante Alexandro Severo, Mammææ filio, Romanis injecerunt, pœnas quidem postea daturi Maximino, Probo aliisque; sed & cladibus diversis inter ea adfecturi hostes suos, adeo ut prope toties superiores, quoties devicti, viderentur, atque interim mutabili fortuna nihil fracti nunc in Gallias Hispaniasque, nunc in Rætiam & alias provincias Romanas, fortiter irrumperent, Germaniæque vel statorum, vel liberatorum titulos promererentur.

Sed jam ipse dies, nedum horula, deficeret me differentem, si, quæ Alemanni incredibili constantia ad quintum æræ Christianæ sæculum, & quod excurrit, susceperunt, copiosius narrare vellem. Neque vero instituti mei ratio hoc poscit, Auditores, utpote qui laudes Alemannicas hoc tantum fine attigi, ut, quænam rerum facies ætate illa in his terris fuerit, utcumque eluceret. Cæterum priusquam Alemannos, bello unice intentos, dimittamus, aliud est, quod hic meminisse e re nostra fuerit. Ostenderunt suomet exemplo Alemanni, quantum virtus bellica, si animi totius populi conspirent, contra hostem diu formidatum, ac ferociter in quamque plagam arma sua inferentem, id est, in Romanos, possit; ac, ne soli tanta gloria pollerent, FRANCI itidem collecta, atque ex diversis populis Germaniæ unita natio, altera ex parte signum sustulerunt, & ex regionibus Germaniæ inferioribus exciti novas sedes Gallico sub cœlo quæsiverunt. Quantum hac incursione Romanorum res in Gallia turbatæ, quanta etiam contentione super his possessionibus sit dimicatum, dicere hoc loco nihil juvat. Sed quum isthic Francica fulgerent arma, atque hic non minus acriter instarent Alemanni, ita ut nonnumquam integras cis Rhenum regiones occuparent, accidit, ut SUEVI, quos vicinia ad insidendas terras pæne derelictas invitabat, numerosam in Alemannorum agros pubem, & colonias frequentes mitterent, eoque limes Sueviæ ad occidentem solem late proferretur. Et fuere pridem, qui tum Suevos, arctius cum Alemannis sociatos, eadem non jura tantum, sed & bella habuisse opinantur; etiamsi de his rebus veteres silere advertamus. Illud quidem certius, fortunam Francis, dum hæc in Germania geruntur, ita indulsisse, ut sub MEROVÆO rege magnam Galliarum partem jam possederint.

Quod vero inter gentes bello quasi innutritas fieri plerumque solet, ut virtuti suæ omnia deberi putent, & hinc jura alia, præterquam quæ in armis sita sunt, non facile admittant: illud inter Francos atque Alemannos pariter evenit. Etenim successor Merovæi, CHILDERICUS, bello Alemannico jam implicari cœpit; quamquam hæc proludia tantum videri possunt, si cum eis conten-

contendantur, quæ mox CHLODVÆUS, Childerici filius, adversus Alemannos præstitit. Regulus Coloniæ tum erat SIGEBERTUS, quem ut fama atque viribus inferiorem armis invadebant Alemanni; sed quem e contrario, ut Francum, & societatis sibi vinculo conjunctum, cunctis opibus juvandum autumabat Chlodovæus. Itaque non multo post *ad Tulpiacum* atrox pugna inter utramque gentem, Francicam & Alemannicam, conseritur. In hac autem Sigebertus vulnere debilitatus pediti, qui ductum & auspicium ipsius sequebatur, magnam trepidationem injicit; & Chlodovæus, Alemannis undique urgentibus, sic premitur, ut actum esse de se judicet, ni forte Numen, quod CHLOTILDIS uxor invocabat, id est, Christus, opem cœlo mittere dignetur. Igitur hunc supplex adit, & quod Turonensium episcopus, *Gregorius*, testatur, huic vouet, se & ipsum Christianum fore, si divinitatis ille argumentum rebus suis alioquin desperatis miscuisset. Et hoc facto Alemannos ferunt trepidasse subito, ac terga postmodum vertisse; insequutam vero stragem, nec a cædibus cessatum esse prius, quam occiso rege suo Alemanni Francis sese dedissent. Ita gentis, quæ lacesse adhuc cujusvis libertatem sueverat, libertas periit. Ita omnis fere Alemannia, quæ olim tot præclaros principatus a Danubio ad Rhenum, atque ipsammet Alsatiam complectebatur, juri Francico submissa, & Suevorum fines iterum dimoti sunt; hac tamen lege veluti, & fato singulari, ut, quæ ad Danubii utramque ripam prævalebat Suevia, paullatim certis, & in posterum non ita facile mutandis terminis describeretur.

Enarravi vobis, Auditores, Sueviæ vetustioris situm, atque ordine rem alioqui satis impeditam explicare studui; non velut alia materia dicendi desit, sed ut primo loco intelligeretis, alia ætati huic, alterique alia competere. Quid vero, si jam gentis hujus studia sint exponenda, aliud proferre possem, nisi quod in quoque ævo universe de Suevorum moribus memoriæ mandatum invenimus? Neque enim, qui hanc regionem ante nos incoluerunt, cæteris illustriores, nec ut sperem, aliis deteriores erant. Inter ea parum est, quod etiam de cunctis dicere licebit; si quidem ipsi Suevi scripto aliquid mandare neglexerunt, & quæ forsan *Bardi* adnotarunt, temporum injuria jam diu perierunt. Laudat vero *Cæsar* fortitudinem eorum plane singularem, quæ & corporum ingenti magnitudine honestabatur. Quumque Suevi fuerint, ad quorum nomen milites ipsius toti etiam cohorruerunt; inde quidem dignitatem aliquam virorum intelligimus, nec vero illum, quem hic maxime spectamus vitæ cultum. Sed hic commodum succedit, quem historiæ Germanicæ parentem dicas, *Tacitus*, præclarus auctor, qui diserte *bonos mores in Germanis plus valere*, contestatur, *quam alibi locorum bonas leges*. Utinam hic ergo reliqua consentiant, & cultioris Sueviæ initia jam designari possint!

Imo vero dissona non sunt, quod Numinis præsidium in rei publicæ negotiis auxiliumque imploraverint; quod sine illo majus aliquid moliri & conari impium, periculique plenum duxerint; quod publica decreta principum & populi consensu fecerint; quod jus æquabiliter reddentes controversias minuerint, pœnasque ipsas pro delicti varietate distinxerint; quod matrimonia severa & castissima coluerint; in educandis autem atque ad laborem adsuefaciendis pueris haud parum curæ adhibuerint; itemque alia perfecerint, quæ populi feroces & mansuetioris vitæ inimici facere non solent. At tamen inter istos, qui brutorum ritu animantium in quamlibet libidinem feruntur, atque eos homines, qui cultum aliquem ingenio ac mente præferunt, haud dubie plus interest, quam ut in medio consistere non item alteri liceret. Referamus

mus igitur, si placet, Suevos nostros in eorum censum, qui a cultis moratisque tanto fere, quanto ab immanibus & feris, intervallo distinguuntur. Et sic esse faciendum, ipsa etiam religio eorum docet.

Agnoscebant illi cum Germanis cæteris ens quoddam entium, haud ullis finibus circumscribendum, & quod nutu suo rebus omnibus creatis decentissimè provideat. Agnoscebant etiam, hoc piè a quibusvis venerandum, & placandum quoque ob flagitia quum singulorum, tum vel maxime totius gentis. Agnoscebant denique ipsarum animarum nescio quam immortalitatem, qua ad omne laudum ac virtutum, quæ in ipsos cadere nimirum poterant, excitabantur genus. Sed hæc quibus modis, & qua doctrinarum depravatione tradita & observata fuerint ab ipsis, pariter videre attinet. Etenim non semper deum, quod sinceræ pietatis, & cognitionis purioris argumentum esset, verum deos, jactitant, ab homine devenerandos. *Non cohibere*, quod a Tacito accepimus, *parietibus deos, neque ullam humani oris speciem adsimilare ex magnitudine cœlestium arbitrantur.* Haud insulse, ut opinor, quantum spectat ad imaginem divinitatis. Pergit autem ille noster in hunc modum: *lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus adpellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* Atque hic non dicam, quanto opere simul auspicia, & sortes, & voces, volatusque avium, & præsagia equorum, quos in lucis ac nemoribus alebant, observaverint; quum in lucis istis etiam insigniora cernere possimus. Nimirum ita de Semnonibus, qui sese vetustissimos & nobilissimos Suevorum prædicabant, Tacitus: *Stato tempore auguriis patrum, & prisca formidine sacram, omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt, cæsoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est & alia luco reverentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & potestatem numinis præ se ferens. Si forte prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum; per humum evolvuntur: eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cætera subjecta atque parentia.* Hæc ille, inscius & ipse, ex quo fonte, turbido au puriore? istud sacri genus dimanaverit; tametsi superstitionem vocet, quidquid a Romana deos venerandi ratione longius recedit.

At nos, quibus sanctiora Numinis oracula præclaram facem præferunt, facilius videmus, quid in mentibus insederit Suevorum, & quod priscæ verioris dogmatis traditiones temporum decursu apud nostros æque, ut in aliis compluribus Noachitarum posteris, immane quantum depravatæ fuerint. Itaque non nimis confidenter hos scriptores sequimur, qui populi, haud satis umquam cogniti ab ipsis, & arcana sacra exercentis, ritus, cæremonias, & ipsa numina rimantur, simul atque aliquid a suis moribus haud adeo diversum observaverint, ad suas referunt opiniones, & hinc nescio quos Hercules, quos Martes, quos Mercurios, quas Isides, & alias divinitates in Suevorum natione fingunt. Et hic meminisse subit, quam multiplices erroris viæ sint, & quam mirifice is longa serie annorum varietur; qua de re & ille risum esset cautioribus quibusque præbiturus, qui in veterum Suevorum sacris prisca & nuperrime adjecta, vere atque item simulate prodita, rite ac perverse intellecta, verbo, omnia distinguere ex vero, atque omnia in unum veluti systema, partibus connexum suis, ac non pessime cohærens, scitius compingere auderet. Insunt quippe in his rebus, quæ originem non nisi ignorantiæ scriptorum debent; insunt aliqua symbolice expressa, quæ non nisi Druydarum & Bardorum aliquis interpretari possit; insunt, quæ nec ipsi veteres viderunt male cum opinionibus, quas fundamenti loco substruxerunt, cohærere. Istis autem positis difficile est,

est, Cæsari habere fidem, qui, *Germanos*, ait, *deorum numero eos solos ducere, quos vident, Solem, Vulcanum & Lunam, præter quos ne fama quidem alios acceperint;* atque hoc audito Tacitum probare, longam numinum Germaniæ texentem telam.

Sed si suo abundare sensu quemque patimur; quæso vos, ne mihi fraudi sit explicuisse, quid de tota Suevica religione videatur. Itaque hic primum pono, Suevos unum summum & æternum Deum statuisse, eum scilicet, quem regnatorem omnium, testante Tacito, professi sunt, & cui cætera subjecta & parentia dixerunt. Huic summo numini inferiora quædam alia subjiciebant, sicuti Chaldæos, Persas, Græcos, atque omnes fere, qui non nisi obiter de Deo aliquid inaudiverunt, vetustissimis temporibus fecisse novimus, inventis dæmonum, heroum & semideorum titulis, qui primum potestates quasdam dei, ac mox ipsos deos denotare censebantur. Igitur Mercurius, quem nemo omnium Suevorum eo nomine signavit, forte ipsam Dei maximi intelligentiam humanis rebus providentem; Mars ejusdem numinis potentiam, & robur cum hominibus communicandum; atque Hercules eximium tantummodo heroem inter ipsos natum, atque ipsam gentem miris beneficiis deficientem notat; siquidem hæc ipsa nomina a Suevis numqam usurpata, verum a Romanis tantum perperam & falso istis indita fuisse persuasissimum habemus. At iidem *Tuistonem deum terra editum, & filium Mannum, gentis conditores,* neque minus *Hertbum*, Tacito auctore, coluerunt; sicuti & *pars Suevorum Isidi sacrificavit!*

Fateor, hic aliter pronuntiandum esse, Auditores; etsi in sententia, quam ante dixi, nihil temere mutari velim. *Tuisto* enim, terra editus & gentis conditor, haud dubie *Adamus* est: *Noachus* autem, Manni nomine, illius filius vocatur; prouti Saturnus quoque apud Græcos sæpe pater dicitur eorum, qui non una tantum generatione ab eodem distant. Etenim subjungit Tacitus: *Manno tres filios adsignant*; id quod etiam Noacho recte & adprime convenit. *Hertbum* vero sive *Aertbum*, quam & ipse *terram matrem* vocat, forsitan non falso dixeris hanc ipsam terram esse, ex qua jussu Dei prodiit Adamus; unde simul paucis interjectis mater deûm, qui ex ipso posthac orti sunt, eadem, qua & reliqua definiunt, licentia vocari solet. *Isis* autem, cujus sacrum homini Romano peregrinum videbatur, neutiquam cum ista Ægyptiaca confundi debet, utpote ignota Suevis ipsis, & hoc nomine vix umquam inter eos adpellata. Etenim ut *Mannus*, sive *Man*, vox Asiaticis adhuc in Othomanis atque Solimanis usitata priscis etiam Germanis virum, & præcipue Noachum indicabat: ita *Ischa*, vox Ebraica, uxorem ejus procul dubio significavit; jamque Taciti non amplius obscurum deprehendimus errorem, qui ex eo, quod illius *signum in modum liburnæ figuratum* erat, illico religionem istam peregre advectam esse judicavit: quum liburna tamen illa potius sit signum generis humani in arca mirabiliter a Deo conservati. Et quum illa ita sint, diversa quidem monumenta illa in Vindelicis reperta, quæ Mercurium, Apollinemque Grannum referunt, & superstitionem Romanorum unice testantur, tamquam aliena a Suevorum sacris merito facessere jubemus.

Sed ne forsan Alemannos, qui has quomdam regiones habitarunt, alia religione usos, atque castius quodammodo de rebus ad divinum numen attinentibus sensisse autumetis, memores vos esse velim, Auditores, Alemannos gentis suæ ortum partim Gallis, partim vero Suevis debuisse. Jam si Suevi illic etiam fuerunt, eadem, quæ diximus, de istis pariter valebunt: sin ad Gallos

Gallos animum convertas, *Strabo* abs te audiendus erit, qui utramque gentem, Gallicam Germanicamque, natura, forma, moribus & institutis, quin & victu plane similes putavit; quamquam is non omnem Galliam intelligit, sed tantum, qua ad Rhenum vergit, atque populos Germaniæ vicinos habet.

Relinquamus vero aliquantulum hanc de Suevorum Sacris quæstionem, & qui cultus litterarum in hac gente obtinuerit, strictissime examinemus. Breviter & paucis verbis autem declarabo, pridem in Germania fuisse viros, qui ingenium simul cum armis exercere voluerunt. Hoc *Ariovistus*, hoc & *Maroboduus*, uterque Suevus, commonstrarunt aliquando; etiamsi in eruditorum numero censeri non ardentius, quam septem illi Græciæ, expetiverunt. Nec vero viri principes tantum, sed alii inferioris quoque ordinis, his studiis polire animum instituerunt. Apud eos certe, qui Germaniam inferiorem incolebant, litteræ in aliquo honore fuerint necesse est, si vera esse censuerimus, quæ de *Vechtano*, summo sacerdote ac pontifice, Trithemius compendio annalium inseruit. Hic enim cum æqualibus & condiscipulis quibusdam, quorum pectus generoso scilicet honesto pariter incoctum erat, in Italia & ipsa Græcia elaboravit, ut peritus utriusque linguæ, ac simul astronomiæ, musicæ, poeticæ, philosophiæ, atque artis medicæ evaderet; quas omnes disciplinas ac scientias, ex quo revertit domum, ineunte sæculo secundo regios & nobiles quoscunque pueros sub quercu docuit, conscriptis etiam carminibus diversis, quibus juvenum ingenia exercentur, & memoria cum honestatis fructu coleretur. Et quidni amore litterarum excitatos esse quosdam putaremus, quum politiores artes in vicinia florere animadvertissent? Nimirum sic Romani consueverunt, ut, quum barbara in gente aliquam provinciam fecissent, illico in ista ludos litterarum aperirent, quibus liberi provincialium, dimissa feritate, ad humanitatem & mansuetiorem vitam Græcis Latinisque artibus adducerentur. Numquid ergo prorsus torpuisse istos opinemur, quum in Gallia haud paullo cultiores ritus, consuetudines & mores cernerent inductos? quum Antoninus Pius professoribus magnifica salaria constituisset? quum Augustodunensis atque Trevirensis scholæ exquisitis florerent? An credibile est, homines, qui Rheno tam propinqui erant, & trans Rhenum quoque domicilia habebant, nihil lucri ex his litterarum præstantissimis emporiis referre voluisse? Sane quidem nolim ego Suevis meis hanc prudentiæ, si quam in ea re adhibuerunt, laudem invidere: verum Alemanni gloriam haud aliam majorem, quam quæ in vincendis hostibus Romanis versabatur, agnoscebant, & fortassis ob id ipsum artes illas quoniam Romanæ videbantur, contemnebant. Nec dissimilis fortuna litterarum in Danubii utraque ripa erat; etiamsi in Vindelicis Romani *Augustam*, splendidissimam coloniam, haberent, quam commerciis amplificare, & illustriorem reddere non omiserunt. Jam si audiendus videatur Juvenalis, Satyra II. canens:

Adspice, quid faciant commercia: venerat obses;
Heic fiunt homines.

equidem Horatianum illud itidem ad mercatores pertinere arbitrabor:

O cives, cives, quærenda pecunia primum est,
Virtus post numos.

Sed

Sed quum bella & commercia haud satis fida cultus adquirendi adminicula comperiamus; restat pervidere, annon lene illud jugum Christi, hoc est, salutaris evangelii doctrina, populos antiqua libertate, & facinorum, quæ armis ediderunt, magnitudine ferocientes tempestive mitigarit? Dubia res illa hodie videri potest; quamquam ex illustrium quorumdam nostræ fidei antecessorum, *Irenæi* ac *Tertulliani*, monumentis aliquantulum elucet, in Germania, quam illi quidem universe nominant, ecclesias, devotas Christo, sæculo II. vere aliquas fuisse. Sed quis non intelligit, in regionibus tam vastis, quas Germani olim habitabant, plures Christi sectatores esse potuisse; etiamsi inter Suevos nomen illud plane etiam ignoraretur? Itaque silentio non plane hic prætermittendum erit, dudum aliquos fuisse, qui *Lucium Cyrenæum, Paulli apostoli cognatum*, & in debellandis Christi hostibus commilitonem, dogmatis sa ratioris semina in Vindelicia & Rætia, locisque aliis Danubio conterminis sparsisse memorent; ac item alii, *Valerium*, *Euchariumque*, in has Trans-Alpinas regiones & Alsatiam a divo Petro missos esse, nescio qua fide, tradant. Eodem loco forsitan haberi debet, quod secundo, posteaquam Christus natus erat, sæculo diversus illi *Lucius*, quem Britannorum regem nominant, sanctissimam credendi ac vivendi regulam Vindelicis Rætisque (nam quid partes illas, quas Romani olim a Germanis discreverunt, hodie cum Suevis reliquis non diceremus?) impertierit. Ut enim certa esse vehementer cupiamus, quæ hic illic de maturo evangelii in patria progressu venditantur: tamen quia testes ejus rei præter monachos, res suas nimium plerumque extollentes, & a veritatis conservandæ studio non usquequaque commendatos, non habemus, talia in medio, quod ajunt, relinquenda esse judicamus. Verum tertio post Christum natum sæculo cultores Christi, solitariam amplexos vitam, Suevia non ita paucos vidit, qui & alios doctrinæ & exempli sui sanctitate permoverunt, ut antiquius nil esse Christi beneficiis existimarent; maxime quum insequente sæculo tam læta incrementa Christi in his terris civitas cepisset, ut Episcopatus Augustani fundamenta viderentur esse collocanda.

Itaque hic, sensim licet & paullatim, numerus piorum crevit, & Mavortia Suevorum corda emolliri adeo cœperunt, ut non viri tantum, sed & feminæ, atque inter has *Hilaria*, *Afra*, aliæ, vitam pro Sotere Christo reddere non dubitarint; adnitentibus jam altera ex parte Alemannis, ut ecclesiæ, quæ priscæ superstitioni finem & interitum comminabantur, qualibet vastatione delerentur. Sed hic quoque furor validissime compressus est, quum Alemanni sæculo jam exeunte V. apud Tulpiacum Chlodovæo victas dare manus cogerentur. Nam ut ipse victor statim post res bene gestas sanctiore ritu in familiam Christianorum cooptatus est, & Franci numero complures ad exemplum regis se composuerunt: ita suspicari sane licet, voluisse Chlodovæum, ut in Alemannia, vel parte Alemanniæ subjecta ditioni suæ, evangelii doctrina itidem floreret. Verum utut erit de mandato regis; illud paullulum majori fide novimus, reliquias non contemnendas nominis & gentis Alemannicæ, quum iras fugeret Francorum, in Theodorici, incluti Ostrogothorum regis, clientelam se dedisse, qui & tractum Rætiæ, Danubio, Oeno, Ileræ, & Alpibus interjacentem eis adsignavit; Christianis inter ea laborantibus, ut *Vindonissæ* in Ergovia ecclesia insignis aliqua colligeretur, cujus præsul mox concilio Epaonensi interesse, & cum cæteris sacrorum antistitibus de Christianis rebus providendis consultare posset. Atque nostis, ut opinor, Auditores, hunc episcopatum intermisso tempore *Constantiam* translatum esse.

Cæterum si sexto septimoque sæculo nil fere memorandum invenimus, nisi monasteria multiplicata, & virorum aliquot, insigni pietate ad idola in his terris destruenda se parantium, labores, *Columbani* quidem maxime, & *Galli*, qui posterior & in cœnobio ex ejus nomine vocato requiescit: quid est, quod non apertissime profiteamur tandem, pridem & fortassis inde ab apostolorum ævo, ut in reliqua Germania, sic nostra quoque Suevia, religionis Christianæ Semina fuisse sparsa; pleniorem vero evangelicæ doctrinæ propagationem, atque una cultum, pristino majorem, Suevos nostros *Carolo*, Francorum regi vere Magno, citra controversiam debere. Etsi enim heros ille res Suevorum non præcipue curaverit; is ipse tamen bene etiam mereri visus est de nobis, quum confectis Bavariæ & Sueviæ ducum bellis, deficientem episcopatum Augustanum instauraret, alibique in Germania, dissipato dæmonum & numinum falsissimorum metu, auspicia divinioris cultus circumferret, & rem Christianam armis, opibus, consilio & omni facultatum genere juvaret. Nimirum primus hic, quum ipse eruditus, pius, fortis, atque felix esset, artibus ingenuis formandum esse animum perspexit, ut admissa veri ratione Numinis unius veri rectum ac sincerum cultum omnibus in vita rebus anteponat, & hac ipsa summe necessaria persuasione excitatus dignos semet ipso, dignos deo suo, mores induat. Hic, quum populos, jam efferatos more suo, ac ne disciplinam quidem admittentes advertisset, fortitudinem adversus eos adhibendam; atque, quum vicisset, felicitate sua sic utendum esse ratus est, ut populi, devicti quoque, numquam antea feliciores se fuisse faterentur. Igitur vexillum Christi pluribus in locis sustulit, ac ne præsidium deesset, splendidissimos episcopatus pariter instituit, illisque scholas præstantissimas, humanitatis vindices, & sanctioris dogmatis nutritias adjecit. Ita quum religio & litteræ connubio non infelici jungerentur, cultiores etiam Germani, atque inter hos majores nostri facti sunt; cultissimi non multo post futuri, nisi ingravescens in cœnobiis ambitio, luxuria & quæque scelera, felicitatis ejus cursum, veluti sufflamine objecto, retardassent, & mox penitus impedivissent. Sed hic positas videmur metas contigisse.

Alia jam poscit dies, quem sollemnem nobis gratiosa patrum patriæ voluntas fecit. Etenim quum illis nihil magis curæ sit, quam ut juventus quolibet virtutum genere in dies cultior florescat; ea quidem paullulum adstrictius docenda erit, quod obsequium, qui mores, quisve decor denique ab ipsa requiratur. Age igitur, Vir præclarissime, N. N. & leges, quibus vivere quum scholis, tum collegio adscriptos decet, post auditos musicos concentus recita:

recitantur leges.

Satis, ut opinor, vobis, optimi Adolescentes, de parando cultu patrum patriæ insignis sapientia prospexit: sed non alia re magis eo libertatis ornamento potiemini, quam promta obsequendi voluntate. Et intellexisse vos existimabo, quantum tempora hæc nostra differant ab istis, in quæ prisci genitores nostri inciderunt, quando veri Numinis notitia omnino depravata, boni autem & honesti rationes nimis obscuratæ, & proposita in medio felicitas ignota erat; quando Druys aut sacerdos aliquis nobiliores tantum, veluti hi soli aliquo ingenio pollerent, sub caliginosa quercu instruebat, & mysteria crepabat, quæ nescisse magis etiam conveniebat sapienti. Inter hæc non pœnitebit meditari, quod jam dudum *Mela* observavit: *unum*, inquiens, *ex iis*, *quæ præcipiunt*,

cipiunt, (Druidæ) *in vulgus effluxit, videlicet ut forent ad bella meliores, æternas esse animas, vitamque alteram ad manes.* Pacem vobis atque pacis artes commendamus, sed non ideo omitti bellum volumus. Hostes undique vos cingunt, ac, si mihi creditis, hostes intus in vobismet ipsis etiam habetis. Ignorantia, & inclinatio ad omne malum, & frequentes animi non satis cauti perturbationes, quibus omnibus obnoxii natura sumus, nihil non hostile agunt, & ne vim illatam propulsetis, jam exitium paratum est. Eos hostes ergo, ne fallamini, in scholis nostris quasi digito monstramus, horum dolos vobis aperimus, & insidias detegimus; ad hos superandos arma ministramus, & quemadmodum tractanda illa sint, vos dextre instituimus & erudimus. Cæterum ut meliores ad hæc bella sitis, utique tenendum semper erit, interire animam non posse. Nam qui eam ad similitudinem creavit suam, is constituit simul, ut pura quidem illa ab errore atque immunditie conservaretur; & quum tamen inquinata sit, depurgaretur denuo, dum ipse rationem aliquando omnium nostrarum actionum poscet. Cogitate ergo, redeundum esse, unde venimus. Excubat perpetuo æternus conditor, idemque omnium viventium in terris judex. Perinde autem, ut militiam exegimus, sic ille postmodum vel præmia, vel pœnas reddet.

Sequitur, ut vobis, quorum sub auspiciis palæstram exercemus, *Viri perillustres, cæt.* pietatem nostram publice testemur. Nempe quum vos in eorum locum successeritis, qui primi hoc delubrum sapientiæ & artium quarumvis liberalium aperuerunt; quumque in illius commodis & ornamentis conservandis vere tantam diligentiam adhibeatis, quantam illi ad hæc bona procuranda olim contulerunt: fas & æquum erit, ut vos pari cum iisdem venerationis cultu prosequamur. Quidni vero gratias idcirco Vobis longe maximas persolveremus, precibusque nostris Deo Vos commendaremus, quum in ore omnium piorum ea vox versetur, optime Vos de re publica & civitate universa promereri, quum de pube nostra, id est, de re publica futura, tam benigne, tamque sapienter mereamini.

Et audire etiam Tu voles, summe pater, cujus laudibus æternis cœli personant. Tu nos e caligine, quæ quomdam summa incubabat terris nostris, & e tenebris perversitatum clementissime eripuisti. Tu, quum alia tyrannis lucem, in qua Te & filium cognosceremus tuum, intervertere auderet, iterum nos vindicasti, & fremente rursum pertinaci hoste ante hos ducentos annos pacis, quam religiosam vocant, beneficio æternum tibi devinxisti. Utinam pax autem illa, quam conciliavit nobis Christus, & qui nervus est felicitatis sempiternæ, nostro quidem vitio haud umquam incidatur; sed immota tamquam propugnaculum adversus vitæ, mortis, quin & Satanæ terrores inter nos & posteros quoscunque perstet. Sed hoc ipse feceris, pui curam nostri habes, & infirmitates nostras bene nosti. Serva igitur; o Deus, quæ dedisti, bona, & si mereamur, auge. Serva nobis magistratum, & quum temperat necessitates nostras, eum dirige. Serva etiam præconium salutis, quod in fide pura & sincera constituitur. Serva litteras & bonas artes, quibus mens ad tuam gloriam decenter illustrandam, & utilitates publicas amplificandas excitatur, & idonea efficitur. Tui enim sumus, & quotcunque nostrum plane tibi adserveris, totidem & laudes tuas in æternum decantabimus, Tibique gratias agemus.

DISSERTATIO II.

DE

PALATIIS VILLIS AC CURTIBUS REGIIS IN SUEVIA.

I. Augusta Vindelicorum.

THeotisce AUGUSBURCH, & contractius AUGSBURCH, clarissima Romanorum Civitas, & Metropolis Vindeliciæ, sive Rhætiæ secundæ, ad Licum fluvium, in medio ævo, in Ducatu Alemanniæ & Pago *Augustagovvi* sita, cujus Pagi mentionem facit diploma (licet de falsitate suspectum) Caroli Magni de anno 773. pro Abbatia Campidonensi datum, sinceriora vero sunt testimonia diplomatis Ludovici Pii pro eodem Monasterio Campidonensi apud *Mabillon.* Tom. IV. Analector. p. 470. & annotatio Arnonis apud *Canisium* Tom. II. Lection. Antiquar. p. 490. edit. prim. splendorem pristinum temporibus etiam posterioribus conservavit; Eandem Palatio celebrem fuisse demonstrant satis tot Imperatoriæ ibidem mansiones, & emanata inde diplomata. Diploma Ludovicianum in Codice diplomatico Ratisponens. apud *R. P. Bernard. Pez* Tom. I. Thes. Anecdot. part. III. num. X. p. 25. Actum Augusburch. *Chron. Augustan. apud Freher.* Tom. I. Scriptor. Rerum German. pag. 347. ad annum 1058. *Imperatrix cum Rege puero Pentecosten Augustæ egit*, ut complura testimonia alia prætermittamus. De statu urbis Augustæ temporibus medii ævi complura memoranda attulit *Author Apologiæ der Reichsvogteien.*

II. Constantia.

GANNODURUM aliquibus, nonnullis *Castellum aquarum*, *Augusta Turgoiorum*, aliis *Valeria*, item *Harudes* & *Vitodurum* appellata, locus antiquissimus & temporibus Romanorum jam celeberrimus, situs *ad lacum Bodamicum*, Constantio & Constantino Impp. adamatus. Urbs Regalis postmodum in Ducatu Alemanniæ in Pago *Durgaugensi* sive *Turgovve*, antiqua sede Episcopali, quæ post Vindonissæ excidium huc anno 597. translata fuit, Palatioque Regio clara, frequens quoque Carolingicis Cæsaribus præbuit habitaculum. Tot celebrati ibidem Conventus, tot peracta negotia publica, tot instituta hastiludia antiquum loci hujus splendorem satis demonstrant, ut dubium minime supersit, quin Regium quoque Palatium ibidem viguerit. Plura reperiuntur apud *Guillimann. Habsburg.* lib. 2. cap. 1. p. 42. & *de Reb. Helvetic.* lib. I. cap. III. num. 32. & seq. p. 13. & seq. edit. novissimæ.

III. Erf-

III. Erfmuotingen.

Villa fuit Regia in Suevia, a Carolo Martello AUGIÆ MAJORI inter alia fundationis bona donata, obſervante id *Bartholomæo Schobingero* in additionibus ad Vadiani farraginem antiquitatum apud Goldaſtum Tomo III. Rer. Alemann. p. 145. *dotavit*, inquit, *Monaſterium ex bonis fiſcalibus circumjacentium locorum pagorumque*, imprimis autem REGIA VILLA ERFMUOTINGEN. Suſpicantur alii, eſſe mendum ſcripturæ, & indigitari Curtem Regalem ERFMATINGEN, vinetis celebrem, quæ tempore Caroli M. rariſſimi in Alemannia proventus erant, quod ex fundatione prædictæ Augiæ divitis notavit memoratus *Goldaſtus* in not. ad Eccard. cap. 9. Tom. I. Rer. Alemann. p. 122. ſupereſt hodie prope Conſtantiam ad lacum Bodamicum, ERMATINGEN, haud dubie Pago *Turgovve* olim adſcripta, quemadmodum Civitas quoque Conſtantienſis.

IV. S. Galli, San-Gallunum.

Celeberrimum hoc & Regale pariter Ordinis noſtri Benedictini Monaſterium Ducatus Alemanniæ, ſuper fluvio *Steinaba* in ſolitudine, in Pago *Turgovve* ejusque minore Pago *Arbona* in Chartis Alemannicis apud Vadianum de Collegiis fol. 41. frequentem etiam præbuit manſionem Imperatoribus, quos ſæpiſſime, & Conradum præſertim I. ibidem moratum fuiſſe diſcimus ex Ekkehardo juniore aliisque, unde probabile eſt, Imperatores quoddam in eodem habuiſſe Palatium, de quo intelligendi ſunt fortaſſe verſus Hartmoti de Palatio, quod hodie *Pfallenz* appellatur.

Aula Palatinis perfecta eſt iſta Magiſtris
Inſula pictores transmiſerat Augia clara.

Videatur *Goldaſtus* in not. ad cap. VIII. Ratperti de caſibus Monaſt. S. Galli cap. 8. Tomo I. Rer. Alemann. pag. 176. reliqua perſequitur *Guillimannus* de rebus Helvet. lib. IV. cap. I. 178. & ſq. qui tradit, oppidi S. Galli incrementum ex frequentia Monaſterii natum, & ſub Arnolfo Imp. primum muris fuiſſe circumdatum.

V. Heilicobrune.

HEILBRONNA, nobilis ad fluvium *Nicrum* Civitas, Regio clara fuit Palatio; comprobat id diploma Ludovicianum Monaſterio Altaicenſi inferiori conceſſum apud *Hund.* Metropol. Salisburg. Tom. II. p. 12. ubi ſubſcriptio habet: *Actum Heilicobrunno Palatio Regio:* ſub quo nomine Imperialem Civitatem ad *Nicrum* fluvium hodie HAILBRUNN dictam, variisque illic Principum Conventibus celebratis claram intelligi certum eſt; pertinuit olim ad Ducatum Franciæ Orientalis, non Sueviæ, licet hodienum, ut diximus, Sueviæ ſub nomine Civitatis Imperialis accenſeatur.

VI. Keyſersſtul, Kaiſerſtuol.

Latine, SOLIUM CÆSARIS nomine ſuo Germanico vetuſtatem ipſumque Cæſarum ſolium ſeu tribunal medio ævo hic fuiſſe oſtentans, ſitum eſt in Pago *Turichgovve* ſeu *Tigurino*, uti conſtat ex *Guilimanno* de Reb. Helvet. lib. I. cap. 5. n. 3. p. 16. originatione haud dubie a frequenti Imperatorum commoratione deſumpta, vetuſtiſſima cæteroquin ad Rhenum Civitas, a Tiberio Cæſare, ut ajunt, condita, & amœna cuidam colli verſus Rhenum ſe inclinanti ſuperimpoſita, medio ævo ſub Burgundiæ & Ducatu Alemannico fuit comprehenſa.

VII. Luſtiana.

Curtis Regalis in Pago *Ringovve* in Ducatu *Alemannico* prope Rhenum infra Caſtrum *Hohenems*, hodie adhuc Villa LUSTENAU, Caroli Craſſi Imperatoris inhabitatione nobilitata, teſte ejusdem diplomate, Monaſterio Heriſienſi conceſſo apud *Fürſtenberg*. in Monument. Paderborn. p. 245. & 246. edit noviſs. ubi ſubſcriptio ſonat: *Actum ad Luſtinava Curte Regali, in Chriſti nomine feliciter*. Reducimus huc Chartam apud *Tschudium* cap. X. Rhætiæ Alpin. ibi: *poſtquam autem Rex Arnoldus Udalrico Comiti cuidam de Lintzgau in Pago Ringau Curtem Luſtena in jus proprietatis dedit* - - - An autem Regalis hæc Curtis *Luſtinava* differat a *Juſtinava*, cujus ſuperius mentionem fecimus, & vel ex errore typographi, vel etiam ſcribentis, vox *Juſtinava* in *Luſtinavam*, vel vice verſa, mutata fuerit? indagare hucusque non potuimus.

VIII. Nibalgavia.

Villa publica in Ducatu Alemannico, & Pago *Nibalgovv* Comitatus *Rhætiæ* Curienſis, cujus una cum Pago, & ipſa Marca *Nibalgauge* mentionem facit charta Alemannica LXXVII. anno XV. Regni Pipini Francorum, id eſt circa annum 767. apud Goldaſt. Tom. II. Rerum Alemann. p. 51. qui *Nibalgaviam* pro *Rangwila* vel *Ranckwile* venditat. l. c. & Tom. II. p. 4. 6. & 8. & Tom. I. p. 106. Villa eſt *Rhetiæ primæ inferioris*, è regione *Montis Fortis* in confinio *Veldkirchenſis* ditionis, non procul a Rheno in ejus dextro latere, ſede quondam Landgravii, cujus meminit *auctor vitæ S. Fridolini* apud eund. Tom. I. p. 248.

IX. Potama.

Potamus, *Potama*, *Podama*, Germanice contractius BODMEN, haud procul a Conſtantia, Caſtrum ad oram *lacus Potamici*, qui ab hoc Caſtro nomen accepit, in Ducatu Alemannorum in Pago *Hegovve*, Regum Germaniæ Carolingorum frequens Sedes & Palatium, uti eorum diplomata teſtantur: *Cameræ Nuntiorum juris oppidum* dicitur ab Eckardo juniore in caſib. Monaſt. S. Galli apud Goldaſt. Tom. I. Rer. Alemann. pag. 40. & 41. *Huic*, inquit, *ſicut dicimus, cum aliqua Potamum Cameræ Nunciorum juris oppidum pertinentia à Regibus darentur* &c. Palatio etiam Imperiali claruit: Diploma Ludovicianum

cianum Lindaviense (quidquid in aliis disputetur de ejusdem authentia) datum est: *Bodama Regio Palatio*, apud Heiderum, Conringium, & alios; ita S. Othmarus Potamensi Palatio inclusus est teste Walafrido Strabone in vita S. Othmari n. 6. ibi: *Vir Dei Othmarus apud Villam Potamum inclusus est.* Caroli pariter Crassi diploma donationis Zurzagensis Abbatiæ Augiensi concessum fuisse dicitur *ad lacum Podamicum in Arce & Palatio Imperiali Bodmen.* 14. Octob. ann. 881. apud Crusium Annal. Suevic. lib. II. pag. 62. Diploma Ludovici Germanici Monasterio Altaicensi inferiori concessum apud. *Hund.* Tom. II. Metropol. pag. 15. *Villam* solummodo appellat, ibi: *Actum in Villa Potamo.* Pleniorem hujusce descriptionem nobis suppeditat *Goldastus* ad d. l. Eckardi Junior. Tomo I. Rer. Aleman. pag. 180. *Potamus*, inquit, *sive Potamum, ut hinc patet, tempore Carolorum & Ludovicorum Oppidum fuit, & quidem sedis Imperatoriæ: Id attestantur diplomata Monasterii Augiensis, in quibus ita legitur: datum in Palatio nostro Imperiali Potama. In hoc oppidum, sivi potius Castrum, quod natura erat arteque quam munitissimum, ab Episcopo Sidonio & Synodo Provinciali condemnatus S. Othmarus, ab Warino, qui illud incolebet ut Comes Hegoviensis, abductus fuit. Porro ab antiquissimo hoc & Imperiali oppido Potamo lacui nomen inditum est Potamico, cum prius Acronius diceretur, pertinebat Castrum hoc ad binos in Historia satis notos Cameræ Nuncios, Pertholdum & Erchangerum, inter quos Pertholdus suum Potami habebat domicilium; Binis infelicibus hisce fratribus ob illatas Salomoni Constantiensi Episcopo injurias, fractamque Imperii pacem capite sententia Conradi I. anno 917. plexis, deletum funditus Potamum, non relictis ullis ejusdem ruderibus ac reliquiis, præsertim cum id simul odio esset San-Gallensibus, cum in eo quondam captivus S. Othmarus fuisset, & recentiores offensæ aliæ extitissent. Reædificata tamen postmodum ibidem arx & ad Welphos translata* vid. mox citandus Monachus Weingartensis, quæ a nobilibus Bodmensibus seu Dominis de Bodman nunc incolitur. Confer. *Stumpf.* Chron Helvet. lib. V. cap. VI. mentionem porro Castri hujus Potami facit *Monachus Weingartens.* de Principibus Guelphis p. 784. & *Ladislaus Sudhemius* in Histor. de Guelphis p. 802. Aliud adhuc Castrum est, HOHEN-BODMAN dictum, in Pago *Lentiensi* seu *Linzgovv*, non procul ab *Heiligenberg*, quod non confundendum est cum isto Potamo. BODONA vero, de qua nobis mentionem faciunt *Annales Franc. Fuldenses Freheriani* ad annum 887. ibi: *Imperator Elisacia magna infirmitate adgravatur, postea parum convalescens ad Alemanniam proficiscitur vergens Curtem Podonam, pro dolore capitis incisionem accepit &c.* haud dubie una eademque est cum *Potama.*

X. Rotvvila, Rotenvvila.

Germanice ROTWEIL Sueviæ Civitas *Neccaro* adjacens, *Curtis & Villa sive possessio Regia*, uti eam vocat Walafridus Strabus, de miracul. S. Galli lib. II. cap. 9. apud Goldast. Tom. I. Rer. Alemannic. p. 165. sita in Pago *Peratholtespara in Ducatu Alemanniæ ad Neccarum fluvium*, non procul ab ejus fontibus, in Silva nigra, germanice *Schwarzwald. Curtis Regia* appellatur in diplomate Caroli Crassi in formulis Alsaticis apud D. Eccard. in LL. Salic. num. X. pag. 238. ubi subscriptio sonat: *Actum in Rotwila Curte Regali.* a diversis aliquando Imperatoribus frequentata, & a Conrado III. pariter adamata, quin tamen ibidem instituerit decantatum illud *judicium Rotwilanum*, quemadmodum id sensit magna Publicistarum communium turba, non attento, quod iisdem nec coævus Scriptor ullus, nec documentum aliud antiquius adstipuletur,

tur, & jam pridem animadvertit acutissimus *Schilterus* Tom. I. Instit. Jur. Publ. lib. 4. tit. 9. §. 2. pag. 379. & 380. non redolere stylum illorum temporum constitutionem illam, quæ de Ordinatione Judicii Rotvvilani circumfertur passim, extatque apud *Goldast.* Tom. I. der Reichs-Satzungen pag. 6. præsertim cum præter alia plurima, Parte III. d. Ordin. Tit. I. expressa injiciatur mentio Electorum, quod nimirum eorum exemptio a Judicio Rotvvilensi in aurea bulla sit comprehensa, quæ posteriorum temporum contradictio manifestam priorum falsitatem satis demonstrat.

XI. Sologe, Sologum, Solagou.

Curtis Regalis Sueviæ, non procul a BUCHAUGIA Abbatia, ubi aliquoties commorati sunt Imperatores Saxonici: Otto II. cujus diploma pro Monasterio S. Maximini anno 963. hic datum exhibet *Zyllesius* in defens. S. Maximini parte 3. pag. 21. & Otto III. teste hujus diplomate pro Abbatia Gandersheimensi anno 994. lato, apud *Leibnit.* Tomo II. p. 377. & ex eo apud *Lunig.* Spicileg. Ecclesiast. Tom. III. Sect. de Abbatissis p. 27. Ager & Provincia & Villa sub nomine *Sulichgevve* comprehendebantur, docente id Bernone Augiensi in vita Meginhardi apud D. *Habnium* Histor. Imperii part. I. pag. 241. qui fabulam de Meginhardi comitatu *Sulgovensi* merito explodit.

XII. Thuregum, Turicinum.

TIGURIUM alias, Theotisce ZURICH, famosa Helvetiæ Civitas, Cantoni integro nomen impertiens, in Ducatu *Alemanniæ* & Pago *Durgovve* ad *Lindemagum*, ex lacu Thuricino seu Turegiensi egredientem. Curtis Regia appellatur in charta Alemannica XVIII. sub Ludovico Rege apud Goldast. Tom. II. Rer. Alemannicar. ubi subscriptio sonat: *Actum in Curte Regia Zurich.* Diploma Ludovicianum Monasterio SS. Felicis & Regulæ concessum apud Crusium in Annal. Suevic. lib. II. part. II. cap. X. p. 51. *Curtim nostram Turegum in Ducatu Alemannico in pago Turganensi donat.* Fiscus econtra Imperialis dicitur in diplomate Ludovici Pii anno VIII. Imperii sui, quo controversiam inter Episcopum Constantiensem & Abbatem S. Galli decidit apud Guiliman. de Reb. Helvetior. pag. 346. ibi: *Fisco nostro Imperiali Turego persolvenda*; Percussuram pariter Monetæ ibidem extitisse, edocet nos diploma Ottonis III. de anno 984. Monasterio Einsidlensi concessum apud Hartmann. in Annal. Einsidl. p. 95. ibi: *vel percussurarum monetæ in loco Turegum nuncupato exigat.* Subscriptio Diplomatis Henrici II. de anno 1004. ibid. pag. 131. ita habet: *Actum in Zurich in Dei nomine &c.* Regiam porro hic habuisse Carolum Patrem & Ludovicum Filium, nepotemque Ludovicum, qui memoratum SS. Felicis & Regulæ Monasterium instituit, tradit *Joach. Vadian.* apud Goldast. Tom. III. Rer. Alemann. pag. 54. ad quem locum p. 147. ibidem erudite annotat *Bartholomæus Schobingerus*: Tiguri locum fuisse insignem cum Arce & Palatio, eo frequentissime usos Francorum Reges, habuisse eandem Arcem Sacellum nobile, idque una cum Arce post mortem Friderici II. funditus fuisse eversum. Pergit autem quoad descriptionem Arcis ulterius: *Locus Arcis hodieque eminens est cum arbusto amœnissimo, & lingua Germanica auf dem hof vocatur.* Crusius insuper in Annal. Suevic. lib. II. part. II. cap. VII. pag. 46. scribit: *Tigurini Civitati benigne factum a Ludovico Rege, patremque ejus pium Ludovicum ea adeo fuisse*

fuisse delectatum, ut sæpe illuc venerit, ac in Regio Palatio commoratus sit, quod nunc der hof appellatur. Duravit, ut allegato pergit loco Schobingerus, idem Palatium anno adhuc Domini MCLIII. cum extent literæ Wernheri Comitis de Baden, quæ Friderico II. Regnante in eodem Palatio Imperiali concessæ fuerunt. Cætera de Civitate ista apud omnes Helvetiæ Topographos reperiuntur.

XIII. Uberlinga, Iburningas.

Villa sive Curtis Regia in Ducatu Alemanniæ ad Lacum Bodamicum in Pago *Linzgovve* seu *Lentiensi* sedes quondam Ducum Alemanniæ, olim IBURNINGAS dicta, uti legitur apud Walafridum Strabum in Vita S. Galli lib. I. cap. 15. apud *Goldast.* Tom. I. Rerum Alemann. p. 150. Palatium vel Curiam Regalem ibi fuisse, ostendunt non raræ Imperatorum, præcipue Suevicorum, commorationes & diplomata non pauca ibidem subscripta, singulariter vero Friderici I. Imper. de anno 1153. apud *Gevvold.* Metropol. Salisburg. Tom. II. p. 252. postea Imperio immediate subesse cœpit, usque ad nostra tempora, quibus eam in Albo civitatum liberarum Imperii in Circulo Suevico reperiri in vulgus notum est.

XIV. Ulma.

Celeberrima Sueviæ Civitas Imperialis suos Clodoveo Francorum Regi natales debet, si fides nimirum habenda sit *Joanni Georgio Wolzio*, qui e veteri Manuscripto apud *Bucelinum* in German. Stemmatogr. part. II. p. 69. tradit, conditam primum a Clodoveo Rege fuisse Ulmam Domum Regiam ad Danubium anno Christi D. quod non ita absonum arbitratur d. l. *Bucelinus*, ob victoriam scilicet tum temporis ab Alemannis reportatam, quodque splendor vere Regius loco huic conveniat. *Villa* inde *Regalis* appellatur in diplomate Caroli M. Augiensi Monasterio concesso anno 813. apud *Naucler.* 2. vol. generat. 27. his verbis: *qualiter Ulmam nostram Regalem Villam pro anima nostra ac parentum nostrorum remedio - - - - -* Quamvis hujus diplomatis fides ab aliis in dubium vocetur. *Curia Ulmena* & *Villa Regia* nominatur in diplomate apud Guiliman. in Episc. Argentin. pag. 121. *Curtis* autem *Regia* audit in Annal. Francor. Fuldensib. Freherianis ad ann. 892. ibi: *Rex de Francia cum victoria in Alemannia Curte Regia Ulme honorifice Natalem Domini celebravit.* Simpliciter aliquando sine additamento ullo comparet, ut in prælaudatis Annal. Fuldens. ad ann. 858. *Rex condicto placito, & designatis ad hoc specialiter Comitibus in Villa Alemanniæ, quæ vocatur Ulma, Missos Ludovici nepotis sui suscepit & audivit.* Hepidanus in Annal. apud Goldast. Tom. I. Rer. Alem. pag. 17. ad ann. 1049. de Henrico ex Hungaria redeunte scribit: *Inde quidem remetens Ulmæ generale colloquium habuit.* Henricus III. in diplomate Brixinensibus Episcopis de anno 1048. concesso apud Hund. Tom. I. Metropol. p. 473. *Actum Ulmæ feliciter.* Conventus publicos ibidem frequentissime celebratos Annales antiqui satis testantur. Videantur *Annal. Fuldens.* ad ann. 858. misere postmodum a Lothario II. Imper. anno 1134. vastata, sed tandem sub Friderico III. Austriaco Imperatore ex nexu Augiensi ære parato plene redempta in jus ac libertatem Imperii pervenit.

XV. Weiblinga, Waiblinga.

CURTIS REGIA vocatur in Annal. Francor. Fuldenſ. apud Freher. ad ann. 894. ibi: *ſonitus tonitrui magni increpuit. V. Kal. Febr. Ipſe mox in itinere poſitus Natalem Domini Curte Regia* WEIBLINGA *manſit.* Submiſit ſe hic Arnulpho Imp. Berengarius, teſte memorato Annaliſta Fuldenſi ad ann. 887. ibi: *Transacta die S. Paſchæ habitum eſt Placitum Weiblinga. Ibi inter alia Berengarius ad fidelitatem Cæſaris pervenit, magnisque muneribus contumeliam, quam in Luitvvardo priori anno commiſerat, componendam abſolvit;* Mentionem ejusdem pariter facit diploma Caroli Craſſi Regis de anno 885. *Oetingæ* conceſſum apud Hund. Tom. III. pag. 62. ibi: *Actum ad Weibelingam:* videtur eſſe modernum Monaſterium *Wibelingen*, in Sueviæ Ducatu, Diœceſeos Conſtantienſis, in ſinu duorum fluminum, Danubii & Illaræ confluentium, olim ad Pagum *Albegovve* pertinens, ubi poſtea Hartmannus & Otto Fratres Comites de Kirchberg anno 1099. Monaſterium fundarunt, cujus hiſtoriam a tempore fundationis contextam breviter nobis exhibet *Lunig.* Spicileg. Eccleſiaſt. Continuat. Tom. III. p. 872. & 878. Eſt & alia *Waiblinga* multo recentioris celebritatis in Sueviæ Principatu Wurtenbergico, in Valle *Remſtabl* prope fluvium *Nicrum*, ubi Hohenſtaufiorum Ducalem & Auguſtam Familiam originem ſumpſiſſe, & Gibellinæ factioni infauſta initia dediſſe notiſſimum eſt.

In Addendis ad Lib. III. Chronici Gottvvic. p. 883. *Curtem Regiam* cum Eccardo Rer. Franc. Orient. Tom. II. p. 681. in WEIBLINGA, loco ad fluvium *Nicrum* prope *Heidelbergam*, affirmamus, quum Carolo Craſſo ex Regno Lotharienſi ad Rhenum reverſo tum temporis, quo Diploma Monaſterio Otingæ in Bavaria Anno DCCCLXXXV. *ad Weibolingam* datum fuit, apud Hund. Metrop. Tom. III. pag. 43. hic locus ad commorationem aliquam commodus omnino eſſe potuerit.



DISSER-

DISSERTATIO III.

DE

PAGIS ANTIQUIS SUEVIÆ.

I. Alba, Albanius Pagus.

IN Ducatu Sueviæ ad *Brenzam* (nunc *die Brenz* fluv.) a finiſtris, in quo Monaſterium *Hanbiſin*, *Abuſen* (vel hodie *Anbuſen*) ſitum eſt in Brenzthal, *Monaſterium S. Martini de Hanbiſin in Pago Alba in Auguſtenſi Epiſcopatu*, prout nominatur in Bulla Honorii II. Papæ de anno 1125. apud Beſold. Docum. Würtenb. rediviv. p. 197. edit. noviſſ. & Paullini l. c. p. 3. hodienum adhuc nuncupatur *Albuch*, teſte Beſoldo in notis ad docum. rediviva Wurtenberg. p. 327. & 199. edit. noviſs. advertendum tamen hic eſt, ne Pagus iſte cum *Alben* prope Ravenſtein, qui *Alpengovve* ſeu *Alpenſis* dicitur, confundatur. vid. Cruſius Annal. Suev. p. III. l. 5. p. 277. & in Paralipomenis p. 3. In ſupradicto Pago *Alba*, præter Monaſterium *Anbuſen*, adhuc ſita ſunt loca ſequentia: *Heubach* antea *Hohenberg*, *Roſenſtein*, *Hohenrode*, *Lauterburg*, *Ravenſtein*, *Scharfenberg*, *Weiſſenſtein*, *Eybach*, *Berga*, *Altenrechberg*, *Bamkirch*, *Rabenſtein*, *Waltroth*, *Welvvart*, item parva Regio *Wellen*, ſylva *Zeben*, quæ in Bavariam usque ad Schvvanfeld extenditur apud Monheim & Deckingen, juxta Hanencamp. *Munſter.* Cosmogr. l. 5. fol. 988. & *Cruſius* in Paralipomenis l. c. fol. 3.

II. Albigovvi, Albegevve, Albekevve, Alpicauge, Algovv.

In Ducatu Alemannico, in quo cellula *Aldrici-Cella* ab Imperatore Ludovico Pio Monaſterio Campidonenſi donata fuit apud *Mabillon.* Analect. Tom. IV. p. 470. & *Auctor. vitæ S. Udalrici* cap. 8. p. 53. ibique editor in margine, eſt hodiernum *Algovv*, quod ab oriente Lico fluvio (*der Lech*) verſus meridiem montibus niveis (*das Schneegebürg*) ad fontes Lici & Ihlaræ (*Ihler*) verſus Septentrionem Danubio circumdatur, verſus Occidentem vero usque ad Lacum *der Feederſee* dictum, verſus fluvium *Scutzinam* (*die Schuſs*) & Lacum Bodamicum (*der Bodenſee*) apud Argoviam (*Argen*) porrigitur, & minores Pagos *Arguna*, *Auguſtgovv*, *Ilergovv*, *Keltinſtein* in ſe olim complectebatur. Præcipuæ in eodem Civitates ſunt: *Kempten*, *Isny*, *Wangen*, *Leutkirch*, *Memmingen*, *Mindelheim*, *Füſſen*, *Kaufbeuren*, *Wurzach*, *Biberach*, *Burgovv*, *Tettnang*, *Immenſtatt*, *Weingarten*, *Ravensburg*. Vid. Münſter. Cos-

Cosmogr. lib. 3. p. 796. *Stouffun* in Pago *Albekevve* memoratur in charta 55. apud Goldast. Rerum Aleman. Tom. II. fol. 43. *Piribtorf*, *Piribebinga*, *Chubilipach*, *Puab*, *Euivvilare*, *Haivvilare* in Pago *Alpicauge*. Charta 93. apud Goldast. Tom. II. Rerum Alemann. fol. 56. Collocamus etiam ad Pagum hunc *Alpegovv* seu *Algovv* antiquum Castrum *Diepoldisburg*, Suevicorum Cameræ Nunciorum Bertholdi & Erchangeri, & quidem prope *Lindaviam*, ubi in speciali charta Lindaviæ in Atlante Blavii (*Bleau*) mons *Dieboldesberg* annotatus est, quoniam id cum circumstantiis melius concordat, quam opinio Crusii Annal. Suevicor. P. II. lib. 3. pag. 83. qui prædictum castrum ad Alpes Suevicas in Ducatu Würtenbergico reponit, supra arcem *Teck* in monte, ubi ex relatione Domini de Rammingen rudera adhuc inveniri asserit.

III. Alemannorum, sive Alemanniæ Pagus.

Hic Alemanniæ, seu Alemannorum Pagus, prout nominatur in egregio Codice Traditionum Laurishamensium, tam ab allegato Pago *Albegevve* seu *Algovv*, quam ab Alemannorum Ducatu probe distinguendus est, licet *Freberus* in Origin. Palat. part. I. cap. 5. p. 57. hæc non animadverterit: Hic enim Pagus partem Alemanniæ propriæ, seu hodiernum Ducatum Wurtenbergicum, inter Danubium ejusque fontes, Rhenum & Niccarum constituebat, & (quemadmodum in memorato Codice traditionum Laurishamensium occurrentia loca ac Villæ demonstrant) complures minores majoresque Pagos in se comprehendebat, e. g. *Burichingas*, *Beroltisbara*, *Alba*, *Alpengovv*, *Brenzegevv*, *Pleonumgetbal*, *Neckergovv*, *Viorotum*, *Westergovv*, *Ampbinga*, *Nagalgovve*, *Wiringovve*, *Waltgovve*, *Enzingovve* &c. ideoque ex adverso *Albicbovia* situs, ac principalis portio Ducatus Alemanniæ erat, quæ Ducatum Alsatiæ & Helvetiæ complectebatur: Confer. *Münsteri* Cosmogr. lib. 5. p. 815. & 819. qui sequentes Sueviæ Pagos recenset: *Alb*, *Scheer*, *Albuch*, *Hanenkamp*, *Hertfeld*, *Kochenthal*, *Ries*, *Remsthal*, *Brenzthal*, & *Nagoldertbal*. Et Crus. Annal. Suev. Paralip. p. 3. sq. Dicta hactenus ex insigni Codice Tradit. Laurishaimens. (quem, Deo volente, pro eximia Geographiæ ac Pagorum Germaniæ mediæ dilucidatione Tomo II. Operis hujus integrum inseremus) clariora reddentur.

IV. Alpengovve, Alpensis, Alpinus.

Pagus Ducatus Alemanniæ, cujus sub nomine ALPENGOVVE cum Villa *Lutinga* mentionem faciunt Traditiones Laurishamenses, alius non est, quam *Alpensis* seu *Alpinus*, prout ipsum nominat Crusius in Paralipomen. Annal. Suevicor. fol. 2. & cujus differentia a Pago *Alba* (dem *Albuch*) qui conterminus est Pago Albensi (*die Alben*, *Alb*, *Rauhe Alben*, prout hodie nominatur) superius insinuata, clare demonstrat, quod idem sub nomine *Rauhe Alb* seu *Alb*, ab Alpibus Suevicis, vel a montoso ejusdem districtu prope *Ravenstein*, qui *Alpengovv* ab *Alba* dividit, ortum capiens, inter Danubium & Niccarum a fluviolo *Filusa* usque ad fluvium *Beeren* infra *Egach* protendatur, & sequentia præcipua loca ibidem reperiantur, scilicet *Gamrotingen*, *Hettingen*, *Balingen*, *Minsingen*, *Veringen* Comitatus, præterea Monasterium *Zwifalten*, *Trochtelfingen*, *Melchingen*, *Jungenau*, *Albeck*, *Blabeuren*,

beueren, *Schelklingen*, *Hohenzollern*, *Ebingen ad Niccarum*, & alia complura, adeoque minores Pagi *Pleonungetal*, *Grubingovv* &c. in eo fuerint comprehensi.

V. Ambrachgovve.

Pagus Ducatus ac majoris Pagi Alemannorum, quem *Freherus* in Origin. Palat. part. I. c. 5. p. 56. omisit, in Ducatu Würtenbergico, quem ineditæ *Traditiones Laurishamenses* commemorant cum sequentibus Villis: in Pago *Ambrachgovve* in Villa *Mulenhusen*, & in *Vualdovve*, & in *Reistedingen*, (hodie *Reinsten ad Ampriam*) cum igitur hæc posterior Villa *Reistedingen* in Pago Alemannorum in his pariter Traditionibus recenseatur, & in nonnullis Chartis ibidem referatur in Pago *Nagaldacgovve*, concludendum exinde venit, quod *Ambrachgovve* fuerit minor Pagus, qui in Pago *Nagalgovv* ad fluvium *Nagaltham* (*Nagold*) includebatur. Non confundendus etiam est hic Pagus *Ambrachgovv* cum Bavarico & Saxonico Pago *Ambergovv*.

VI. Amphinga, Emphinga.

Minor Pagus in Ducatu Alemannorum, & sub Pago Alemannorum sive Alemanniæ comprehensus, & dextris fluvii *Niccari*, cujus meminerunt Traditiones Laurishamenses (ex quibus Freherus Catalogum suum Pagorum contexuit) ibi: *Amphinger Marca in Amphinga Pago.* Conjungitur hæc Amphinga Marca cum *Bertoldesbara*, & loco *Mulibeim*, ex quo concluditur, minorem hunc Pagum *Amphinga*, qui pariter *Emphinga* scribitur, Pago *Bertoldesbara* confinem, ac apud hodiernam Villam *Impfingen* inter *Sultz* & *Hors* situm fuisse, ubi etiam Villa *Mühlen ad Muhlbach* (quæ est ipsa Villa *Mülheim*) reperitur.

VII. Arbona, Arbonensis, seu felicis Arboris, Castri Arbonensis.

Pagus Ducatus Alemanniæ sub majore Pago *Durgovve*, eoque mediante in principaliore Pago *Turegiensi* seu *Zurichgovv* comprehensus, vid. Charta Alemann. 37. apud Goldast. Tom. 2. p. 36. situs ejus est ad *Lacum Acronium* a sinistris inter binos minores fluvios *Salinsach* & *Steinach*, in quo celeberrimum & antiquissimum Monasterium S. Galli Confessoris situm fuerat: in Charta 37. Alemann. apud Goldast. Tom. 2. pag. 36. dicitur *Monasterium S. Gallonis, qui est constructus in Pago Arbonense.* Item Civitas ARBONA (ARBEN) *Apsalaga*, *Entinesbutugo*, *Laimavia*, *Laimangavvilare*, *Luitrabtesvvilare*, *Operindorof*, *Oberostindoraphe*. In charta 45. apud *Goldast.* l. c. fol. 39. Vid. etiam *Walafridus Strabus* de miraculis S. Galli lib. 2. cap. 3. fol. 164. Goldast. Rerum Alemannicar. Tom. II. p. 1. charta 12. *Vadian.* lib. 2. de Colleg. citat. Tom. III. Rer. Alemannicar. p. 37.

VIII. Arguna, Argangovve, Argunensis.

Pagus Ducatus Alemanniæ apud *Goldastum* Tom. II. Rer. Alemannicar. part. I. Chart. 48. fol. 40. Charta 62. fol. 45. & Tom. III. fol. 51. circa fluvium *Argunam (Argen)* qui a dextris in Lacum Bodamicum sese effundit; In hoc Pago sitæ sunt Villæ ARGUNA (LANGEN-ARGEN) & Insula *Wazzarburc (Wasserburg) Wangon*. Goldast. Charta 71. fol. 49. *Hattinvilare (Hittensweiler)* prope *Wangen*, ibid. fol. 45. *Tetinanc (Tetnang)* inter *Argen* & *Liebenau*, *Hasalaba*. ibid. Charta 73. fol. 49. *Lindovva*, in eadem Charta fol. eodem (LINDAU AD LACUM BODAMICUM) *Crimoltesbova*, Charta apud Vadian. de Colleg. lib. 2. fol. 42. Hic igitur Pagus cum Helvetico Pago *Argovv* unus idemque non est, uti *Junckerus* existimat, quamvis *D. Eccard*. ad L. Salicam fol. 233. eandem opinionem tueri videatur.

IX. Arragovv, etiam Sisgovv.

Bene distinguendus est hic Pagus a Pago *Aragovv* vel *Argovv*: situs autem est in Ducatu Alemanniæ supra Pagum *Baselgovv ad Rhenum*, eundemque percurrit fluvius *Aragiz (die Ergez)* vocatur hodiedum *das Sisgovv*. In eodem sunt *Augst* (Augusta Rauracorum) Cœnobium *Olsberg*, *Sisach* &c. Munster Cosmograph. lib. 5. cap. 91. Guillimann. Habspurg. p. 150. & de Reb. Helvetic. lib. 3. cap. XI. fol. 168. cujus accurata ibidem legitur descriptio.

X. Augusgovv, Augustgoi, Augustagoe, Auguscauginse, Ogesgovve.

Verus Pagus Ducatus Alemanniæ, & hinc ex Pagorum Catalogo minimè eliminandus, cujus mentionem faciunt tam annotatio Arnonis Salisburgensis apud *Canisium* & *Gewoldum* Tom. I. Metropol. pag 39. quam etiam diploma Caroli Magni de anno 773. pro Monasterio Campidonensi apud *Paullini* Histor. Wisbecc. §. 14. p. 16. & Ludovici Pii pro eodem apud *Mabillon*. Tom. IV. Analector. p. 470. in quo ultimo diplomate locus *Heriliscella* (alii legunt *Heciliscella*) etiam commemoratur; In Charta vero 50. apud Goldast. Tom. II. Rerum Aleman. fol. 41. adducuntur Villæ *Firinisvilla* & *Munciacum*, quod nos non pro Civitate *Monachio (München)* uti Goldastus videtur existimasse, sed potius pro *Menchinga (Schwabmenchingen)* ad fluvium *Sinckel* accipiendum esse arbitramur. AUGUSTGOVV igitur tractus ille terræ esse videtur, qui hodiedum supra Augustam Vindelicorum inter fluvios *Licum*, *Wutach*, & *Sinckel* protenditur, ac Campus Lici (das *Lechfeld*) appellatur. Credimus porro, hunc Pagum *Augusgow* eundem esse cum Pago *Ogesgow*, prout infra in hoc vocabulo plenius videbimus.

XI. Basalchovva.

Pagus Ducatus Alemanniæ circa *Basileam ad Rhenum* versus fluvium *Arolam (die Aar)* adhuc dicitur der BASELERGOW, in quo præter *Basileam* loca *Augst*, *Munchenstein*, *Wallenburg* &c. reperiuntur. Videtur etiam Pagum *Aragovv*

Aragow vel *Sisgow* in se comprehendisse, quoniam rarior ipsius mentio & in temporibus, & in documentis antiquis incidit.

XII. Beroltisbara, Bertoltisbara, Bertoldesbara, Perahtoltespara, Bara, Para.

Pagus est Ducatus Alemanniæ ad Nigram Sylvam (der *Schwarzwald*) prope fontes Danubii, sicut ejusdem situationem exprimit notitia Cœnobii *S. Georgii in Nigra Sylva* circa annum 813. vel 824. factæ apud Crusium Annal. Suev. Part. 2. lib. 2. cap. 2. pag. 36. ibi: *transtulit Monasterii dispositionem cum dictis reliquiis in Pagum nomine Bara in Comitatu Aschein in quendam monticulum Nigræ Sylvæ, qui locus propter situm terræ dici potest & est ipse vertex Alemanniæ.* Hujus Pagi *Perahtoltespara* cum Villis *Boasinheim*, *Vildira*, *Heidinbova* &c. mentio fit apud Goldast. Tom. II. Rerum Aleman. p. 1. fol. 45. vid. Walafrid. Strabus de miraculis S. Galli lib. 2. cap. 7. pag. 165. apud Goldast. d. l. Tom. I. protendebatur usque ad *Rotwilam*, Walafridus Strabus loco citato, ibi: *in eodem Pago Perahtoltespara juxta Regiam possessionem, quæ Rotenwila dicitur. Villæ in eodem sunt:*

Boasinheim, nunc BISSINGEN, Charta 60. apud Goldastum l. c. Tom. II. pag. 45. *Asolwingas*, ibid. Charta 68. pag. 47. *Bosinga*, forsan hodiernum *Baisingen supra Oberndorf*, in diplomate Ottonis III. Monasterio Petrishusano de anno 994. concesso, apud Lunig. Spicileg. Eccles. Tom. III. p. 401. *Ancemcimbra*, unum ex locis *Zimmeren* ad fluvium *Nicrum*. In eodem diplomate Ottonis III. de anno 994. CELLA S. GEORGII, antea Villa *Walda* dicta, in Pago *Bara*, in Comitatu *Ascheim*. In dicta notitia Monasterii S. Georgii apud Crusium l. c. p. 36. hodie MONASTERIUM S. GEORGII IN NIGRA SYLVA. *Durroheim*, ibid. Charta 85. p. 53. nunc DURRHEIM prope Villingen a dextris. *Epfindorf*, inter *Bachingen* & *Herrnzimmern* ad fluvium *Nicrum (Necker)* In diplomate Ottonis III. d. l. *Harthusa*, in d. diplomate Ottonis III. *Heidinbova*, apud Goldast. Charta 60. p. 45. nunc HEIDENHOFEN apud *Hoben-Emmingen*. *Leffingon* ibid. Charta 85. pag. 54. nunc LOFFINGEN.

LUPODUNUM (LUPFEN) dirutum Castrum & antiquus Comitatus inter fluvium *Nicrum*, *Neccarum* (der Necker) & *Danubium*, non procul ab ejus fontibus inter *Tala* & *Hohenkarpfen* in Nigra Sylva, in Præfectura *Dutlingen*, quæ anno 1415. devastata fuit. Crusius Annal. Suev. Part. 3. Lib. 6. p. 318. Est *Lupodunum* illud, apud Romanos apprime notum, prout Cluverius Germ. antiq. lib. 3. c. 4. id satis probavit contra Freherum, qui *Lupodunum* pro urbe *Ladenburg* ad Neccarum venditare voluit, cui etiam Spenerus notit. Germ. antiq. l. 4. p. 170. adstipulatur, & Meyerus in sua Charta topographica Ducatus Wirtenbergici ejusdem situationem pariter eo locavit.

Messinga, nunc HOHENMESINGEN inter *Oberndorf* & *Dornhan*. In dict. diplomate Ottonis III. Imp. apud Lunig. l. c. *Munolvingas* apud Goldast. Charta 68. pag. 47. nunc MULEFINGEN vel MUNDELFINGEN prope Castrum *Fürstenberg*. *Rottwila*, possessio vel Villa Regia, hodie ROTWEIL ad Nicrum, Imperialis Civitas. *Sitingamarca*, Charta apud Goldast. in not. ad Burcard. de Cas. Monaster. S. Galli cap. 14. Tom. I. Rer. Aleman. pag. 137. nunc

nunc URSLINGEN inter Rotvvilam a dextris. In dict. diplomate Ottonis III. apud Lunig. l. c.

Iste igitur Pagus est hodiernus LANDGRAVIATUS BAARENSIS ad Nigram Sylvam, ac Danubium, ubi adhuc hodie Castra & Civitates *Furstenberg*, *Husingen*, *Nydingen*, *Blomberg*, *Geisingen*, *Möringen*, *Lupfenberg*, *Hohenberg* &c. sita sunt. Munster. Cosmograph. lib. 5. p. 1008. & antiquitus ex opinione Goldasti in notis ad Walafrid. de Vita S. Galli Tom. I. Rerum Alemann. pag. 252. ad majorem Pagum *Hegovve* pertinebat.

XIII. Biscopeshori, Bishofshorn.

Pagus minor Ducatus Alemanniæ prope *Munsterlingen* & *Costnitz* versus Rhenum ad Lacum Bodamicum, quem Paullinus *Pyschborn* nominat, & tamen pro *Bischofesborn* vendidat; In Diplomate Friderici Barbarossæ de anno 1155. de terminis Parochiæ Constantiensis Episcopatus ita descriptus est, quemadmodum hoc Diploma legitur in Manlii Chronico Constantiensi apud Pistorium Tom. III. Rer. Germ. p. 624. & in repetita genuina informatione super jurisdictione Episcopatus Constantiensis in Provincias ejusdem in Helvetia sitas Cap. VIII. additament. num. XI. ibi: *Termini autem pagelli, qui dicitur Bischkoffesbori aliorumque circumquaque commorantium populorum hi sunt: a Rheno fluvio inter Tegervveilere & Triboldinga* (hodie Tagervveilen prope Constantiam, versus Klingenberg, & Tribolding supra Ermating ad Rhenum) *in Gravenstein, ac deinde in medium Falckbmos, inde in superius Falckbmos, inde in superiorem partem Lutbenrietb, ac deinde in Sarmos, inde in Buttenretb, inde in Forrebach & per Forrebach usque in Commun, & sursum per Commun usque ad Tutenmili, inde ad Haimenlacken. inde Waggerslachen, ac deinde in Grouvenstein, & deinde Mittenbronne, inde in Grabun, inde per plateam in occidentali parte ad casam Wolfvveite, inde ad Annentobel, inde in Grouvenstein, inde in lacum inter Nubeim & Monasteriolum.* Quod ultimum, MUNSTERLINGEN est prope Constantiam.

XIV. Brethachgovv, Bretachgovve.

Pagus Alemanniæ in Rhætia (qui adhuc hodiedum BREHTIGOVV IN GRAUBUNDEN nominatur) in Helvetia ad montem *Rhæticum*, inter fluvium *Langarum* (*Languart*) & ad fontes *Illi* (*an der Ill*) sita sunt in eo dirutum Castrum *Salaners*, *Castell* & *Tabos*. Reperitur autem adhuc alius Pagus BRETACHGOVVE seu BRETHACHGOVVE in Ducatu Franciæ novæ seu Orientalis, quem commemorant Traditiones Laurishamenses, a fluvio *Brettach* in Ducatu Wurtenbergico (qui prope Neostadium in fluvium *Kocheram* influit) nomen trahens, & inter Pagos *Sulmanachgovve* & *Cochingovve* situs, ex quo Traditiones Laurishamenses sequentes Villas recensent: *Butinga* (Langen Beutingen) inter *Neustadt ad Chocharam*, & *Oetingen*, *Erlinbach* (hodie Baum Erlenbach ad amnem Ornam) *Helmannabi*, præsumptive *Helmbund* prope Neustadt seu *Helmat* inter *Meienfels* & *Eschenau*, *Adoldinga*, *Megelingun-Marca* in loco *Alirinbach*, est Villa *Baum-Erlenbach* e regione Villarum *Möglingen* & *Wachalingen* sive *Wachilinga*.

XV. Bren-

XV. Brenzegevve.

In hoc Sueviæ Pago super fluvium *Brenze* Monachus Fuldensis Eberhardus in suis Summariis Tradit. Fuldens. Cap. VII. n. 23. & 53. apud D. Schannat. in Corpor. Tradit. Fuldens. pag. 309. & 310. commemorat Villas *Esnide super fluvium Brenze* (nunc SCHNAID supra Heidenheim ad Brenzam) *Chuocheim*, conjecturaliter *Kucbem* inter Schnaid & Neresheim & Norderenhusun. Comprehensus simul fuerat sub Pago Retiensi, cum *Sneiten* in Retiensi Pago recenseatur, & adhuc hodie appelletur das BRENTZTHAL apud Munsterum Cosmogr. L. 3. p. 818. & Crusium Paralip. Annal. Suev.

XVI. Brisachgovve, Prisachovve, Prisgaudi, Brisickgovve, Prisicauhinse, Prisicovve, Brisgovve.

Pagus Ducatus Alemanniæ, estque hodierna BRISGOVIA (das BREISGAU) ad Rhenum, & Sylvam Nigram, a dextris Rheni a *Mortenaua* (*Mortenau* vel *Mortinbauga*) per fluvium *Bleibaba* (*Bleichen*) distinctus. Videatur Charta Friderici I. Imp. in Electis Juris publ. Tom. XVI. p. 580. usque ad fluvium *Nymaga* & *Wisent*; in quo præter *Brisaga*, apud Romanos *mons Brisiacus*, apud Anonym. Geographum Ravennatensem *Brececha*, nunc BRISACH, quæ antiquitus in Insula Rheni sita fuerat, teste Guillimann. Habspurg. lib. 2. cap. 5. p. 67. sequentes Villæ numerantur:

FRIBURG (Freiburg) *Zaringe* antiquum Castellum & originaria domus Ducum Zaringensium, *Saleia* vel *Schalea* (Scheleng) *Forcheim* (Forchem) *Riegola* sive *Reigula* (Riegel) *Baldingen* (Bahlingen) *Endinga* sive *Enningen* (Enzingen) *Chinzinga*, *Kencinga* (Kenzingen) *Beninga*, *Burcheim* (Bürcken prope Brisacum) *Lielach* (Liel prope Schliengen & Kantern) *Bezenhusa* (prope Friburgum) *Berga*, *Bobisberga*, *Zaarda*, *Hiela*, *Tutesvelda*, *Ribulinga*, *Birinheim*, *Venlinga* seu *Vellengen*, *Rotvvilare*, nunc ROTVVIL, quæ loca omnia juxta Brisacum versus fluvios *Frisam* & *Helzaba* (die Elze) sita sunt. vid. Charta apud D. Eccard. Origin. Habspurg. pag. 144. 238. 239. 240. & 241. Guilliman. Habspurg. Lib. II. Cap. VII. p. 75. & seq. edit. noviss. Occurrunt insuper *Lollinga* in Charta Alemann. 51. apud Goldast. T. II. Rer. Alemann. p. 42. *Vuolvinvvilare* (Wolfenvveiler prope Friburgum) Chart. 74. p. 50. *Vuitersvvilare* Chart. 75. ibid. *Aguringas*, *Oninchovia*, *Mulinheimo*, in Charta apud Vadian. de Colleg. l. 2. & apud Goldast. Tom. 3. Rer. Alemannicar. p. 38. *Warbimbach*, *Ariconivva*, *Insilido*, *Folchuuisvvilare*, ibid. p. 39. *Muninga*, *Munzinga* (Münzingen inter Brisacum & Friburgum) apud D. Eccard. Orig. Habspurg. p. 108. 110. *Bocheim in Pago Brisachgovve*. in Charta quadam inedita Tradit. Laurisham. ibidem porro leguntur Villæ *Acheim*, *Handeberiger-Marca*, *Kezo-Marca*, *Scaleflater-Marca*, hodie *Schulzstadt* prope Friburgum, *Bibingen* seu *Bibinhem*, *Eburingen*, *Maffubach* apud Cantern, *Husen* supra Breisach, *Uchlinheim*, *Madinger-Marca*, *Mengen* prope Husen, *Niuuerichesbusen*, *Wilere*, *Padapere*, *Zuzinger-Marca*, hodie *Zonzing* prope Sulzburg, *Gisenvvilre*, *Stoufen*, hodie *Staufen*, *Hochtorph*, *Bockheim*, *Hartheim*, *Reuden* prope Waldkirch, *Cantara*, hodie *Kantern* ad fluvium Kander versus

versus Basileam, *Bezzinga* hodie Bezzingen, non procul a Friburgo, *Brizzincheim* hodie Brizing prope Badenvveiler, *Eckenheim*, *Holzolvesbusen*, *Rimigisger-Marca* hodie Rimsingen prope Brisacum, *Buchingen*, *Sevelden*, hodie Buckig & Seevelt prope Heitersheim, *Rinidela*, *Mulinheim*, *Tottinchova*, *Biuuingen*, *Baldrathinga*, hodie Baltrechten vel Baltert prope Sulzburg, *Sulzibergheim* sive *Mons Salsuginis*, hodie Sultzberg, seu Sultzburg non procul ab Heitersheim, *Selidon* hodie Silden prope Stauffen, *Beckingen* haud longe a Buchen, *Litaber*, *Uffhusa*, *Bitebusen*.

XVII. Burichincas, Burichinca, Purihinga.

Pagus Ducatus Alemanniæ, cujus mentio fit in Charta Alemann. 47. apud Goldast. Tom. II. Rer. Alemann. pag. 40. ibi: *in Pago Purichinga in Villa Undinga Villa Genchinga* (quam etiam in Pago *Burichinea* recensent Tradit. Laurishamens.) & in Charta 87. l. c. p. 54. in Pago *Burichincas* Villa *Vuillimundincas*; & quamvis Goldastus in præfatione ad Tom. II. Rerum Alemannic. p. 6. conjecturare velit, Pagum hunc forsan in Rhetia Curiensi situm esse, prænominatæ tamen Villæ evincunt, quod iste Pagus *Burichincas* in hodierno tractu Wurtenbergensi ad fontes fluvii *Lauchert* ad dextram fluvii *Nicri*, inter *Beutlingen* & *Trochtelfingen* quærendus sit, ubi supra *Melchingen* Villa quædam *Willmadingen*, & haud procul abinde Villa *Undingen*, adhuc altius autem versus Reutlingen progrediendo, Villa *Ginckingen* occurrunt.

XVIII. Burgovve.

Pagus Ducatus Alemanniæ, cujus in testamento Caroli M. de anno 806. sequens meutio fit: *de Alemannia partem, quæ in Australi ripa Danubii currente limite usque ad Rhenum fluvium in confinio Pagorum Chletgovve & Hegovve in locum, qui dicitur Enge, inde per Rhenum sursum usque ad Alpes, quicquid inter hos terminos fuerit, & ad meridiem vel orientem respicit, una cum Ducatu Curiensi & Pago Burgovve, Pipino dilecto Filio nostro &c.* Pars alias fuit majoris Pagi *Albechevve*, protendebaturque ab amne *Hettenbach*, qui prope Augustam Vindelicorum *Wertaha* (die Wertach) immergitur, & ab Augusta Vindelicorum usque ad Ulmam a dextris Danubii, posterioribus temporibus MARCHIA DUCATUS SUEVIÆ nominabatur, & adhuc hodie MARCHIA BURGOVIENSIS audit ab antiquo Castro *Burgovv* ad fluvium *Mindelam*, cui sequentia loca ex recensione Crusii part. II. Annal. Suev. c. 5. p. 49. annumerata fuerunt: *Vallis Reichenau*, *Valles Synkerthal*, *Schmuttertbal*, *Zusamthal*. item Comitatus *Rokenburgensis*, *Schwabegensis*, *Kirchbergensis*: Monasteria *Wettenhausen*, *Rokenburg*, *Ursperg*, *Ottelstetten*, *Salmashofen*, *Reitenbach*, *Schænfeld* & *Wiblingen*, item Castra & Civitates *Burgau*, *Güntzburg*, *Jetingen*, *Knöringen*, *Zitmarhusen*, *Zumarhusen*, *Wallesbusen*, *Gerstbusen*, *Leippheim*, *Thierdorf*, *Usterbach*, *Biberach*, *Aurbach*, *Fischbach*, *Reisesburg*, *Wellenburg*, *Mattesies*, *Camertingen*, *Abelfingen*, *Norndorf*, *Zusneck*, *Aterbang*, *Hiltobang*, *Seifersburg*, *Dünckelschärben*, *Oberndorf*, *Schmiben*, *Burtenbach &c.* inter quæ præcipue Castrum *Risnesburch* hodie REISESBURG in Gerhardi Vita S. Udalrici cap. 12. §. 43. p. 440. item in Chron. Constantiensi apud Pistor. Tom. III. Rer. German. pag. 680. notandum, & prope Danubium infra *Güntzburg*. in monte quodam situm est.

XIX. Chur-

XIX. Churvvalacha, Curvvalohon, Churvvahala.

Pagus Ducatus Alemanniæ, & pars Rhetiæ Curiensis, cujus termini extenduntur *per Firstum usque ad Rhenum, ubi in vertice rupis similitudo lunæ, jussu Dagoberti Regis, ipso præsente sculpta cernitur, ad discernendos terminos Burgundiæ & Curiensis Rhetiæ*, sicut diploma Friderici I. Imper. de anno 1155. de terminis Constantiensis Parochiæ describit, & plenius legi potest in genuina Informatione Episcopatus Constantiensis super ipsius Regionibus sitis in Helvetia cap. 8. additament. num. XI. in quo propter Civitatem *Curiam* (Chur) ad fluvium *Plessuram* (die Plessur in Valtelina, de qua Pagus nomen suum sortitus est) Monasterium *Skennines, situm in Pago Churvvalacha in Comitatu Eberhardi Comitis*, ut ait Diploma Henrici III. Imp. de anno 1045. apud Tschud. de Rhæt. Alp. & Crus. Annal. Suev. Part. II. p. 204. nunc SCHENNES ad fluvium *Lindemagum* (die Linte) supra *Gaster*; Monasterium *Fabaria* (PFEFFERS) Paullini l. cit. p. 47. & Crusius Annal. Suev. Part. I. Lib. XI. pag. 296. Curtis *Reamnis* apud Eberhardum in Summariis Tradit. Fuldens. cap. 7. n. 81. apud D. Schannat. Corpor. Tradit. Fuldens. p. 311. ZIZURIS in Comitatu Rhetiæ, nunc ZIZERS, in Charta Ottonis I. Imp. de anno 972. apud Crusium P. II. lib. 4. fol. 138. & ex eo apud D. Eccard. Origin. Habspurg. p. 239. *Berouba cum Capella in Villa quæ dicitur Vuanga constructa, lateria Bocharia - - - - in Comitatu Ottonis Ducis & in Pago Curovvalahon*, in Diplomate Ottonis III. de anno 983. apud Hartmann. in Annal. Einsidl. p. 92. memorantur.

XX. Chletgovve, Cletgovve.

Pagus Ducatus Alemanniæ, qui adhuc hodiedum appellatur CLETGOVV, KLETGAU. Situs ejus est ad fines Nigræ Sylvæ prope *Schafhusam*, inter fluvios *Rhenum* & *Wutach*, ex opinione Goldasti in not. ad Walafrid. in vita S. Galli Tom. I. Rer. Alemann. p. 252. Pars erat majoris Pagi *Hegovve*, qui in testamento Caroli M. commemoratur, sed sine ulla Villarum enumeratione: locus enim *Enge*, qui refertur in confinio Pagorum Cletgovv & Hegovve, ad portionem Pipini (quæ per Rhenum usque ad Alpes & versus orientem assignata fuerat) connumerabatur; cum igitur Pagus *Cletgovv* extra Pipini portionem occidentem versus collocatus fuerit, ad Pagum Clettgovv reduci non potest, uti Junckerus l. c. p. 210. arbitratur. Reperiuntur in eodem Comitatus *Tengen*, *Dengen* & *Palm*, cum *Kussenberg*. vid. Munsteri Cosmogr. lib. 3. pag. 776.

XXI. Durgovve, Turgovve, Durgaugensis, Durgauensis, Durgavia, Durgauginse, Duria, Turensis.

Pagus Ducatus Alemanniæ & pars prisci Helveticorum Pagi *Tigurini* seu *Turegiensis*, vel *Zurichgovv*, quemadmodum in Charta 37. 46. & 58. apud Goldastum Tom. II. Rerum Alem. p. 36. 40. 48. describitur, ibi: *in*

Pago Durgaugiense, sed in situ Zurichgauuia. Nomen suum sortitus est a fluvio *Dura, Tura, Taurus* (die Thur) teste Walafrido Strabo de miraculis S. Galli lib. 2. cap. I. apud Goldast. Rer. Alem. Tom. I. p. 163. ibi: *Pagi, qui ab interfluente fluvio Turgovve nominatur.* Finibus autem circumscribitur: Versus Orientem a *Rheguscis* (hodie das Rheinthal) ad Castrum *Rineck* & *Wartensee*, quod posterius est *Durgavia*, itemque a Pago Sueviæ *Algovv*, per Lacum Bodamicum, versus meridiem a *Sarunetibus* sive *Sargans* Comitatu per montem *Scalberg*, versus Septentrionem per Lacum *Cellensem* sive *Bodamicum* inferiorem & Rhenum, a Pagis *Hegovv* & *Chletgovv*, versus Occidentem denique ab hodierno Pago Tigurino *Zurichgovv*, per jugum Montis *Almam* seu *Aleman* inter fluvios *Töss* & *Glatt*, prout hosce fines designat Stumpf. in der Schvveizer Chronic. lib. 5. c. 1. p. 287. & lib. 6. c. 2. p. 399. Dividitur porro in *Vallem Thuræ* (das *Thurthal*) quæ a fonte Thuræ fluvii ex monte Scalberg usque ad urbem *Wyl* pertingit, Comitatumque Toggenburgensem constituit, & in Pagum Turgovv, qui a Wyl usque Rheinaugiam in ripa Rheni dilatatur. Stumpf. l. c. cap. 19. pag. 361. confer. Scheuchzerus Hist. natural. Helvet. P. II. p. 89.

Appellatur hic Pagus in monumentis medii ævi *Durgaugensis*, non minus quam *Turegiensis*, & eodem etiam modo scribitur, quod non paucos, & ipsum etiam Stumpfium decepit, qui Pagum *Durgaugensem* pro Pago *Turgovv* accipiens, & in diplomate dotationis Ludovici Germanici Monasterio Tigurino in Pago Durgaugensi concesso nomina *Turegum* & *Chamum* legens, hanc addit explicationem lib. 4. c. 54. p. 283. & lib. 6. c. 1. p. 398. Quod nimirum Helvetia sub Burgundis & Alemannis per fluvium *Ursam* dividatur in duas partes & Pagos, ista ab oriente usque ad *Ursam* rursus in duos Pagos *Turgovv* & *Zurichgovv* dispertita, & sub uno Duce Alemanniæ combinata, vocata fuerit *Pagus Alemannicus*, & vulgo *Turgovv* usque ad Ursam, qui etiam sub nomine Pagi *Zurichgovv* veniat, & quod reliquæ duæ partes ab Ursa versus Occidentem usque ad Juram, Pagos *Aventicensem* sive *Wiflisburgovv* & *Argoviam* sub uno nomine *Burgundiæ minoris* comprehenderint; unde illi, qui Pagum *Turgoviæ* usque ad fluvium Ursam nominant, intelligendi sint de complexu Ducatus Alemannici, illi vero, qui Zürichgovv memorant, veterem Pagorum & Comitatuum distinctionem respiciant, hæc Stumpfius.

Nos autem verosimilius existimamus, sub nomine majoris Pagi *Durgaugensis* sive *Turegiensis* minorem Pagum *Turgovv* absorptum, omnemque provinciam a fluvio Ursa usque ad Lacum Bodamicum sub nomine Pagi Durgaugensis fuisse comprehensam. Hinc emendandus erit P. Henschen. in Actis SS. ad vitam Rhabani Mauri Tom. I. Febr. p. 513. dum fluvium *Turiseo* in Pago *Turichgauue* ad Villam *Kentibruto* explicat per fluvium *Turum in Turgovia*, ista enim Villa *Kentibruto* est hodiernus Vicus *Kempraten* ad Lacum Turicinum prope Rappersvvyl, adeoque in Pago Durgaugensi seu Turegiensi. Valesius in Notit. Gall. voce Turensis, & post eum Paullini l. cit. p. 222. aliique hunc Pagum Durgovve vocant *Turensem*, ex Fredegario, qui ejus cum Sugintensibus & Campanensibus meminit: verum inferius sub Pago *Turensi* demonstrabitur, Pagum de quo loquitur Fredegarius, non esse istum Pagum Turgovv, sed Pagum Turensem in Alsatia ad fluvium Thuram.

Sitæ in eodem fuerant Villæ *Aninauva*, in Charta 42. apud Goldast. l. cit. *Aninchova*, chart. 41. p. 38. *Aschinza*, in Charta Ottonis I. Imper. de anno

anno 959. apud D. Eccard. Orig. Habspurg. probat. p. 237. Nro. 38. ibi: *in Pago Turgovve in Comitatu Burckardi Ducis* (hodie ESCHENTZ ad inferiorem Lacum Bodamicum inter *Steckborn* & *Stain*) *Abadorf* (hodie adhuc AHADORF) *Bettinouua*, in Charta 29. p. 34. *Bauconsivilare*, in Charta 49. pag. 41. est haud dubie locus BRUZISCHWEIL ad fluvium Turam infra Lichtensteig, cujus meminit Scheuchzer l. c. p. 90. *Buoch*, Charta 28. *Britta*, in Diplomate Ottonis II. Imp. ibi: *in Pago Turichgovve.* apud D. Eccard. loc. cit. (hodie BRUTTEN sive BREITE inter Kyburg & Kemliten ad fluvinm Tosam) *Craolfestale*, in Charta 37. *Elinckouvve*, *Eilikevve*, *Ailibicauge*, *Heilicgovve*, *Vicus Sacer* Ekkehardo apud Goldast. Tom. I. Rer. Aleman. p. 228. ibi: *Notkerus oriundus in Vico*, *qui Sacer Pagus vocitatur latine*, *vulgariter vero appellatur Heilicgovve*, *in Pago qui Turgovv dicitur.* Verum facile patet, hanc derivationem magis esse allusoriam quam veram, non minus ac aliam Stumpfii lib. 5. c. 31. p. 385. nomen hoc deducentis ab *Algovv* vel *Alemannis*: verius itaque derivatur ab allabente *Ecclach*, a cujus fonte non procul abest. *Erpfratinchova*, Chart. 37. *Eskinbach*, in Charta 49. p. 41. *Filisfininga*, in Charta 91. *Fisbinga* (nunc FISCHINGEN) in Charta 81. p. 52. MONASTERIUM S. GALLI vel Gallonis, Sancti-Gallunum super fluvio *Steinaha* (hodiernum celeberrimum Monesterium S. Galli) vid. Vadian. de Colleg. lib. 2. p. 41. & 107. *Goldabum* Chart. 28. p. 34. (hodie GOLDACH prope S. Gallum) *Hagenbach*, in Charta 8. (hodie HAGENBUCH prope S. Gallen) *Graoltestale* (hodie GRAFFSTALL prope Campidonam, ex adverso *Kemmaten supra Winterberg*) in Diplomate Ottonis II. Imper. de anno 979. apud Hartman. Annal. Einsidl. p. 91. & D. Eccard. Orig. Habsburg. p. 239. GOZZESOVV, mallus publicus, Goldast. Tom. I. p. 106. *Heminbosun*, in chart. 28. *Himilinberg* mons, apud Walafrid. Strab. Vita S. Galli lib. I. c. 12. p. 149. *Mons Cœli*, *Cœlius* (corrupte hodie MONZELEN prope Urbem S. Galli) Goldast. l. cit. p. 250. Scheuchzer. Hist. natural. Helvet. P. I. pag. 193. *Hunichinwilare*, in charta 37. *Illenavia*, in charta 37. pag. 36. *Johannisvilla*, in charta 27. pag. 33. & charta 76. pag. 50. hodie *Johnschweiler* ad fluvium *Turam* in Comitatu *Toggenburg*. *Hebiratesmarca* hodie GIBSCHWEYL, prope fontes fluvii *Tosæ* juxta *Fischenthal.* Vadian. l. cit. pag. 61. & 62. *Luziluouua*, in charta 58. (videtur esse locus LUZELAU in Pago Suitensi, adeoque potius ad Pagum Turegiensem, sub quo *Suitensis* includitur, referendus) *Lienzewilare*, in charta 28. *Madalalteswilare*, in charta 37. hodie MADISCHWEYL inter *Wildberg* & *Russikon*, haud procul a Castro *Kyburg*. *Makisinchova*, in charta 37. *Masinang*, in charta 26. hodie MOESNANG. *Mechingen*, in charta 28. *Meggelis Alpa*, in charta 86. p. 54. ubi sequentia nomina obveniunt: *In loco novali qui Abbatella*, *Appenzell nuncupatur*, *in convalle circumpositorum montium sito*, *Basilicam condidi - - a monte Hersberg ab Alpe Solmi* (hodie SOLLWIS, vid. Scheuchzer Hist. Natur. Helvet. P. I. p. 214.) *a Meggelis Alpa*, hodie MEGLIS ALP seu HOCHALP, Scheuchzer. l. c. p. 192. *a Barental*, *a Portaris Alpa*, BOTERSALP. Scheuchzer. p. 259. *a Chranberch* CRONBERG, mons ex quo fluvius *Sintria*, die SITTER, oritur. Scheuchz. p. 188. & 259. *a rivulo Buchenbach*, *ab ostio fluvioli Rota*, hodie der *Rotbach* prope Monasterium Wohnenstein. ibid. P. 2. pag. 86. *usquedum fluit in Sitterum*, quod fit prope Monasterium *Wohnenstein*, Scheuchzer P. II. p. 86. *Meisteresbusa* in charta 21. *Navva* Curtis, Diploma Henrici II. de anno 1003. in Tom. I. Chron. Frisingensis pag. 199. ibi: *Cortem in Alemannia Pago Duria & in Comitatu Manegoldi Comitis sitam nomine Nava.* NUFEREN, mallus publicus. Goldast. T. I. p. 106. Cella *Nusperch* in Chart. 58. hodie NUSBERG prope Kyburg versus Elkovv. *Pappinheim* Vadian. l. c. pag. 109. *Parmacunavia* in

D 3 Chart.

Chart. 43. forsan BERNANG in Turgovv. *Perolfesvvilare*, in chart. 37. fortassis BERENTSCHWYL prope Fischental. *Pettinvvilare* in charta 91. p. 56. *Pipineshoveftetin* in charta 21. pag. 31. *Puzzinberch* in charta 42. *Prunnon* in charta 26. hodie BRUNNADERN non procul a Lichtensteig. *Quaradives* in charta 31. p. 35. *Rameswag*, Castrum & Comitatus ad fluvium Sydronam. Goldast. T. I. p. 107. *Rammelinchova* in charta 21. *Rammisperache*, in charta 84. pap. 53. hodie Reimesberg ad fluvium *Töss.* Castrum *Reinesch wile* apud Conrad. Fabariens. cap. 14. p. 81. Tom. I. apud Goldast. (*Reinhartschwyl*, sive *Reingerschwyl*, nunc desolatum) *Reotinchova*, in charta 39. & 58. nunc *Ruttikou*. *Richinbach*, in charta 42. *Romarisborn*, in charta 28. *Scottinchova*, in charta 65. hodie Schottikau prope Elkovv. *Sebeim* in charta 65. *Steinheim*, vel Stainheim, in charta 20. *Stutinboven*. apud D. Eccard. l. c. p. 239. prope Campidonam e regione Kemmaten. *Sulaga* in charta 15. (hodie *Sulzen* in Turgovia) *Syrnaba*, in charta 28. (hodie SIRNACH prope Wyl infra Fischingen ad dextram Murgæ) paulo infra *Simacb* ad Vicum *Wengi* supersunt rudera Castri *Reineschuyl* de quo supra mentio facta est. Stumpf. lib. 5. c. 26. p. 375. *Tanincboven*, in charta 21. *Tunrinde*, in ch. 37. *Turbatun*, in charta 65. (quæ etiam Vallis Turbata, Turbenthal vel Thurtal nominatur) ad fluvium Töss. vid. Goldast. Tom. I. pag. 107. *Tuzzinaang*, in charta 42. (hodie TUSLING infra Fischingen ad dextram Murgæ) *Vabcinchova*, in charta 40. *Ubirauuia*, in charta 58. pag. 44. *Vinnona*, in charta 30. & 31. *Ustra* in charta 46. pertinet tamen potius ad Pagum Turegiensem. *Uzzinwilare* in charta 27. forte hodiernum *Uttwyl* ad Lacum Bodamicum. *Uzinaba*, in charta 37. nunc USNACH. *Vuanga*, in charta 42. vel est hodiernum *Wangen*, vel aliud *Wengi*, viculus ad dextram Murgæ, infra *Wyl*. *Wanzincovo*, charta 42. *Vuila*, *Vuilla*, in charta 42. 43. hodie WEIL. *Winterberg*, apud D. Eccard. l. cit. 239. *Witardurum*, in charta 8. hodie OBERWINTERTHUR ad fluvium Eulach. *Zibruneswanga*, in charta 41. hodie ZIBERWANGEN ad Turum fluvium infra Schvvarzenbach. *Zillenslate* hodie ZILSCHLATT. apud Vadian. l. cit. p. 61. & 62. *Zozinwilare*, in charta 67. p. 47.

XXI. Falaha.

Pagus hic ab Arnolpho Imp. in suo præcepto ad Monasterium Fuldense de anno 890. exprimitur: ibi: *dedimus Abbati Sigahardo in Pago, qui dicitur Falaha, in Comitatu Otgozi, in Villa quæ vocatur Logena hubas - - -* apud D. Schannat. Corpor. Tradit. Fuldens. num 534. pag. 217. cujus situs proprius ignoratus quidem, conjecturaliter tamen dici posset, fuisse Pagum Ducatus Alemanniæ, portionemque Pagi *Burgovve* seu *Albegovve*, ubi enim ad fluviolum *Laugna* inter *Wertingen* & *Kloster Holz* reperitur locus Laugna, qui satis probabiliter dici posset Villa *Logena* & altius ad fluvium *Zusam* ascendendo, prope Monasterium *Fultenbach*, deprehenduntur loca *Fahlried* & *Faylau*, item *Feigenhof*, non procul a *Marck Biberach*, quæ cum Pago *Falaba* convenientiam apprime verisimilem habere videntur.

XXII. Flina.

Pagus Sueviæ, qui cum Villa *Hohenstat* in fundatione Monasterii *Wisonstaiga* in Suevia ad *Vilusam* (die Vils) memoratur, circa annum 861. apud Crus. in Annal. Suev. Part. 2. lib. 2. p. 58. Vorburg. Vol. XII. Histor. pag. 166.

166. & post ipsum Paullini l. c. ibi: *Quartum locum trado in altero Pago, qui dicitur Flina, hoc est Villam, quæ dicitur Hohenstat, quicquid infra marcam ipsius Villæ est, absque loco, qui dicitur Weisteti.* Situs est ad fluvium *Egvvidam* (Egvveid) in Dynastia *Helfensteinensi* haud procul a Monasterio *Neresheim*, ubi Villæ *Hohenstatt* (quamvis etiam aliud Hohenstatt prope Wisenstaig & Westerheim detur) FLIN vel FLEINHEIM hodie adhuc supersunt; pertinet nunc ad Ducem Wurtenbergicum sub dominio *Heidenheimensi*, cum quo anno 1450. venditionis titulo transiit, & anno 1495. corpori hujus Ducatus unitus fuit. Plura suggeret species facti Civitatis Ulmens. & Informatio super possessione 300. annorum partis Dominii Helfensteinens. a Civitate Ulmens. anno 1716. fol. 1. 2. exhibita, ubi Villa *Flin* in Dynastia Heidenheimensi expresse nominatur.

XXIII. Fricovve, Fricgovve.

Hunc Pagum Ducatus Alemanniæ memorat Ekkinhardus de Casib. S. Galli cap. 5. apud Goldast. Tom. I. Rer. Alemann. pag. 33. *Erat*, inquit, *ea tempestate, scilicet sub Ungrorum invasione, in Pago, quem Fricovve dicunt, Hirminger quidam, vir manu & animo validus.* Ac de eo plures circumstantias affert Guillimannus in Habspurg. lib. IV. cap. I. pag. 150. edit. Ratisb. Optimam vero Pagi *Frickgovv* (secundum hodiernam appellationem DAS FRICKTHAL) descriptionem reperimus apud eundem Guillimannum de Reb. Helvet. lib. 3. cap. 11. n. 4. p. 167. & seq. edit. Aventin. *Omnis*, inquit Guillimannus, *Rauracorum Regio in Comitatus duos, tertia pars in plures divisa, pars illa ab Arula Rhenoque ad influxum usque Filinæ, qui Augustam Rauriacam perlabitur, & infra Rhinfeldam Rheno miscetur, vocatur in antiquissimis Austriacorum protocollis Comitatus Frickgovviæ: ita quoque nominant prisca Imperatorum instrumenta. Extat Privilegium Henrici IV. Imp. Basileæ datum, in quo nominat Rudolphum Comitem de Frica, nunc Rhinfeldensem vocant ab oppido capitali: sed præter Rhinfeldam sunt oppida Seckinga, Sanctio Romanis nominata, Laufenberga, Vici plures, ut Mumpf, Frick, unde antiquum Comitatus nomen, Luckere: attingit eam Juræ partem, quæ Schachmat, aut vulgo Schafmat, nominatur inter Araviam & Hombergam.* Hæc Guillimannus, qui postmodum Comitatum *Sisgovviæ* cum suis finibus ac terminis accurate discernit; sed de hoc superius in Pago *Arragovv* vel *Sisgovv* mentio facta est.

XXIV. Glemisgovve.

Commemoratur in Chronico Laurishamensi & in eodem afferuntur Marca *Hirschlanda*, Villa *Dicingon* seu *Dizingen*; situs autem fuerat hic Pagus in Ducatu Sueviæ ad confinia Würtenbergensia, & nomen a fluvio *Glamissa*, *Glems* accepit, apud quem etiam antiquus Comitatus cum Castro GRIENINGEN reperitur, ubi supra Grieningen Villæ *Hirschland* & *Diezingen* in speciali Mappa Ducatus Würtenbergensis ab Hohmanno edita occurrunt. Præter ista loca, sequentes etiam Villæ in Traditionibus Laurishamensibus in Pago *Glemisgoe* recensentur: *Gerringa* cum *Skeckhinga*, hodie GERLINGEN prope LEONBERG. *Heimradingen*, nunc HEIMMERTINGEN prope Hemingen. *Hirslande* cum *Tizingen*, HIRSCHLAND. *Horoheim*, *Skeckinga*, hodie SCHECKINGEN infra Hirschlanden. *Tizingen*, *Dicingon*, *Dietzingen*.

XXV. Gol-

XXV. Goldineshundere.

Pagus in Comitatu Marquardi Comitis, per cujus interventum Villæ *Worndorf* & *Crumata* Monasterio Petrishusano ad lacum Bodamicum prope Constantiam ab Ottone III. Imp. anno 933. donatæ fuerunt, apud Lunig. Spicilig. Eccles. Tom. III. pag. 400. Quod situm Pagi hujus attinet, probabile est, eum fuisse partem Pagi *Hegovve* in Ducatu Alemanniæ, non procul enim a *Möskirchen* & bonis dicti Monasterii Petershusani prope *Salmansweiler* etiamnum extant Villæ WONDORF & GROMBACH, quibus supra dictas Villas *Worndorf* & *Crumata* exprimi arbitramur.

XXVI. Grubingovv.

Pagum hunc ex fundatione Monasterii WISONTASTAIGA de anno 861. Crusius Annal. Suev. part. II. lib. II. cap. XI. p. 58. & ex ipso Paullini pag. 170. refert, ibi: *Trado talem locum, qualem visus sum habere in Pago nomine Pleonungethal, hoc est ipsum locum, qui vulgo dicitur Wisontestaiga juxta flumen Filisa, quod est situm in Grubingovv-marco in Comitatu Warinhari Comitis, nec non & tertium locum in ipsa marca trado S. Ciriaco in loco, qui dicitur Tuiffenthal, cum adjacentiis suis - - - - in quinto vero loco, qui dicitur Westerheim similiter trado &c.* Ex quibus colligitur, Monasterium *Wisensteig*, tam Pago Pleonungethal, de quo infra, quam etiam Pago Grubingovv fuisse annumeratum. Situs fuerat Pagus *Grubingovv* in Ducatu Sueviæ, in territorio Würtenbergensi, in Comitatu Helfenstainensi ad asperas Alpes (*ahn der Rauhen Alp*) consequenter in majori Pago *Alpengovv* seu Alpensi comprehensus; denominationem vero suam sortitus est a Villa GRUBINGEN, quæ prope Wisensteig versus Septentrionem reperitur, in qua etiam vicinia, haud procul a Wisensteig ad dextram Villa WESTERHEIM occurrit: similiter prope URSPRING & SCHELKLINGEN, Valllis *das* TIEFTHAL, quæ Suevicas Alpes separat; Crusius Annal. Suev. P. II. L. 3. p. 77. Concidit propterea opinio Junckeri pag. 270. de Villa *Uberlingen* ad Villisam vel Filisam (*an der Vils*) utpote quæ teste eleganti charta Topographica Ducatus Würtenbergensis & Territorii Ulmensis ab Homanno confecta, non Uberlingen sed *Uberkingen* nominatur. Hauberus in seiner curiosen Nachricht von den Land-Carten des Hertzogthums Wurtenberg pag. 18. contendit, *Pleonungethal* tanquam minorem Pagum sub Pago majore *Grubingovv* comprehensum fuisse, de quo infra sub Pago *Pleonungenthal* plura dicentur.

XXVII. Hegovve.

Pagus, sub hoc ipso nomine hodiedum adhuc notus, situsque in Ducatu Alemanniæ inter Lacum Bodamicum, Rhenum & Danubium, qui teste Goldasto, in notis ad Walafridi vitam S. Galli Tom. I. Rer. Alemannic. p. 252. multo latius olim extendebatur, & quatuor Provincias seu territoria, nempe NELLENBURG, KLETGOVV, STULINGEN & BAAR complectebatur, prout superius in Pago *Cletgovv* jam retulimus; Mentio ejusdem fit in Testamento Caroli M. de anno 806. in quo portioni Pipini filii adjectus, atque insuper locus ENGE tanquam Villa Pagi *Hegovve* expressus fuit, quodque Pago *Clet-*

govve

govve vicinus sit ac confinis (ex quo inanis Crusii Etymologia, nomen Pagi hujus, quavis *Hevvengovv*, a Castro *Hohenbevven* deducentis, plane concidit) versus Orientem vero Pagos *Lintzgovv* & *Algovv* attingat. Loca & Villæ in medio ævo in eodem occurrentia sequentia sunt: BODAMUM, Botama (hodie *Bodmen*) antiquum Palatium Regium ad Lacum nuncupatum ZELLERSEE, de quo Lacus Bodamicus nomen sortitus est, nosque libro præcedente, ubi de Palatiis actum fuit, aliquid innuimus. *Duellium*, nunc HOHENVVIEL, fortissimum supra altissimum montem propugnaculum ad Serenissimum Ducem Wirtenbergicum spectans. *Enge*, hodie ENGEN, urbs Dominii Austriaci ad fluvium *Abam*, an der Ach. *Maginga*, hodie MENGEN, urbs ad Comites Fürstenbergicos pertinens ad fluvium *Ablacum*, *an der Ablach*. *Messankiricha*, hodie MOSKIRCHEN, Civitas & Castrum in territorio Fürstenbergico. NELLENBURG, Comitatus & Civitas Domus Augustæ Austriacæ. ONINGEN, antiquissimus Comitatus & Castrum, postmodum Cœnobium ad Rhenum, ubi is ex Lacu Bodamico effluit. PFULLINDORF, Comitatus & Castrum, hodie Imperialis Civitas ad amnem *Andelsbach*. *Wallavvis*, hodie WALVVIS, haud procul a *Bodmann*, Burgum antiquum & familiarior olim Ducum Alemanniæ sedes. Præter enumerata loca recentioribus nostris temporibus ex relatione Münsteri & Lucæ apud Junckerum sequentia adhuc celebriora sunt: *Bollingen*, *Buesingen*, *Friedingen*, *Halsberg*, *Herblingen*, *Homberg*, *Hohenklingen*, *Hohenfels*, *Hohenbövven*, *Hohenkrayen*, *Hohenstefflen*, *Hornstein*, *Karkeck*, *Langenstein*, *Lupferdingen*, *Neubausen*, *Neuenbövven*, *Randeck*, *Rieden*, *Rosneck*, *Stauffen*, *Steuslingen*, *Stockach*, *Tayngen*, *Tengen*, *Waldsberg*, *Worblingen*.

XXVIII. Ilergovv, Ylergovve, Hilargaugensis.

Pagus Ducatus Sueviæ sive Alemanniæ circa fluvium *Ileraha*, *Hilara*, *die Iler*, in quo Celeberrimum Ordinis S. Benedicti Monasterium, Principatus ac Abbatia Campidonensis, sita in Pago *Ylergovve* refertur in diplomate Caroli M. de anno 773. apud Paullini Histor. Visbecens. §. 14. p. 10. *Castrum* autem *Campidonense sub Paganis Hilargaugensibus* memoratur a Theodoro Eremita in Vita S. Magni Lib. II. Cap. 11. apud Goldast. Tom. I. Rer. Alemann. p. 199. in charta quadam in Chron. Frisingen. Tom. I. pag. 115. *Milo ad Ecclesiam Campidonensem tradidit quasdam possessiones suas in Heimmortingomarca in Pago, qui dicitur Ilargovve.* vid. etiam Charta permutationis ibid. Tom. 2. pag. 349. n. 700. *Heimmortingo* hodie vocatur HEIMERTINGEN, estque feudum Abbatiæ Campidonensis ad DD. Comites Fuggeranos pertinens: nominantur ibidem etiam Villæ *Scammara*, *Altheim*, *Gresingon* & *Summimuotingon*, quæ ultima, hodierno nomine *Sumatbingen*, feudum pariter Campidonense est, ad modo dictos Comites spectans. De cætero Pagus iste pars fuit majoris Pagi *Albegovv*, de quo jam supra fuimus locuti.

XXIX. Keltinstein.

Pagus Ducatus Alemanniæ, in quo locus *Ruodoldisbova* Monasterio Campidonensi a Ludovico Pio anno Imperii XXVI. (anno Christi 839.) donatus fuit apud Mabillon. Tom. IV. Analector. pag. 470. & ex eo apud Lunig. Spicileg.

cileg. Eccles. Tom. III. p. 170. Reperimus autem in Theodori Eremitæ Lib. II. de vita S. Magni Cap. X. circumstantias nonnullas, quæ situm hujus Pagi, vel prout ibidem nominatur, *Marca Keltinstein* clarius exprimunt, ibi: *Invenit Rex* (Pipinus) *in ipso vicino loco* (scilicet Curiensis Rhætiæ & Monasterii S. Galli) *Pagum qui vocatur Keltinstein, inter cætera ergo munificentiæ dona, quæ impertivit Beato Viro* (scil. B. Magno) *dedit ei totum ipsum saltum cum Marcha &c. &c.* apud Goldast. Rer. Alem. Tom. I. p. 199. & 258. Ex quibus eruitur, Pagum hunc vel Marcam *Keltinstein* situationem suam habuisse prope fauces fluvii *Lici*, ubi S. Magnus Cellam sibi construxerat, haud procul a confinibus Rhætiæ Curiensis, ubi Celeberrimum Ordinis S. Benedicti Monasterium sub invocatione S. Magni in *Füessen* adhuc hodiedum floret. Cum igitur inter dictum Monasterium & Urbem *Kaufbeuren* fluviolus *Geltnach* (a quo Pagus iste nomen suum adeptus est) in amnem *Wertach* influat, in illa quoque vicinia haud procul a dicto amne *Wertaha* Villa *Rudershofen* (quæ sine dubio est supradictus locus *Ruodoldisbova*) existat, ad fluviolum *Geltnach* insuper Villa, quæ *Steinbach* appellatur, etiamnum reperiatur, concludenter asserimus, Pagum seu Marcam *Keltinstein* inter Monasterium *Füessen* & Urbem *Kaufbeuren* ad fluviolos Geltnach & Wertach reponendum, partemque majoris Pagi *Albekevve* fuisse.

XXX. Lienzingen.

Pagus Ducatus Alemanniæ, quem quidem Freherus in Origin. Palat. Part. I. p. 60. pro Pago *Linzgovv* ad Lacum Bodamicum declarat, verum, cum in Traditionibus Laurishamensibus Villa *Sickendale* in hoc Pago *Liencingen* occurat, in alia etiam Charta dictarum Traditionum Villa *Liencingen* in Pago *Gardachgovve* nominetur, ideo Pagum *Liencingen* a Pago *Linzgovv* distinguendum, ac pro Alemanniæ Pago, & quidem pro Pagello minori Pagi *Gardachgovv* vel *Neckergovv* reputandum esse opinamur; quamvis concedi quoque posset, hunc Pagum *Liencingen* etiam Pagum *Lienzgovve* nuncupatum fuisse, quia in memoratis Traditionibus Laurishamensibus Villa *Heichensteige* in Pago *Linzgovve* allegatur, quæ procul dubio est *Aichestigermarca* in prædictis Traditionibus sub Pago Alemannorum enarrata.

XXXI. Linzgovve, Linzovve.

Pagus Ducatus Alemanniæ *ad Lacum Bodamicum*, quemadmodum eundem describit *Iso* de mirac. S. Othmari lib. I. cap. II. apud Goldast. Tom. I. Rer. Alemann. p. 186. nominatur etiam *Comitatus* in Charta quadam Cœnobii S. Galli de anno 890. apud Lunig. Spicileg. Eccles. Tom. 3. p. 255. ibi: *Omnes Principes* (id est Comites) *de tribus Comitatibus*, id est, *de Durgovve, de Linzgovve*, & *de Rhætia Curiensi*. Situs autem fuerat hic Pagus LINZGOVV inter Pagum *Argengovv* seu Argunam & Pagum *Hegovv*, suumque nomen traxit a loco *Linz*, qui hora una a Civitate *Pfullendorf* versus Occidentem situs est, prout Hauberus in seiner Nachricht von Land-Charten des Schvväbischen Creyses p. 124. demonstrat. Villas ejusdem (inter quas UBERLINGEN, MARCKDORFF, BUCHORN & PFULLENDORFF præcipuæ sunt) ex designatione Decanatus Uberlingensis sive Linzgovv in Jacobi Manlii Chronico Constantiensi Junckerus quidem annotavit, cui addi possunt Ægidius Tschudus in Descript. Rhetiæ cap. 9. 10. & 15. & in Epistola ejusdem ad B. Rhenanum apud

apud Schard. Tom. I. Rer. German. p. 303. & Welserus lib. 7. p. 317. & 322. Nos tamen quasdam in prædicta Decanatus Linzgoviensis designatione omissas, quæ nihilominus in Chartis occurrunt, adhuc adjiciemus, e. g. *Villam Pfruvvanga cum alio prædiolo ad hoc pertinenti Taverna vocitato in Pago Linzgovve, in Comitatu Hermanni Comitis.* Chartæ Donationis *Azalæ* ad Monasterium S. Gregorii in Petershausen datæ apud Lunig. Spicileg. Eccles. Tom. III. pag. 403. (hodie PFRINGEN ad fluvium *Ostracam* ditionis Illustriss. DD. Comitum de Königseck) *Villa SUILTINGA in Pago Linzgovve, in Comitatu Ottonis Comitis*, in Charta Donationis Suiggeri prædicto Monasterio Petershusano anno 1058. factæ apud Lunig. l. c. ibid. pag. 403. & denique *Villa FRIKINGEN, in Linzgoviensi Decanatu alias nota, in Pago Linzgouue, in Comitatu Henrici Comitis sita.* Ita Charta Wittigonis Presbyteri ad supradictum Monasterium de anno 1135. apud dict. Lunig. l. c. pag. 404.

XXXII. Lobesingen.

Ignotum hunc Pagum recenset Charta Askerici apud R. P. Bernardum Pez. Thesaur. Anecdot. T. I. p. 140. ibi: *Proprietatem in loco, qui dicitur HULL, sitam in potestate cujusdam militis ingenui, scil. de Pago LOBESINGEN nuncupato traditam;* videtur esse Pagus Alemanniæ ad confinia Bavariæ & Franconiæ, cum in Summariis Traditionum Fuldensium cap. 7. n. 22. item 52. & 58. p. 309. & seqq. locus occurrat nomine *Lebezingen* cum quibusdam Villis Pagi Rhetiæ ibi: *Bilibilt de Alemannia tradidit prædia de bis Villis, Lebezangen, Vocabingin, Uzmaningen, Bromdestat, Rutenstat, quod est in Pago Rezia.* Videtur proinde pars fuisse *Pagi Reziensis*, quod ulterius adhuc confirmatur ex eo, quod Villa *Lebsingen* sub nomine *Löbsing*, a sinistris *Egræ* fluvii prope NORDLINGEN, in districtu Reziensi adhuc hodie nota sit, & ascendendo per Danubium, haud procul a memorato Nördlingen, sita reperiatur Villa *Holheim*, per quam forsitan Villa *Hul* in Pago Lobesingen denotatur.

XXXIII. Mitinbach.

Pagus Ducatus Alemanniæ ad Lacum Bodamicum haud procul ab ARGUNA vel Argen, & WASSERBURG, quemadmodum circumstantiæ diplomatis commonstrant, in quo Pagi hujus mentio injicitur in Charta 48. Alemann. apud Goldast. Tom. II. Rer. Alemannic. p. 40. ibi: *Dono ad Ecclesiam S. Georgii, quæ est constructa in Pago Argunensium in insula vel loco Wazzarburc, & hoc est quod dono in Pago ipso qui dicitur Mitinbach - - - Actum in Villa Arguna.* Probabiliter fuit Pagus minor seu Pagellus, situs haud procul a Vico *Mitte* prope Wasserburgum, versus Lacum Bodamicum, cum quo etiam in citata Charta 48. nominatur, ideoque procul dubio Pagi *Arguna* pars fuit.

XXXIV. Murachgovve, Murrergoia, Murrachgovve.

Pagus Ducatus Alemanniæ seu Sueviæ in finibus Franciæ novæ, de quo Freherus & Paullini nomen solummodo hujus Pagi referunt, qui a fluvio *Mura* (Murch, vel Muehr) in Ducatu Würtenbergico prope fluvium *Cocheram* no-

men accepit, prout diploma Conradi II. Imp. anno 1027. *super silva quadam Monasterio Murrhart* concessum, apud Crusium Annal. Suevic. Part. II. lib. 6. p. 188. & 189. majorem ipsi claritatem affundit, innuitque, quod per eundem Vallis, *das Murgthal*, ad *Muram* in Ducatu Würtenbergico, prope *Kochengovv* vel *Kocherthal* indigitetur, ibi: *Sylvam quandam juxta Monasterium Murrhartum, cujus Abbas Adolphus est, in partibus Murrergoiæ & Kochengoiæ, Comitum Heinrici & Ruggeri sitam, quæ extenditur ad ortum rivi Wislauffæ usque ad Saffenbergum* (Wislauff, quæ prope SCHORNDORFF *Ramisiæ, Rhems*, immergitur) *& ita per duos rivos Herolsbachum & Weissachum ad Aichelsbergum* (Weissachum prope Racknang in Muram sese effundit, Aichelberg vero prope Reichenberg invenitur) *& inde ad fluvium Muram, ab hoc sursum per Lauteram* (Winterlautenbach) *Simersbachum usque* (præsumtive Sommerslauterbach) *inde sursum versus, usque ad medium montis Hochbeuri* (conjecturaliter Horhberg prope Beringsvveiler) *atque ita recte procedendo usque ad semitam ducentem per Meinbartum* (Mainhart inter Beringsvveiler & Mejenfels) *eademque semita usque ad fontem Steinerodum* (rivulum, qui in fluvio *Roth* se infundit) *& secundo flumine* (Roth scilicet) *usque ad Cocbinabam* (die *Kocher*, cui Rotha juxta Geildorff immergitur) *ac sursum secus Staicherbachum, & sic per limites Franconiæ ac Sueviæ ad supradictum fontem Wislauffen, consentientibus Comitibus locorum, Henrico, Ruggero, altero Henrico, Fratre ejus, Poppone, Guntbero, Sigisboldo, Sifrido, Hatzone &c.* Ex quibus illud pro reliquis cognosci potest, limites Ducatuum Franciæ novæ, seu Franconiæ, & Sueviæ tunc fuisse inter fluvios *Cocbinabam & Leinam*, usque ad fontem fluvioli *Wislauffæ*, Monasteriumque MURHARDUM cum cæteris terris vicinis non solum sub Diœcesi Würceburgensi, sed etiam in Ducatu Franciæ fuisse comprehensum. In Traditionibus vero Laurishamensibus accuratior hujus Pagi MURACHGOVVE notitia occurrit, cum ibidem sequentes Villæ in Pago Murachgovve seu Murrahgovve recenseantur.

Asbach, hodie major & minor Aspach ad dextram Muræ prope Backanang. *Atunstete* cum Asbach. Forsan *Abstädten* prope Beclstein. *Austrenbusen* cum *Blidolvesheim*. *Autmarsheim* Villa diversa ab Otmarsheim. *Biginga*. *Blidolvesheim*. hodie Pleidelsen ad fluvium Neccarum haud procul ab influxu Muræ. *Bunnigheim*, forsan *Biningen* a sinistris Neccari ex adverso Marbach. *Gisingheim* præsumptive *Geisingen* prope Biningen. *Gruonovva* hodie *Grünau* prope Monasterium *Oberstenfeldt*. *Hegoluesheim*, præsumptive Egolsheim ad Nicrum prope Hoheneck. *Hovoheim*. *Ingribesheim* præsumptive Engershem ad fluvium Nicrum ex adverso Pleidelsen. *Otmarsheim* hodie Otmarsen inter Laufen & Botvvar. *Reginberesbusen* cum *Steinheim*. Forsan Rielingshausen prope Steinheim. *Steinheim* hodie Steinheim ad Muram non procul a Marpach. *Stettin* cum Blidolvesheim, forsan *Erbestätten* prope Backanang.

XXXV. Nagalgovv, Naglagovve, Nagaldacgovve, Nachlachgovve.

Pagus Ducatus Alemanniæ circa fluvium Nagoltham (NAGOLD) in territorio Würtenbergensi, & quidem ab ejusdem fontibus seu origine usque ad Urbem Calbam (KALUU) & usque ad Nicrum ac fluviolum *Glattam*; Villæ enim in Laurishamensibus Traditionibus (ex quibus Freherus hunc Pagum excerpsit) nominatæ districtum hunc satis demonstrant, suntque sequentes: *Bilda-*

Bildachingen. Hodie Bildechingen prope Urbem *Horb* ad Nicrum. *Giselstete*. *Gladeheim*, forsan Glatta ad fluviolum Glattam. *Gundirichinga*, hodie Gündrichen inter Nagolth & Horb. *Mulinhusin*, forsan MUHLEN ad Neccarum prope Horb. *Reistodingen* cum Mulinhusin, præsumtive *Reisten* inter Herrenberg & Urbem Tubingam. *Torneslat*, Tornigestat, hodie DORNSTATT ad Glattam. In alia Charta Tradit. Laurisham. cum *Gladeheim* describitur in Pago *Waltgovve* in Comitatu Geroldi Comitis anno XVI. Regni Karoli Regis, id est anno 784.

XXXVI. Neccergovve, Necchariensis, Necchargovve.

Pagus partim Ducatus Franciæ novæ, partim Sueviæ, eo quod *Villa Heilicobrunno* (HEILBRUN) ad Ducatum Franciæ spectaverit. Situs fuerat ad utrumque fluvii Neccari litus, a fluviolo *Vilusa* prope arcem TECK ferme usque ad Castellum *Dilsperg* prope *Neckergemündam*. NECCHARIENSIS PAGUS appellatus in vita S. WALBURGIS lib. 2. cap. 3. p. 531. ibi: *Vir quidam de Pago Necchariensi, qui lingua Diutica* (id est, Theotisca) *Necchargovve ab incolis nuncupatur*. In Actis SS. Tom. III. Febr. & Pagum *Gardachgovve* complectebatur. Villas illius Freherus ex Tradit. Laurishamens. & Paullini recensent quidem, sed minimam earundem partem declarant. Vid. Chronicon ipsum pag. 701. sqq.

XXXVII. Nibalgovv, Nibalgauge, Nibilgevve.

Pagus Ducatus Alemanniæ *in Comitatu Rhetiæ Curiensis* ad dextram Rheni ad fluvium *Illiun* (Ill) pars inferior *Vallis Drusianæ*: nam pars superior *das Wallgovv* nominatur, pars autem inferior ab Oppido vel Urbecula *Valcirco*, vulgo FELDKIRCH, versus RANCKWIELAM, dicitur NIBELGOVV, quasi *Nidervvalgovv*. Vid. Tschud. de Rhetia cap. 24. Situs ejus fuerat inter Pagos *Brechtagovv*, *Walgovv* & *Rhingovv*, ubi hodiedum COMITATUS FELDKIRCHENSIS & MONTFORTENSIS existunt. Villæ autem præter *Bendern*, *Vaduz* & *Eschen*, sequentes in eodem occurrunt.

NIBALGAVIA Villa publica. In charta Alemannica 77. apud Goldast. Tom. II. Rer. Alem. p. 51. qui in Præfatione pag. 8. eam pro RANCKWYL declarat.

RATPOTICELLA. Locus iste in Rubrica Chartæ Alemann. de Nibalgovva p. 27. nominatur; Unde Goldastus l. c. Præfat. p. 4. conjecturat, Villam similem in Pago *Nibelgovv* extitisse, cum ibidem *Cella Ratpoti*, Zell ad lacum inferiorem (Untersee) reperiatur, quod tamen nos hic nolumus investigare, an nimirum hæc Zella sit Cella Ratpoti? hæc enim alias Cella *Ratolfi* vel *Ratolfzell* nuncupatur: neque Goldasto, qui locum *Rota*, ubi peracta fuit hæc manumissio, pro *Rotvvila* interpretatur, possumus assentiri, sed potius Villam *Rötis prope Montfort*, vel aliam Villam *Röthe* ibidem vicinam ei substituimus.

RIETLINES & WEGESAZA in Pago Nibilgevve, & in Sylva *Arinane*. in Charta Erimberti anno 1043. Monasterio Petrishusano prope Constantiam concessa, apud Lunig. Spicileg. Eccles. contin. Tom. III. pag. 402. an vero Villa *Wegesaza* sit hodierna Villa *Gersis ad Illaram*, inter *Schlings* & *Feldkirch*, & an pariter Sylva *Arinane* forsan pro *Adlerberg* sit reputanda, aliorum judicio relinquimus.

ROTHE insula in Pago Nibilgouvve. Charta Lamperti de Birtlingen anno 106. - - data Monasterio Petershusano apud Lunig. l. c. p. 403. videtur esse memorata ROTA in Charta Alem. 5. apud Goldastum, & Villa ROTIS prope Montfort.

CURTIS AD CAMPOS, sive Sancti Petri ad Campos, cujus mentio fit in Charta Alem. 99. p. 58. & *quod ibi in mallo publico Unfredus Illuster Comes Rhetiarum præsedrrit.* Goldastus l. c. Præfat. p. 8. eam pro MAYENFELD reputat. Nos vero Curtem hanc pro FELDKIRCH ad fluvium *Illum* accipimus, utpote quæ a Münstero Cosmograph. lib. 3. pag. 758. & Zeilero in Decem Circulis Imp. pag. 103. Pago *Nebelgovv* annumeratur, & pro Villa primaria in *Wallgovv* adducitur, hodieque adhuc apud Italos sub nomine *Campo di San Pietro* nota est.

XXXVIII. Ogesgovve.

Tanquam Pagus Ducatus Alemanniæ adducitur ab Hundio Tom. I. Metrop. p. 105. ibid. *Anno MCXI. Udalricus Episcopus Pataviensis donavit Ecclesiæ Pataviensi prædium hæreditarium in loco, qui dicitur Mardingen in Provincia Suevia, in Pago Ogesgovve.* Cum igitur in Territorio Augustano, in Campo DAS LECHFELT dicto, ad amnem *Schmutteram* haud procul ab Oppido OBERNDORF locus quidam, cui nomen MERDINGEN, reperiatur, videri posset, Pagum *Ogesgovve* non esse alium, quam Pagum *Augustgovve*, hic enim usque ad *Schmutteram* protenditur. Verum nos Pagum istum *Ogesgovve* pro portione majoris Pagi BARGOVVE reputamus, qui posterior nomen suum a Villa *Ochesheim* (quæ etiam a nonnullis *Augsesheim* scribitur) inter Urbem *Donavvertam* & Monasterium *Holzen*, derivat, haud procul enim ab Ochesheim ad sinistram Schmutteræ Villa *Mardingen*, hodie *Merdingen*, adhucdum extat, quæ proinde melius ad Pagum *Ogesgovve*, quam ad Pagum *Augusgovve* refertur.

XXXIX. Pleonungethal, Pleninchau.

Pagus Ducatus Alemanniæ sub Pago *Alpensi* seu *Alpengovv* comprehensus, ad fluviolum *Blavam*, *Blavv*, qui prope Monasterium & Civitatem BLAUBEUREN scaturiens, Urbemque ULMAM alluens Danubio immergitur. Pagus hic usque ad Fluvium *Filisam* (*die Fils*) olim extensus, pagum *Grubingovv* sub se comprehendebat, Monasterium siquidem (hodie Dynastia) WISONSTEIGA AD FILISAM, quod supra in Pago *Grubingovv* adductum fuit, in literis fundationis a Ludovico Germanico anno 861. concessis in hoc Pago *Pleonungethal in Comitatu Warinhari Comitis* refertur, apud Crusium & Paullini p. 169. & sq. & Juncker. p. 270. Sita pariter in eodem fuerant Monasterium

nasterium URSPRING ad fluviolum *Acham* (*Ach*) & oppidum SCHELKLINGEN cum *Tiefftbal*, *Tiuffentbul*. Cruf. part. II. lib. 3. pag. 76. & 77. Aliam quidem opinionem Hauberus in feiner curiofen Nachricht von Land-Charten des Schvväbifchen Kreyfes und Würtenberg pag. 128. amplexus eft, qui ex eo, quod Vallis *Pleonungetbal* a Valle *Blautbal* per excelfa alpium juga feparetur, Pagum *Pleonungetbal* non a fluviolo *Blava*, fed ab alio quodam rivo, qui infra *Wifenfteigam* a *Filifa* abforbetur, deducit, Pagumque iftum fub majori Pago *Grubingovv* contentum fuiffe afferit, cujus etiam conjecturæ probabilitas quædam exinde conciliari videtur, quod haud procul a Vico *Boll* ad rivum quendam Villa *Pliensbach* etiamnum fita fit, quæ aliqualem nominis analogiam cum vocabulo *Pleonungetbal* confervaffe dici poffet; Verum ratio hæc nobis minus fufficiens eft, ut Pagum Pleonungethal a fluvio Blava abreptum alio translocemus, omnes enim Valles iftæ atque Pagi, nempe *Grubingovv*, *Pleonungetbal*, & hodierna Vallis *Blautbal* inter montana, quæ hodie *auf der rauben Alb* appellantur, jam fitæ fuerant, & per Vallem *Tuiffentbal* feparabantur, prout refert Crufius l. c. pag. 77. & in Paralipom. p. 2. loca etiam *Tuiffentbal* & *Wefterbeim* in literis fundationis nominata, inter *Wiefenftaigam* & *Blaubeurn* prope *Urfpringen* & *Schelklingen* hodiedum reperiuntur, ac infuper Monafterium WISENSTAIG in *Grubingovv Marca in Pleonungetbal* recenfetur, ex quo fequitur, Pagum Pleonungethal ad dextram fluvii Filifæ fitum, fub eo autem Pagum Grubingovv tanquam Sub-Pagum comprehenfum fuiffe.

XL. Retienfis, Recia, Rætia, Reci, Recienfis, Rieza.

Pagus Nordgovviæ, & Ducatus Bojariæ, ac Sueviæ poftmodum, inter fluvios *Brentam*, *Agiram* (*die Eger*) & *Wernizam*, usque ad *Almonam* (*die Altmühl*) & *Danubium* extenfus, Comitatus Pappenheimenfem, Ottingenfem & partem Dynaftiæ Heidenheimenfis complectebatur; Vocatur adhuc hodie DAS RIES, ita tamen, ut illos terræ tractus, qui lingua vernacula der *Hanenkamp*, *das Schwanenfelt*, & *das Hertfelt* (a prifcis incolis Harudibus, qui hic locorum ab amne Brentio ad Narifcos usque, tefte Cluver. Germ. Antiq. l. 3. c. 3. habitarunt) appellantur, fimul etiam comprehenderit. In medii ævi monumentis loca fequentia in Pago *Retienfi* occurrunt, quæ pariter demonftrant, tres Pagos minores *Flina*, *Saulifeld* & *Brenzegevv* fub eodem fuiffe comprehenfos.

BUILA. In Charta inedita Ludovici German. Regis anno ejus 36. Monafterio Laureshamen. data, ibi: *De rebus præfati Monafterii inter Ratiam & Svvualeveldon in locis nuncupatis Buila, Rumilinga, Gunzenheim, Mudilinga, Ranheim.*

GUNZENHEIM. In dicta Charta Tradit. Laurisham. hodie GUNTZHEIM, prope *Keyfersbeim* verfus *Wendingen*.

Hafareda, *Haffaroth*, *Hafenried*, Monafterium. D. Schannat. Corp. Tradit. Fuldenf. n. 133. p. 65. hodie HERRIEDEN ad fluvium Almonam, haud procul ab urbe Onoldino (*Anspach*) in territorio *Eichftettenfi*; de quo videndi Brufchius, Bucelinus & Zeilerus, & præ ceteris Rudolphus Monachus in

in Vita Rhabani Mauri cap. 5. pag. 517. Tom. I. Febr. Act. SS. quod P. Henschenius in not. perperam ad fluvium Mœnum locat.

Mouuenheim. In vita Walburgis apud Bolland. Actor. SS. Mens. Febr. Tom. III. lib. I. cap. 4. p. 526. Monasterium puellarum, hodie MONHEIM prope Urbem Bavaricam Wembdingam.

Megeresheim vel *Megericchesheim*, Vicus, dicta Vita S. Walburgis L. I. pag. 526. quem Stevartius in notis pro *Merashem* prope *Monheim* declarat, ac præsumptive locum *Marchsheim* prope *Lachsgemundam* per id intelligit, nos vero Villam MEGESHEIM ad fluvium *Wernitzam* prope Urbem *Ottingam* per Vicum istum denotari arbitramur.

MUNDILINGA, dicta Charta Laurisham.

NORDILINGA in Pago Retiensi. In diplomate Arnolfi Imp. Ecclesiæ Ratisbonensi anno 998. concesso apud Hund. Metrop. Salisburg. Tom. I. pag. 166. & Tom. II. pag. 254. hodie NORDLINGEN ad fluvium *Agiram* (*die Eger.*)

OTTINGA, vicus Rhetiensis, in Vita S. Ottonis Episcopi Bamberg. lib. 4. cap. I. pag. 516. hodie Urbs Ottinga ad fluvium *Wernizam.* item villa *Oetting* prope Monheim.

Rumeringa Villa, in Pago Rieza. In Charta inedita Tradit. Laurisham. quæ etiam *Rumilinga* nominatur in Charta Ludovici Germanici anno ejus 36. Monasterio Laurishamensi concessa, hodie OBER- & NIEDER-REIMLINGEN prope Nördlingam.

Rutenstat in Pago Retiæ. In Summar. Tradit. Fuldens. c. 7. n. 22. p. 309. præsumptive UTENSTETTEN prope oppidum Wirtembergense *Weiltingen* ad fluvium *Wernizam* versus Monasterium *Kirchheim.*

Saulifelt in Pago Retiensi. In Annal. Fuldens. ad annum 876. est Pagus SUALAFELD prope *Solenhofen* ad fluvium *Almonam*, de quo infra sub voc. *Sualafeldon.*

Sneiten juxta fluvium *Brenze* in Pago Rexiæ (Recie) in dict. Summar. c. 7. n. 49. p. 310. hodie SCHNAIDT ad fluvium *Brentzam* prope *Heydenheimium*, atque alias in Pago *Brenzgevve* collocatur.

Tinninga super fluvium *Agira in Pago Rezi.* In diplom. Pipini Francorum Regis Monasterio Fuldensi anno 762. concesso apud D. Schannat. Corp. Tradit. Fuldens. n. 19. p. 10. hodie DEININGEN inter Nordlingen & Wembdingen.

Uzmaningen in Pago Retiæ. In dicto Summar. cap. 7. n. 22. pag. 309. hodie UZMEMMINGEN ad fluvium Agiram supra Nordlingen.

Weindinga, *Wenidinga* in Pago Retiensi. In cit. diplomate Arnolfi Imp. apud Hund. ll. cc. hodie WEMBDINGEN haud procul ab urbe Nordlinga, Bavaricæ ditionis.

Circa nomen Pagi Retiensis (quod etiam *Retia*, *Rætia* & *Rezi* pro varia Notariorum Monasticorum dialecto scribitur) hic adhuc notandum est, illud non

non a RHETIA TRANSDANUBIANA, uti quidem Glareanus ad Tacit. de mor. Germ. apud Schardium Tom. I. pag. 193. sensit, dum ait: *Hassisse nomen Rhætiæ in extrema ora juxta Nordlingen, quæ vocatur das Ries.* quem Zeillerus Topogr. Suev. voc. *Popfingen* p. 63. aliique secuti sunt, sed (quæ D. Alb Menonis Verpoortenii in Programmate de Saalfeldiæ initiis §. I. doctissima conjectura est) a fluvio *Rezat*, vulgo *die Schwabische Rezat*, a quo Pagus iste initium sumit, originem accepisse, cum plerique Germanorum Pagi rivis vel fluviis denominationes suas debeant, Rhetiæ vero transdanubianæ ratio nullo antiquitatis vel scriptoris idonei indicio hic valeat applicari. De cætero rem benevolo Lectori haud ingratam nos facturos existimamus, si in gratiam Geographiæ medii ævi cum novissima conferendæ extra oleam paulisper vagaremur, & pro hodierna Rhetia specialius dignoscenda, ex Historia Oettingana nondum edita Joannis Melch. Winkleisenii Junioris, idiomate patrio sub titulo *Oettingischer Palm- und Lorbeer-Crantz* conscripta, accuratiorem harum Regionum delineationem, latine tamen, pro plurium intelligentia redditam, exhiberemus.

RHETIA (DAS RIESS) inquit Auctor lib. I. c. 1. prope Bopfingen tractum terræ *das Hartfeld* vel *Hertfelt*, prope Dekingen tractum *der Hanenkamp*, prope Wemdingen tractum *das Schvvanfeld*, prope Hohentruhendingen tractum der *Viragrund* dictos, conterminos habet. IN RHETICA reperiuntur *Urbes:* Nordlinga, Bopfinga, Wemdinga, Oettinga, arx & oppidum Wallerstein. *Arces seu Castella:* Hochholdingen, Hirnheim, Uzvving, Allerheim, Lierheim, Altheim. *Monasteria:* Mönchdökingen, Zimmern, Maying (alii Mauching) Kircheim. *Oppida, Villæ & Curtes:* Anhausen, Allerheim, Altenburg, Ammerdingen, Apezhofen, Arlesberg, Aufhausen ad fluviolum Kessel, Aufkirchen, Auenheim, Ayterberg, Baldern, Baldingen, Balgheim, Belzheim, Benzenzimmer, Berckheim, Beyren, Bissingen, Unter-Bissingen, Bolsingen, Bolstatt, Brachstatt, Bühlingen, Burckhausen, Bühl, Burck, Buckenhofen, Buch, Dalheim, Deiningen, Deckingen, Dehlingen, Durrenzimmern, Dürgenheim, Diemantstein, Dorfen, Dorfmaking, Desing, Dunselking, Dürvvang, Dornstatt, Ebermergen, Ebnet, Eck, Ederheim, Ehringen, Ehingen, Elchingen, Ensslingen, Enkingen, Erdlingen, Erlbach, Eglingen, Fessenheim, Firnheim, Floinberg Castrum, Forcheim, Frickingen, Frembding, Franckenhovven, Gaishart, Geislingen, Göllingen, Goldburg sive Krauthausen, Grosselfingen, Gros-Sorheim, Gnozheim, Gera, Harburg, Hochholtingen, Hausen, Heuberg, Hörlingen, Heinsfurt, Heroldingen, Herkheim, Hertfeldhausen, Hirnheim, Hirschbronn, Hohenloh, Hopping, Hohen-Altheim, Hohenstein, Holzkirchen, Hühlen, Jaxtheim, Jegehausen, Itzlingen, Kapfenburg, Katzenstein, Castrum Katzenstein prope Hopping, Kessel-Ostheim, Kerking, Klein-Sorheim, Kessing, Kirchheim Monasterium, Kucheim, major & minor Kallerthofen, Lauchen, Leiningen, Liersheim, Lipbach, Lobsingen, Marck-Offingen, Mauren, Maying Monast. Magerbein, Megensheim, Mertingen, Minder Altheim, Minder-Offing, Modingen, Morenhofen, Mötingen, Mummingen, Munzing, Mutnavv, Næher-Memmingen, Neresheim Monast. Niederhaus, Nordhausen, Neitingen, Nordstætten, Niederhoffen, Oberdorf, Ober-Sneitheim, Ober-Wilfling, Ober-Riffingen, Ominenheim, Operzhofen, Osterholz, Oestheim, Oettinga Civitas, Ober- & Unter-Wurnbach, Oberstbach, Ober-Mayersheim, Pfefflingen, Pflaumbach, Pettendorf, Pflaumfeld, Ober- & Nieder-Reimlingen, Rippach, Ringingen, Ober- &

Nieder Romheim, Roden, Munchrod Monast. Rötingen, Rudelstætten, Rülingstetten, Schvveindorf, Schopfloch, Schrattenhoven, Schafhausen, Schmehingen, Sechtachhausen, Seglach, Spielberg Arx, Speckbrod sive Mutnau, Stilenau, Stillnau juxta Bissingen, Stetten, Steinhart, Schleevveid, Schvversheim, Schretthaim, Unter Wilflingen, Ufaltervvang; Utzmemmingen, Ultzvving, Unter Riffling, Wallerstein Arx, Waldhausen, Walcksheim, Weching, Wengenhausen, Weiler-Mercking, Windsfeld, Zoltingen, Zimmern Monast. Zisvvingen, Zipplingen, Zöbingen. *Fluvii præcipui* sunt: Agira (germanice die Eger) Werniza (die Wernitz) & demum die Sechbach. *Rivi præcipui:* Maucha (die Mauch) prope Pfeslingen, Mötingerbach, Röhrenbach, Goldbach prope Christgarten, Faulenbach, (qui haud procul a Lierheim ab Agira absorbetur) Enkingerbach, Sorheimerbach, Smehingerbach, Erbach prope Schafhausen, Reitbach prope Rudelstætten, Schvvabach, Röhrbach, Ammerbach, Ehringerbach, Grosselfinger-Altbach.

Tractus, qui DAS HARTFELD apellatur, teste Münstero l. c. lib. 5. cap. 246. in longitudine milliaria Germanica quinque, nempe ab *Hohen-Aselfingen* usque ad oppidum *Harburg*, in latitudine autem tria continet. In eo reperiuntur Celeberrimum Ordinis S. Benedicti Monasterium *Neresheim*, *Castella Kochenburg*, *Kapfenburg*, *Achelfingen*, *Schenckenstein*, *Kazenstein*, *Flochberg*, *Diemanstein*, *Reutenstein*, *Trugenhofen* prope Tischingen & *Harburgum*. Situm etiam in eo est Monasterium *Christgarten*.

Tractus, DER HANNENKAMP dictus, confines habet: Retiam, Danubium versus oppidum *Rain*, & tractum *das Härtfeld* prope oppidum *Harburg*. Initium sumit a Monasterio *Kaysheim* (haud procul a Schvvabischvverd) & Villa *Buchdorf*, & transversim prope loca *Monheim*, *Steinheim* & *Trubendingen* transeundo, usque ad Villas *Fünfstett* & *Walferstett* extenditur. Reperiuntur in eo Monasteria *Kaisheim* & *Heidenheimium*. Urbes: *Monhaim*, Arx & Urbs *Pappenheim*. Oppida: *Langen-Altheim*, *Sammenheim*, *Dübenheim*, *Megerheim*, *Hechlingen* & alia complura.

Hucusque Wildeisenius, cui satis fuit, loca ditionis Oettingensis, cæteris omissis, recensere, quod hic notandum, ac proinde locis *Pagi Retiensis* præter ea, quæ jam supra allegavimus, adhuc addenda sunt: *Holzkiricha in Alamannia inter Suolenhus* (sive *Solenhof*) & *Hassaroth*, & *Truhtimintinga* (sive *Wasser-Trudingen*) prout eum describit Rudolfus Monachus l. c. cap. 4. n. 20. & 22. p. 516. quem P. Henschenius l. c. de Holziricha in Pago Walsaze erronee explicat, cum sit locus *Holzkirchen* in Pago Retiensi paulo infra Oettingam ad fluvium Wernizam situs. *Truhtimintinga* sive *Trutbinga* Villa apud Rudolf. Monach. l. c. & in vita S. Walburgæ lib. 4. cap. 1. p. 539. hodie *Wasser-Trudingen*, prout de eo recte judicant Stevartius, Henschenius & alii.

XLI. Rhingovve.

Pagus Ducatus Alemanniæ in Rhetia Curiensi, haud procul a fontibus Rheni, qui etiam DER RHEINWALD appellatur. Sita in eodem sunt loca: *Sexannis* (hodie SCHANS) & *Speluca* vel SPLUGEN. vid. Guilliman. de Reb.

Reb. Helvet. lib. 4. cap. 2. n. 20. p. 189. edit. noviss. & Tschud. in descriptione Rhætiæ cap. 10. & 25.

XLII. Rhingovv, Ringovve.

Alius adhuc Pagus Ducatus Alemanniæ *in Rhetia Curiensi*, ad Rhenum pariter, ac ejus influxum in Lacum Bodamicum, qui etiam das RHEINTHAL nuncupatur, qui ad sinistram Rheni a Villa Appenzellensi *Schwarzenecka*, quæ fines Turgoviæ terminat, ad dextram vero ab oppido & Castello *Amiso* (EMBS) usque ad Lacum Bodamicum extendebatur, testib. Münster. Cosmograph. lib. 3. pag. 763. & Guilliman. de Reb. Helvet. l. 4. c. 2. p. 187. In eodem nominantur Castrum *Herburg* a Burcardo de Cas. S. Galli cap. 7. p. 68. & Goldast. T. I. Rer. Alem. p. 131. Castrum *Amisum*, hodie EMBS vel *Hoben-Ems* ad Rhenum, Curtis Regia *Lustinava*, hodie LUSTENAU, *Montigelli*, hodie MONTIGTEN ad sinistram Rheni, WEIDENAU, ZWINGENSTEIN & alia.

XLIII. Rode.

Pagus apud Freher. Origin. Palat. Part. I. p. 61. & Paullini, sed sine explicatione adducitur, Traditiones vero Laurishamenses Pagum hunc *Rode*, & in eodem Villam MUFFENHEIM recensent, ut idcirco Pagus Alemanniæ fuisse videatur.

XLIV. Schussengevv.

Pagus Ducatus Sueviæ seu Alemanniæ ad fluvium *Schusam*, *Stuzinam*, vel melius *Scutzinam*, prout a Monacho Weingartensi in Historia de Guelphis apud Leibnit. Tom. I. Rer. Brunsvvicens. p. 782. & in emendat. Tom. III. p. 657. ubi celebre Monasterium SCHUSENRIED, *Schusinret*, *Soreth*, Ordinis Præmonstratens. ad finem Sæculi XII. sub Friderico I. Imp. fundatum fuit. vid. Histor. Nachricht von der Abbtey Schusenried apud Lunig. Spicileg. Eccles. contin. T. III. pag. 529. & seq. Memoratur Pagus hic SCHUSSENGEVV in charta confirmationis Henrici Ducis Bavariæ & Saxon. anno 1152. Monasterio Augiensi minori, sive Alba, vulgo Weissenau, concessa, ubi præter Cœnobium S. Petri in Auue sive Auga sequentes Villæ in hoc Pago recensentur: *Herewigesruti* (hodie *Rahlenhof*) *Ribinisberc*, *Hunoldesberc*, *Hevinchoven*, *Baphendorf*, *Berloch*, *Ruti*, *Ecke*, *Ebewillere*, *Bacewillare*, quemadmodum etiam prope Schusenriet locus *Renesweiler*, item *Eberweiler* inter *Pfringen* & *Baindt* & *Pappendorf* ex adverso Urbis Imperialis *Ravenspurgi* reperiuntur. Ex quibus sequitur, quod hic Pagus a Schussenried usque Weissenaviam ad dextram fluvii Scutzinæ (a fontibus ejus versus Lacum Bodamicum computando) fuerit extensus, a sinistris enim dicti fluvioli major Pagus *Albegevve* incepit. Vid. ipsum diploma apud Lunig. l. c. Tom. III. pag. 746.

XLV. Sulichgevve.

Pagus Ducatus Alemanniæ prope *Sulegon*, *Sulegovv*, SULGEN vel SAULGEN, ad fluvium *Schvvarzahan* prope Urbem BUCHAVIAM ad La-

cum Plumarium, vulgo FEDERSEE, antiquus olim Comitatus, ex quo S. Meginradus Augiæ Monachus oriundus fuit, quemadmodum hujus, uti & Pagi *Sulichgevve* notitiam præbet Berno Augiensis in Vita S. Meginradi Cap. I. ibi: *Prædictus Vir in Alemannia natus est in Pago, quem ex villa Sulichgevve vocavit antiquitas.* In Actis SS. T. II. Januar. p. 382. confer. D. Hahnii Histor. Imp. Part. I. p. 24. Crusius quidem in Annal. Suev. p. 15. cum Lazio Comitibus de *Sulgovv* Urbes quoque SIGMARINGEN & PFULLENDORF attribuit, cujus autem asserti probatio hucusque incassum fuit expectata.

XLVI. Trachgouue, Drachgouue, Dragoue, Drageuua, Drageba.

Pagum hunc Ducatus Alemanniæ, qui in memoratis Traditionibus Laurishaimensibus adducitur, Freherus l. c. p. 62. erronee interpretatur pro Pago *Trechira* vel *Trichoria*, quem Paullinus & alii, ac novissime D. Struvius in not. ad Reginonem p. 17. edit. noviss. secuti sunt; Verum jam ante nos animadvertit Bollandus in notis ad Vitam S. Walburgis lib. 2. c. 1. in Actis SS. Mens. Febr. Tom. III. p. 530. Pagum istum in Diœcesi Constantiensi situm, consequenter in Alemannia quærendum esse, cum ex dicta Vita S. Walburgis, in qua Pagi *Dragevva* fit mentio, appareat, eum haud procul a Monasterio *Heidenheim* dissitum fuisse. In hoc autem Pago *Trachgouue* vel *Drachgouue*, prout ibidem scribitur, in Tradit. Laurisham. sequentes Villæ recensentur: *Manalfinga*, *Munioluinga*, *Vubinga*.

XLVII. Turegiensis, Turicgovve, Zurichgovve, Zurichgauge, Tigurinus, Durgaugensis, Zurichgaugensis.

Magnus in Ducatu Alemanniæ, & principalis olim Helvetiorum Pagus, inter Lacum Bodamicum (eodem tamen comprehenso) fluvios *Rhenum*, *Arolam*, *Lindemagum* vel *Lemannum* (die *Limmat*) *Rusam* vel *Ursam* ejusque fontes, *Alpes Tavetsch* & *Sargans*, cujus specialiores limites describunt Guillimann. de Reb. Helvet. Lib. I. c. 2. n. 6. p. 5. & Cruſ. Annal. Suev. Part. II. p. 378. sub quo etiam diversi alii Pagi e. g. *Suitensis*, *Glarona*, *Uronia*, *Turgovve*, *Arbona*, *Biscopesbori*, & consequenter hodierni Cantones ZURICH, ZUG, URI, SCHWEITZ, GLARIS, APPENZELL, TOGGENBURG & TOURGOVV fuerant comprehensi. In medio ævo *Turegiensis*, *Durgaugensis* & *Turgaugensis* nominatur, & propterea a multis cum Pago *Turgovv*, qui pariter *Durgaugensis* scribitur, confunditur, ac pro uno eodemque reputatur, cum tamen hi duo Pagi in chartis expresse distinguantur, quemadmodum Vadian. lib. II. de Colleg. apud Goldast. T. III. Rer. Alemann. p. 62. bene ex Charta quadam, in qua *Zurichgovve* & *Durichgovve* expresse separantur, animadvertit, additque; *Sæpe Chartæ antiquæ Pagum Turegi a Pago Durgavorum separant, interim uno utrumque nomine complexi, quem Tigurinum olim fuisse minime vana conjectura est.* Cui plures Chartæ adjungi possunt apud Goldast. T. II. Rer. Alem. n. 37. p. 36. in quibus sequentia leguntur: *In Pago Durgauginse, sed in sito Zurichgauue.* & n. 46. p. 40. *in Pago Durginse, in sito Zurichgauu.* Denique n. 58. p. 44. *in Pago Durgauginse, sito, qui dicitur*

Zurich-

Zurichgauu &c. add. Paullini h. l. p. 223. Præcipua loca hujus Pagi Turegiensis seu Durgaugensis & Zurichgauuiæ enumerat Guilimannus l. c. quibus nos quædam adjungimus.

Arbona, olim *Arbor felix*, hodie ARBON, ad Lacum Bodamicum, habet peculiarem suum Pagum, *Arbona* dictum, ac ratione Pagi Turgouue ad Pagum Turegiensem spectabat.

Chama in Pago Turgaugensi. In diplom. Ludovici Germ. de an. 858. apud Guilliman. l. c. p. 5. hodie CAMM prope *Zug*.

Constantia, hodie COSTANZ vel COSTNIZ. Urbs ampla ac nobilis, sedeque Episcopali magis autem Concilio anno 1415. ibidem celebrato clara, alias in Pago *Biscopesbori*, & *Turgovve* reperitur.

KAISERSTUOL olim *Forum Tiberii*, Solium seu Tribunal Cæsaris ad Rhenum. Guillim. l. c. p. 5. & 16.

Pichilinchova in Pago Zurichuaense. in Charta Alem. 72. apud Goldast, Tom. 2. pag. 49.

Rapprechtesvvilare, hodie RAPPERSWEIL ad Lacum Tigurinum, Urbs & satis munitum Castrum, nominatur etiam *Ruperti Villa*.

TUREGIUM, *Turegum*, *Tigurum*, *Castrum Thuricinum*, *Fiscus*, *& Villa Regia*, *ad Lacum Turicinum* (*Zürchersee*) unde *Lemannus fluvius* (prout eundem Otto Frisingensis & Guntherus in Ligurino appellant, alias vero *Lindemagus*, hodie *die Limnat*) *effluit*, *in Ducatu Alemannico*, *in Pago Durgaugensi*. In Diplom. Ludovici Germ. apud Guilliman. l. c. peg. 153. hodie ZURCH, de quo prolixe Guillim. l. c. lib. 3. c. 5. p. 150. & 155.

Urania pagellus, *Uronia*. In dict. diplom. Ludov. Germ. apud Guillim. l. c. p. 153. hodie URI, Catholicus ac in recentiori Cantonum (uti vocantur) Helvetiorum Republica in ordine quartus.

ZURZACH, olim *Dura aquæ*, item *Zurcacum*, & *Certiacum*, hodie oppidum cum Arce antiqua ad Rhenum. Guillim. l. c. p. 17.

Diximus supra Pagum *Turegiensem* cum Pago *Turgouue*, si proprie loqui velimus, non esse confundendum, licet uterque sub nomine *Durgaugensis* sæpius occurrat, itaque annotationes quasdam, evitandæ hujusmodi confusioni proficuas hic annectendas, singulariterque monendum duximus: Pagum *Zurichgovv* sive *Turegiensem* a Pago *Turgovv* dividi per juga montis *Alman*, sive *Aleman*, qui inter fluviolos *Tossam* & *Glattam*, interque Castella *Griffenberg* & *Kyburg* usque ad *Eglisovv* ad Rhenum, mutatis licet varie nominibus sese protendit, ita, ut quot fluvioli versus orientem, inde in Tossam defluunt, ad Pagum Turgovv, quotquot vero versus Occidentem in fluvium Glattam exonerantur, cum Valle & Lacubus *Pfeffinkersee* & *Griffensee*, ad Pagum Zurichgovv spectent, quos cum fluvio *Ursa* versus Occidentem Pagi Zurichgovv fines pariter metitur Stumpf. Chron. Helvet. lib. 6. cap. 1. & 2. pag. 399. Edit. Tigur. 1588. Villæ autem, quæ præ reliquis attentionem merentur, sunt sequentes:

Villa centiprata, *Kentibruto*. In charta Alem. 55. apud Goldaſt. hodie KEMPRATEN ad Lacum Turegienſem prope *Raperswiel*, uti clare Rudolfus Monachus innuit in vita Rhabani Mauri cap. 2. T. I. Actor. SS. Febr. p. 513. ubi ait: *Tranſcenſis Alpium jugis cum ad plana veniſſet, in finibus Alemannorum & Italiæ, venit ad Villam Kentibruto, in Pago Turichgauue, ad fluvium Turiſeo*. Ut adeo humani quid paſſus ſit Doctiſſimus alias P. Henſchenius S. J. dum fluvium *Turiſeo* pro fluvio *Turo* accipit.

ESKINHOUUA, *ad Curtem Lintauua pertinens, in Zurichgovve*. In Charta Alem. 19. p. 31. apud Goldaſtum. Locum hunc, licet diſſidentibus poſt Vadianum omnibus, qui illum communiter pro Villa *Eſchenau* ad Lacum Bodamicum juxta Lindaviam ad Pagum *Alpicauge* ſive *Algoiam* (& non ad Pagum *Linzgovve*, uti Wegelinus de Prærogativa Civit. Lindav. Sect. 2. §. 11. p. 88. erronee exiſtimat) ſpectante accipiunt, nos pro Vico ESCHIKEN, quod nomen ESCHKINHOVA contractum eſt, inter Caſtrum *Kyburg* & Urbem *Zürich* ſito ſumendum eſſe arbitramur.

KYBURG, Caſtrum. Rectius refertur ad Pagum Turgovve, quam ad Pagum Zurichgovve, quia trans montem *Aleman* verſus fluvium Toſſam ſitum eſt.

LINTOVVA. *Curtis, ad quam locus Eskinhoua pertinere dicitur* apud Goldaſt. in d. charta 19. p. 31. Curtem iſtam nos pro Vico *Lindau* prope *Eſchikon*, haud procul a fluvio *Glatta*, inter Zürich & Kyburg ſito accipimus, cum nobis nullatenus veroſimile videatur, Pagum Zurichgovve ultra Lacum Bodamicum in ripam Pagi *Algovve* ultra Rhenum terminos ſuos dilataſſe, quamvis nullum habeamus, qui huic noſtræ conjecturæ Ducem agerent, omnibus Civitatem Lindavienſem, quaſi primum ſuppoſitum hic ſubſternentibus, contra quos novitatis ſpeciem forte non male tuebuntur rationes non ſpernendæ.

RHINAU, *Augia Rheni*. Cœnobium *Rheinau* ad Rhenum, pertinet ad ſpecialem Pagum *Turgovve*, ad quem Villa VITODURUM, WINTERTURA, *Winterturum*, hodie *Ober-Winterthur* pariter ſpectat.

USTRA, in Zurichgovve. In Charta Alemann. 46. ad Pagum Zurichgovve pertinet, vocaturque hodie *Ober- & Nider Uſter*.

Hunichinvvilare, in Charta Alem. 37. p. 36. nunc HUNVVYL vel HUNVVEIL, oppidum prope *Wezikon* & *Gruningen*.

Vagineswilare, in Charta Alem. 18. p. 31. accipi poteſt pro Villa WAZVVYL, haud procul ab Urbe *Tiguro* ad Lacum Tigurinum, vel etiam pro *Wadenſchwyl* ad ſiniſtram ripam Lacus Tigurini.

Veblebach. In Charta Alem. mox dicta, hodie VELDBACH, ad Lacum Tigurinum prope *Kempraten*.

XLVIII. Viorotun, Viotorum, Teorode.

Hunc Alemanniæ Pagum ex Codice Lauriſheimenſi refert Freherus Part. I. Origin. Palat. c. 5. p. 62. in quo cum memoretur Villa *Diezinheim*, nos pro Pagi hujus ſitu illum terræ tractum circa Urbem STUTGARDIAM, verſus

versus *Deuckendorf* & *Grözingen* in Ducatu Würtenbergico probabiliter accipimus, qui alias *Vildorn*, *Filder*, *im Fildern* (quod Crusius a multitudine spinarum & agrorum derivat) nominatur, & in quo minor fluvius *Kersch* ortum capit, ac loca *Plieningen*, *Bernhusen*, *Eckterdingen*, *Boulanden*, *Blatenhart*, *Rhor am Boblinger Wald*, *Kaltenthal*, *Vajingen in Fildern*, *Meringen*, *Ittingshausen*, vel *Titingshausen* &c. sita sunt, teste Crus. Annal. Suev. P. III. p. 91. & seq. Nomen suum a Lacu *Feuersee* prope Kaltenthal fortassis traxit, quemadmodum etiam prope Urbem *Stutgardiam*, ad amnem Molinarem, vulgo *Mühlbach*, Vicus nomine *Feurbach* etiamnum reperitur, quod ad nomen *Viorotum* propius accedere videtur; ex quo sequeretur, Pagum hunc, qui in alia Charta Laurishamensi *Feorodermarca* in Pago Alemannorum appellatur, partem majoris Pagi *Neckergovve* confecisse.

XLIX. Virgunda.

Pagus in Ducatu Alemannorum ad fluvium *Jachustam* (*die Jaxt*) in finibus Francorum, qui a Sylva *Virgunda* nomen traxerat, & ab Urbe DUNCKELSPUHLA (olim *Dinchinspuole*) & Castro *Baldern* a fontibus *Jachustæ* usque ad Castrum *Danneburg* prope Obersundheim & Silvam Hostensem porrigebatur, prout Pagum hunc, sub nomine VIRNGRUND etiamnum notum, describunt Münsterus Cosmogr. l. 5. p. 991. & Crusius Annal. Suev. Part. I. Lib. XI. p. 305. & in Paralipomenis pag. 3. in quo loca *Dunckelspuhl*, *Elwangen*, *Hornberg*, *Kirchberg*, *Kreilsheim*, *Jaxtberg*, *Langenburg*, *Münchrot* Cœnobium, *Schœnthal* Cœnobium, *Berlichingen* &c. referunt, inter quæ eminet:

Elehewangis Abbatia, *intra Waldum*, *cujus vocabulum est Virgunda*. In Diplomate Ludovici Pii de anno I. Imperii, i. e. anno 814. apud Lunig. Spicileg. Eccles. Contin. Tom. III. p. 115. hodie ELWANGEN Præpositura, Principis Imperii titulo insignis, ac oppidum cum arce ad fluvium *Jachustam im Virngrund*, de qua sylva Virgunda notari merentur sequentia: *Virgunda Silva ad Elvacense Cœnobium pertinens*, *cujus pars Francorum Legibus subjacet*, *& in Pagis Mulecgovve*, *& Cochengevve in Comitatibus Henrici Comitis*, *& alterius Henrici Comitis &c.* quæ habentur in Diplom. Henrici II. Imp. de anno 1024. & Friderici I. Imp. de anno 1152. apud Lunig. l. c. p. 120. & 121.

L. Uronia, Urania, Ure, Uren.

Pagus & Vallis Ducatus *Alemanniæ* seu *Pagellus*, prout nominatur in Diplomate Ludovici Germanorum Regis sub Pago majori *Durgaugensi* vel *Turegiensi* comprehensus, in Helvetia, hodie Canton URI inter montem *Marca*, *Crispalten* & *S. Gothardi* & fluvium *Ursam* seu *Rusam*, ibidem scaturientem, ac inter Pagos *Silvaniam*, *Rhetiam Curiensem*, & *Suitiam* situs. Commemorantur in eodem *Burgilla* & *Silana* in Valle Urania. In diplomate Ludovici Germaniæ Regis circa annum 857. apud Guillim. de Reb. Helvet. Lib. III. c. 1. n. 11. p. 140. hodie BURGELEN prope oppidum *Altorf* & *Sillenen* ibidem adjacens.

LI. Wal-

LI. Walgovv.

Pagus in Ducatu Alemanniæ in Comitatu Rhetiæ Curiensis, & superior pars *Vallis Drusianæ*, cujus pars inferior, ut supra dictum est, das *Nabelgovv* appellatur. Situs fuerat ad fluvium *Illum* vel *Illam*, inter *Arlemburg* & Rhæticum montem, qui eundem a *Prettigovv* separat; complectebatur olim hodiernos Comitatus SONNENBERG, & PLUDENTZ cum ambabus Vallibus *Closterthal* & *Montafunerthal*, qui olim ad Comites Werdenbergenses & Montfortenses spectarunt, hodie vero Tyrolensi Comitatui incorporati ad Augustissimam Domum Austriacam transierunt. Vid. Guillim. de Reb. Helvet. Lib. 4. c. 2. n. 16. p. 188. & n. 28. p. 192. Munster. Cosmogr. L. 3. p. 758. 761. & 762.

LII. Waltgovve.

Pagus in Ducatu Alemannorum, cujus mentionem faciunt Traditiones Laurishamenses, ibi: *In Comitatu Geroldi Comitis in Villa Gladeheim & in Tönnigestat*, quæ in hodiernis duabus Villis GLATTA ad fluuium *Glatt* & DORNSTADT ad eundem fluvium in territorio Würtenbergico, & sylva Hercinia sive Nigra remanserunt. Fuit alias comprehensus sub Pago *Naglagovve*, prout hæ binæ Villæ, in Pago *Naglagoe* pariter occurrentes demonstrant: nomen verosimiliter traxit a fluviolo *Waldach*, qui prope Vicum NAGOLD in fluvium *Nagaltam* (*Nagold*) influit, & ad quem Villæ Superior & Inferior *Waldach* prope Dornstadt sitæ sunt. Plura videri possunt supra in Pago *Naglagovv*. N. XXXV.

LIII. Westergovve.

Alius Pagus Ducatus Alemanniæ, in Pago *Alemanniæ*, prout in Traditionibus Lauresheimensibus appellatur, quæ in eodem recensent Villas:

CORGOZSINGA *in Westergovve in Pago Alemannia, & in Rostorfermarca, in Pago Alemannia, & in Tornegastetermarca.* Cum autem Villa *Tornigavastete* in Pago Alemannorum, & in *Bertoldisbaren*, etiam in Pago *Naglagovve* legatur, Pagus iste sine dubio tanquam pars Pagi Naglagovve eo locandus erit. Freherus quidem P. I. Orig. Palat. cap. 5. p. 61. ad nomen hujus Pagi *Westergovve* addit: *in quo silva Westerwald;* sed fallitur, partim quia silva Westervvald, quæ inter fluvios Rhenum, Sigenam vel Segam (die Sieg) & Lahanam in Trevirensi & Nassoviensi territoriis existit, ad hunc Alemannorum Pagum minime quadrat, partim quia in Ducatu Wurtenbergico, quantum nobis constat, & ex optimis Chartis Topographicis hujus Regionis colligi potest, nulla silva sub nomine *Westerwald* reperitur.

LIV. Zabarnachgovve, Zabernachgovve.

Pagus in Ducatu Alemanniæ ad fluviolum *Zaberam*, unde nomen traxit, qui prope *Zaberfeld* scaturiens, prope urbem ac arcem *Lauffen*, in Ducatu Wurten-

Wurtenbergico, flumini Nicro commiſcetur, Pagos *Creichgovv* & *Gardachgovv* confines habuit, hodieque adhuc das ZABERGEVV appellatur, teſte Cruſ. Annal. Suev. P. II. p. 361. & Paralipom. p. 38. In Traditionibus Lauresh. ſequentia loca & villæ ex eodem recenſentur, quorum tamen majorem dilucidationem expectamus in Hilleri deſcriptione Regionis Zabergovv, cujus meminit Hauber. in Nachricht von Land - Charten des Schvvabiſchen Creyſes pag. 95.

Babenheim, forſan BODAMEN prope Braxenheim ad fluviolum Zaberam. *Beckingen*, *Becbingen*, hodie BECKINGEN ex adverſo urbis Heilbronnæ, nominatur etiam in Pago *Gardachgovve*. *Bunninbeim*, *Bunningbeim*, *Prunninchbeim*, hodie BINNIGHEIM, ſeu *Binnuken* ad dextram Zaberæ. *Cimbern* cum Medinbodesheim, hodie vel DURRENZIMMERN vel FRAUENZIMMERN prope Brackenheim verſus Guglingen, ubi poſtmodum Cœnobium Monialium anno 1238. fundatum fuit. *Inerninchbeim*, forſan *Orlingbeim prope Beſigbeim*. *Meginbodesbeim* cum Cimbern, præſumptive *Meimſen* prope Brackenheim, quæ pariter in Pago Zabergovv ſita fuit. *Meginbeim*, *Maginbeim*, *Magenbeim*, hodie MONHEIM prope Frauenzimmern. add. Cruſ. Annal. Suev. P. II. pag. 361. *Runingenburc* cum *Bunninchbeim*.

DISSERTATIO IV.

DE
DUCATU SUEVIÆ CUM DUCATU ALSATIÆ UNITO.

ALſatiam olim Alemanniæ conjunctam, eosdemque utriusque aliquando Duces fuiſſe, vere ab iis explorateque traditum eſt, qui alterutrius gentis ANNALES & CHRONICA contexuerunt; extantque ejus rei etiamnum infinita teſtimonia, partim in antiquis Hiſtoriæ monumentis, partim in ipſorum Ducum literis, partim & in aliis publicis privatisque variorum negotiorum inſtrumentis. quando vero primum, & a quo inſtituta ſit hæc conjunctio, id in tanta Scriptorum diverſitate certo ſtatui non poteſt: maxime cum apud Veteres nullum ejus rei liquidum indubitatumque indicium extet. JACOBUS TWINGERUS, quem *præcedenti Capite* REGIOVILLANUM a vulgo Kö-
Patria nuncupavimus, hac de re agens, poſtquam præfatus eſſet, *Alſatiam*, nigshoven.
extinctis Carolinis, *Germaniaque & Gallia a ſe invicem ſeparatis*, *cum cætera* Chron.
Germania Imperatoribus ſubditam, *eosque tum alios Ducatus inſtituiſſe*, *tum* Argent.
Alſatiæ atque Alemanniæ ſive Sueviæ communem Ducem præfeciſſe; ſetiem MSC. I. 4.

Ducum Sueviæ atque Alsatiæ orditur a BURKARDO: quem Ducem creatum ait A. DCCCCXX. calculo minus probo, ut postea dicemus. FRANCISCUS GUILLIMANNUS altius principium, & id quidem tempus in oculis habuit, quo Alsatia cum reliqua parte Regni Lotharingici Ludovico Germanico tributa,
lib. 2. c. 5. Germanico Imperio accessit. Scribit enim in HABSBURGIACIS: *Postremo variis, ut inter Franciæ Regios Liberos imperii regnique partibus, cum tributione, quam Ludovico Pio geniti Carolus, Lotharius, Ludovicus fecere, Carolus Franciam, Ludovicus Germaniam, Lotharius medius incedens, Austrasiam, Burgundiam, Elsatiamque & Imperii titulum obtinuisset, filii, quos reliquerat, Carolus Burgundiæ, Ludovicus Italiæ, Lotharius Austrasiæ Reges sine progenie mascula, aut legitima defecissent, Ludovico Germaniæ Regi, nepotum ex hæreditate Elsatiam sors dedit; Sed cui Mediomatrices, Sequani, alia jungerentur, cætera ad Galliæ Reges pertinerent. Ita Mediomatrices, Sequani, Belgæ,* & ELSATIA IN GERMANIÆ IMPERIUM *ex Gallia* LATA, DUCIQUE ALLEMANNIÆ, *Mediomatricibus exceptis, qui privos habuere, & Belgis, qui pluribus paruerunt,* ADMINISTRATA, *diversos inter Comites omnibus distri-*
Rer. Germanicar. lib. 2. *butis.* At si B. RHENANO attendas, ad ulteriora multo tempora gradus erit promovendus, & Ducatus Alemannici, Alsatiam quoque complexi origo, inde a victoria Clodovei Tulpiacensi repetenda. *Eo enim prælio,* scribit, *universam gloriam & libertatem Alemannorum cecidisse. neque victorem Clodoveum destitisse persequi victos, quam late patebat nomen Alemannicum, nec solum* GERMANIAM PRIMAM CUM ELCEBENSI TRACTU, *parteque Maximæ Sequanorum, sed etiam trajecto Rheno veterem Alemanniam & trans Danubium Rhetiam primam penetrasse: hincque servitutem non in reliquam saltem Alemanniam, sed in provincias etiam ab Alemannis occupatas, videlicet,* GERMANIAM PRIMAM *& Rauracos Helvetiosque illatam: totumque id regnum quod olim in*
Episcop. Argent. c. 3. Helv. l. 2. c. 10. lib. 3. c. 6. *complures reges divisum fuerat, versum esse in Ducatum.* Cum RHENANO multi sentiunt & videtur aliquando & GUILLIMANNUS istarum partium fuisse. Docet enim, *Alemannos Tolbiacensi prælio dejectos* GERMANIÆ *quoque* SUPERIORIS CISRHENANÆ *possessione: Totamque regionem, quæ ad Francos hac victoria devoluta est, partim fisco, partim belli Ducibus, & iis quorum operam præcipuam Clodovæus eo bello expertus fuerat, adsignatam: Omnibus, etiam non magnis ejus partibus, quo magis in officio continerentur, Comites datos; qui vero cunctis in universum præesset, Ducem nominatum, quan-*
Rer. Aug. l. 8. p. 173. Add. Wolffg. Lazium de Migrat. Gent. l. 3. pag. 44. Münst. Cosmogr. l. 3. c. 17. *doque Alemanniæ, quandoque Sueviæ.* Unde vero RHENANUS & GUILLIMANNUS (ut a remotioribus temporibus initium faciam) hauserint, Alemanniam hoc modo ordinatam a Clodoveo fuisse, deprehendere hactenus non potui. Multa quidem indicia sunt, uti MARCUS WELSERUS etiam asserit, & *supra* monui, Alemannos, qui cis Rhenum Argentoratensem tractum occupaverant, prœlio Tulpiacensi in Clodovei ditionem concessisse: & supererat unde exemplum Ducatus instituendi desumeret, non tantum memoria

VIRI SPECTABILIS DUCIS GERMANIÆ PRIMÆ

vid. Pancirollus p. 140. Varior. l. 7. c. 48. quem NOTITIA OCCIDENTIS refert; verum etiam tum superstes in vicina Retia DUCATUS RETIARUM. cujus *Formula* apud CASSIODORUM extat: quin & Alsatiam multiplici strage, quamque intulerant quamque acceperant Alemanni, vastam, in peculiaris provinciæ formam tum quidem compositam non esse, certum propemodum habeo: Reapse tamen a Clodoveo Ducatum fuisse institutum, nullus, quod sciam, Scriptorum paullo vetustiorum me-
Varior. l. 4. c. 49. moriæ prodidit. Apud CASSIODORUM quidem *Formula* legitur, qua *Universis Provincialibus* SUAVIA *consistentibus, Fridiladus* quidam, sive *Fridabantus Rector præficitur;* sed SUAVIA illa, si ullatenus ad Allemannos pertinet,

tinet, eos tantum respicit, qui *vel* Clodovei metu, Theodorico Ostrogotho se in Clientelam dederant, quorumque caussam scripta ad Clodoveum epistola egit THEODORICUS; & quos in fidem receptos sedibusque donatos luculento *Panegyrico* ENNODIO Ticinensis Episcopus Theodorico gratulatus est; *vel* a Theodorico subacti sunt, cum ditionem ejus latrociniis incursionibusque infestassent. GREGORIUS TURONENSIS de tota illa victoria nihil quod huc spectet, annotavit aliud, quam *Alamannos in fugam conversos, cum Regem suum cernerent interemtum Clodovei se ditionibus subdidisse, dicentes: Ne amplius, quæsumus, pereat populus; jam tui sumus, illumque prohibito bello, coarctatoque populo, cum pace regressum.* ANONYMUS *Theodorico II.* coævus: *Alamanni in fugam lapsi terga verterunt; cumque Regem suum vidissent interfectum, Clodovei potestati se subdunt, dicentes: Parce precamur, Domine Rex, ne pereant plures de populo, quia jam tui sumus. Tunc jussit Rex imminentem plagam cessare. Alamannos cepit:* IPSOS TERRAMQUE EORUM SUB JUGO TRIBUTARIOS CONSTITUIT. *FREDEGARIUS SCHOLASTICUS: Alamanni terga vertentes, in fugam lapsi sunt. Cumque Regem suum cernerent interemptum; VIIII. annis exules a sedibus eorum, nec ullam potuerunt gentem comperire, quæ eis contra Francos auxiliaret: tandem se in ditionem Clodoveo tradunt. RORICO, MONACHUS: Alamanni cum Regem suum cernerent interfectum, retroversi Clodoveo supplicant, ut tantam stragem cessare præciperet, sua omnia, seque dedentes. Qui cum imminentem plagam cessare fecisset, terras eorum nimia populatione vastavit, &* EOS SUB TRIBUTO CONSTITUIT. Præter hæc, ex antiquitatibus Francicis vix aliud quicquam eruas. Satius igitur fuerit, cum *HADRIANO VALESIO* a Clodovei posteris Alamanniæ Ducatum arcessere. Sub his enim jam & in LEGE ALAMANNIS data de *Duce* pluribus titulis valde notabiliter dispositum legitur; & in historia frequens DUCUM ALAMANNICORUM mentio occurrit; inde a Theodeberto Theoderici F. Clodovei N. Austrasiæ Rege: qui LEUTHARIUM & BUCELINUM fratres Alamannis popularibus Duces præposuit. quorum successores hic recensere supersedemus; quia non perinde constat, Alsatiam eorundem administrationi commissam fuisse. Supersunt quidem conjecturæ haud inanibus momentis nixæ, LEGES ALAMANNICAS jam tum in Alsatia viguisse; atque ad illarum formulam, PRIVILEGIA & IMMUNITATES Sacris locis concessa, accommodari videntur:

Sed primus DUCIS ALAMANNIÆ ET ALSATIÆ nomen tulisse legitur ATHELRICUS sive ADELRICUS, quem contracte ATHICUM plerique nuncupant. Ab hoc itaque, tanquam a certiore origine, veteres Alamanniæ & Alsatiæ Duces, qui sub Merovingis Francorum Regibus fuerunt, merito deducit *WOLFGANGUS LAZIUS.* Patrem ei LEUDESIUM Majordomum, ut *superiore Capite* innui, tribuit communis Scriptorum sententia, quam nec hic sollicitare animus est: licet non leves suspicandi causas habeam, Patre potius LEUTHERIO sive LEUTHARIO Alamannorum Duce natum esse, qui in aula Sigiberti II. floruit, annoque DCCXLII. interfecto Ottone, viam Grimoaldo patefecit, ut *in locum patris* Pipini (AIMOINO teste) *major domus in Austria Regno instituaretur.* Ducatui præfectum, non a Theodorico, ut est in *FRAGMENTO STEMMATOGRAPHICO veterum Alsatiæ atque Alemanniæ Ducum* apud BUCELINUM, sed a Childerico II. Theodorici Fratre, tradunt FRAGMENTUM URSTISIANUM, VITA S. ODILIÆ, CHRONICON EBERSHEIMENSE, a Theodorico tamen immunitatem Monasterio Ebersheimensi, a se fundato impetrasse, DIPLOMA docet; unde LAZIUS excerpta publicavit. Uxorem *Berebsindam, Beresvindam, Bruswin-*

de Migrat. Gent. l. 8. p. 391.

dam eadem monumenta nominant, & per eam in Childerici affinitatem pervenisse Athicum referunt. Sed VITA S. ODILIÆ *Sororem beatissimæ Sigrandæ matris ipsius Sanctissimi Leodegarii* facit hanc Berehsindam, errore aperto: rectius, CHRONICON EBERSHEIMENSE & URSTISIANUM FRAGMENTUM, *filiam sororis sancti Leodegarii, ac Reginæ Sororem* constituunt. Regina autem isthæc Childerici II. conjux, non EIMHILDIS fuit, uti CHIFLETIUS vocat, sed BILHILDIS, uti CHARTA & VITA S. AUDOENI nominat; secundum *FREDEGARIUM*, BILIHILDIS, juxta *VITAM S. PREJECTI*, BILECHILDA.

Habuit in Ducatu Successorem Filium, ADELBERTUM. qui duobus præcipue monasteriis conditis, memoriam nominis sui ad posteros propagavit. De altero, quod S. Stephano Argentorati consecravit, actum est *superius*: alterum in *HOHENOVIA*, tam amplis opibus instruxit, ut quibusdam peculiaris Episcopatus speciem præbuerit. Id e sede sua, qua conditum, I. infra Argentoratum milliari fuerat, Rhinoviam, denique Argentoratum, non ut *GUILLIMANNUS* scribit, ad S. Thomam, sed ad D. Petrum Seniorem translatum est.

Ex Adelberti prosapia unicum inter ALEMANNIÆ ET ALSATIÆ DUCES EBERHARDUM admittit *BLONDELLUS*. nec ego habeo, quo pro cæteris pugnem. Eberhardus autem Murbacensis Monasterii fundatione celebratur. de quo in *CHRONICO EBERSHEIMENSI* hæc annotata reperio: *Denique Dei inspiratione Eberhardus in fundo suo monasterium primo in honore S. Mauricii construxit: postea vero in honore S. Leodegarii a B. Pirminio Episcopo dedicari jussit, &* VIVARIUM PEREGRINORUM *seu* MURBACUM *nominavit*. Quod si verum est; vivo adhuc patre Adelberto, & quidem decem aut amplius annis ante S. Stephani monasterium, Murbacense conditum fuisse oportet: siquidem anno DCCXXVII. in Alsatiam venisse B. Pirminium docet *HERMANNUS CONTRACTUS*.

In hoc abrupta *DUCUM ALSATIÆ* prima series: cæteris qui de stirpe Athici supererant, intra Comitum dignationem subsistentibus, neque cogitando hactenus aut requirendo assequi potui, quem Alemanniæ Ducum in oculis habuerit *GUILLIMANNUS*, cum sub Carolinis Regibus ALSATIAM DUCI ALEMANNIÆ ADMINISTRATAM scriberet. Ego asserere non dubitaverim, bellis, quæ Pipinus & Carolus M. cum Alemanniæ Ducibus gesserunt, ab Alemanniæ Ducatu, qui & antea in plures Ducatus divisus fuerat, avulsam esse Alsatiam, & in peculiarem Ducatum formatam ordinatamque. Argumento mihi est, quod in divisione Regni quam inter Lotharium & Carolum Calvum
Annal. Bertinian. A. 839. Ludovicus Pius Anno DCCCXXXIX. instituit, Lothario DUCATUS HELISATIÆ, & DUCATUS ALAMANNIÆ, uterque seorsim traduntur: quodque Lotharius Junior Hugoni, naturali e Waldrada filio, DUCATUM HELI-
Annal. Bertinian. A. 868. ZATIUM Anno DCCCLXVIII. donavit. quem is tenuit usque ad Annum DCCCLXXXV. quo rebellis adversus Carolum Crassum, captus, oculisque orbatus, & in Monasterium S. Galli detrusus, atque inde ad Prumienses Monachos ductus est, ubi tempore Zundibolchi regis attonsum, ipse qui manu sua atton-
ad A. 884. dit, REGINO testatur. Ad hæc, Ducatum Sueviæ sive Alamanniæ, sub Carolingis intermortuum fuisse, satis evidenter demonstrat, quod de Conradi I.
de Casibus Monast. S. Galli, c. I. temporibus scribit ECKEHARDUS JUNIOR: *Nondum adhuc illo tempore Suevia in Ducatum erat redacta, sed fisco regio peculiariter parebat, sicut hodie & Francia. Procurabant ambas, Cameræ, quos sic vocabant, Nuncii.*

Quod

Quod satis momenti habere puto ut *REGIOVILLANUM* cæterosque tueatur, qui novam epocham *DUCUM SUEVIÆ* & *ALSATIÆ* a BURKARDO ordiuntur. De eo laudatus modo *EKKEHARDUS*: *Sueviæ Principum assensu statuitur Alemannis DUX PRIMUS* BURKHARDUS, *gentis illius nobilissimus, & virtutum dote probatissimus.* Tempus discas ex HERMANNO CONTRACTO, qui in A. DCCCCXVII. & Erchangeri atque Bertholdi supplicium, & Burchardi initia confert. unde emendandus *REGIOVILLANUS*, qui tribus annis serius ponit. Neminem vero morari debet, quod passim Erchangerus ALSATIÆ atque ALAMANNIÆ Ducatu potiti leguntur, quodque *HERMANNUS CONTRACTUS* Burkardum qui sub Ludovico IV. Alamanniam rexit, quique Anno DCCCCXI. in conventu a suis occisus scribitur, *ALEMANNIÆ DUCEM* nominat; eos enim perinde ut Warinum & Ruadhardum, quos *VADIANUS* Alamanniæ ducibus itidem accenset, CAMERÆ NUNCIOS fuisse, docuit GOLDASTUS. Cædem Burkardi in Annum DCCCCXXVII. confert *REGIOVILLANUS*: DCCCCXXV. *HEPIDANUS*: ex *HERMANNO CONTRACTO* substituendus DCCCCXXVI. quod & *SIGONIUS* fecit: qui narrationem de nece Burkardi e LUITPRANDO mutuatus est. Not. ad Ratperti Casus c. 2. de Regno Italiæ l. 6. p. 156.

Sequitur HERMANNUS I. Dux Alemanniæ creatus A. DCCCCXXVI. obiit DCCCCXLVIII.

Successorem nactus LUTOLFUM Ottonis I. Imp. Filius, cui Anno DCCCCLVII. mortuo,

Suffectus BURCARDUS II. Burcardi I. Filius, quem

A. DCCCCLXXIII. excepit OTTO Luitolfi F. in hujus locum subiit

A. DCCCCLXXXII. CONRADUS I. quo defuncto.

A. DCCCCXCVII. Ducatum accepit HERMANNUS II. de quo *HEPIDANNUS* in *Annalibus*: *A. MVIII. Otto Imperator Romæ sine herede defunctus est; cui successit Heinricus de Regio genere, Dux quoque Bajoariorum tertius eo nomine: cum quo & Heremannus* DUX ALAMANNIÆ ET ALSATIÆ *regnum forte dividere & parti aspirare temptabat: sed infecto negotio ultionem conatus in eos, qui in Strazpurch cum Rege senserant adversus se, irrupit Civitatem & in direptionem dedit, pessimo quoque exemplo sacra profanavit.* Plenius CHRONICON MSC. quo CRUSIUS usus est: *Celebratis diebus ordinationis suæ, Rex novus* (Henricus II.) *Rhenum e Moguncia transiit, & cum maxima multitudine bellatorum, per Orientalem Franciam, in Alemanniam irruit. Herimannus enim antea collecto Alemannorum & quorundam Francorum & Alsatiensium exercitu, apud Wormaciam impedire transitum Henrici, ne Moguntiæ declarari Rex posset, conatus fuerat. Sed Henricus, simulato in Bavariam reditu, quasi transitum desperaret, alio in loco Rhenum transierat, ac Moguntiam venerat. Coronam autem jam adeptus: de populatione terræ, Ducem Alemannum ab inceptis conabatur avertere. Is autem audito, suum agrum a Rege vastari: opidum Argentinam, caput Ducatus sui, cum Conrado Germano fratre suo, copiis petit: quod ejus civitatis Episcopus Vuicelinus (al. Aldovicus vel Alewicus) cum Henrico contra ipsum sentiret. Conscendens itaque muros, in Civitatem decurrens, nihil reliquit victis. Alemannorum enim turba, ad prædandum promptissima, inscio Duce majorem etiam Ecclesiam illam S. Genitricis Dei Mariæ augustam, intrepide ingressa, omnem ejus thesaurum diripuit. &, quod pejus erat, igne Domum Domini consumpsit. Tunc Antistitis militibus,* ad A. 1008. rescribe ex Hermanno Contract. M. III. Annal. Suevicor. part. II. l. 6. cap. 1.

Reinwardo auctore, viriliter repugnantibus, maxima caterva hostium propriis hastilibus confossa corruit. quod Hermannus inconsolabili questus mœrore discessit: & quia major civium numerus restiterat, inultum reliquit. quæ propterea adscripsi, ut cum DITMARI narratione, unde descripta sunt, comparentur, lucemque illi, & alicubi forsean emendatioris quoque lectionis indicium mutuentur.

l. 5. p. 54. edit. Reinec.

A. MIV. in locum patris defuncti Dux constitutus HERMANNUS III. puer, qui vixit ad

A. MXII. quo successorem nactus est ERNESTUM I. qui in venatione ab Adelberone Comite, feram appetente, sagitta vulneratus interiit

A. MXV. quo Filius ejus ERNESTUS II. ducatum accepit. Sed is Conrado II. Imp. vitrico A. MXXV. rebellis, A. MXXVII. in exilium ejectus; ac mox A. MXXX. restitutus, iterumque rebellis interfectus est XVI. Cal. Septembr.

Substitutus illi frater HERMANNUS IV. obiit in Italia V. Cal. Aug. MXXXVIII.

vid. Hepidan. ad A. 1036. Hepidan. MXLIII.

Quo anno Conradus Imp. filio suo HENRICO III. ducatum Alamanniæ contulit.

Hic A. MXLV. in hebdomade Paschali Goslariæ OTTONEM WITELSBACHIUM Ducem Alamanniæ constituit.

Hunc A. MXLVIII. excepit OTTO DE SUINFURTO, ut *HERMANNUS CONTRACTUS* nominat *Marchio*.

A. MLVII. quo improlis Otto decessit, Ducatus commissus est RUDOLPHO Rhinfeldensi Comiti, *& ut Regi* Henrico IV. *in dubiis tunc rebus ex affinitate devinctior, fideliorque in rempublicam foret, soror quoque regis ei desponsata est, tenera adhuc ætate, traditaque est Episcopo Constantiensi nutrienda dum toro conjugali maturesceret.* Hæc vero translatio Ducatus in Rudolfum, *magnum fuit seminarium earum, quibus regnum perturbabatur, commotionum. Eundem namque Ducatum, vivente adhuc Ottone Duce, Heinricus Imperator* (III.) *Bertholdo Comiti* (Zæringensi) *qui post Carinthiorum accepit Ducatum, promiserat, eique annulum suum, velut hujus rei commonitorium dederat, quem ille diligenter servans, post amborum obitum, Imperatoris scilicet & Ducis, Imperatrici Agneti imperium tunc disponenti obtulit, eamque annulum agnoscentem, pro Ducatu sibi promisso commonuit.* Sed Rudolphus collatum sibi, uti indicatum est, Ducatum tenuit: donec Henrico rebellis & contra illum Rex electus, in prælio An. MLXXX. cecidit.

Lambert. Schafnaburg ad A. 1058. AbbasUrspergensis adA.1057.

Eo sublato BERCHTOLDUS II. Ducatum Sueviæ occupavit, suffragantibus sibi Principibus, Henrico adversis: Sed Henricus eum contulit FRIDERICO Hohenstauffensi; cujus strenua opera in bello adversus Rudolfum usus fuerat. Aliter hæc disponit *GUILLIMANNUS*. Sed rem, quo retuli ordine gestam, docet *OTTO FRISINGENSIS*: *Occiso Rudolpho, gener ejus Bertolfus, Ducatum Sueviæ, tanquam a Socero sibi concessum usurpat. Ea tempestate Comes quidam Fridericus nomine, ex nobilissimis Sueviæ Comitibus originem trahens, in castro Stoyphe dicto coloniam posuerat. Hic cum esset consilio providus* — — — *Imperator eum sic alloquitur:* — — *Filiam, quam habeo unicam tibi in matri-*

Habsb. l. 4. c. 1. de Gest. Frid. I. l. 1. c. 7. & 8.

matrimonio sortiendam tradam, Ducatumque Sueviæ, quem Bertolfus invasit, concedam. Quod de Principum suffragio adjeci, firmatur testimonio *FRAGMENTI URSTISIANI: Anno Domini MXCII. Principes Alemanniæ, ad defensionem Sanctæ matris Ecclesiæ, unanimiter convenerunt, sibique ad hoc negotium exequendum fratrem Gebehardi Constantiensis Episcopi, Bertoldum de Zeringen Ducem totius Sueviæ constituerunt; qui nondum Ducatum aliquem habuit, etsi jam dudum nomen ducis habere consueverit.*

Ad hoc usque tempus *ALSATIÆ DUCATUM* cum *DUCATU ALAMANNIÆ* conjunctum fuisse, dubio prorsus caret. A Berchtoldo autem avulsum, sibique ac posteris suis vindicatum, tradunt recentiorum aliqui. quos erroris convincunt, quotquot, post pacem cum Berctholdo compositam, in Alsatia instrumenta condita sunt; quæ omnia *DUCUM SUEVIÆ* Hohenstaufensium authoritatem præferunt. quibus & solebant *ALSATIÆ DUCUM* titulum præscribere, cum in sigillis appensis *DUCES SUEVORUM* nominentur. Ex eo genere est, *Confirmatio Fundationis Monasterii* in Trutenhusen, *WIMPHELINGIO* etiam memorata, hoc principio: *In nomine Scæ & individuæ trinitatis ego* FRIDERICUS *di favente clemencia ELISACIE DUX Hohenburgensis Ecclesie advocatus omnibus ista legentibus tam futuris quam præsentibus.* Desinit in hæc verba: *bono assensu laudamus, & ut posterorum memoriis tradantur scripto consi mavimus & sigilli nostri impressione irrefragabiliter corroborare curavimus. Testibus subter notatis qui sunt Heinricus Romanorum Rex. Teodericus Bisontinus Archiepiscopus. Cunradus Warmaciensis Episcopus. Ebrehardus Merseburgensis Episcopus. Bertoldus Constantiensis Episcopus. Heinricus Basiliensis Episcopus. Heinricus Argentinensis Episcopus. FRIDERICUS DUX SUEVORUM. Hermannus Marchio Veronensis. Bertoldus Comes de Nuenburc. Egelolfus de Urselingen. Wernerus Marescaldus Argentinensis. Rudolphus de Andela. Acta sunt hæc anno ab incarn. Dni. MC. LXXXI. Indictione XIIII. XIIII. Kl. May.* Sigillum hac forma appensum habet:

vid Crus. Annal. Suev. part.2. l 7. c. 1. & l. 8. c. 4.

in Episc. pag. 54.



Attexe-

Attexemus itaque eorum etiam seriem, qui ex hac familia, Sueviæ Alsatiæque præfuerunt, postquam de transactione cum Berchtholdo, *OTTONIS FRISINGENSIS* testimonium adscripserimus; unde & de Ducatu Berchtoldi abunde constabit. Verba ejus sunt: *Sic itaque prædictus Fridericus Dux simul Suevorum & gener regis factus, ad propria rediit: & ne multis morer, Bertolfum tandem pacem petere coegit: quod tamen quidam sub filio suo Friderico factum tradunt. Conditio autem pacis talis fuit, ut Bertolfus Ducatum* exfestucaret, *sic tamen quod Turegum nobilissimum Sueviæ oppidum a manu Imperatoris ei tenendum remaneret. — Fridericus autem Ducatum Alemanniæ exhinc sine contradictione habuit, ac strenue diebus non paucis rexit. — At supra nominatus Bertolfus, vacuum ex hinc nomen Ducis gerens, id quasi hæreditarium posteris reliquit.*

de Gest. Frid. I. l. 1. c. 8. & 9. *unde descripsit* Author Fragmenti Urstisiani ad A. 1125.

i. e. solenni traditione abdicaret.

Hicque est FRIDERICUS ille Dux Suevorum, qui cum matre Hildegarde Hohenlohica & fratribus ac sorore, templum ac monasterium S. Fidi in Sledstatt fundavit: *Anno*, ut subscriptum est instrumento Fundationis, *ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo XCIIII. Indictione secunda: regnante Henrico Imperatore IIII. sub Ottone Argentinensi Episcopo, Suevorumque Duce Friderico.*

Successit ei, A. MCV. extincto, Filius FRIDERICUS monoculus, pater Friderici I. Imperatoris, quindecim tum annorum adolescens. Ad hunc referenda est *CHARTA BURKARDI Episcopi Argentinensis*, qua *Fratribus Ecclesiæ S. Thomæ Argentinensis dedit decimas Ecclesiæ S. Aureliæ.* hac subscriptione: *Acta sunt hæc A. MCXLV. Regnante Conrado Romanorum Rege secundo sub Duce Friderico.* in Chronicis MSCC. *Ducem Alsatiæ nominari*, *CRUSIUS* etiam notavit. In *FRAGMENTO URSTISIANO* annotatur ad A. MCXXX. *pugnam esse factam inter Gebebardum Argentinensem Episcopum & Fridericum Ducem Alemanniæ apud Gugenheim. REGIOVILLANUS* addit, *sexto post anno iterum inter eos pugnatum, & Episcopum victorem abiisse.* His de suo adjicit *GUILLIMANNUS*: *Fridericum Ducis Alsatiæ titulum deponere coactum ab Episcopo.* quod commentitium est. Obiit in Alsatia, relinquens in Ducatu successorem

Otto Fris. de Gest. Frid. I. l. 1. cap. 10, 12, 14.

Annal. Suev. part. 1. l. 9. c. 6.

Episc. p. 232.

A. MCXLVII. FRIDERICUM Filium, postea Imperatorem. a quo Ducatus

Otto Frising. de Gest. Frid. I. l. 1. c. 39.

A. MCLXXVI. datus est FRIDERICO Secundogenito, Barbarossæ Filio: qui An. MCXXXI. Monasterii Truttenhusani Fundationem diplomate suo firmavit. Mortuus autem in obsidione Acharon

Abbas Ursperg. ad A. 1176.

A. MCXCI. CONRADUM Fratrem in Ducatu successorem nactus est. Hujus obitum narrat *ABBAS URSPERGENSIS* his verbis: *In tempore illo in Alamannia Chunradus frater Imperatoris dux Suevorum movit exercitum contra Berchtoldum ducem Zaringiæ, de voluntate Imperatoris: cumque maneret in quodam opido Durlach nomine, obiit, & sepultus est in Monasterio Loricensi.*

Fragm. Urstis. A. 1191. Chron. A. 1197.

Anno igitur MCXCVII. juxta eundem *URSPERGENSEM* Imperator (Henricus VI.) Ducatum Sueviæ contulit PHILIPPO *fratri suo.* Hoc interfecto

A. MCCVIII. substituunt FRIDERICUM: inter Sueviæ Duces hoc nomine V. inter Imperatores II. Huic jam sufficiunt


Lazius *hic inserit*

CON-

CONRADUM IV. incertum quo anno Ducatui Sueviæ admotum. Ac isti denique A. MCCLIII. extincto HENRICUM Fratrem Friderici.


CONRADINUM. qui in Literis suis ad Imperii Principes, apud *GOLDASTUM*, se *SUEVIÆ DUCEM* nominat, patrisque Conradi testamento Pontifici commendatum scribit. quod ita plerique Scriptores accipiunt, ut Successorem Patri iisdem tabulis destinatum inde colligant. Administrasse *DUCATUM SUEVIÆ* ostendunt *PRIVILEGIA* Monasteriis Civitatibusque Suevicis data, quæ *AVENTINUS* & *CRUSIUS* exhibent. Ejus tragico exitu A. MCCLXIX. Ducatus Sueviæ Hohenstauffensium finem accepit. Constit. Tom. I.

Qui vero ex Habsburgensibus DUCES SUEVIÆ recenseri solent, illi ad ALSATIAM non *DUCUM* sed LANDGRAVIORUM titulum referre consueverunt. illorumque adeo mentio ab hoc loco aliena est.



DISSERTATIO V.
GENEALOGIA PRISCORUM SUEVIÆ DUCUM MEDII ÆVI.

Erste Tabelle,
So Hermanni I. Hertzogs in Schwaben Familie repræsentiret.



Beweißthümer.

a. Hermannus Hertzog in Schwaben.

Continuator Reginonis ad An. 910. Franci in confinio Bajoariæ & Franciæ Hungaris congressi, miserabiliter aut victi aut fugati sunt. In quo prælio *Gebehardus Comes* interiit, relictis *duobus filiis suis* adhuc pueris, *Udone* & *Herimanno*, qui postea clari & nobiles *in Francia* extiterunt. Idem ad A. 926. Burchardus Dux Allemanniæ in Italia occiditur - - *Herimanno Ducatus Alemanniæ committitur*, qui *Widam* Burchardi duxit uxorem. Hermannus Contractus Canisii ad Ann. 948. Hermannus Dux Alamanniæ, qui provinciæ sibi creditæ cultum, habitum, mores instituta, multum ut fertur honestaverat, defunctus, Augiæque in Capella S. Chiliani sepultus est: & *Luitolfus, filius Regis Ottonis*, Vir omnium sui temporis universo populo acceptissimus, *Dux pro eo* a patre suo constitutus est. Urspergensis: Anno Domini 949. Hermannus Dux Alemannorum moritur, pro quo Luitolphus filius Regis Ottonis Dux constituitur. Stumpfius Lib. 4. Chron. Helvet. *Anno Domini 948.* Um diese Zeit hat Hertzog Hermann von Schwaben und Allemannia auch inne gehabt und beherrschet die Graffschafft Rhetiam Churwalhen/ das bezeuget ein besiglet Instrument zu Chur mit söllichen Worten: *Hartberto Abbati in Comitatu Hermanni Ducis Rhetia nuncupato &c.*

b. c. Udo, Hermanni I. Bruder/ ein Graf.

Hilfft den aufrührischen Gisalbertum und Eberardum Anno 939. zu paaren treiben. Continuator Reginonis ad hunc Annum. Gisalbertus & Eberardus juxta Anternacum castellum cum suis Rhenum transituri, ab *Udone* & Chuonrado Comitibus, cæterisque Regi (Ottoni I.) fidelibus, ne transeant bellica congressione, citoque mortis compendio præventi. Luitprandus Lib. 4. cap. 10. und aus Ihm Urspergensis p. 156. Habuerat plane Rex nonnullas maximas & fortissimas copias & earum duces, *Hermannum* scilicet *Suevorum Ducem, fratremque ejus Udonem*, atque Conradum cognomine sapientem. Qui quanquam *affinitatis linea Euerbardo jungerentur*, maluerunt tamen juste, si necessitas incubuisset, justo cum Rege occumbere, quam cum consanguineo injuste triumphare. Luitprandus Lib. 4. Cap. 16. *Udo* sane *Hermanni Ducis Suevorum frater*, nec non & Conradus cognomento sapiens, quos superius Regi diximus esse fideles, ipsius in partibus erant &c. Sigebertus muß sich geirret haben/ wann er Conradum sapientem für einen Bruder Hermanni und Udonis außgibt/ im Jahr 943. Fideles Regis, Udo videlicet & Conradus frater Hermanni Suevorum Ducis, Everhardum & Giselbertum prædando regno secure intentos, juxta Rhenum inopinate aggressi acerrime debellant.

Von diesem Udone ist zu mercken/ daß ihm Kayser Otto I. vergönnet/ dasjenige/ womit er ihn beliehen hatte/ in Erbe zu verwandeln. Continuator Reginonis: Anno 949. Uto Comes obiit, qui *permissu Regis, quicquid beneficii aut præfecturarum habuit, quasi hæreditatem inter filios divisit.* Idem ad An. 950. Rothardus, Strasburgensis Episcopus obiit, cui *Udo, filius Udonis Comitis* in Episcopatu successit. Graf Udo soll eine Gräfin von Vermandois zur Gemahlin gehabt haben. Du Chesne Histoire de Bourgogne Livre II. pag. 226. Herman. I. avoit une frere nomme Udon, qui espousa la sœur de Herbert Comte de Vermandois, tante d' un autre Herbert & de Hugues de Vermandois, Archevesque de Rheims.

d. Lu-

d. Ludolffus, Kaysers Ottonis I. Sohn von der Engelländischen Otgit oder Edgide: Ida dessen Gemahlin.

Luitprandus Lib. 4. Histor. cap. 7. in fine. Duxerat Rex Otto, ante regni susceptionem, ex Anglorum gente nobilissima Regis Adelstani fratris filiam sibi uxorem nomine *Otgit*, *ex qua & filium genuit nomine Luitolphum.* Cujus ob recentem jacturam quoties memoriam agimus, lacrymis sinum replemus. O si nunquam natus, aut non tam mature esset defunctus. Ditmarus Lib. 2. Chron. p. 19. edit. Maderi. Desponsavit etiam illi (pater) IDAM *Herimanni Ducis filiam*, pulchritudinem & sexum omni probitate vincentem. Quam cum sibi pater vinculo maritali conjungeret, modicum post intervallum *soceri ducatum & hæreditatem defuncti* sibi dedidit. Hermannus Contractus Canisii ad An. 947. Luitolfus filius Regis *Idam laudabilem fœminam* duxit uxorem. Luitprandus Lib. 5. cap. 1. und aus Ihm Urspergensis p. 159. erzehlet umständlich/ wie Hertzog Herrmann seine Tochter dem Kayserlichen Printzen angetragen. Factum est ut post mortem Euerhardi atque Giliberti, nec non & Henrici fratris Regis inclusionem, concurrentibus undique ad Regem congratulationis causa proceribus, veniret etiam *Vir ditissimus Suevorum Dux Hermannus*, qui post congratulationis satietatem, talibus est regem aggressus sermonibus: Non clam domino meo est, tum prædiorum latitudine, tum pecuniarum immensitate prædivitem me absque liberis esse, nec est *præter unam parvulam natam*, quæ mearum rerum, me redeunte, heres existat. Placeat itaque domino meo Regi *filium suum* parvulum, *Luithulfum mibi adoptare filium*, quatenus *unicæ filiæ meæ*, maritali commercio sociatus, me migrante, mearum fiat hæreditate rerum magnificus. Hoc itaque quia placuit Regi consilium, quod poposcerat, sine dilatione complevit. Witichindus Lib. 3. Annal. & Urspergensis l. c. Videns autem Rex filium suum Liudulfum virum factum, dedit ei *conjugem divitiis ac nobilitate claram*, *ducis Herimanni filiam nomine Idam.* Quam cum accepisset, in brevi post hæc socer moritur, cum ducatu omni ei possessione relicta. Accepta autem potestate animum tranquillum, quem in puero gessit, exuit, armatumque militem in Italiam ducens, aliquantis ibi urbibus captis & sub custodia traditis, ipse revertitur in Franciam. Hertzog Ludolph ist in Italien Todes verblichen. Vid. Witichindus Lib. 3. Ditmarus Lib. 2. Chron. p. 24. Domnizo Tom. I. Script. Brunsvvicens. p. 638. Luitprandus und Urspergensis reden nur von einer Tochter Herimanni, der Continuator Reginonis aber von dreyen ad Ann. 947. Ludolfus filius Regis tali ut decuerat apparatu *tertiam filiam* Herimanni ducis sibi conjugio copulavit.

d. IDA, Hertzog Ludolffs Gemahlin.

Hat biß in das Jahr 986. gelebet. Chronographus Saxo & Chronicon Quedlinburgense ad hunc Annum: IDA quoque regalis domina, contectalis Luidolfi filii magni Ottonis, huic luci subtrahitur.

e. MATHILDIS, Hertzog Ludolffs Tochter.

Continuator Reginonis ad An. 949. Eodem anno Ludolfo filio Regis Mathildis filia nascitur. Chronicon Quedlinburgense Tom. II. Leibnit. p. 288. Anno M. XI. mors abstulit de regali stemmate gemmam, *Machtildam Abbatissam*, Ludolfi filiam.

f. Otto, Hertzog Ludolffs Sohn.

Ward gebohren An. 954. Continuator Reginonis ad h. a. Luidolfo filius Otto nascitur. Sein Vater Ludolfus, ist wie vorhero gedacht / in Italien gestorben apud Plumbiam, & Moguntiæ sepultus est, *Ottone filio adhuc parvulo* superstite relicto, & Burghardus (secundus, Burcardi primi filius, vid. Obrechti Prodromus Rerum Alsaticarum p. 221.) Alamanniæ ducatum accepit, nach Hermanni Contracti Aussage beym Jahr 957. der auch ferner meldet / wie Otto Hertzog in Allemannien und Hertzog in Bayern worden / endlich Anno 982. verstorben. Herm. Contr. Canisii ad An. 973. Burghardus Dux Alemanniæ defunctus, Augiæque in capella S. Erasmi conditus est, & *Otto filius Luitolfi paternum pro eo ducatum recepit.* Idem ad Annum 977. discordia inter Ottonem ducem Sueviæ & Heinricum Bajoariæ ducem. Idem ad Annum 978. Heinricus Dux Bajoariæ & alius Dux Augustensis quoque Episcopus Heinricus, rebellantes Imperatori capti & exilio mancipati sunt, *ducatumque Bajoariæ Otto dux Suevorum cepit.* Idem ad Annum 982. Otto *dux Suevorum & Noricorum* obiit, & post eum *Conradus Dux Alamanniæ* factus est, Heinricusque ducatum Bajoariæ recepit. Aus was für einem Geschlecht Hertzog Ottonis Nachfolger Conradus gewesen / habe noch nicht entdecken können / ausser daß Ditmarus Lib. 4. Chron. p. 92. seinen Bruder anzeiget: In temporibus suis Conradus, Suevorum ductor egregius, ac ejusdem *frater Heribertus Comes*, nec non Hodo inclytus Marchio, proh dolor, morte momentanea depressi sunt. Welches allhier beyläuffig mit anführen wollen.

Zweyte Tabelle,

Vorstellend Hermanni II. Hertzogs in Schwaben und Elsaß / mit einer Königlichen Burgundischen Princeßin / Gerberga, erzeugte Kinder.

a. Hermannus II. Hertzog in Schwaben † 1004. Gerberga, oder Guepa, König Conrads in Burgund Tochter.

b. Hermannus III. Hertzog in Schwaben † A. 1012.	d. GISELA. † 1043.		h. Mathildis	
	c. Erster Gemahl Ernestus I. Hertzog in Schwaben † 1015.	d. Anderer Gemahl Conradus Salicus R. Kayser.	h. Erster Gemahl Cuno Hertzog in Cärnthen / † 1012.	h. Anderer Gemahl / Friederich Hertzog von Lothringen.
e. Ernestus II. Hertzog in Schwaben / rebellirt und wird eingebracht 1050.	f. Hermannus IV. nach des Bruders Tode Hertzog in Schwaben / stirbt an der Pest in Italien. 1058.	g. Henricus III. R. Kayser.	h. Cuno Competent bey der Wahl Conradi Salici, Hertzog in Cärnthen / nach Adalberone An. 1036. stirbt 1039.	i. Beatrix der Italiänischen Gräfin Mathildis Mutter.

Beweis-

Beweißthümer.

a. Hermannus II. Hertzog in Schwaben / der Kayserin GISELÆ Vater.

Dieser ists / der dem Kayser Henrico II. oder Sancto sich anfangs widersetzt / und nach der Kayserlichen Cron gestrebet / doch endlich sich gedemüthiget / und dem Bißthum Straßburg die Abtheу S. Stephani zur Ersetzung des zugefügten schadens geschencket hat. vid. vitam S. Henrici T. 1. Script. Brunsuic. p. 432. 434. Ditmarus Lib. 4. Chron. p. 88. berühret solches mit wenig Worten: Maxima pars procerum, qui his interfuerunt exequiis (Ottonis III.) *Hermanno Duci* auxilium promittunt ad regnum acquirendum & tuendum, Henricum mentientes ad hoc non esse idoneum propter multas causarum qualitates. Item Lib. 5. p. 104. Hermannus *Alemanniæ & Alsatiæ* Dux timoratus & humilis homo, a multis, quibus lenitas ejus placuit, seductus contra Henricum se armavit. Wie er Straßburg / caput Ducatus sui Argentinam quæ Strasburg dicitur, mit Hülffe seines Schwieger-Sohns Cunonis, oder Conradi Salici verheeren lassen / weil es der Bischoff Wicelinus mit Henrico Sancto gehalten / erzehlet mit mehtern Ditmarus Lib. 5. p. 110. 111. Confer. vitam S. Henrici p. 432. Ducem Alemanniæ & Alsaciæ nennt ihn auch Hepidannus ad An. 1008. dessen Worte in das Jahr 1003. zu referiren. Otto Imperator Romæ sine hærede defunctus est, cui successit Henricus de regio genere, Dux quoque Bajoariorum tertius eo nomine, cum quo & *Heremannus Dux Alamanniæ & Alsatiæ regnum forte dividere & parti aspirare tentabat*, sed infecto negotio ultionem conatus in eos, qui in Stratzpurch cum Rege senserant adversus se, irrupit civitatem & in direptionem dedit, pessimo quoque exemplo sacra profanavit. Chronographns Saxo ad An. 1002. Hermannus autem *Dux cum Suevis* Regi restitit, & *Francorum pars quædam* refragari cœpit, multa inutilia perpetrantes, sancta loca exurentes, aliaque devastantes, quos tamen Deus citissime humiliavit. Idem ad An. 1003. Eodem anno Herimannus Dux ad extrema pervenit, & *discordia Suevorum quievit*. Daß Elsaß / wie auch die alte Graffschafft Brißgau / Comitatus provincialis Brissiacorum, damahls zum Hertzogthum Alemannien mit gehöret / jenes hat Obrecht in prodromo Rerum Alsaticarum cap. 10. und dieses Guillimannus Lib. 2. Habsburgicorum cap. 7. erwiesen.

a. Gerberga, Hermanni II. Gemahlin / der Kayserin GISELÆ Mutter.

Wippo in vita Conradi Salici p. 428. Cui (Giselæ) *pater* erat *Herimannus* Dux Alimanniæ, *mater* ejus *Kerbirga filia Conradi Regis de Burgundia*. Hermannus Contractus Canisii ad Ann. 997. Conradus Allemannorum Dux obiit, & pro eo Herimannus (II.) Ducatum accepit, qui & ipse filiam Conradi Regis Burgundiæ *Gerbirgam* in matrimonio habuit, ex qua *filium æquivocum tresque filias* reliquit. Der Nahme der dritten Tochter Hermanni II. ist mir unbekannt. Du Chesne berichtet in der ersten edition seiner Histoire de Bourgogne Livre II. p. 228. Sie habe Gerardum Grafen von Egisheim / Pabst Leonis IX. Bruder / zur Ehe gehabt: Une autre fille epousa Gerard, fils de Hugves Comte d' Egvesheim, et frere de Brunon Evesque de Toul, depuis Pape nommé Leon IX. Vielleicht hat er dieses in der andern edition,

so ich noch nicht gesehen/ bewiesen. Gerbergæ oder Gueppæ Mutter war Mathildis, Conradi Königs in Burgund/ dessen Stamm ich von Welfone I. zu einer andern Zeit herführen werde/ Gemahlin/ und Lotharii Königs in Franckreich/ wie auch Hertzogs Caroli Schwester. Das Schema giebt der Autor Genealogiæ S. Arnulfi an die Hand.

Henricus Auceps.

Otto I. Imperator.		Gerberga.	Hadevvidis.
Lotharius Rex Francorum.	Carolus Dux.	Mathildis vidua Balduini Flandrensis, Conrado Burgundiæ Regi secundum nupta.	Hugo Rex Francor.
	Rudolphus Rex Burgundiæ postremus.	Gerberga sive Guepa, Hermanni II. Ducis Alemanniæ Uxor.	
		GISELA, Conradi Salici uxor.	

Genealogia S. Arnulfi, Hadevvidis, Girberga, Bruno Episcopus & Dux Coloniæ (Lotharingiæ) Otto Imperator & Henricus Dux fratres & sorores fuerunt. Horum Hadevvidis genuit Hugonem Regem Francorum. Ibidem: Gerberga Soror Hadevvidis Superioris genuit Lotharium Regem Franciæ & Carolum Ducem, Mathildem & Albradam fratres & Sorores &c. Mathildis Soror Lotharii Regis Franciæ & Caroli Ducis genuit Rudolphum Regem Burgundiæ, Bertham, *Guepam* & Mathildem &c. *Guepa* Soror Berthæ, & Mathildis genuit *Giselam* uxorem Regis Conradi. Chronicon Alberici ad An. 1124. Soror ultimi Lotharii Francorum Regis & Ducis Caroli, nomine *Mathildis*, post mortem *primi mariti*, tertii Balduini Flandrensis Comitis, Regi Burgundiæ cuidam Conrado peperit Regem Rudolphum, & sororem ejus *Guepam*, *quæ fuit mater hujus Giselæ*.

b. Hermannus III. Hertzog in Schwaben/ der Kayserin Giselæ leiblicher Bruder.

Kam sehr jung zum Hertzogthum Schwaben/ und machte seinem Schwager Ernesto I. bald Platz. Hermannus Contractus Canisii ad A. 1004. Herimannus Dux Alamanniæ obiit, eique filius ejus *Herimannus puer* omni populo acceptabilis in Ducatu successit. Dithmarus lib. 6. Chron. p. 128. von Henrico Sancto. Dehinc patriam revisere festinans, Alemanniæ fines, nuper a Ducis Hermanni solatio privatos, filiosque ejus & æquivoco *adbuc puerulo* deditos ad regendum & confirmandum invadit. Vita Henrici Sancti ab Adelboldo scripta T. I. Script. Brunsu. Jam Dux Herimannus obierat, & filius suus Ducatui a Rege substitutus erat, qui nimiæ juventutis adhuc, nec semetipsum regere sciebat. In loco igitur qui *Turegum* dicitur, Rex colloquium tenuit, omnesque pro pace tuenda, pro latrociniis non consentiendis a minimo ad maximum jurare compulit. Hermannus Contractus ad Ann. 1012. Herimannus Aleman-

Alemanniæ Dux defunctus, *Ernestum* sororis suæ Giselæ maritum, successorem accepit. Chronicon Quedlinburg. T. 2. Script. Brunsuic. p. 288. ad An. 1012. Obiit Hermannus puer & Dux, *Regis consobrinus.*

c. ERNESTUS I. Hertzog in Schwaben/ Giselæ erster Gemahl.

Otto Frising. Lib. 6. Chron. cap. 28. Hæc primum Ernesto Duci Suevorum, fratri Alberti Superioris Pannoniæ Marchionis (& Episcopi Trevirensis Popponis inserit Albericus verba Ottonis exscribens.) nupta fuit, geminosque ex eo *filios Ernustum & Hermannum* suscepit, quo mortuo Conradum hunc, de quo agimus, accepit. Herm. Contr. Canis. ad An. 1015. Poppo Vir venerabilis frater ipsius Ducis Ernusti, Megingaudo Archi-Episcopo Trevirensi defuncto successit. (obiit Poppo Anno 1047. vide Hermannum.) Dieser Hertzog Ernst ist auf der Jagt an einem zufälligen Schus von einem Pfeile umkommen/ hat aber solches dem Thäter verziehen/ und vor seinem Ende/ gegen einen Bedienten/ in Ermangelung eines Priesters/ seine Beichte abgeleget/ nach dem Exempel der ersten Kirchen/ welche dafür gehalten/ ein jeder Christ sey im Nothfall ein vollkommener Priester/ wie Grotius in einem herausgegebenen Discurs beweisen wollen. Ihm sind im Hertzogthum Schwaben seine beyde Söhne nacheinander gefolget. Ditmarus Lib. 7. p. 191. In his diebus festivis ERNESTUS, *inclytus Alemanniæ Dux, pueri Successor Hermanni*, cum in sylva quadam illicite veneratur, ab uno militum suimet plus ignorantia quam voluntate spontanea, ut cervam sagittare debuit, proh dolor vulneratur. Hinc quia mortem sibi imminere perspexit, socios vocat, & ut reo parcerent supplicat, & *quia hic tunc presbyterum, cui sua confiteretur peccata non habuit, unum ex militibus hujus vice propius accedere jussit.* Quem cum adesse perspiceret, omnes, inquit, accedite, & commortalis vestri peccatoris facta aure cordis percipite, & qualiter curentur unanimiter succurrite, absentibusque cunctis fidelibus peccatricem meimet animam quæso commendate, & uxorem meam, ut honorem suum servet, & mei non obliviscatur, admonete. Hæc dicens, in quoscunque unquam se aliquid deliquisse recordari potuit, cunctis præsentibus innotuit, & mox de luce hac II. Cal. Junii discessit, *sepultus Wirceburg juxta patrem suum Marchionem Luipoldum*, ut ipse rogavit. Hierauf hängt Ditmarus noch eine Vermahnung an seine Geistlichkeit mit an. Hic juvenis, ut spero, felicem habet animam, cui sic ipse vivens testatus est. Plus placuit coram multis hic erubescere, quam coram omnipotenti Deo latere. De hoc exemplum fratres in Christo capite, & morbum interius latentem *medico cœlesti aperite*, & antidotum ejus salubre nullatenus spernite, & *quicunque sit in fine nostro confessor, non moretur in gementi professione peccator*, ut ab eo in cœlis inveniatur propitius remissor. Hermannus Contractus Canisii ad An. 1015. Ernust Dux Alamanniæ in venatu ab Adalberone Comite feram appetente sagitta vulneratus interiit, & *ducatum ejus filius æquivocus, viduam vero Giselam Conradus, filius Heinrici, filii Ottonis Ducis*, futurus postea Imperator accepit. Ditmarus l. c. p. 192. in nativitate S. Johannis Baptistæ, quæ tunc proxima erat, ad Gosleri Cæsar (Henricus Sanctus) veniens Ernesti ducatum *nepti suæ* & filio ejus dedit, & inde ad Magdaburg proficiscens &c. Neptis heist hier so viel als Geschwister Kind/ denn Giselæ Mutter und Henrici sancti Mutter waren leibliche Schwestern.

Conra-

Conradus Rex Burgundiæ

Gisela Ductrix, Hezelonis Ducis Bavariæ Uxor.	Gerberga, Herimanni II. Alemanniæ Ducis Uxor.
Henricus Sanctus. Imperator.	Giesela primo Ernesti, deinde Conradi Salici Uxor.

Henrici S. Mutter nennet Ditmarus Lib. 4. p. 67. Giselam Ductricem, und Vita Henrici T. I. Script. Brunsuic. pag. 431. meldet ihren Vater; mater sua Conradi Regis fuit filia.

d. CONRADUS SALICUS, Römischer Kayser / GISELÆ anderer Gemahl.

Von diesem Kayser werde in der Stamm-Taffel der alten Weiblinger mehr Autores allegiren. Hieher gehören nur Wipponis Worte pag. 428. Regis conjux erat Gisela prudentia & consilio vigens, cui pater erat Herimannus Dux Alamanniæ; mater ejus Kerbirga filia Conradi Regis de Burgundia; und ist bey dieser Gelegenheit der genealogische Zweiffel zu erörtern?

Ob die Kayserin Gisela zwey- oder dreymahl verheyrathet gewesen.

Die ältesten Scriptores, so ich bereits angeführet / als Wippo, Hermannus Contractus, und Otto Frisingensis reden nur von zweyen Männern / nehmlich Ernesto I. und Conrado Salico. Andere hingegen legen ihr zum andern Gemahl / Brunonem, einen Grafen von Braunschweig bey. Ich halte aber davor / daß die Kayserin Gisela von des Brunonis Gisela de Werle, welche der Autor Chronicæ Ducum Brunsuicensium p. 7. editionis Maderi, mit einander vermenget / gantz und gar zu unterscheiden sey / massen schon Meibomius in Relectione Apologetica pro Ottone IV. Tom. 3. pag. 164. sq. angezeiget / daß die Kayserin nicht von Werle seyn konnen. Nichts desto weniger hat dieser alte Irrthum auch in einem alten Chronico Francorum MSC. das Mabillonius besessen / sich eingeschlichen / wie aus beygefügten Worten / worinne unter andern einige Merckwürdigkeiten von ALBERTI URSI Groß-Vater und Elter-Vater vorkommen / zu ersehen ist: *Chronicon Francorum MSC. Mabillonii ad Ann. 1024.*

Gisla & Soror ejus Machtildis, fratresque ejus Rodulfus & Bernardus nati erant in Westfalia de loco qui dicitur *Werla. Gisla nupsit primum Ernesto filio Liupoldi Marchionis*, genuitque illi Herimannum (& Ernestum, juxta Otton. Frising. Lib. 6. Chron. cap. 10.) Ducem Suevorum. Duce Ernesto defuncto accepit eam uxorem *Comes Bruno de Brunesuuic.* peperitque illi Liudolfum Comitem. Comite Brunone etiam defuncto, *duxit eam violenter Conradus, suus cognatus*, genuitque ex ea Henricum (tertium Imperatorem) Machthildem sibi desponsavit *Comes Esicus de Ballenstete*, genuitque ex ea *Comitem Adalbertum seniorem patrem Comitis Ottonis.* * Rodulfus frater earum genuit

* Brituffius Enzelius, Angelus und andere nennen Ottonis von Ballenstedt Vater Esiconem, da doch Adalbertus Senior nach den angeführten Worten des Chronici

genuit Comitem Herimannum, patrem Dominæ Odæ, quam desponsavit *Udo Comes de Stathen*, qui primus ex illo genere adquisivit Marchiam Aquilonalem. Bernhardus Comes alter frater ejusdem Reginæ habuit filias, quarum unam nomine Idam duxit *Henricus de Castre quod Louse* dicitur, Brunouis Treverensis Episcopi, & Popponis Comitis frater. Quem cum mures corrosissent usque ad mortem, viduam illius Idam quidam *nobilis de Saxonia* accepit uxorem, habuitque ex illa *Comitem Sifridum* ** *de Ertiniburch*. Filiam ejusdem Idæ ex eodem Comite Henrico, nomine Adelheidam, duxit Adulphus *de Huuili*, genuitque Adulfum juniorem & fratres ejus. Post cujus mortem sociavit eam sibi *Comes Palatinus de Sumersenburch*, genuitque Palatinum Comitem Fridericum juniorem.

Die Controvers wie nahe Conradus Salicus mit seiner Gemahlin Gisela verwandt/ und ob die bey seiner Crönung urgirte dispensation nöthig gewesen/ hat zwar Schilterus lib. 3. de Libertate Ecclesiarum Germaniæ cap. X. zu erörtern sich bemühet/ ich kan aber versichern/ daß von den dort angeführten verschiedenen Verwandschaffts-Tabellen nicht eine einige richtig/ vielweniger in bewährten Scribenten gegründet sey.

In welchem Jahr die Kayserin Gisela abgeschieden/ und wie sie sich von den Wahrsagern ein langes Leben prophezeyen lassen/ erwehnet Hermannus Contractus Canisii 1043. Gisela Imperatrix apud *Goslere*, quamvis a Sortilegis nonnunquam vera sibi prædicentibus decepta filio Regi se supervicturam crederet, dysenteriæ morbo 15. Cal. Maji decessit, & Nemeti juxta maritum Imperatorem sepulta est. Annales Hildesheimenses & Chronicon Australe ad eundem annum: Gisla Imperatrix mater Heinrici regis obiit XVI. Kal. Mart. & apud Spiram sepelitur. Wie sie von der Welfischen Branche der alten Könige in Burgundia Jurana, und von Carolo M. hergestammet / soll anderswo dargethan werden.

e. Ernestus II. Hertzog in Schwaben / der Giselæ erster Sohn von der ersten Ehe.

Rebelliret wider seinen Stiefvater / den Kayser Conradum Salicum nebst dessen Vater Conrado dem Jüngern. Herm. Contr. Anno 1025. er-

 langte

nici MSC. sein Vater/ und Esico sein Groß-Vater gewesen. Solchemnach müsten Alberti Ursi Vorfahren in dieser Reihe nacheinander folgen.

Esico Comes.
|
Adalbertus senior, Comes.
|
Otto Comes.
|
Albertus Ursus.

** Dieser Sifridus ist vermuthlich der Sifridus de Ertheneburg, qui vocabatur cum sue, dessen in Alberti Stadensis Chronico im Jahr 1144. Erwehnung geschicht/ und dessen Güther hernach an Grafen Ottonis von Ballenstädt Gemahlin Elicam gekommen. Liber de fundatione monasterii Gozecensis p. 237. ad An. 1133. His diebus prædia Comiti Sifrido de Ertheneburg in his partibus pertinentia justo concambio Imperator (Lotharius) obtinuit, quæ itidem Eilica Comitissa simili conditione ab eo promeruit.

langte durch Vorbitte der Kayserin mit grosser Mühe Gnade. Otto Frising. L. 6. Chron. cap. 28. Wippo p. 431. Lehnet sich dennoch wieder auf/ muß aber ins Gefängniß zu Gibichenstein bey Halle/ (so damals ein Behältnuß der Staats-Gefangenen war / vid. Tenzelii Supplementum II. Historiæ Gothanæ p. 426.) kriechen/ Wippo p. 435. Fängt nach seiner Loßlassung neue Händel an/ wird deswegen umgebracht / und zu Costantz A. 1030. begraben. Otto Frising. Lib. 6. cap. 29. Wippo p. 436. 437. conf. Hermannus Contractus Canis. ad An. 1026. 1027. 1030.

f. Hermannus IV. Hertzog in Schwaben / der Giselæ anderer Sohn von der ersten Ehe.

Succedirt seinem unruhigen Bruder. Herm. Contr. Canis. ad A. 1030. Frater ejus *junior* Herimannus Dux Suevorum efficitur. Wippo p. 436. Imperator Ducatum Alemanniæ Hermanno juniori, fratri ejusdem Ernesti dedit, eumque Warmanno Constantiensi Episcopo commendavit. Erhält die Marggraffschafft seines Schwiegers-Vaters in Italien. Herm. Contr. ad A. 1036. Heremannus Dux Alamaniæ *Marcham soceri sui Meginfredi in Italia* ab Imperatore accepit. (Mainfredus Marchionum prudentissimus, & frater ejus Alricus Astensis urbis Præsul, deren Glaber Rodulphus nach dem Jahre 1024. Lib. 4. cap. 2. erwehnet/ dünckt mir eben dieser Meginfredus zu seyn.) wird von der Pest in Italien weggerafft. An. 1038. Otto Frisingensis lib. 6. c. 31. Conradus Rex subacta ad plenum Italia citeriori domum remeare disposuit, sed cum per lethifera loca iter ageret, ex corruptione aeris plurimos de exercitu & de claris principibus perdidit. Mortui sunt ibi inter alios *Hermannus Dux, Reginæ filius*, Kunigunda filii Regis sponsa, Cono Franconum Dux, & alii quamplures. Herm. Contr. ad An. 1038. *Hermannus Dux Alamanniæ* suis admodum flebili morte 5. Cal. Aug. occumbens *Tridenti tumulatus* est. Ursperg. ad An. 1038. Herimannus Dux Alamannorum filius Giselæ Imperatricis obiit.

g. Henricus III. nachmaliger Kayser / Giselæ Sohn von Conrado Salico.

In der Stamm-Tafel der Weiblinger wird ein mehrers zu vernehmen seyn. Der alte Hepidannus, Cœnobita S. Galli, der sich in der Zeit-Rechnung zu verirren pflegt / attestiret / daß er nach seines Stief-Bruders Hermanni IV. Absterben / dem Hertzogthum Alemannien oder Schwaben / eine Zeitlang vorgestanden / beym Jahr 1044. Uxor Heinrici Regis, & frater ejus *Herimannus Dux* Alamannicus obierunt, *cujus ducatum cum Regno Burgundionum* idem Rex a patre suo eodem anno percepit, ipsis ejusdem regni principibus cum juramento sibi fidem dantibus.

h. Mathildis, Hertzogs Hermanni II. Tochter / der Kayserin Giselæ Schwester.

Ist zweymal vermählet worden; Erstlich an Conradi Sapientis Enckel/ Hertzog Conradum in Cärnthen der An. 1012. verstorben/ und mit welchen Sie den Competenten Conradi Salici, Conradum oder Cunonem juniorem erzielet: Hernach an Hertzog Friedrichen von Lothringen/ dem sie die unter

den Kaysern Henrico III. und IV. bekant gewordene/ und in der Genealogie der Italiänischen Gräfin Mathildis wieder vorkommende Beatricem zur Welt gebracht. Wippo in vita Conradi Salici p. 425. prædicti duo Cunones cum essent ex parte genitorum nobilissimi, haud secus ex materno genere claruerunt. *Junioris Chunonis mater Mathilda de filia Conradi Regis Burgundiæ* (Gerberga, Hermanni II. Ducis Alemanniæ uxore) nata fuit. Vorhero pag. 424. hatte Wippo diesen jüngern Cunonem genent/ Chunonem Wormatiensem, Ducem Francorum, und hernach p. 434. Chunonem Wormatiensem patruelem Imperatoris. Hermannus Contractus Canisii ad An. 1011. Conradus Dux Carentani, filius Ottonis ducis, fraterque Brunonis dudum papæ, obiit, & privato filio ejus, *puero Conrado*, Adalbero ducatum accepit. Idem ad An. 1019. Conradus adolescens, *filius Conradi quondam Ducis Carentani*, auxiliante *patruele suo* Conrado, postea Imperatore, Adalberonem tunc ducem Carentani apud Ulmam pugna victum fugavit. Idem ad An. 1024. cum Conradus senior, filius Heinrici & Adelheidæ, & patruelis ejus *Conradus*, *filius Conradi ducis ex Mathilde* ad regnum præcipue adniterentur, habito apud villam Kumbam principum conventu, *senior Conradus* Rex promotus &c. Idem ad Annum 1036. Conradus patruelis Imperatoris *patris sui ducatum in Carentano & in Histria*, quem Adelbero habuerat, ab Imperatore suscepit. Idem ad An. 1039. Conradus dux Carentani & Adelbero æmulus ejus, qui ante eum ducatum eundem tenuerat, ipso anno obierunt.

Die andere Vermählung Mathildis mit Hertzog Friedrichen von Lothringen/ bekräfftiget Wippo, wenn er ihn für des jüngern Cunonis Stief-Vater ausgibt/ und unter die Malcontenten zehlet p. 431. Ernestus Dux Alemanniæ, Chuno Dux Franciæ, *Fridericus Dux Lotharingorum*, cum aliis plerisque *contra Regem Chuonradum* consenserunt, & multa molientes, multas munitiones incassum præparantes, nihil nisi calamitatem futuram assecuti sunt. Idem p. 434. Chuno Dux Wormatiensis, patruelis Imperatoris, nec fidus Imperatori, nec tamen multum noxius illi, interim quietus manebat. Fridericus Dux Lotharingorum, *vitricus* prædicti *Chunonis*, Imperatori inimicando morte propria præventus est.

i. Beatrix, Mathildis und Hertzog Friedrichs von Lothringen Tochter.

Von dieser wird in nächstfolgender Probe/ bey der mütterlichen Stamm-Linie der Gräfin Mathildis Num. 2. und 3. ein mehrers gemeldet werden.

DISSERTATIO VI.

DE FAMILIA AUGUSTA FRANCONICA CUM FAMILIIS DUCUM SUEVIÆ VEL MAXIME CONJUNCTA.

PRÆFATIO.

Quatuor B. L. in limine hujus dissertationis genealogicæ a nobis præmonenda sunt. *Primo* negamus Conradi I. Regis Germaniæ ortum Carolingicum, a multis confidentius traditum, quam assertum. Plus enim apud nos valent tot antiquorum scriptorum testimonia, quæ clarissimis verbis iterum iterumque affirmant, *deficiente* in Germanico regno *regio Carolingico stemmate*, post Ludovici Infantis R. mortem, Conradum, virum, *non de eodem genere natum*, fuisse electum, quam variæ & ingeniosa recentiorum autorum deductiones genealogicæ, quæ nudis innituntur conjecturis, & solam convenientiam quorundam nominum pro solido fundamento demonstrationis adhibent. Begonem, Comitem Parisiensem, maritum fuisse Alpaidis, filiæ Ludovici, constat inter omnes; ab ejus vero posteris descendere Conradum I. Regem de eo merito adhuc dubitamus, nondum idoneis monumentis convicti. Et qua fronte Otto Frisingensis Chron. lib. VI. c. 32. de Henrico III. Imp. affirmare potuisset, in ipso dignitatem imperialem, quæ per longum jam tempus a semine Caroli exulaverat, ad generosum & antiquum germen Caroli reductam esse, si jam antea Conradus I. Rex Carolingicus, sive, ut ipse loquitur, novissimus Carolorum, extitisset?

Secundo quæsumus Te, B. L. excuses hiatum inter tabulam I. & II. nostram genealogicam Familiæ Augustæ Franconicæ, quæ absque *connexione* stirpium demonstrata Tibi proponendæ fuerunt. Quo enim digitum intendat Chronographus Francicus Lambecianus his verbis: *Conradus Dux, qui fuit ex progenie Conradi Regis prædicti, accepit filiam Ottonis*, a nobis, quamvis multa adhibita cura & industria, investigari non potuit. Nexum tamen non solum certissimum genealogicum inter duos istos Cunrados, Reges, non solum indicat iste scriptor coævus, verum etiam eundem in schemate quodam ob oculos posuit celeberrimus Eccardus in Origg. Habsburgo-Austriac. Lib. II. cap. 1. §. 2. illudque a se alibi additis probationibus stabilitum esse affirmavit. Sed & hac accensa luce nobis carendum fuit, quoniam ignoramus sub quo modio illa lateat.

Tertio discessionem facimus a magni alias nominis in historia Germanica viro, Francisco Guillimanno, qui in peculiari & erudito syntagmate de vera origine

9.

FAMILI

1) Chuonradus Senior, *Comes in Hessia & Wederav*
cæsus in prælio d. 27. Febr. A. 905. sep. in Wil
Uxor
2) Glismuot, *Comitissa. d. 26. Apr. A. 924.*

radus
piens

6) Chuonradus, *Comes & hujus nominis* Primus *Rex Germaniæ sub finem A. 911. electus.* † *23. Dec. 918. sep. Fuldæ.*
Uxor
7) Chunegunda, *A. 913. soror Erchangeri Comitis Alemanniæ, Vidua* Liupuldi *Ducis Bajoariæ prostrati ab Hungaris A. 907. sepulta in Monasterio Laurisbamensi.*

8) Filii nulli.

9) Eberhardus, *Dux Franciæ Austra & Comes Palatii, in rebellione contra O juxta Adernacum occi*
10) Uxor N. N.

12) Udo, *Episcopus Arg* † *27. Aug. 9*

origine & stemmate Cunradi II. Imp. Salici, Friburgo Brisgoiæ apud Joannem Strasserum An. 1609. in 4to. excuso, pag. 32. ex instituto hunc Imperatorem a filio Ottonis M. Luitolpho, Duce Alemanniæ, deduxit. Nam eruditissimi Viri, Antonius Pagi in Criticæ Baronianæ T. II. ad a. 997. n. 8. p. 751. & ad a. 1005. n. 3. p. 95. & ad a. 1024. n. 7. – 10. p. 125. & Simon Frid. Hahnius in egregia Oratione auspicali de genuino ac salico Cuonradi II. Imp. Augusti ortu dilucide comprobarunt, Cuonradi majores potius a Luitgarda, Filia Ottonis M. derivandos esse, & Guillimannum duos Ottones, utrosque etiam nepotes Ottonis M. alterum quippe Luitolphi, Alemannici Ducis, filium, alterum vero filium Conradi, Francici Principis, inter se incaute permiscere.

Quarto firmiter statuimus, nullum unquam fuisse ducatum Wormatiensem, sed nobilissimos quosdam Francorum intra civitatem Wormatiam domum habentes munitam, ibique habitantes Ducis titulum & dignitatem aliunde retulisse, ita exempli gratia, Chuonradus I. in Tabula nostra II. occurrens, qui Dux Lotharingiæ fuerat, cum postea Wormatiæ in palatio suo habitaret, vulgo dictus fuit postea Dux Wormatiensis, atque hunc titulum, veluti gentilitium elogium & honorem posteris reliquit. Multa enim adsunt diplomata, in quibus potius occurrit Comitatus, quam Ducatus Wormatiensis, qui nullibi invenitur. Ita legitur in confirmatione donationis cujusdam facta ab Ottone III. Imp. Abbatiæ D. Maximini A. 992: Reddimus illis, quod prædictus Confessor S. Maximinus in pago & Comitatu videlicet Nahgouvve, & in pago & Comitatu Vormatiensi, & in pago & Comitatu Spirensi habere dignoscitur. Vid. Ditmarus restit. Lib. V. p. 375. Guillimannus l. c. p. 22. Monachus Kirsgartensis in Chronico Wormatiæ c. 10. 11. 15. illustris Ludevvig in præfat. T. II. reliqu. MSCt. §. 3. p. 7. Talis ergo Dux Wormatiensis fuit, qualis Dux Sveinfurti, Dux de Rotenburg, &c. etiam in medio ævo sine æquivoco Ducatu occurrentes. Hisce necessario præmissis ad ipsam Genealogiam Familiæ Augustæ Franconicæ comprobandam, auxiliante DEO, nos accingimus.

PROBATIONES
AD TABULAM I.
FAMILIÆ AUGUSTÆ FRANCONICÆ.

Nota: *Numeri additi personas easdem in Tabulis occurrentes ubique signant.*

1) Regino lib. II. ad a. 905. p. 73. Cunradus Senior in Hessia, *in loco, qui dicitur* Frideslar, *cum multa turba peditum & equitum residebat, crebras incursiones Adelberti suspectas habens, frater vero ejus* Gerhardus in Wederavia, *cum omnibus, quos sibi adsociare poterat, ejusdem Adalberti præstolabatur repentinam irruptionem, nec eos fefellit per omnia rerum eventus: siquidem Adelbertus vires adversariorum extenuatas esse statuens, eo quod in tribus partibus essent divisi – – primo quidem simulat se contra Gerhardum copias transferre velle, ut & illum bello perterreret, & fratrem securiorem redderet, deinde quanta potuit celeritate adversus Cunradum dirigit. Quod cum Cunradus sero cognovisset, divisis sociis, in tribus turmis ei cunctanter occurrit, & commissa pugna duæ turmæ, una peditum & altera Saxonum, statim terga vertunt. Quos cum Cunradus clamore ingenti frustra hortaretur* – –

ipse cum tertia turma, animatis sociis, super adversarios irruit, sed mox in ipso primo impetu multis vulneribus confossus, extinctus est. - - Peracta est autem hæc cædes III. Calendas Martii. Venientes filii cum matre, levaverunt corpus Cunradi, & sepelierunt in castro, quod Wilineburch vocatur.

2) Donationis charta Cunradi I. Regis in Brovveri *Antiq. Fuldens. L. I. c. 7. p. 128. 129. Offerimus & contradimus Deo & sanctissimo ejus martyri Bonifacio, prædia duo -- -- ut Fuldensis monasterii fratres – pro animæ nostræ matrisque nostræ Glismudæ liberatione preces jugiter Deo fundant.* Necrologium Fuldense in Leibnitii *Script. Brunsv. T. III. p. 763. A. 924. Glismuot Comitissa VI. Kal. Maji.*

3) Regino lib. II. ad a. 892. *Per id tempus Arnt, Wirtzburgensis Ecclesiæ venerabilis Episcopus -- -- in pugna contra Sclavos occiditur: cujus cathedram* Rudolphus *licet nobilis, stultissimus tamen frater Cunradi & Gæberhardi, comitum, obtinuit, & ei in episcopatu successit.* Necrologium Fuldense *in Leibnitii T. III. script. Brunsv. p. 76. DCCCCVIII. Rudolf. Episcopus.* Chronicon Wirziburgense Baluzianum ad a. 908. *Ruodolfus Wircipurc. Episcopus obiit III. Non. Augusti, sedit annos XVII. dies II.* Laurentius Friese *in der Historie der Bischoffe zu Würzburg* p. 426. **Rathulff oder Rudolph der erste dieses Nahmens / und eilffte Bischoff zu Wirtzburg / ein gebohrner Graf zu Francken und Hessen / darvor ein Abt zu Herschfelden ist -- zum Bischoff zu Wirtzburg gemacht worden am ersten Tag des Augustmonats nach Christi Geburt 891. hat regiert 17. Jahr und 2. Täge.** & p. 430. **Bischoff Rathulff ist gestorben am St. Stefans Erfindung den 3. Augusti 908.**

4) Videantur testimonia ex Reginone n. 1. 3. & 5. & ejusdem Continuatoris n. 11.

5) Regino ad a. 902. *Adalbertus cum fratribus Adalbardo & Heinrico, collecta valida manu adversus* Eberhardum, & Gebelhardum, & Rudolphum, *fratres -- -- ex castro, quod Babenbergk dicitur, prosiliens ad pugnam processit -- -- in quo certamine -- -- --* Eberhardus *etiam multis vulneribus confossus in prælio cecidit, ubi finito conflictu, inter cadavera occisorum a suis inventus domum reportatur, & paucis interpositis diebus & ipse moritur.*

6) Regino lib. II. ad a. 905. *Cunradus, comes, filium suum* Cunradum *misit cum armatorum non modica manu, irruerent super Gerhardum & fratrem ejus Matfridum, eo quod honores suos & Gebelhardi fratris ejus, videlicet possessionem S. Maximini & S. Mariæ ad Horrea violenter invasissent.* Continuator Reginonis ad a. 911. *Ludovicus Rex, filius Arnolphi Imperatoris, obiit, cui* Cunradus, *filius Cunradi ab Adalberto occisi, regali jam stirpe deficiente, in regno successit.*

Variant quidem antiqui chronographi in anno electionis Conradi I. Regis constituendo. Sed pro anno 911. omnem dubitationem tollunt subscriptiones in diplomatibus Conradi I. Regis. Ita enim legitur in donatione Conradi I. Regis, data monasterio S. Michaelis in Aberinesburg. in Tolneri codice dipl. Palatino n. XVI. p. 13. *Data X. Kal. Septembris in monte Abirinesburg Anno Dominicæ incarnat. DCCCCXII, indictione XIII, anno primo regni Chunradi gloriosissimi regis. Actum ad Triburiam palatio regio feliciter. Amen.* Et in Hedæ Historia Episc. Ultraject. p. 73. occurrit ejusdem Regis charta, *data VII. Idus*

Idus Julii anno incarnat. Dom. DCCCCXIV. indictione II. anno regni Conradi gloriosissimi Regis tertio &c.

Witichindus annal. Lib.I. p. 6. p. 635. *Cum bellum esset* Cunrado, *regis Cunradi patri ex Adelberto Henrici ex sorore nepoti, primum interfectus est frater Adelberti, postea in ultionem fratris Cunradus quoque occisus est ab Adelberto.* Idem paulo ante p. 634. *Regi Lothowico, non erat filius, omnisque populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema imponere regni. Ipse vero quasi jam gravior recusabat imperii onus: ejus tamen consultu* Cunradus, quondam Dux Francorum, ungitur in regem.

Lambertus Schaffnab. ad a. 912. *Ludovicus Rex obiit, cui* Conradus *successit.* Et ad A. 919. *Cunradus Rex obiit.* Marianus Scotus Lib. III. æt. 6. p. 446. A. 918. *Conradus Rex obiit X. Calendas Januarii; sepultusque est in Fulda monasterio juxta altare sanctæ crucis.* Hepidanus ad A. 918. *Chuonradus Rex obiit, ante natale Domini.* Martyrologium Fuldense in Brovveri antiqu. Fuldens. lib. II. c. 7. p. 129. *X. Kal. Januar. Chuonradus Rex.* Continuator Reginonis ad A. 919. *Cunradus Rex obiit — — in Fulda monasterio honorificata sepultura tumulatus est.* Hermannus Contract. Canisianus ad A. 911. *Ludovicus Rex adolescens moritur — — Post quem deficiente nostris in partibus stemmate regio, Conradus, Filius Conradi, rex electus & unctus regnavit annis VII.* Luithprandus Hist. Lib. II. c. 7. *Conradus Rex — — septimo denique regni sui anno, vocationis suæ ad Dominum tempus agnovit.*

7) Chronicon Laurishamense apud Freher. T. I. p. 69. & 116. Conradi *Regis uxor* Chunegunda *locum proprietatis suæ Ginga adpellatum cum omni jure regalique præcepto S. Nazario tradidit, atque ibidem in ecclesia, quæ dicitur varia, se tumulari præcepit.* Chronicon S. Galli *in du Chesne T. III.* ad A. 913. *Discordia cœpta inter Regem & Erchangerum.* Ipso anno Erchanger *cum Rege pacificatus est, cujus sororem Liupuldi relictam, Rex quasi pacis obsidem in matrimonium accepit.* Hepidannus ad A. 913. *Erchanger & Perthold frater ejus, & Vodalrichus Comes, auxiliante illis nepote eorum* Arnolfo, *optimo* Duce Bajoariorum, *totum Agarenorum exercitum penitus occiderunt.*

8) Gotfridus Viterb. P. XVII. p. 474. *Conrado primo natus non extitit hæres.* Ekkehardus Junior *de casibus monasterii St. Galli cap. V. p. 61. Conradus rex virili prole carens.*

9) Witichindus *Annal. Lib. I. p. 636. Rex autem — — cum se morbo sensisset laborare, pariter cum defectione primæ fortunæ, vocat fratrem, qui eum visitandi gratia adierat, quem ita alloquitur: Sentio, inquit, frater, diutius me istam vitam tenere non posse, — — sumtis igitur his insigniis — — ito ad Henricum — — His dictis frater lacrymans se consentire respondet. Post hæc vero Rex ipse moritur. — — Ut ergo Rex imperarat,* Everhardus *adiit Henricum, seque cum omnibus thesauris illi tradidit.*

Ekkehardus *de casibus monast. S. Galli c. X. p. 61. Conradus Rex, virili prole carens, Eburhardum autem fratrem habens, ad regni Gubernacula, si sibi superviveret aspirantem: sensit eum nec regno virtute quidem habilem, nec populo moribus acceptum, rogantemque cum ipse jam senesceret, ut se populo commendaret, crebro frustravit. Incipiens autem mori clam loquitur fratri: Video, ait, germane mi, & semper vidi te a populo nolle accipi &c.*

Autor

Autor vitæ Johannis Gorziæ abbatis in *Labbei T. I. Biblioth. Manuscript. p. 768. Otto maximus post rerum Augustus post genitorem strenuum per omnia Henricum, prima regni tunc auspicia cœperat, sub quo Gislebertus Ducatum regni Lotharii*, Everardus *Franciæ, Austrasiæ, & quorundam trans Rhenum tenebat locorum.*

Sigebertus Gemblacensis ad A. 938. *contra Ottonem imperatorem rebellavit* Everardus, Comes Palatii *& Gislebertus Dux Lotharingiæ.* Continuator Reginonis ad A. 939. *Gisalbertus & Eberhardus, juxta Andernacum castellum cum suis Rhenum transituri, ab Udone & Chunrado Comitibus, cæterisque Regi fidelibus, ne transeant, bellica congressione citoque mortis compendio præventi. Nam Eberhardus occiditur & Gisalbertus in Rheno submersus necatur.*

10) Liuthprandus Hist. Lib. IV. c. 10. p. 134. *Everhardus haud prius Gislebertum a Regis fidelitate sejungere valuit, donec regem eum se facturum esse promisit — Verum Everhardus longe aliter disposuerat. Noluit enim regem posse devincere, regnoque privare utrosque, sibique usurpare, quemadmodum ex verbis ipsius, quæ paulo antequam moreretur, uxori suæ dixit, conjicere possumus. Quam dum foveret in sinu,* jocundare, *inquit,* in gremio comitis, brevi lætatura in amplexibus regis.

11) Continuator Reginonis ad A. 910. *Franci in confinio Bavariæ & Franciæ Hungaris congressi miserabiliter aut victi aut fugati sunt. In quo prælio* Gebelhardus, *Comes interiit, relictis duobus filiis suis adhuc pueris,* Udone & Herimanno, *qui postea clari & nobiles in Francia extiterunt.* Liuthprandus *Hist. lib. IV. c. 10. p. 134. Habuerat plane Rex nonnullas maximas & fortissimas copias, & earum Duces,* Hermannum *scilicet* Suevorum Ducem, *fratremque ejus Udonem atque Conradum cognomine sapientem. Qui quanquam affinitatis linea Everbardo jungerentur, maluerunt tamen juste, si necessitas incubuisset, justo cum rege occumbere, quam cum consanguineo injuste triumphare.* Et c. 16. *Udo sane, Hermanni Ducis Suevorum frater &c.* Continuator Reginonis ad A. 949. *Udo, comes, obiit, qui permissu Regis, quicquid beneficii aut præfecturarum habuit, quasi hæreditatem inter filios divisit.*

12) Continuator Reginonis ad A. 950. *Rotbardus, Strasburgensis Episcopus obiit, cui* Udo, *filius Udonis Comitis, in episcopatu successit;* & ad A. 965. *Udo Strasburgensis Episcopus obiit, cui Erkanboldus successit.* Necrologium Fuldense, apud Leibnit. l. c. p. 764. A. 965. *Uoto Episcopus VI. Kal. Septembr.* Conf. Fr. Guillimanni liber commentarius de Episcopis Argentinensibus p. 155.

13) Witichindus Annal. lib. II. p. 644. *Interventus est autem ibi* (in obsidione Badiliki A. 936.) Gevehardus, *Udonis filius Fratris Herimanni Ducis: ob cujus necem, Deo omnia ordinante, Duces Francorum inter se sunt divisi.*

14) Videantur testimonia n. 11. & 17. Albericus ad A. 944. p. 280. *Interim fideles Regis,* Udo frater Hermanni Suevorum Ducis, *& Conradus Sapiens, quanquam Everardo affinitatis linea jungeretur, Everardum & Gislebertum prope Andernacum inopinate aggressi acerrime debellant.* Continuator Reginonis ad A. 926. *Burchardus Dux Alemanniæ in Italia occiditur* — Herimanno Ducatus Alemanniæ committitur, *qui Widam* (forte legendum: *Viduam*) *Burchardi duxit uxorem.* & ad A. 949. *Herimannus Dux inter suos sapientissimus & prudentissimus. Obiit IV. Idus Decembris.* Hermannus Contr. ad A. 948. *Herimannus Dux Alemanniæ — defunctus, Augiæque in capella S. Chiliani sepultus est.*

15) Vid.

15) Vid. testimonium Continuatoris Reginonis, qui etiam ad A. 950. scribit: *Rex purificationem S. Mariæ Franckfurto celebravit, indeque Wormatiam adiit, ubi viduam Herimanni Ducis ad se venientem benigne suscepit, sed & filio Luidolpho Ducatum Alemanniæ commisit.*

16) Continuator Reginonis ad A. 947. p. 77. *Ludolphus filius Regis* (Ottonis I.) *tali, ut decuerat apparatu, tertiam filiam Hermanni Ducis, sibi conjugio copulavit.*

Hrosvvitha de gestis Ottonum apud Meib. T. I. p. 719.

Utque suo subdi nato faceret Luidolfo
Multum devotæ perfecto mentis amore,
Francorum gentis Dominos prænobilis almos,
Nec non primates Suevorum scilicet omnes
Ipsi legali perpulcram fœdere jungi
Idam jussit, Hermanni natam Ducis almi,
Qui fuit illustris princeps in partibus illis.

Witichindus lib. III. p. 651. *Videns autem rex filium suum* Liudulfum *virum factum, dedit ei conjugem divitiis ac nobilitate claram, Ducis Herimanni filiam, nomine* Idam. *Quam cum accepisset in brevi post hæc socer moritur, cum Ducatu omni ei possessione relicta.* Chronographus Saxo ad A. 947. p. 160. *Rex quoque filio suo Liudolpho desponsavit* Idam, Herimanni Ducis Suevorum filiam, & ad A. 986. p. 199. *Ida quoque regalis domina, contectalis Luidolphi, filii magni Ottonis, huic luci subtrahitur.*

17) Diploma Ottonis I. Imp. in Heineccii Syntagm. de Sigillis P. I. c. 9. p. 90. *In nomine – Otto divina propitiante clementia rex. Dinoscant – qualiter dilecta conjux nostra nomine* Aetgıd, *&* Luidolphus *noster dilectus filius nostras pulsaverunt aures – data III. Id. Junii A. Dom. incarn. 945. Indict. III. regnante Serenissimo rege Ottone anno VIIII. Actum Magdeburg in Domino feliciter, Amen.*

Autor vitæ Mathildis c. III. in Leibnitii T. I. Script. Brunsu. p. 691. *Adalbertus – rex cum paucis armatis exivit ad prœlium, quem dum conserta pugna horribili* Lithulphus *ferro impeteret, Adalbertus in eum hastam vibravit, & thoracem perforans, ac per pectus educens, illum vita privavit: Alemanni suo destituti Duce mærentes tremore concussi sunt pariter & timore – Corpus Litulphi Atto habens, educta ex eo viscera in ecclesia S. Prosperi sepelivit. Corpus tandem digne condiens aromatibus patri transmisit Ottoni.*

Continuator Reginonis ad A. 957. p. 79. *Luidolfus in Italia obiit, cujus corpus inde translatum a venerabili archiepiscopo Wilhelmo, fratre ejus, Moguntiæ apud S. Albanum honorifice sepultum est.* Ditmarus restit. Lib. II. p. 333. Luidulphus, *regis filius, malorum depravatus consilio, rursum restitit, patriaque cedens, Italiam perrexit, ibique cum unum ferme annum esset, IIX. Septembris pio dolore obiit. Hujus corpus a sociis ejusdem Moguntiam delatum, lugubiliter in ecclesia Christi martyris Albani sepultum.* Necrologium Fuldense apud Leibnit. l. c. p. 764. *DCCCCLVII. Liutulf. Rex* (filius Regis) *VIII. Id. Septembr.*

18) Regino ad A. 903. *Adalbertus Rudolphum episcopum de Wirtzburgensi Ecclesia fugat, — filios etiam Eberhardi simul cum matre a propriis hæreditatibus & honoribus regio munere concessis, exire compellens, ultra Spectesbart secedere coëgit.* Continuator Reginonis A. 948. *Cunradus Comes, qui* Curcipoldus *dicebatur, filius Eberhardi, vir sapiens & prudens obiit.* Necrologium Fuldense apud Leibnit. l. c. p. 761. A. 948. *Cuonrat Comes II. Kal. Jul.*

Ekkehardus junior de casibus monasterii S. Galli. c. V. p. 61. *Kisilbertus & Eburhardus quadam die cum collectas in armis apud Brisachum copias navibus transposuissent, ipsique interea in littoris planitie luderent tabula, Chuono quidam regii generis,* Churzibolt *a brevitate cognominatus, fortuitu viginti militibus viros incurrit.* Kisilbertum *cum omnibus, qui in navi erant, quam insiluit, lancea infixa submersit:* Euerhardum *— -- gladio in littore occidit. Erat quidem angusto in pectore audax & fortis, qui leonem cavea effracta, se & regem solos inventos in consilio insilientem, rege grandi quidem viro gladium, quem Chuono, tunc ut moris est, gerebat, arripere volente, ipse præsiliens incunctanter occidit. Diffamatur longe lateque Heinrici Regis militem leonem se insilientem gladio occidisse. Mulieres ille, & mala arborum naturali sibi quodam odio adeo execratus est, ut ubi in itinere utrumvis inveniret, mansionem facere nollet. Multa sunt, quæ de illo concinnantur & canuntur, quæ, quia ad nos redeundum est, præterimus, nec quod provocatorem Sclavum, giganteæ molis hominem, e castro regis prorumpens novus David lancea pro lapide straverat.* Conferantur testimonia Liuthprandi ex num. 11. & Alberici ex num. 14.

Ad hunc Conradum referendum quoque mihi videtur excerptum diplomatis Ludovici Regis dat. IV. Idus Februarii A. 909. Franconofurti in Brovveri annal. Trevir. *lib. IX. §. 67. p. 445. quo Brechene, pagi Loganæ opimum ac feracis glebæ diffusum per ampla arvorum spatia prædium, dilecto Comiti* Chuonrato Eburhardi filio, *attribuit, & hunc fundum vocat curtem dominicalem, quæ cum curtilibus, ædificiis, ecclesia, decimis, mancipiis utriusque sexus, terra salica & universis quæsitis & acquirendis, in proprium donatione ad Comitem transire dicitur.* In hoc diplomate etiam *Hettonem fidelem & venerabilem patrem suum, Chuonratum Ducem egregium & fidelem nepotem,* appellat.

PROBATIONES
AD TABULAM II.
FAMILIÆ AUGUSTÆ FRANCONICÆ.

1) Continuator Reginonis ad A. 943. *Otto Dux obiit,* (de quo locutus fuerat ad A. 940.) *cui Cunradus, filius Werinheri, in Ducatu* (Lothariensi) *successit.*

2) Witichindus Lib. II. pag. 649. *Defuncto autem Udone, Lothariorum Præside, ac regis nepote Henrici,* Ducatus regionis conceditur Chuonrado, *cui, & unicam filiam suam rex desponsavit, qui erat adolescens acer, & fortis, domi militiaque optimus, commilitonibus suis carus.* Albericus ad A. 944. p. 281. *Otto Dux Lotharienfium post annum obiit; Conrardus Wormacensis, gener Ottonis, ei succedit.*

Conti-

NICÆ.

2) Ch n prælio ad Lycum d. 10. Augusti A. 955. sepultus Wormatiæ.

3) Lui

4) Ot erat A. 1026.

5) Jud

6) He huno, Dux 012. sep.

12) Wilhelmus, Episcopus Argentoratensis XXXIX. A. 1028. † 7. Nov. A. 1047. sep. Argentinæ in ecclesia S. Petri junioris a se condita.

7) Ade ta A. 1005. II. Ducis Alemanniæ, † A. 1004. ex Gepa Burgundica, ges sep. Wormatiæ. itus fuit

13) Chu Dux Lotharingiæ superioris, † A. 1027. hujus nicis, † A. 1076. & Pri ildis, inclytæ Comitissæ Tusciæ, † A. 1115. corona Roma Wormatiensis, Dux Francorum & Carintanorum A. 1036. † Tra 1039. sep. Sp us Wirziburgensis XX. A. 1034. † 27. Maji 1045. thedrali templo ibidem.

14) Gis ex Ge nupta Roma

*
* *

SCHEMA
de
GISELÆ AUGUSTÆ MARITIS ET LIBERIS.

Henricus F læ, Filia Hermanni II. D. Alemanniæ.
videatu

I. in Saxonia nsuici † 1014.

Maritus II.
5) Ernestus II. Dux Alemanniæ A. 1012. † d. 31. Maji 1015. sep. Wirceburgi.

ensis,

6) Ernestus II. Dux Alemanniæ † d. 18. Aug. 1030. sep. Constantia.

7) Hermannus III. Dux Alemanniæ A. 1030. † d. 28. Jul. 1038.

Marchio 1067.

Continuator Reginonis ad A. 953. p. 79. *Eodem anno Wigfridus, Colonienſis eccleſiæ Archiepiſcopus, obiit: cui Bruno frater regis ſuccedens, totius Lotharienſis regni Ducatum, & regnum cum epiſcopatu ſuſcepit.* Et ad A. 954. *In eodem anno* Chunradus Dux *cum Lotharienſibus, Duce Brunone archiepiſcopo, in Belenſi pago apud villam Rimilinga congreſſurus erat, ſed in ultimo, quia contra regem erat: Deo volente, ne fieret, remanebat. -- - Ea tempeſtate Luidolphus in gratiam regis revocatus, -- --* Chunradus *etiam omnium, quas habuit, divitiarum nudus, omiſſo ducatu in gratiam regis intromittitur, vita, patria & prædio contentus.*

Witichindus lib. III. p. 656. in deſcriptione prœlii ad Lycam: *Quartam legionem ordinavere Franci, quorum procurator & rector erat* Dux Cunradus. Et p. 657. *Sed non adeo incruenta victoria fuit de tam ſæva gente, Chunradus quippe, Dux fortiter pugnans, animi fervore, ſoliſque ardore, qui eo die nimius erat accenſus æſtuat, vincliſque loricæ ſolutis, dum auram captat, vulnere ſagittæ adverſo gutturis defixæ, cadit, cujus corpus, juxta regis imperium, honorifice collectum transportatur Wormatiam, ibique ſepelitur, vir omni virtute animi, & corporis magnus atque famoſus, cum fletu & planctu omnium Francorum.*

Ditmarus reſtitutus Lib. II. p. 332. de eodem prœlio: *Poſtera die i. e. in feſtivitate Chriſti martyris Laurentii, Rex -- comperit tum Ducem* Conradum, *generum ſuum, & egregium militem oppetiiſſe, cujus corpus merito defletum, ac diligenter procuratum, Wormatiam miſit tumulandum.* Necrologium Fuldenſe apud Leibnit. l. c. p. 765. *DCCCCLV. Cuonrat Dux IV. Id. Auguſt.* Lambertus Schaffnaburg. ad A. 955. *Otto Rex Ungaros cum magno periculo ſui ſuorumque magna cæde proſtravit in Lechfeld in natali S. Laurentii, in quo etiam bello Dux Conradus cum aliis multis eſt occiſus.*

3) Continuator Reginonis ad A. 947. *Cunradus Dux regi tunc temporis pene præ omnibus charus,* Luidgardam, *filiam regis, in matrimonium ſumſit.* Witichindus Lib. I. c. 37. p. 640. *Nam Rex* (Heinricus) *dedit filio ſuo Oddoni conjugem, filiam Ethmundi regis Anglorum, ſororem Adalſtani, quæ genuit ei filium nomine Luidulfum -- filiam quoque nomine* Luidgardam, *quæ nupſerat Conrado Francorum Duci.* Chronographus Saxo ad A. 947. p. 159. *Conradus Dux Lotharingiæ Luitgardam, filiam Regis, in matrimonium ſumſit.*

Hrosvvitha hiſt. de Oddonibus apud Meib. T. I. p. 719.

Hæc igitur (Edith) *puerum ſupra paucis memoratum.*
Acriter orbatum dimittebat Luidolfum:
Fœminei dulcem ſexus unam quoque prolem
Nomine Lingardam, *ſumma bonitate coruſcam*
Moribus & facie ſimilem matri venerandæ
-- -- -- -- --
Nec non Luitgardam ſimili cauſa venerandam,
Unica fœminei, quæ ſpes ſexus fuit illi,
Gratiola parili coluit, provexit, amavit.
Hanc quoque Conrado vinclis ſociavit amoris,
Egregio ſtrenuoque Duci, nimium quoque forti,
Munere qui talis dignus conſtabat honoris.

Continuator Reginonis ad A. 953. *Luidgarda filia regis, obiit.* Ditmarus restitutus lib. II. p. 339. de Luidgarda: *Hæc marito vivente suo, quamvis sæpe despiceretur, & laboribus crebris fatigaretur, tamen viridi patientia hæc sufferens, honorem innatum servare conatur. Cum autem vitam hanc finiret in ecclesia Christi martyris Albani in Moguntia flebiliter est sepulta, cujus fusum argenteum in ejus memoria ibidem est suspensum.*

4) Ditmarus restitutus lib. V. p. 370. *Horum necessitati ad succurendum* Otto, *Carentorum Dux, & Veronensium Comes, cum Heriberti Comitis, filio Ottone, & Arnesto, Luipoldi Marchionis filio, cum aliis paucis ob spem auxilii majoris ab Italis promissi a rege dirigitur. Quis autem ille Dux Otto fuerit, quia superius reticui, breviter intimabo: Hic igitur a Cunrado Duce & Luidgarda, filia Ottonis primi, Cæsaris maximi, procreatus, morum gravitate actuumque probitate parentelam suam decorabat, & cum post mortem Cæsaris jure consanguinitatis & ætatis virtutumque maturitate ab Henrico tunc Duce in regem eligeretur, tantum hoc onus humiliter excusans, eundem primos per internuncios ac per se ipsum, quasi ad hæc aptiorem sibi proposuit, fideliterque semper adjuvit.* Et in fine hujus libri p. 375.

Urbs Vormacensis gaudet temporibus istis
Libertate sua, cujus manebat in umbra,
Hactenus, atque Ducum fuerat sub lege suorum.
Burkard Antistes lætatur & inter heriles
Ex animo proceres quod non timet amplius hostes
Nunc ex contiguo, longe semotus ab illo.
Aula Ducis, Domini Domus est, jam prædia Christi
Et judicis varios clerus nunc deprimit illos.
Hoc rex Henricus fecit, pietate coruscus,
Hanc propriis solvens rebus, Christoque remittens.
Annuit ista pius Otto Dux *atque benignus*
Munere regali concessit abunde teneri:
Ex hoc lætantes sint semper quoque fideles.

Chronica Regum Francorum autoris anonymi cujusdam, qui sub Imp. Conrado II. Salico vixit in Petri Lambecii *Comment. lib. II. de Biblioth. Cæs. c. 5. p. 394. Mortuo Arnolfo Lodovicus puer, ejus* (Arnulfi) *filius, imperavit quatuor annos, cui* Conradus, *deficiente sæpe dicta Imperatoria stirpe nobili Francorum, quamvis non de eodem stemmate ortus, feliciter successit. Conradus prævidens sibi extremam imminere horam, jussit evocare Heinricum, Ducem Saxoniæ, cui & sceptrum dedit, -- -- Qui Heinricus duos filios habuit Ottonem I. Imp. & Inricum Ducem Bajouariæ. Otto Imp. generavit secundum Ottonem Imp. cui conjuncta est Stephana nobilissima Græcorum, ex qua sibi genitus est tertius Otto Imp. -- --* Conradus Dux, *qui fuit ex progenie Conradi Regis prædicti, accepit filiam Ottonis I. Imp. ex qua natus fuit Otto Dux; Otto Dux habuit filios duos, unus nomine Cono & alter Hezil. Ex isto Hezil natus Cono, qui modo Rex est.*

Albericus ad A. 1024. p. 56. *Hic inserendum est, quod filia primi Imperatoris Ottonis, soror* vero *secundi, nomine Juditha* (Nota errorem Alberici in nomine) *Duci Wormatia Conrado, qui etiam fuit Dux Bullonii, sicut habe-*

tur

tur in superioribus, *peperit Ducem* Ottonem, *de quo Ottone nati sunt* Cono *Dux memoratus*, *&* Henricus, *pater hujus Conradi.* Diploma præfixum Burchardi Ep. Wormacensis libris XX. decretorum p. 3. *In nomine -- -- Conradus divina favente clementia Rex. Noverit -- -- --. tale prædinm, quale avus noster, Otto Wormaciensis, habuerat. -- -- Data XVI. Cal. Martii Indict. VIII. Anno Dom. incarn. 1026. Anno autem Domini Conradi Secundi Regis II. Actum Augustæ. -- --* Auctor genealogiæ B. Arnulphi p. 225. *Otto Imperator, frater Brunonis Coloniensis Episcopi & Heinrici Ducis genuit Hudicam* (iterum mendum in nomine) *& Ottonem secundum Imp. Horum* Judica *genuit Ottonem Ducem.* Otto *Henricum & Chunonem fratres*, *horum* Henricus *genuit Imperatorem Conradum.*

5) Documentum fundationis monasterii Grevenhusen in Vosago & Diœcesi Spirensi in Guillimanni Syntagm. de vera origine & stemmate Cunradi II. Imp. Salici p. 12. *Noverit tam modernæ ætatis astipulatio. -- -- Qualiter ego* Otto, *Dei gratia Dux, animæ meæ parentumque meorum saluti prospiciens, suadente Juditha contborali mea, cum adsensu trium filiorum meorum*, Heinrici, Brunonis, Cunonis, *& hortante & annuente II. Ottone Imperatore -- -- Facta est autem chartula hujus traditionis anno Incarnat. Domini 977. Indictione VI. Imperante Ottone II.* Conferatur Epitaphium Gregorii V. Pontif. in n. 8.

6) Wippo de vita Chunradi Salici p. 425. *Erant duo Chunones, quorum unus, quod majoris ætatis esset*, major Chuno *vocabatur, alter autem junior* Chuno *dicebatur, ambo in Francia Teutonica nobilissimi ex duobus fratribus nati: quorum alter* Hetzel *& alter* Chuno *dictus est: ipsos vero ab Ottone Duce Francorum natos accepimus, cum duobus aliis Brunone & Wilhelmo.* Ditmarus Lib. IV. p. 349. ad A. 985. *Celebrata proxima Paschalis solennitas in Quidilinburg a Rege* (Ottone III.) *ubi quatuor ministrabant Duces, Henricus* (Dux Bojariæ) *ad mensam, Conradus* (Dux Suevorum) *ad Cameram, Hecil* (Dux Francorum) *ad cellarium, Bernbardus* (Dux Saxonum) *equis præfuit.* Necrologium Fuldense apud Leibnit. l. c. p. 765. DCCCCLXXXIX. Heinrichus Dux. Conferantur Probationes in n. 4. & 5.

7) Wippo de vita Chunradi Salici p. 425. *Prædicti duo Chunones cum essent, ut dictum est, ex parte genitorum nobilissimi: haud secus ex materno genere claruerant. -- -- Majoris Chunonis mater Adelberta, vel Adelbera, vel Adelheyda, ex nobilissima gente Lotharingorum oriunda fuerunt. Quæ Adelheyda soror erat Comitum Gerhardi & Adelberti, qui semper cum regibus & ducibus confligentes, ad extremum causa propinqui sui Conradi Regis vix acquiescebant, quorum parentes, ut fertur, de antiquo genere Trojanorum Regum venerant, qui sub B. Remigio, confessore, jugo fidei colla supponebant.*

Adelheydis hujus natales occasione originis Brunonis, Tullensis primum Episcopi, & postea sub Leonis IX. Pontificis maximi Romani A. 1048. *qui oriundus de Alsatia ex castello Egenesheim, & Couradi II. Imp. consobrinus* a Wiberto *in vita Leonis IX. lib. I. c. 1.* & in annalibus Saxonicis *apud Leibnit. T. I. Script. Brunsv. p. 577.* dicitur, operose & egregie illustrarunt celeberrimi viri, Collectores Antverpienses Actor. Sanct. *d. 11. mens. Apr. p. 649.* Mabillonius *Secul. VI. Benedict. P. II. p. 53.* Hahnius *in orat. ausp. de genuino ac Salico Cuonradi II. Imp. ortu p. 81. seq.* & Eccardus *Origg. Habsburgo-Austr. lib. I. c. 9. §. 3.* atque ostenderunt Adeleidem, uxorem Henrici Ducis, matremque

K 3 Conradi

Conradi Salici, & Hugonem, Patrem S. Leonis, Papæ, fuisse ex duobus fratribus, Everhardo illam, Hugone hunc, prognatos.

Albericus ad A. 1024. *Fuit autem iste Conradus* (ad Imperium sublimatus) *ex parte matris de genere Francorum, & fuit nepos Odonis, Campaniensis Comitis. Ejusdem Conradi fuerunt nepotes Comes Letardus de Longuy, Pater Menegaudi, & Gislebertus, Comes de Lusceburch, pater Comitis Conradi. Item Comes Hugo de Dasburg, pater S. Leonis Papæ — — & Imperator iste Conradus fuerant Consobrini.* Wippo p. 434. *Ernestus Alsatiam provinciam vastavit, & castella Hugonis Comitis, qui erat Consanguineus Imperatoris desolavit.*

8) Ditmarus lib. IV. p. 353. *Otto III. dehinc Romam veniens gloriose nepotem suum Brunonem, Ottonis filium Ducis, in loco Johannis* (XV.) *Papa nuper defuncti, cum omnium laude præsentium constituit.* Wippo de vita Cunradi Salici p. 425. *Duo Chunones -- ex duobus fratribus nati, quorum alter Hezel, & alter* Chuno *dictus est. Ipsos vero ab Ottone Duce Francorum natos accepimus cum duobus aliis Brunone & Wilhelmo: ex quibus Bruno Apostolicæ sedis Romanæ ecclesiæ Papa effectus, mutato nomine Gregorius appellatus est.* Annales Hildeshemenses apud Leibnitium T. I. p. 721. *DCCCCXCVI. Ind. IX. Johannes Papa obiit. Unde Imperator in Italia positus rumore incitatus, præmissis quibusdam principibus publico consensu & electione fecit in Apostolicam sedem ordinari suum nepotem, Dominum Brunonem, Ottonis filium, qui Marcham Veronensem servabat, imposito nomine Gregorii: a quo & ipse proximo solenni Pentecostes Imperator & Patricius consecratur.*

Anonymus vitæ S. Adalberti Pragensis coævus in actis SS. Antvverp. ad d. 23. Apr. n. 30. *Hoc ipso tempore iter agit Romam Rex Francorum Otto III. -- -- Summus ipsis diebus Pontifex acerrima febre correptus, corpus terræ, animam cælo, utraque in sua dimisit exordia. Rex autem Otto Alpium nives multo milite transmeans, juxta sacram urbem Ravennam regalia castra metatus est. Ibi in ejus occursum veniunt epistolæ cum nunciis, quas mittunt Romani proceres & Senatorius ordo, primo illius adventum -- -- pollicitantur expectare. Deinde in morte Domni Apostolici -- -- quem pro eo ponerent, regalem exquirunt sententiam. Erat tum in capella regis quidam Clericus Bruno, secularibus litteris egregie eruditus, ut ipse regio sanguine genus ferens, magnæ indolis: sed* (quod minus bonum) *multum fervidæ juventutis. Hunc, quia Regi placuit, a majoribus electum, Moguntinus Archipræsul Willigisus, & suus Collega Adelbaldus Episcopus adduxerunt Romam. Proinde a Romanis honorifice acceptum, ad hoc ordinati Episcopi Apostolico honore promulgarunt.*

Sub initium mensis Maji Brunonem creatum fuisse Pontificem, Pagi in Criticæ Baronianæ T. IV. p. 70. probavit ex hac subscriptione privilegii Abbatiæ S. Ambrosii Anno Christi 998. a Brunone confirmati, quod extat T. IX. Concil. p. 755. *datum IV. Kal. Majas per manus Joannis Episcopi S. Albanensis ecclesiæ, & Bibliothecarii S. Apostolicæ sedis, anno,* Deo propitio, *pontificatus, Domni Gregorii, summi Pontificis & universalis Quinti Papæ, in sacratissima sede, B. Petri apostoli secundo.*

Elogium sepulchri conditi Gregorii V. apud aram D. Gregorii in basilica Petri legitur his versibus barbaris apud Compilatorem Hamerslebiensem *in Leibnit. T. I. script. Brunsv. p. 576.* & Maderi Antiqu. Brunsu. *p. 144.*

Hic,

Hic, quem claudit humus, oculis vultuque decorum
Papa fuit Quintus nomine Gregorius.
Ante tamen Bruno, Francorum regia proles,
Filius Ottonis de genitrice Judit.
Lingua Teutonicus, Wangia doctus in urbe,
Sed juvenis Cathedram sedit Apostolicam,
Ad binos annos & menses circiter octo,
Ter senos Februo commemorante dies.
Pauperibus dives per singula Sabbatha vestes
Divisit, numero cautus Apostolico,
Usus Francisca, vulgari, & voce latina,
Instituit populos eloquio triplici.
Tertius Otto sibi Petri commisit ovile,
Cognatis manibus unctus in imperium.
Exuit & postquam terrenæ vincula carnis,
Æquivoci dextro substituit lateri.
Decessit XII. Kal. Martii.

Necrologium Fuldense apud Leibnitium T. III. pag. 766. DCCCCXCIX. *Gregorius summus Pontifex, filius Ottonis Id. Febr.* Herm. Contractus Urstisianus p. 317. ad A. 997. *Bruno, qui & Gregorius V. filius Ottonis Ducis, Papa 142. ordinatus -- sedit annis II. mensibus IX.*

9) Wippo de vita Chunradi Salici pag. 425. *Erant duo Chunones -- ex duobus fratribus, nati: quorum alter Hezel & alter Chuno dictus est.* Conferatur Fundatio monasterii Grevenhusi ex n. 5. Chronicon Quedlinburgense in Leibnit. T. II. Script. Brunsu. p. 288. ad A. 1012. *Conradus, Dux, regiæ stirpis humanum debitum exsolvit.* Hermannus Contr. Pistorianus ad A. 1012. p. 135. *Conradus Dux filius Othonis obiit.* Et in Codice novo apud Urstis. T. I. p. 319. *Chuonradus, Dux Carentani, moriens Adalberoni Ducatum reliquit.* Necrologium Fuldense apud Leibnit. l. c. p. 766. MXI. Cuonradus Dux II. Id. Decembr.

10) Autor vitæ B. Adalberonis II. Episcopi Metensis in *Labbei Biblioth. MSSt. T. I. Sect. V.* Henricum sanctum Imp. ita loquentem Synodo Tremoniensi introducit: *Ecce*, inquit, *Conradus, Dux Austrasiorum, consanguinitate nobis, & quicunque in tota patria nobiliores sunt, cunctis affinitate, conjunctus uxorem duxit sic sibi propinquam, sic proximam, ut sicut timemus, non modo ipsi, verum etiam omni Patriæ offensa Dei citissime, & ut dicitur, præ foris adesse videatur.* Et deinde hæc Adelberonis Metensium præsulis verba profert: *Dominus Otto Dux, pater ipsius venerabilis Conradi Ducis, nobis consedentis, natus ex filia magni Ottonis est. Cujus soror Girbergia dedit filiam suam Conrado, Burgundionum Regi. Ex Conradi autem filia nata est Domina Mathildis, hujus Conradi assidentis uxor. Hoc ergo Genealogiæ ordine, quia fratres sororque in supputationem non admittuntur, consanguinitas horum non plus, quam secundo loco elongari prævalet.*

Wippo de vita Chunradi Salici p. 425. *Junioris Chunonis mater Machilda de filia Conradi Regis Burgundiæ nata fuit.* Adelbodus in vita Henrici S. c. 8. *apud*

apud Leibnit. T. I. Script. Brunsv. p. 432. Hermannus (Dux in Alemannia c. 5.) -- -- *juncto sibi Cunone genero suo Argentinam adivit.* Hermannus Contr. Canisii ad A. 997. *Conradus, Allemannorum Dux, obiit, & pro eo* Herimannus II. *Ducatum accepit, qui & ipse filiam Cunradi Regis Burgundiæ,* Gerbergam, *in matrimonio habuit, ex qua filium æquivocum tresque filias reliquit.* Guillimannus de vera orig. & stemmat. Cunradi II. p. 21. *Mathilda sepulta est Vormatiæ cum priore marito in æde S. Petri ante altare S. Crucis, familiæ monumento.*

11) Wippo p. 434. *Chuno Dux Wormatiensis, patruelis Imperatoris, nec fidus Imperatori, nec tamen multum noxius illi, interim quietus manebat.* Fridericus Dux Lotharingorum, *vitricus prædicti Chunonis, Imperatori inimicando morte propria præventus est.*

12) Wippo p. 425. *Erant duo Chunones -- ex duobus fratribus nati, quorum alter Hetzel & alter Chuno dictus est, ipsos vero ab Ottone, Duce Francorum, natos accepimus, cum duobus aliis, Brunone & Wilhelmo -- Wilhelmus factus Argentinensis Ecclesiæ Episcopus miro modo eam sublimavit.* Conf. idem p. 436. Lambertus Schaffnab. ad A. 1019. *Wernher Argentinæ Episcopus obiit, cui Wilhelmus successit.* Hermannus Contr. ad A. 1047. *Circa idem tempus Imperator Præsules nonnullos constituit; Argentinæ Herrandum, Spiræ præpositum, Villihelmo autumnali tempore defuncto.*

Franciscus Guillimannus in Comment. de Episcopis Argentinensibus p. 193. *Excessit Guilielmus A. D. N. 1047. VII. Idus Novembr. sepultus in eadem a se condita Petri Junioris ecclesia cum hoc epitaphio:*

Mille quater denos septem quoque viderat annos
Christus, Guilielme, hoc dum tegerere solo.
Argentinensis fueras, qui Præsul & octo
Fratribus hanc ædem denuo munieras.

Annales Hildeshemenses ad A. 1029. *Werinberus Argentinæ Præsul e mundo migravit; Post quem Willehelmus, Reginæ Archicapellanus, subintravit.*

13) Vid. testimonium Chronicæ Regum Franc. apud Lambecum in n. 4. Wipponis in n. 6. & 7. Hermannus Contr. ad A. 1024. *Conradus senior, filius Heinrici & Adelheidæ, & patruelis ejus Conradus, filius Conradi Ducis ex Mathilde, ad regnum præcipue adnituntur.* Otto Frisingensis lib. VI. Chr. c. 28. p. 132. *A. 1025. defuncto sine filiis Henrico, Conradus, natione Francus, consilio antecessoris sui -- -- ab omnibus electus -- regnum sortitur. Hic ex parte patris a Conrado, Wormatiensium Duce, qui in prælio cum Ungaris sub Ottone habito, occubuerat, prosapiam ducens, ex parte matris, ex probatissimorum Galliarum principum, qui ex antiqua Trojanorum stirpe descenderant, & a B. Remigio baptizati fuerant, originem trahens.*

Confirmatio Imperatoria translationis Episcopatus Numburgensis in Sagittarii Hist. Eccardi II. March. Misn. Sect. XI. §. 9. *In nomine* Conradus *divina -- Imperator Augustus -- episcopatum in Citizensi loco a venerabili progenitore nostro Ottone* (Imperatore) *constructum ad Nuvvenburg -- transtulimus. -- -- data XVI. Kal. Januarii Indict. XV. Anno Dom. incarn. millesimo XXX. secundo, anno autem Domini Conradi II. regnantis IX, imperantis vero VI. Actum*

Actum Quitilineburg -- Wippo p. 416. *Credo quidem huic electioni cælestium virtutum favorem non deesse, cum inter singularis potentiæ viros, tot Duces & Marchiones, absque invidia, sine controversia, is Cunradus eligeretur, qui licet genere & virtute, atque in propriis bonis nemine esset inferior, tamen de republica, ad comparationem talium virorum, parum beneficii & potestatis habuit.*

Sigebertus Gemblac. ad A. 1024. *Henricus Imperator consulentibus sibi Principibus super substitutione regni, designans* Conradum, *virum egregii generis, & egregiæ libertatis, quippe qui nunquam se submiserat alicujus servituti, moritur.* Wippo p. 427. *Peracta electione Regem sequi Moguntiam properant. Ad quem benedicendum in die nativitatis S. Mariæ cum Archiepiscopus Moguntinensis -- se præpararent.* Autor vitæ Meinvverci c. 93. apud Leibnit. T. I. Script. Brunsu. p. 557. *Conradus anno dom. incarn. 1024. -- -- VI. Idus Septembris regnum obtinuit*, & c. 97. p. 558. *Rex ad limina apostolorum tendens feria III. ante Cœnam Domini Romam -- intravit, & in sancto die resurrectionis Domini -- -- coronam imperialis honoris a B. Joanne, Apostolorum vicario, gloriose suscepit.* Annales Hildesheimens. ad A. 1024. ibid. pag. 725. *VI. Idus Septembris Cuonradus Regnum subintravit.* Et ad A. 1027. Cuonradus *Rex in Pascha Romæ* imperator *factus est.*

Wippo p. 442. *Anno Dom. Incarn. 1039. Imperator Cunradus -- -- diem sanctum Pentecostes apud Trajectum, civitatem Frisiæ, celebravit, ubi, cum -- magnifice cum filio & imperatrice coronatus procederet ad mensam, mediocri dolore correptus est, tamen, ne tantæ diei lætitiam perturbaret, dolorem dissimulavit. Sequenti die, cum morbus lethalis vehementer insisteret, -- -- Imperatrici & filio regi Henrico per fida monita valedicens ex hac vita migravit XI. Nonas Junii, Feria II. indict. VII. Viscera Imperatoris apud Trajectum condita sunt. -- Reliquum corpus -- in Spira civitate — honorifice sepultum est.*

Annales Hildeshemenses ad A. 1039. Ind. VII. *Imperator -- ad celebrandum Pentecosten Trajectum venit, & ibi quidem in summa lætitia sanctum diem scilicet, in regalis diadematis decore procedendo, peregit. Sed sequenti die feria II. hora diei VI. II. Non. Jun. mensæ reficiendi gratia assidens, subita defectione præreptus, vix dum confessionis sententia prolata, flebiliter exspiravit.* Ex hoc loco manifestum mendum in numero Nonarum apud Wipponem corrigendum est.

14) Wippo p. 428. *Superbos omnes dilecta Regis conjunx*, Gisela, *prudentia & consilio viguit, cui pater erat* Hermannus Dux Alemanniæ, *Mater ejus* Kerbirga, *filia Conradi, Regis de Burgundia fuit, cujus parentes de Caroli M. stirpe processerunt, unde quidam de nostris in libello, quem Tetralogum nominavit, & postea Regi Henrico, cum natalem Domini in Argentina civitate celebraret, præsentavit, inter alios duos versus edidit hoc modo:*

Quando post decimam numeratur linea quarta
De Carolo M. procedit Gisela prudens.

Eosdem versus pro arguenda Giselæ Carolingica origine repetunt Otto Frising. *Lib. VI. Chron. c. 28. p. 132.* Albericus *P. II. ad A. 1024. p. 57.* aliique, in quibus explicandis ad derivationem sanguinis Carolingici in Gisela commendati multum variant celeberrimi Scriptores, quorum sententias nobis cognitas breviter recensebimus.

I. Jo. Jacobus Chiffletius *in vindiciis Hisp. c. 3.* lineas istas XIV. Carolingici ortus Giselæ attributi ita descripsit:

I. *Arnoaldus Dux.*
II. *S. Arnulphus Dux.*
III. *Ansigisus Dux.*
IV. *Pippinus Herstalius.*
V. *Carolus Martellus.*
VI. *Pippinus Brevis, Rex.*
VII. *Carolus M. Imp.*
VIII. *Ludovicus Pius, Imp.*
IX. *Carolus Calvus, Imp.*
X. *Ludovicus Balbus, Rex.*
XI. *Carolus Simplex, Rex.*
XII. *Ludovicus IV. Rex.*
XIII. *Mathildis, Regina Burgundiæ.*
XIV. *Gerberga, Ducissa Allemanniæ.*

Mater
GISELÆ IMPERATRICIS.

II. Sed hanc Chiffletii descriptionem XIV. linearum Carolingicarum Giselæ valde redarguit severus Chiffletio-mastix, David Blondellus *in pleniore Assert. Genealog. Francicæ T. II. p. 230.* 1) quod nullo Chiffletio numero fuerint Gerbergæ parentes, sed sola mater, 2) alium a Carolo M. quem Poeta Wipponi laudatus nominatim designavit, Gislæ fontem aperuerit; 3) putaverit, Francicam Carlovingorum omnium stirpem, deducendam ab Arnoaldo, Austrasiæ Duce, Ansberto Romano & Blitilde, Clotarii I. Regis Francorum filia, nato, in poetæ mentem venisse, cum ipsi tale nequaquam propositum fuerit; & 4) in quindecim, non quatuordecim numerandis capitibus aberraverit; Potius ostendit in adducto Wipponis loco tria notanda esse, 1) Gerbergæ parentes, i. e. patrem & matrem, a Carolo M. oriundos fuisse, 2) terminum, a quo numerus Gislæ majorum auspicandus sit, Carolum M. esse, non alium; 3) Gislam decimam quartam a Carolo M. (numerato utroque parente) esse debere. Juxta has hypotheses ponit hoc diagramma:

I. *Caro-*

I. *Carolus Magnus.*

II. *Ludovicus Pius.*

III. *Adelhais, Conradi I. uxor.*	IV. *Carolus Calvus.*
V. *Conradus II.*	VI. *Ludovicus Balbus.*
VII. *Rudolfus I. Rex.*	VIII. *Carolus Simplex.*
IX. *Rudolfus II. Rex.*	X. *Ludovicus IV.*
XI. *Conradus Rex.*	XII. *Matildis.*

XIII. *Gerberga, Hermanni Ducis uxor.*

XIV. GISLA, *Conradi Imp. uxor.*

III. Celeberrimus Eccardus *in hist. Genealogica Vet. Landgr. Thuringiæ cap. 1. §. 3.* verſus a Wippone allatos emendandos cenſet, hoc modo:

Quando poſt ternam *numeratur linea quarta.*

Quoniam in computatione graduum a Carolo M. ad Giſelæ patrem usque, non quatuordecim, ſed ſeptem ſolum habeantur, & tres inveniantur ex Francia orientali nati principes, & deinde quatuor Carolingi, cujus ſupremi Carolus M. pater fuit; hac de cauſa hanc format deductionem:

Carolus M. Imperator.

Pipinus, Rex Italiæ † A. 813.

Pipinus, Comes Veromanduorum, † circa A. 897.

Heribertus I. Comes Verom. †. A. 902.

N. N. Filia.
cujus maritus Udo I. Dux Francorum † 949.

Udo II. Dux Francorum † A. 982.

Herimannus Dux Sueviæ †. 1004.
& in ſeptimo gradu a Carolo M. deſcendit.

GISELA Auguſta.

IV. Sedulo quoque inveſtigavit Giſelæ Carolovingicam originem celeberrimus Hahnius *in P. II. locupletiſſimæ ſuæ hiſt. Germanici Imperii c. VII. §. 10. p. 252.* eamque delineavit in ſequenti generationis Schemate:

I. *Carolus M.*	*Carolus M.* VI.
II. *Hugo Abbas* † 844.	*Ludovicus Pius.* VII.
III. *Conradus.*	*Carolus Calvus.* VIII.
IV. *Rudolphus I. R. Burgundiæ.*	*Ludovicus Balbus.* IX.
V. *Rudolphus II. R. Burgundiæ.*	*Carolus Simplex.* X.
	Ludovicus Ultramarinus. XI.

XII. *Conradus R. Burgundiæ, Uxor, Mathildis.*

XIII. *Gepa, sive Gerbirga, Uxor Hermanni D. Sueviæ.*

XIV. GISELA.

V. In tanto dissensu recentiorum Scriptorum nos sequimur potius in demonstranda Giselæ prosapia Karolingica excerpta e codice MSCto membranacco de Genealogia hujus imperatricis, quæ publicavit Jo. Michael Heineccius *in diatribe genealogica de domus Prusico-Brandenburg. ex stirpe Carolina originibus p. 8.* quæ ita se habent: Karlmannus *sub Theodeberto fratre Theoderici major domus in Austrifrancia extitit. Hic genuit* Pippinum. *Quem Lutharius rex -- -- Austrifranciam gubernare direxit. Qui Pippinus genuit* Grimoaldum, *qui sub Sigiberto – – major domus in austrifrancia extitit. Cujus sorores fuerunt Sctta Gertrudis & Begga. Beggam Jangisus filius Sc̃ti Arnolfi uxorem duxit, de qua genuit Pippinum seniorem & ducem – -- Hic cum haberet uxorem Poletrudem, de qua genuit Grimoaldum, aliam superduxit uxorem, de qua genuit Karolum seniorem & ducem -- -- Karolus filius – – geuuit Pippinum regem & Karlmannum, postea monachum. Pippinus rex Karlmannum genuit &* Karolum *regem post Imperatorem. Karolus Imperator genuit Karlum & Pippinum regem Italiæ, &* Ludovicum *regem Aquitaniæ, post scilicet Imperatorem. Ludovicus Imperator genuit* Lotharium *imperatorem – – ex Erminde, ex Juditba vero* Karlum calvum *post Imperatorem. – -- — Karolus* -- *genuit* Ludovicum, *qui compendio quiescit : Ludovicus genuit Ludovicum & Karlmannum & Karolum. Quem postea Herbcrtus unxit. Karolus genuit Ludovicum, qui mare transiit. Ludovicus genuit Lotharium regem & Karolum fratrem ejus. Quorum sororem filiam videlicet Ludovici regis, Chunradus rex Burgundiæ in uxorem duxit, ex qua genuit Rudolfum regem ac sororem ejus,* *** *quam* Hermannus Dux Alamanniæ *accipiens, genuit ex ea Giselam imperatricem, quæ modo gloriosissimo Imperatori Chuonrado feliciter conregnat.* Ex autoris anonymi hujus sed coævi mente lineæ istæ XIV. Carolingicæ ergo ita constituendæ sunt:

Karl-

Karlmannus, Major domus A. 596. - 612.

I. *Pippinus, Major domus* † 647.

II. *Begga* † 689.
Uxor
Ansigisi, Filii St. Arnulphi † 685.

III. *Pipinus Senior & Dux* † 714.
Uxores:
1) *Plectrudis.*
2) *Alpais, soror Dodonis, qui S. Lambertum trucidavit.*

IV. *Karolus Senior, item Martellus, Major Domus & Dux* † 741.

V. *Pipinus, Rex Francorum,* A. 750. † 768.

VI. *Karolus M. Rex Francorum & Imp.* † A. 814.

VII. *Ludovicus Pius, Imp.* † 840.

VIII. *Karolus Calvus R. Franciæ & Imp.* † A. 877.

IX. *Ludovicus III. sive Balbus Rex Franciæ & Imp.* † A. 879.

X. *Karolus Simplex, Rex Franciæ* † A. 926.

XI. *Ludovicus IV. Ultramarinus* † A. 954.

XII. *Mathildis*
Uxor
Conradi Regis Burgundiæ † 994.

XIII. *Gerberga, sive Gepa*
Uxor
Hermanni II. Ducis Alemanniæ.

XV. GISELA AUGUSTA.

Apparet quoque ex hoc luculentissimo testimonio omnino versus tetralogi apud Wipponem laborare hoc mendo librarii, ut pro Karolomanno satore, a quo in quarta & decima generatione gloriose procedit Gisela, ab eo positum fuerit Caroli Magni nomen, quippe a quo usque ad Giselam nullo modo tot lineæ, sed longe pauciores, numerari possunt. Quapropter hæc vera lectio est ibi ita restituenda:

Quando post decimam numeratur linea quarta
A Karolomanno procedit Gisela prudens.

Respicit enim Poeta apud Wipponem non proximam, sed longius remotam & plane ultimam originem stirpis inclytæ, ex qua Gisela provenit, uti etiam divus Berno, Augiæ divitis abbas, florens ab A. 1014. usque ad A. 1045. qui altius pariter attollens oculos in dedicatione operum suorum, quæ legit relegitque MSCta Franc. Guillimannus l. c. p. 13. Henricum III. Imperatorem inter alia ita alloquitur: *Ex avitis progenitoribus tam religiosam quam nobilem genealogiæ lineam ducitis. Nam ut in veracibus annalium libris scriptum reperimus, Ansgisus filius S. Arnolfi, Metensis episcopi, Beggam, sororem S. Gertrudis, virginis duxit uxorem, de qua genuit Pippinum Ducem & seniorem, avum videlicet Pipini regis, qui fuit Pater Karoli Magni regis & imperatoris. Ex quo per generationes generationum stemma pervenit ad quendam Hludovicum, regem nobilem Francorum, qui pater extitit Lotharii Regis & Karoli Ducis. Cujus Hludovici filiam Chunradus Rex Burgundionum duxit uxorem, de qua genuit vestram aviam, matrem videlicet Giselæ, divæ memoriæ Imperatricis matris vestræ.*

Recentiores paullo ante adducti celeberrimi Scriptores omnes videntur quidem etiam ad amussim veterum monumentorum derivationes suas Giselæ a Carolingico sanguine instituisse, in iis tamen primo displicet inconsueta lineas istas Carolingicas numerandi ratio ab utroque latere, tam paterno, quam materno, a quibusdam sine exemplo adhibita. Nullus enim apud Wipponem est sermo de supputatione quadam graduum in causa matrimoniali & juridica, sed inter decora nobilitatis Giselæ refertur origo Carolingica solo ordine naturali per simplices generationes deducenda. Deinde Adelhais ex perobscuro annalium Bertinianiorum loco Ludovico Pio Imp. filia est data a Blondello, cum nondum plane ita evictum sit, ut illi quasi postliminio locus in domo Carolingica debeatur. Emendatio versiculorum Eccardina quoque nimium est temeraria, cui reclamat crebra eorum in veteribus libris repetitio ejusdem tenoris, absque ulla varia lectione occurrens, quæ huic conjecturæ favere, atque ad ejusmodi immutationem ex criticæ regulis ansam præbere possit. Præterea nexus inter Heribertum C. Veromand. inter Udones, Duces Francorum, & inter Hermannum Ducem Sueviæ nobis est perobscurus, quem ex perspicuis testimoniis clariorem exoptamus. Demum in explicatione Cl. Hahnii ille Hugo Abbas, cujus nepos Rudolphus A. 888. provinciam inter Juram & Alpes occupavit, Caroli M. filius nothus ejusdem nominis A. 844. occisus esse nequit, propterea quod ipse Regino in sua narratione de hac Burgundicæ regionis invasione p. 64. lin. 21. indicat, de quo Hugone abbate loquitur his verbis: *Rudolphus filius Conradi, nepos Hugonis abbatis, de quo supra meminimus.* Si ergo respicimus loca Reginonis, in quibus paulo ante mentio Rudolphi Abbatis cujusdam est facta, invenimus eum digitum omnino intendere in hunc Hugonem abbatem, de quo ad A. 867. p. 48. lin. 55. sequentia protulit: *Non multo post tempore Hugo abbas in locum Ruberti substitutus est, vir strenuus, humilis, justus, pacificus & omni morum honestate fundatus;* & ad A. 888. p. 61. *Eodem tempore Hugo abbas, magnæ pietatis vir, & magnæ prudentiæ, Aurelianis moritur, & apud St. Germanum Antissiodoro, tumulatur. Ducatus, quem tenuerat & strenue rexerat Odone filio Rudberti ab Imperatore traditur.* Conf. Nicol. Vignierius *in Chron. Burgund. pag. 70. col. 2.* Hujus vero Hugonis Abbatis nepos dicitur a Reginone Rudolphus Rex primus Burgundiæ, quia fuit ejusdem fratris, Conradi scilicet, filius. Vid. Illustris Jacobus Wilhelmus Imhofius *in hist. Italiæ & Hisp. genealog. p. 24.*

Sed

Sed pergendum nunc est in proferendis testimoniis de GISELA AUGUSTA.

Traditio bonorum in Thuringia a Conrado II. Imp. facta Ludovico Barbato, primo Thuring. Landgravio in Tenzelii supplemento Hist. Gothanæ §. CLXXXIX. p. 383. *In nomine -- -- Cuonradus divina annuente clementia Romanorum Imperator Augustus -- -- Qualiter nos ob interventum dilectissimæ contectalis nostræ Gislæ cuidam Hudovico Comiti & consanguineo nostro prædium, quod ab incolis Thuringiæ, regionis comparavit -- -- libere & quiete perfruenda regia auctoritate stabilita fecimus -- -- Data V. Kal. Maji Anno incarn. Domini Millesimo XXXVIIII. indictione VII. Anno Domini Cuonradi Imperatoris Augusti, imperii XIII. regni vero XV. Actum Goslariæ villa regia feliciter.*

Hermannus Contr. ad A. 1024. pag. 320. apud Urstis. *Nec multo post uxor ejus (Conradi Regis) Gisela a Piligrino archiepiscopo Coloniæ regina benedicitur, Calendas Octobris.* Wippo p. 433. *Rex Chuonradus Romam ingressus eodem anno -- id est a nativitate Salvatoris MXXVII. indictione decima, a Papa Johanne, & universis Romanis regio honore mirifice receptus est: Et in die sancto* Paschæ, *qui eo anno in VII. Cal. Aprilis terminabatur, a Romanis ad Imperatorem electus, imperialem benedictionem a Papa suscepit;*

Cæsar & Augustus Romano nomine dictus.

Quin etiam Regina Gisela *imperatricis consecrationem & nomen ibidem accepit.* Hermannus Contractus Urstis. ad A. 1043. p. 324. *Gisla Imperatrix, mater Henrici regis, XVI. Calendas Martias obiit & apud urbem Spiram sepelitur.* Necrologium Fuldense l. c. p. 768. MXLIII. *Gisla Imperatrix Augusta XVI. Kal. Mart.*

15) Autor vitæ Meinvverci Ep. Paderborn. c. 98. in Leibnit. T. I. script. Brunsu. p. 558. *Imperatore -- reverso, ipso anno facta est generalis Synodus Franconovordi Episcoporum XXII. in qua præsidente Imperatore -- &* Gebehardus *juvenis, frater Imperatoris, ibidem arma deponens, clericalem tonsuram invitus accepit.* Lambertus Schaffnab. ad A. 1027. *Gebehardus, frater Imperatoris, coactus est ex laico clericus fieri;* & ad A. 1056. *Præsentes erant quasi ad officium tanti funeris ex industria evocati, Romanus Pontifex, Aquilejensis Patriarcha, patruus Imperatoris* (Henrici III.) *Ratisponensis episcopus.* Et ad A. 1060. *Gebehardus, Ratisponensis Episcopus obiit.*

Hermannus Contr. ad A. 1056. *Gebehardus II. Ratisponensi Episcopo, defuncto, tertius Gebhardus successit,* & ad A. 1056. *Gebehardus, Ratisponensis episcopus, ab imperatore de conjuratione contra se facta victus, primum in castro Ulfilingino, dein in Stofola per aliquod tempus custodia tenetur.* Chronographus Saxo ad A. 1050. *Ungarii item rebellant, quibus Gevebardus, Ratisponensis episcopus, qui fuerat patruus Imperatoris, obviam veniens vice Regis in fugam conversos, non modica cæde afflixit,* & ad A. 1056. *Gevebardus, Ratisponensis Episcopus, Henrici Imp. patruus, hostis occulto pessimus, deprehensus & convictus, atque custodia mancipatus, sed miserabiliter tractatus de exilio remittitur, sedique pristinæ restituitur.* Sepulturæ locum testatur Hundius *in metrop. Salisb. T. I. p. 194.* & Cuspinianus *de Cæsaribus in Conrado Salico p. 329.*

16) Diploma, quo Conradus Salicus Affalterbach, pagum Veteraviæ, ecclesiæ Vormatiensi tradit apud Guillimannum l. c. p. 16. *In nomine -- Cunradus*

radus, divina -- Romanorum Imperator Augustus -- Qualiter nos per amorem Dei, & sempiternam memoriam nostri, & dilectæ conjugis nostræ Giselæ Imperatricis, & filii nostri Heinrici, regis, filiæ quoque nostræ Beatricis: immo etiam pro remedio parentum nostrorum, avunculi nostri Ducis Conradi, ejusque conjugis dignæ memoriæ Mathildis, sororis etiam nostræ Judithæ, S. Petro in Vormatia per voluntatem -- Azzechonis ejusdem sedis episcopi -- donavimus -- prædium quodcunque in Affalterbach visi fuimus habere, situm in pago Wettereiba, in comitatu Ottonis Comitis -- -- Datum III. Kal. Feb. indictione II. Anno Dom. incarnat. M. XXXIV. anno autem Domini Conradi secundi regnantis X. Imperatoris vero IX. Actum Vormatiæ feliciter.

17) Vid. diploma antecedens. Autor coævus Chronici Quedlinburgensis in T. II. Leibnit. script. Brunsu. p. 296. ad A. 1025. (Conradus Rex) *pro adipiscendo bonore imperiali ac Romanorum regno Italiam iturus -- una comitante regina -- filiam unicam, unice dilectam, dilectæ ac adoptivæ sibimet sorori Adelheidæ, videlicet Abatissæ, nutriendam transmittunt. Mox quoque percepto Dominæ Beatricis adventu, præfata Imperialis abatissa Trobiki cum suis occurens, læta Quidelingeburgensem metropolim secum duxit. Quo vero bonore, ut regiam decuit prolem, quoque caritatis affectu, quave diligentia ab ipsa ac sanctimonialibus in loco præmemorato consistentibus omnibus sibi subditis suscipiatur, ac postmodum nutriatur, vel qua morum, verborum, actuumque indole, per singula ætatis incrementa, profecerit, scire, aut facundia in dicendo nulla suppetit. Qua namque laude proferam, quod inter prima.*

18) Religiosus Nussiensis in magno Chronico Belgico p. 104. *Cum Adelbodus, Ep. Trajectensis, defunctus esset, & quotidianus tumultus in electione novi Pastoris fieret, Conradus Rex Trajectum descendit ad supprimendam discordiam, adducens secum Giselam reginam, uxorem suam decentissimam. Sed quia eadem regina diebus illis erat gravida, quin imo puerperio proxima, rex eam reliquit in pago Oesterble (Oestercke) apud Presbyterum, cui Barnulpho proprii nominis erat vocabulum: Rex autem ad urbem Trajectensem confestim se transtulit, & Capitulum ad unionem pacis reformare studuit. Demum invalescente graviori discordia, totum capitulum compromisit ad arbitrium regis præsentaturos se virum discretum & idoneum, qui dignus esset gubernare tantum episcopatum. Interea regina nobilis elegantis formæ parturivit infantem, transmittens regi nova gaudia per Barnulphum sacerdotem. Et ecce Rex pro desiderata legatione nimium exultans tradidit eidem presbytero Trajectensem episcopatum & investituram per annulum & pastoralem baculum. Cœpit autem anno domini 1027. Pontificatus Joannis Papæ XXI. Anno V.*

Wippo p. 439. ad A. 1034. *Eo tempore filia Imperatoris Cunradi & Giselæ Imperatricis* Mathilda, *nimium formositatis puella, Henrico regi Francorum desponsata obiit Wormatiæ ibique sepulta est.*

19) Wippo p. 425. *Erant duo Chunones, quorum unus, quod majoris ætatis esset, major Chuno vocabatur, alter autem junior Chuno dicebatur, ambo in Francia Teutonica nobilissimi, ex duobus fratribus nati, quorum alter Hetzel, & alter Chuno dictus est* p. 424. *Duces -- contemporanei hi fuerant, Benno Dux Saxoniæ: Adelbertus Dux Histriæ, Hetzilo Dux Bojoariæ: Ernestus Dux Alemanniæ: Lutaringorum Dux Fridericus: Ribuariorum Dux Gozelo: Cuno Wormatiensis, Dux Francorum;* p. 431. dicitur: *Dux Franciæ;* p. 435. *Imperator descendens per Rhenum in Franciam venit, ibique Dux Chuno, patruelis ejus, prius rebellis, se reddidit, quem Imperator in liberis custodiis aliquantulum castiga-*

castigavit, destructisque munitionibus suis, quam optimas habuit, in gratiam illum recepit, totumque honorem sibi restituit. Paulo post Adalbero, Dux Histrianorum, sive Carintanorum, reus majestatis, victus ab Imperatore, cum filiis suis exulatus est, & Ducatum ejus iste Chuono ab Imperatore suscepit: quem Ducatum pater ejusdem Chunonis dudum habuisse perhibetur. Ita Dux Chuono fidus, & bene militans Imperatori & filio suo Henrico Regi, quosque vixerat, permansit.

Hermannus Contractus Canisii ad A. 1012. *Conradus Dux Carentani, filius Ottonis Ducis, fraterque Brunonis dudum Papæ, obiit, & privato filio ejus, puero Conrado, Adalbero Ducatum accepit*, ad A. 1019. *Conradus adolescens, filius Conradi quondam Ducis Carentani, auxiliante patruele suo, Conrado postea Imperatore, Adalberonem tunc Ducem Carentani apud Ulmam pugna victum fugavit;* Ad A. 1024. *Cum Conradus senior, filius Heinrici & Adelheidæ, & patruelis ejus Conradus, filius Conradi Ducis ex Mathilde ad regnum præcipue adniterentur.* Ad A. 1036. *Conradus patruelis Imperatoris patris sui Ducatum in Carentano & in Histria, quem Adalbero habuerat, ab Imperatore suscepit.* Et ad A. 1039. *Conradus Dux Carentani & Adalbero, æmulus ejus, qui ante eum Ducatum eundem tenuerat, ipso anno obierunt.*

Otto Frisingensis Chron. lib. VI. c. 28. p. 132. *Circa idem tempus consanguineus regis Conradus Vangiorum — — regi cum multis aliis rebellare ingreditur.* & c. 31. p. 134. *Conrardus rex subacta Italia -- per Adriatici maris oram domum remeare disposuit: sed cum per lethifera loca iter ageret, & corruptione aeris plurimos de exercitu, & de claris principibus perdidit. Mortui sunt ibi inter alios Hermannus Dux reginæ filius, Kunigunda filii regis sponsa, Cono Francorum Dux.* Annales Hildeshemenses ad A. 1036. in T. I. Script. Brunsuic. Leibnit. p. 728. *Imperator purificationem -- Stæ Mariæ Augustburg egit. Ubi & publicam cum cunctis circumjacentium regionum primoribus conventum habuit, in quo patrueli suo Chuonrado Ducatum Carentinorum commisit* & ad A. 1039. p. 730. *Chuonradus Carentinorum Dux patruelis Chonradi Imperatoris XIII. Kal. Aug. immatura morte, regio morbo diu fatigatus, discessit.*

20) Annales Hildeshemenses ad A. 1034. in Leibnitii T. I. Script. Brunsuic. p. 707. *Meginhardus, Werziburgensis Præsul, ad Christum migravit, post quem Bruno, patruelis Imperatoris, subintravit.* Hermannus Contractus ad A. 1045. *Petrus rex Henricum regem in festivitate Pentecostes ad se invitatum magno paratu suscepit — — eique regnum Pannonicum — — reddidit. — — In quo videlicet itinere rex quoddam vetus solarium ascendens, cum multis aliis ædificio cadente corruit, ipsoque Deo protegente, illæsus. Bruno, Wirciburgensis episcopus lethaliter cum aliis collapsus, post unam hebdomadam, i. e. VII. Cal. Junias obiit, & ad sedem suam reportatus, ibique sepultus.* Chronicon Wirziburg. Baluzianum ad A. 1045. *Bruno, Wirziburc. Episcopus obiit VI. Kal. Junii sedit annos XI. mensem I. dies XIV.* Epitaphium ex Rheinhardi *Chron. Wirzeb. in not. ad Laur. Frisii Hist. Wirzeb. p. 470.*

ANNO DNI. M XLV. VI. KL.
IVNII D. BEATVS BRVNO
EPS. HVIVS ECCLESIÆ FVNDATOR.

PROBATIONES
DE
GISELÆ AUGUSTÆ PRIORIBUS
MARITIS ET LIBERIS.

1) PRimi connubii inter Giselam & Brunonem vestigia non obscura occurrunt in Chronico veteri Ducum Brunsu. apud Maderum in Antiquitat. Brunsu. p. 6. 7. & in Leibnit. T. II. script. Brunsu. p. 15. *Brunonis uxor fuit Domina Ghisla de Werle, quæ eidem genuit Ludolphum; Gisla autem prius habens Lippoldum, Ernesti Ducis filium, genuit* Hermannum Ducem Sueviæ, *post Brunonem autem nupsit Conrado II. Regi, qui Henrico de Bavenberch successit in regno, cui genuit Henricum III. regem, qui mansuete regnavit.* Conf. Chronicon rhytmicum Brunsuic. Ducum, *T. III. ibid. p. 27. 28.* Botho *in Chronico picturato ibid. p. 320.* & Chronicon Francorum MSCt. Mabillonii *ad A. 1024. in Felleri monument. varior. trimestr. II. pag. 82.* quæ eadem referunt. Sed hæc testimonia omnia respuunt recentiores Historiæ Germanicæ restauratores, & explodunt nuptias Giselæ cum Brunone Brunsuicensi, ob falso ibi ascriptam Giselæ originem Venedicam, quam Suevicam potius veriusque fuisse in prioribus testimoniis etiam a nobis demonstratum est. Perspicacissimus Eccardus vero *in Hist. Genealog. Marchionum Misnens. ex vet. Princip. Brunsuic. stirpe Cap. II. p. 279.* hanc conciliationem inter dissidentes instituit autores, ut dicat, Brunonem duas habuisse uxores, ab antiquis scriptoribus parum distinctas, unam *Giselam Wertensem*, qua sine liberis defuncta duxerit alteram, *Giselam* nempe *Suevicam*, in cujus sententiam etiam nos ob prolata evidentia testimonia de filiis ex hoc connubio lubenter transimus.

2) Henricus III. Imp. in donatione inedita comitatus Brunonis ad altare S. Mariæ Hildeshemensis de A. 1051. allata ab Eccardo l. c. p. 279. *comitatum, quem Brun ejusque filius, scilicet noster frater, Luitolfus, nec non & ejus filius Ekbrecht comites, ex imperiali authoritate in beneficium habuerunt in pagis Nortduringen &c.* Henricus IV. in confirmatione hujus donationis de A. 1057. ibidem: *Comitatum, quem Brun ejusque filius scilicet patruus noster Liutolffus, nec non & ejus filius Ecbbrecht comites ex Imperiali donatione in beneficium habuerunt.* In diplomate Chounradi II. Imp. de A. 1028. in Schatenii Annalibus Paderborn. ad h. a. inter testes subscripsit: *Liudulphus Comes & privignus Imperatoris.* Annales Hildeshemens. in Leibnit. Script. Brunsu. T. I. p. 729. MXXXVIII. -- *Liudolfus Comes, privignus Imperatoris IX. Kal. Majii immatura morte obiit, & ejus frater* Herimannus, Alamanniæ Dux *subita infirmitate præventus bonis flebilis omnibus XVI. Kal. Julii denotavit.*

3) Annalista Saxo MSCtus Eccardinus ad A. 1038. *Liudolfus Comes Saxoniæ, filius Brunonis de Brunesvic & Gisla Imperatricis obiit immatura morte, genuit ex Gertrude Comitissa Brunonem & Ecbertum.* Lambertus Schaffnab. referens rebellionem Ottonis, fratris Wilhelmi Marchionis Thuringiæ ad A. 1057. *Rex -- natalem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Ersenburg celebraturus erat, eo quicquid principum erat in Saxonia ad colloquium evocari jussit. Quo dum pergerent pro sua singuli copia, magna militum manu stipatis contigit, ut Brun & Ecbertus, patrueles regis, casu inciderent in multitudinem prædicti Ottonis, conglobato agmine ad curtem regiam proficiscentis.*

Hi


Hi præter causam publicam, privatis quoque inimicitiis infestissimi illi erant. Nec mora, dato militibus signo ad pugnam -- in mutua vulnera ruunt. Ibi in prima fronte Brun & Otto, ambo pleni irarum, ambo sui tegendi immemores, dum hostem ferirent, tam concitatos in sese vicissim impetus dederunt, ut uterque alterum primo incursu equo excussum lethali vulnere transfoderet. Amissis ducibus aliquandiu utramque aciem anceps pugna tenuit. Sed Ecbertus, quanquam graviter saucius, dolore tamen interempti fratris efferatus, rapido cursu in confertissimos hostes se mittit -- -- pugnantes in fugam convertit.

4) Videantur diplomata in probatione n. 2. & probat. 3. Lambertus Schaffnab. ad A. 1067. *Otto Marchio Thuringorum obiit -- Marchiam ejus Egbertus, patruelis regis suscepit.* Et ad A. 1068. *Rex Natalem domini Goslariæ -- -- celebravit, a quo Egbertus Marchio exactis diebus festis digressus, dum se in sua recepisset, modica febre pulsatus terminum vitæ accepit &c.* Chronicon vetus Ducum Brunsuic. in Leibnit. T. II. Script. Brunsuic. p. 15. *Brunonis uxor fuit Domina Ghisla de Werle, quæ eidem genuit Ludolfum -- -- porro Ludolfus genuit Ekbertum & Brunonem.*

5) Otto Frising. lib. VI. Chron. cap. 28. *Gisela primum* Ernesto Duci Suevorum, *fratri Alberti, superioris Pannoniæ Marchionis, nupta fuit, geminosque ex ea filios Ernustum & Hermannum suscepit. Quo mortuo Conradum hunc, de quo agimus accepit.* Herm. Contr. plenior ad A. 1012. *Herimannus quoque Alamanniæ defunctus Ernustum, sororis suæ Giselæ maritum, successorem accepit.* & ad A. 1015. Ernest, Dux Alamanniæ, *in venatu ab Adalberone Comite, feram appetente, sagitta vulneratus interiit: & ducatum filius ejus æquivocus, viduam vero Giselam Conradus, filius Heinrici, filii Ottonis Ducis, futurus postea Imperator, accepit.* Ditmarus postquam Lib. VII. p. 403. copiose vulnerationem Ernesti descripserat, *mox de luce hac*, inquit, *II. Cal. Junii discessit, sepultus Wirceburg juxta patrem suum Marchionem Luipoldum, ut ipse rogavit. Hic juvenis, ut spero felicem habet animam.* Et p. 413. ad A. 1016. *fauciatus est ibi Cono, cui jam illicite nupsit neptis sua, Ernesti Ducis vidua.*

Nuptias has ob cognationem Conrado II. Imp. exprobratas fuisse præter Ditmarum docet etiam Glaber *in exordio libri IV.* his verbis: *Cum -- diu multumque de constituendo regni principe, ac præcipue inter præsides, tractatum fuisset, visum est eis ipsum Conradum debere eligere, nisi quod unum intererat, propter quod Henricus etiam illum valde exosum habuerat. Habebat enim Conjugem, quæ illi erat affinis, quam etiam primitus quidam cognatus ipsius duxerat. Propterea innotuerunt ei pontifices, quid potissimum vellet, aut tale conjugium, quod manifestæ sacræ autoritati nimirum repugnabat, tenere, seu eo dimisso, coronam imperii sumere. Qui protinus dimittendum promisit, talis incesti conjugium, seque parere diligentissime illorum dictis & obedire consiliis.*

Cognatio autem inter Conradum II. Imp. & Giselam Alemannicam patet ex hoc diagrammate:



6) Videantur testimonia Ottonis Frisingensis & Hermanni Contr. in probatione antecedente. Wippo p. 431. *Eodem tempore* -- -- Ernestus Dux Alemanniæ, *Chuno Dux Franciæ* -- -- *contra regem Chuonradum consenserunt* -- -- *sed Dux Ernestus humiliter iter ejus* (Regis Chuonradi Italicum) *prosecutus usque Augustam Vindelicam, interventu matris suæ Reginæ & fratris sui Henrici adhuc parvuli* -- -- -- *vix in gratiam Regis receptus est.* Et p. 434. *Ernestus Dux Alemanniæ, privignus Imperatoris Chuonradi, nuper ab eo beneficiis & muneribus sublimatus, discedens iterum* -- -- *rebellionem moliebatur* -- -- *quem Cæsar in Saxoniam exulari fecit, super quandam rupem, quæ Gibichenstein dicitur.* Et p. 436. A. 1030. *Ernestus supra memoratus Dux Alemanniæ a custodia solutus ducatum recepit, eo tenore, ut Webelonem militem suum* -- -- *quasi hostem reip.* -- -- *persequeretur* -- -- *Quod cum Dux facere nollet, hostis publicus Imperatoris dijudicatus est, & penitus ducatu amisso* -- *inde recessit. Imperator vero Ducatum Alemanniæ Hermanno juniori, fratri ejusdem Ernesti dedit* -- -- *Ipsa Imperatrix* Gisela, *quod dictu est mirabile, sed actu laudabile, filium inconsultum sapienti marito postponens, publicam fidem dedit omnibus, quicquid illi accidisset, nullam ultionem* -- -- *pro hac re redditurum fore.* Et p. 437. describens prœlium, quod Ernestus cum Magnoldo Comite in sylva Nigra commisit: *Dux Ernestus cum nemini parceret in hoc prælio, neminem sibi parcentem invenit, & a plurimis vulneratus, postremo interfectus occubuit* -- -- *Corpus Ernesti Ducis in Constantiam delatum* -- *in ecclesia S. Mariæ sepultum est.* -- -- *Accidit hoc bellum XV. Kal. Septemb.*

7) Hepidanus ad A. 1036. *Ernest Dux Alamannorum vitrico suo Imperatori denuo rebellis effectus gratiam suam cum ducatu amisit, & Herimannus frater ejus matre sua Imperatrice id precibus obtinente eundem Ducatum promeruit.* Wippo p. 442. *Filius Imperatricis* Hermannus Dux Alemannorum, *Juvenis bonæ indolis & in rebus bellicis strenuus, eadem peste, in Italia gravatus, inter manus peritissimorum medicorum V. Cal. Augusti non sine magno imperii detrimento obiit* -- -- *de Duce statutum fuerat, ut in Constantiam, civitatem Alemanniæ, duceretur, sed calore nimio obstante in Tridento sepelitur.* Conf. ejusdem testimonium ex pagina 436. in numero antecedenti. Hermannus Contr. ad A. 1038. *Chunihildis Regina* -- -- *& Hermannus Dux Alemanniæ V. Cal. Augusti cum multis aliis in Italia obiere.* Eundem diem emortualem refert Chronica Australis ad h. a. *Freber. T. I.*

8) Her-

FAMIL

1) Henricus III. *F. Conradi II. Imp. ex Gisela in Tab. II. n.* … *autumno*
Soloduri A. 1038. coronatus Imperator Romæ d. 25. Dec

Uxores:

2) I. Gunilda, *postea dicta* Cunigunda, *F. Cnutonis M. Reg*
desponsata Romæ A. 1027. ducta Noviomagi & corona

3) II. Agnes, *F. Wilhelmi, Principis Pictaviensis, ducta A.* … *n post ma-*
riti mortem usque ad A. 1069. quo ivit in Fructuariens

1.
4) Beatrix,
Abbatissa
Quedlinburgensis
A. 1038.

2.
5) Mathildis,
nata A. 1045.
nupta A. 1059.
† *A. 1060.*

Maritus

6) Rudolfus de Rinfelden,
Dux Sueviæ A. *1057.*
Anti-Cæsar electus d. 5. Mart.
in Forachheim,
& coronatus 26. ejusd. mens.
Moguntiæ A. *1077.*
† *Merseburgi d. 15. Octobr.*
A. *1080.*
ibid. in æde cathedr. sep.

7) Mech … elheidis,
quæ o … *A. 1048.*
Virgo … *bbatissa*
sep. G … *uedlinbur-*
… *A. 1071.*
… *90.*

9) I. Be …
desp …
coro …
sep. …

10) II. Ad …
Mar …

1.
15) Filius Anonymus,
nat. 1071. Moguntiæ,
& post baptismum statim
defunctus,
sep. Hartisburgi.

1.
16) Conradus,
nat. Herveldiæ d. 12. Febr. fer. … rico I.
Dux Lotharingiæ & constitutu … *1080.*
rebellis patri Rex Italiæ A. *109* … *Marchioni*
† *veneno Florentiæ mense Juli* …
sep. ibid. … *si.*

Uxor

17) Mathilda,
F. Rogerii I. Comitis Siciliæ
nupta A. *1099.*

… i nulli.

8) Hermannus Contr. Canisii ad A. 1036. *Heremannus Dux Alemanniæ Marchiam soceri sui Meginfredi in Italia ab Imperatore accepit.*

PROBATIONES Genealogicas ad hanc Tabulam secundam jam ad finem perduxeramus, cum nobis in Henrici Canisii *Tomo II. antiquæ Lectionis p. 190.* opportune occurrit Panegyricus Wiponis, carmine scriptus, ad Henricum III. Imperatorem, Conradi Imperatoris Filium, primum ab eo ex Codice MSCto Augustano editus, qui est ille ipse Tetralogus, cujus supra p. 22. in demonstranda Giselæ origine Karolingica mentionem fecimus. Dixit quidem Wippo in vita Chunradi Salici *l. c. p. 428.* quendam de suis in libello, quem tetralogum nominavit, & regi Henrico præsentavit, inter alios duos versus edidisse hoc modo; sed procul dubio ex modestia ibi hoc alteri adscripsit, quod ab ipso profectum fuit. Nam non solum in prologo tetralogi p. 191. Wiponis nomen occurrit, verum etiam in tetralogi ultimo versu, qui ita se habet:

Sic vult Wipo tuus cum fido pectore servus.

In hoc vero tetralogo versus, arguentes Giselæ prosapiam Karolingicam, ita leguntur p. 197.

Felix sit mater memorando carmine digna
GISELA *de* CAROLI *procedens sanguine* MAGNI.
Nam si post decimam numeretur linea quarta
Post CAROLUM MAGNUM *nascetur nobilis ipsa.*

Bis quidem expressum Caroli Magni nomen hoc in loco occurrit; nondum tamen deserere possum conjecturam meam de vitiosa lectione, qua Carolimanni nomen in Caroli Magni mutatum est, nisi, Wipponem plane hospitem in Genealogia Karolingica fuisse, dicendum sit, cum contrarium tamen ex diligenti linearum numeratione pateat. Incipere ergo debuit majores Karolingicos numerare a Carolomanno, ut numerum suum quatuordecim linearum compleret, non vero a Carolo Magno, a quo usque ad Giselam nullo modo tot procedunt lineæ; quod iterum iterumque urgeo, fretus præcipue excerptis Heineccianis de Genealogia Giselæ supra p. 26. adductis, quorum fidem sequi mihi satius est, quam ingeniosis figmentis indulgere. Neque male habere quenquam debet diacope a Wippone in secundo versu adhibita, siquidem ea aliis etiam Poetis medii ævi est frequentata, uti ex pluribus exemplis constat.

PROBATIONES
AD TABULAM III.
FAMILIÆ AUGUSTÆ FRANCONICÆ.

1) CHarta Frisingensis in Hundii metropol. Salisburg. T. I. pag. 142. *In nomine — — Chunradus, divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. — — nec non dilecte contectalis nostre Gisele, Imperatricis Aug. & care sobolis nostre, regis videlicet Hainrici Imperatoris — — data V. Id. Martii Ind. XII. anno Dom. Incarn. 1029. Anno Domini Chunradi II. regni vero V. Imperii vero II. Actum Frisingen.* Diploma Frisingense ibidem T. I. p. 149. *In nomine — — Hainricus, divina favente clementia, Rex. — —* ob

ob interventum ac petitionem Gisele, dilectissime matris nostre, Imperatricis Auguste -- -- data II. Idus Maji Ind. IX. Anno Dom. Incarn. 1041. Anno autem Domini Heinrici III. ordinationis XIV. regni vero II. Wormacie. Alia Charta ibidem T. I. p. 148. *In nomine -- -- Henricus, divina favente clementia, Rex. -- -- eademque scilicet benivolentia & autoritate, qua similiter fecit, & ante me beatæ memoriæ genitor meus per omnia pius Katholicus Chunradus siquidem Imperator Augustus. -- data XV. Kal. Septembr. Ind. XIII. anno Domin. Incarn. 1040. anno vero Domini Heinrici III. regni autem I. actum Auguste feliciter Amen.* In ejusdem Imperatoris donatione de A. 1049. in Heineccii Antiquit. Goslariensibus lib. I. ad h. a. p. 47. *pro salvatione beatarum animarum fel. mem. Conradi Imperatoris nostri quidem antecessoris & Patris*, atque *matris nostræ Imperatricis Gisilæ &c.* Monachus Hamerslebiensis de gestis Impp. ab Henrico Aucupe ad Henr. V. in Leibnitii T. I. Script. Brunsu. pag. 709. *Henricus III. Conradi filius, successit patri, jam dudum Rex ab eodem constitutus, annis XVII. Fabulosum est & fictum, quod ejus fuerit gener.*

Wippo p. 432. *Anno Incarnationis Christi MXXVI. Chunradus, Rex, consilio & petitione principum, filium suum Heinricum, puerum, regem post se designavit, illumque Brunoni, Augustensis Ecclesiæ Episcopo, in tutelam commendavit.* Et p. 436. *Anno Dom. MXXVIII. indictione XI. Imperator Chuonradus filium suum Henricum, magni ingenii & bonæ indolis puerum, ætate XI. annorum, principibus regni, cum tota multitudine populi, id probantibus, a Pelgrino Archiepiscopo Coloniensi in regalem apicem apud Aquisgrani palatium sublimari fecerat. Tunc in principali Dominica Paschæ consecratus, & coronatus, Paschalem læticiam triplicavit.*

Hermannus Contr. Urstis. ad A. 1026. *Conradus rex filium suum Henricum regem fecit, & ipse Romam pergens Imperator efficitur.* Et ad A. 1028. *Henricus, filius Imperatoris, Aquisgrani rex electus, a Piligrino Colon. Archiepiscopo in die sancto paschæ unctus est.* Wippo p. 442. ad A. 1038. *Ejusdem anni autumno Imperator Burgundiam adiit, & convocatis cunctis principibus regni, generale colloquium habuit cum eis, -- -- Transactis tribus diebus generalis colloquii quarta die, primatibus regni cum universo populo laudantibus, atque rogantibus, Imperator filio suo Henrico regi, regnum Burgundiæ tradidit, eique fidelitatem denuo jurare fecit. Quem Episcopi cum cæteris principibus in ecclesiam St. Stephani, quæ pro capella Regis Soloduri habetur, deducentes hymnis & canticis Deum laudabant. -- --*

Otto Frisingensis lib. VI. Chron. c. 32. *Anno ab Incarnatione Domini MXL. Henricus tertius supra dictæ Gisilæ filius, qui patre vivente regnare cœperat, ipso mortuo -- solus regnavit, in ipsoque dignitas imperialis, quæ per longum jam tempus a semine Caroli exulaverat, ad generosum & antiquum germen Caroli reducta est.* Hermannus Contr. ad A. 1047. *In ipsa natalis Domini die præfatus Suidegerus, natione Saxo, Apostolicæ sedi centesimus quinquagesimus primus Papa, ex more consecratus, & nomine auctus, Clemens II. vocatus est. Qui mox ipsa die Henricum regem, & conjugem ejus Agnetem, imperiali benedictione sublimavit. -- --* Continuator Hermanni Contr. ad A. 1056. p. 337. *Henricus Imp. Domino Apostolico ad se tempore autumnali invitato, cum in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingravescente infirmatus, obiit, anno ætatis suæ 39. regni vero 18. imperii 15. Indiction. decima. Qui inde asportatus, Nemetumque translatus, in ecclesia Sanctæ Mariæ, quam ipse construxerat, adhuc imperfecta, juxta patrem matremque sepultus.*

Annales

Annales Hildeshemenses ad A. 1056. *Henricus Imp. --- III. Non. Octob. hanc vitam præsentem in Deo finivit.* Lambertus Schafnab. ad A. 1056. *Imperator nativitatem S. Mariæ Goslariæ celebravit, ibique Victorem Papam --- --- suscepit hospitio. -- -- Inde profectus Botfelden -- -- nec multo post ipse corporis molestia correptus, cum septem aut eo amplius diebus lecto decubuisset, diem clausit extremum. -- -- Corpus ejus Spiram translatum est, & celebratis regio more exequiis, die natalitio Apostolorum Simonis & Judæ, quo scilicet die etiam natus fuerat, sepulturæ est traditum.* Chronicon parvum ecclesiæ SS. Simonis & Judæ Goslariensis *T. II. Leibnit. p. 586.* Idem *quoque Imperator Heinricus in argumentum veri amoris filiam suam Mechtildim virginem, & postea, bona fide & morte praeoccupatus, cor suum, cum pracordiis apud filiam suam hic in choro, reliquam vero partem sui corporis in Spira disposuit tumulari.*

2) Hermannus Contr. ad A. 1036. *Henricus rex, filius Imp. Chunibildem, Cnutonis, Danorum & Anglorum regis filiam, sibi apud Noviomagum regalibus nuptiis copulavit uxorem.* Et ad A. 1038. *Chunibildis regina, uxor Henrici regis, XVII. Cal. Augusti -- -- cum multis aliis obiere.*

Wippo p. 440. *Anno Domini MXXXVI. Henricus Rex, filius Imp. Cnittonis, Regis Anglorum filiam nomine Chunelindam, pro regina consecratam, regalibus nuptiis in conjugium duxit;* Et ad A. 1038. loquens de Italica expeditione ultima Conradi II. Imp. *Eo tempore propter nimium calorem nimia contagio pestilentiæ exercitum invasit, neque ætatibus, neque personis pepercit. Ibi regina Chunelindis, conjux Henrici regis XV. Calend. Augusti, quasi in limine vitæ ingressu mortis, occubuit, relinquens tantummodo filiolam de rege, quam postea pater Christo desponsans in abbatissam consecrari fecit. -- -- Corpus reginæ tenerum & delicatum, aromatibus conditum, cum rege & imperatrice ductum ad Germaniam, in præpositura Lutburg (* lege *Lintburg*, quippe ex quo castello sibi proprio Conradus Imp. monasterium construxerat, vid. Abbas Ursperg. p. 215. In Hermanno Contr. Canisiano legitur etiam vitiose: *Linaburg) sepultum est.*

Annales Hildeshemenses ad A. 1036. *Nativitatem S. Johannis Niumagi Imperator peregit, & ibi filio Imperatoris Heinrico Regi venit Regina Cunibild nomine, qua ibidem in natali Apostolorum regalem coronam accepit, & mutato nomine in benedictione Cunigund dicta est.* Et ad A. 1038. *Nobilis etiam regina nostra Gunibild XV. Kal. Augusti ex hoc mundo migravit.* Traditio Henrici III. Regis super quibusdam illis in pago Wetha & Tucheria in Maderi *Antiq. Brunsu. inter dipl. n. XII. p. 219. In nomine -- Heinricus, -- -- Rex, omnibus -- notum fieri volumus, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, genitorisque nostri Chuonradi, sive etiam beatissimæ memoriæ conjugis nostræ Chunigundæ --* donamus. -- -- Datum XII. Kal. Augusti indict. VII. A. D. Incarn. MXL. Anno vero ordinationis Domini Henrici III. XIII. regnantis secundo. Actum Goslariæ feliciter.

Gunildam a patre Canuto, eo tempore, quo A. 1027. Conradus II. Imp. & Canutus Romæ convenerunt, vid. *Wippo pag. 433. & Otto Frising. lib. VI. Chr. c. 29.* Henrico desponsatam fuisse Baronius *ad h. a. n. 1.* non inepte ex Conrado Urspergensi colligit, qui in vita Cunradi II. Imp. p. 215. scribit: *secundo regni sui anno Chunradus rex filium suum Heinricum regem fecit & ipse Romam pergens, imperialem benedictionem accepit. Post hæc Knuth, regis Danorum filiam, nomine Chunigundam, filio suo conjunxit.* Et paulo post

ad

ad A. 1036. *Heinrico imperatoris filio Knuth, regis Danorum filia conjungitur.* Nam hac ratione quam optime conciliantur inter se exteri scriptores, qui autorem hujus connubii modo Canutum patrem, modo Hardecanutum, fratrem Gunildæ, faciunt: Exempli gratia: Huntindonius f. 364. elogium scribens Canuti inter alia dicit: *Extra numerum bellorum, quibus maxime splenduit, tria gessit eleganter & magnifice. Primum est, quod filiam suam Imperatori Romano, cum ineffabilibus divitiis maritavit &c.* Saxo Grammaticus Hist. Danica *lib. X. p. 196. lin. 14.* edit. Steph. *Igitur Canutus sex præpollentium regnorum possessor effectus, eximio sui fulgore etiam Romanum illustravit Imperium. Enim vero ejus principi Henrico filiam Gunnildam nuptum tradidit.* Florilegus Westm. ad An. 1041. Per idem tempus, *Rex Anglorum Hardecnuto, Gunildam, sororem suam, ex Cnutone Rege, & Emma regina generatam, ingentis pulchritudinis puellam, Henrico Imperatori Romano destinavit copulandam &c.* Wilhelmus Malmesburiensis lib. II. c. 12. *Harticanutus juvenis egregiam pietatem animi in fratrem & sororem ostendit -- -- Gunildam sororem, filiam Cnutonis & Emmæ, spectatissimæ speciei puellam, a multis procis, tempore patris, suspiratam nec impetratam, Henrico Imperatori Alemannorum nuptum misit. &c.*

Quæ Florilegus Westmonasteriensis & Wilhelmus Malmesburiensis de vocata postea in dubium Gunildæ pudicitia, eademque vero miraculoso duello inter Pygmæum & Gigantem defensa, adjiciunt, atque ex iis uno ore repetunt Autor magni chronici Belgici pag. 108. Jo. Bromtonus in Chronico pag. 933. Albericus ad A. 1045. p. 77. aliique, ea omnia falsitatis coarguit Michael Alfordus *in annal. ecclesiastic. Britannic. T. III. ad A. 1035. n. 4. p. 508. & ad A. 1041. n. 4. p. 516.* & audiendos potius censuit Germanicos scriptores, accuratiores in tempore signando & Cunegundæ connubio describendo, quam Autores Britannicos, & peregrinos, qui Cunegundam sanctam, Henrici II. Imp. conjugem, calumniam violatæ fidei conjugalis etiam illæsis pedibus calcando ignitos vomeres diluentem, & circa hæc tempora mortuam, cum Cunegunda, Henrici Regis, Conradi Imp. filia, uxore confuderunt.

Wilhelmus Ernestus Tentzelius in supplemento II. Hist. Goth. §. CXCII. p. 396. incidens in diploma Henrici III. Imp. de A. 1042. quod extat in Hedæ hist. Ultrajectina p. 123. in quo legitur: *Ob remedium animæ genitoris nostri, felicis memoriæ Imp. Conradi, & dilectæ Conjugis nostræ Cunehildis Reginæ, & ob nostræ utriusque vitæ felicitatem*, occasionem inde arripit statuendi, Cunehildem illam, ut viventem in hoc diplomate memoratam, a Cunegunda, ut nomine, ita & re diversam, atque hac mortua demum ductam fuisse, ita ut habuerit Henricus Rex duas uxores, primam Cunegundam, quæ ex quacunque potius alia splendida familia ortum traxerit, quam ex regia Anglico-Danica, & alteram Cunehildem, filiam R. Canuti, ductam A. 1041. Hac de causa quoque omnia in suum usum vertit, quæ memorati Anglici scriptores, quæ de adulterio accusato Gunildæ protulerunt, & quæ de ejus secessu & sepultura Brugensi Pontanus *Hist. Dan. Lib. V. ad A. 1043. p. 175.* & Claudius Arrhenius *lib. III. Hist. Suec. Eccles. c. 3. n. 18.* tradiderunt. Sed frustra se opponit tot testimoniis testium oculatorum, & nodum in scirpo quærit; Verba enim diplomatis, *ob nostræ utriusque vitæ felicitatem*, quæ ipsi ansam præbuerunt credendi, Cunehildem tunc temporis vivam florentemque fuisse, non referenda sunt ad eandem, sed ad ipsum Imperatorem Henricum, qui pro suæ, tam præsentis, quam futuræ, tam temporalis, quam æternæ vitæ felicitate, pro illius ætatis more, prædia quædam ecclesiæ tradidit, & ipse in diplomate antea allato de A. 1040. Conjugem suam Cunigundam mortuam dixit. Gunilda

vero

vero illa, cujus teste etiam Meyero in annalibus Flandricis in primario Brugensis urbis templo monumentum adhuc visitur, fuit Canuti Regis neptis, non filia, Haconi Comiti nupta, de hac enim Hovedenus ad A. 1044. hæc refert: Eodem anno nobilis matrona Gunilda, regis Wertgeorni & sororis Canuti Regis filia, & Comitis Hacun, & post mortem Haroldi viduata, cum duobus filiis Hemmingo & Turtillo expellitur Anglia, quæ Flandriam devecta, in loco qui Bricge dicitur, aliquando resedit, &c. Hæc ergo vidua potuit Brugæ monialem habitum induere, & post mortem ibidem sepulchrum habere; Vid. Alfordus l. c. *ad A. 1044. n. 3. & 4. p. 53.*

3) Hermannus Contr. ad A. 1043. *Imp. — deinde Agnetem, Wilhelmi Pictaviensis Principis filiam, reginam apud Moguntiam urbem ungi faciens regalibus sibi nuptiis apud Ingelenheim, villam regalem, copulavit.* Lambertus Schaffnaburg. ad A. 1043. *Rex secunda in Ingelheim in conjunctione Agnetis, filiæ Wilhelmi, Comitis Pictavorum,* & ad A. 1056. *Cunradus filius imperatoris Dux Bajoariæ obiit. Ducatum ejus imperator imperatrici dedit privato jure, quoad vellet, possidendum.* Et ad A. 1061. *Imperatrix ducatum Bajoariæ, quem post mortem Cunradi filii sui usque ad id tempus per se ipsam administraverat, Ottoni dedit, videns eum virum industrium, & juvandis regni negotiis satis opportunum.*

Privilegium episcopi Pataviensis in Hundii metrop. Salisburg. T. I. p. 365. *In nomine — Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Noverat — qualiter nos ob interventum nostri thori ac regni consortis scilicet Agnetis Imperatricis Augustæ — — — data XVI. Kal. Julii Anno Dom. Incarn. 1049. Ind. II. Anno autem Dni Henrici III. regnantis Imp. II. ordinationis ejus vicesimo primo, regni quidem XI. Imperii autem III. — Actum Gemunde.* Bertoldus Constantiensis ad A. 1077. *Agnes religiosissima imperatrix jam XX. annis in viduitate Deo devotissime serviens, nec filio suo contra apostolicam sedem in aliquo consentiens, Romæ requievit in pace, sepulta Romæ in ecclesia S. Petronellæ.*

Gotfridus Viterbiensis Chr. P. XVII. p. 498. *Henricus IV. cum esset puer, mortuo patre, sub custodia matris suæ Agnetis Imperatricis fuit, quæ aliquanto tempore prudenter imperium rexit. Postea filius consilio lasciviantium a matre alienatus, per se cœpit regnare — — Imperatrix aspiciens iniquas rerum mutationes, cum fluctibus turbationis nollet involvi, religiosam vitam elegit, & ad monasterium Fructuariense se transtulit. Inde postmodum Romam pergens, ibique aliquantam moram faciens, vita decessit, & in ecclesia B. Petronellæ in tumba marmorea honeste sepulta est.* Chronographus Saxo ad A. 1096. *Agnes Imperatrix, mater Heinrici, tædio affecta — — regni gubernacula penitus spernens pro Christo, Romam se contulit, ibique — post aliquot annos in domino migravit.* Epitaphium Agnetis in Baronii T. XI. p. 539. ad A. 1077. n. 79. *Anno M. LXXVII. ab incarnatione Domini nostri JEsu Christi, indict. prima, anno quinto pontificatus. Dom. Greg. Papæ septimi, Agnes, imperatrix Aug. post mortem viri sui Heinrici Imp. II. ann. XXII. die XIV. mensis Decemb. animam bonis operibus fecundam, Lateranis, salvatori suo atque omnium bonorum Deo auctori reddidit; Ut & hic ubi antea militaverat clavigero cœli, pro cujus amore ibidem peregrinata fuerat, quinta die mensis Januarii, expectans spem beatæ resurrectionis & adventum magnum Dei, membra carnis commendavit in pace. Amen.*

4) Videatur testimonium Wipponis de A. 1038. n. 2. Eandem fuisse abbatissam Quedlinburgensem ostendit privilegium Heinrici III. Regis super

 Erms-

Erms- & Simsleben in Kettneri antiquit. Quedlinburg. n. VI. p. 165. *In nomine -- Heinricus -- Rex. Tale prædium, quale habere visi sumus in locis Sinslebo & Anegrimeslebo causa dilectissimæ filiæ nostræ* Beatricis, *ecclesiæ in honore domini nostri JEsu Christi & S. Servatii, atque S. Dionysii constructæ, cui prædicta Filia nostra divina munificentia nostraque benevolentia præest. -- -- Datum VI. Calend. Maj. Anno Dom. incarnat. MXLV. indictione XIII. anno autem Dni Heinrici III. ordinationis ejus XVI. regni VI. Actum est Bodveldo.*

Henr. Bodo *in Syntagm. de eccl. Gandersh. in Leibnit. T. III. p. 720.* constituit quidem eandem Abbatissam Gandersheimensem, sed ob non congruentes temporis rationes eo merito contradixit solertissimus antiquitatum inferioris Saxoniæ indagator, & Bruschio in tradenda inclytorum monasteriorum Germaniæ historia longe major, Joh. Georgius Leuckfeld *in antiquit. Gandersh. Cap. XXII. p. 230.* & accurate ostendit Beatricem, abbatissam Gandersheimensem X. ab A. 1044. ad A. 1053. filiam potius fuisse Conradi II. & sororem Heinrici III. Imp. quæ apparet etiam in Tabula nostra II. n. 17. Clare hoc ostendunt etiam Lamentationes Capitularium Gandersheimensium ad Papam Paschalem II. de bonis Gandersh. dispersis per Advocatos, quas primus idem laudatissimus Leuckfeld ibidem *cap. XXV. pag. 279.* produxit, in quibus inter alia hæc huc faciunt: *Hanc libertatem habuit iste locus usque ad tempus Henrici noviter defuncti, soror ipsius* Beatrix *constituta est nobis abbatissa. Ipsa inprimis constituit milites in Abacia, & dedit illis bona in beneficium, unde nos sustentari victu & vestimento debuimus. Inde, Domine, querimoniam fecimus imperatrici Agne, quod ipsa per nuncium suum statim demandavit conquerendo B. Leoni Papæ. -- -- Percepta autem causa ex utraque parte dijudicatum est, ut milites -- -- redderent -- aut -- excommunicarentur, & insuper Beatrix abbatiam amitteret. Qua causa ita definita nos & nostri fuimus securi ab omnibus militibus -- -- usque ad obitum ipsius Beatricis.*

5) Hermannus Contr. ad A. 1045. *Per idem tempus regale colloquium apud Tribura condictum regis infirmitas præpedivit. Quo etiam tempore Agnes regina filiam regi peperit.* Et ad A. 1059. Rodolphus, Alemannorum Dux *Mathildam, Henrici regis sororem, duxit uxorem.* Et ad A. 1060. *Mathildas soror regis obiit.* Lambertus Schafnab. ad A. 1058. p. 164. Otto de Suinfurde, Dux Suevorum *obiit, Ducatum ejus Rudolphus obtinuit, & ut regi in dubiis tunc rebus ex affinitate devinctior fideliorque in rempublicam foret, soror quoque regis ei desponsata est, tenera adhuc ætate, traditaque est episcopo Constantiensi nutrienda.*

6) Conradus Ursp. ad A. 1057. p. 219. *Otto de Svvinfurte, dux Suevorum, quarto Kal. Octobr. obiit, &* Rudolphus de Rinvelden, *qui postea rex esse contendit, ducatum accepit, quod magnum fuit seminarium earum, quibus regnum perturbatur, commotionum. Eundem namque ducatum, vivente adhuc Ottone duce, Henricus Bertholdo Comiti -- promiserat, eique annulum suum, velut hujus rei commonitorium dederat, quem ille diligenter servans, post amborum obitum, imperatoris scilicet & ducis, imperatrici Agneti, imperium tunc disponenti obtulit, eamque -- -- pro ducatu sibi promisso, commonuit; sed quia prædictus Rudolphus, mox post imperatoris obitum, filiam ejus, Runoldo, Constantiensi episcopo, commendatam, utrum consilio raptam an dolo, nescitur, uxorem duxit, receptam jam in gratiam, eundem ducatum illi, causa filiæ, imperatrix dedit, quod animum Bertholdi non parum commovit.*

Ber-

Bertholdus Constant. ad A. 1077. *Principes regni generali colloquio apud Forcheim 3. idus Martii habito, egregium Rudolfum ducem sibi in regem sublimarunt, quem VII. Cal. Aprilis, ubi eo anno medium Quadragesimæ occurrit, coronarunt. -- -- In die autem consecrationis ejusdem maxima seditio Moguntiæ orta est.* Et ad A. 1080. *Jam autem mediante Octobri, Henricus expeditionem in Saxoniam iterum parans, a militibus Rudolfi itinere unius diei fugatur, quamvis in eadem congressione, Rudolfus rex piæ memoriæ occubuerit. Ille inquam alter Machabæus, cum inter primos hostium instaret, in servitio S. Petri, occumbere promeruit, & postea uno die superstes, omnibus suis rite ordinatis, ad dominum migrasse non dubitatur Idibus Octobris. Regnavit autem tres annos & dimidium. -- -- Sepultus est apud Merseburg gloriosissime.* Bruno in hist. Bell. Saxonici p. 150. & 228. *Factum est hoc prælium quartum ab incarnatione Domini MLXXX. Idibus Octobr. fer. V.*

7) Vid. testimonium Chronici Goslariensis in probationibus n. 1. hujus Tabulæ III. p. 44. & 45.

8) Hermannus Contr. Canisii ad A. 1050. p. 598. *Ipso autumno Dominus Papa Synodum Vercellis collegit & Hunfridum Archiepiscopum, pro quadam inter Ravennatem & Romanam ecclesiam contentione, ab officio suspendit, indeque Gallias & Episcopatum suum Leucorum civitatem revisit. Quo tempore Agnes imperatrix tandem imperatori filium peperit*, & ad A. 1051. *Imperator Nemeti partim Quadragesimæ, Paschæ vero festum Coloniæ demoratur, ibique filius ejus Heinricus ab Archiepiscopo Herimanno baptizatur.* Lambertus Schaffnab. ad A. 1051. *Natus est Imperatori filius Heinricus IIII. rex III. idus Novembris*, & ad A. 1052. *Pascha celebravit Coloniæ ibique prædictus puer ab Herimanno ejusdem civitatis Archi-Episcopo baptizatus est.* Hildebertus, Episcopus Cenomanensis, in vita S. Hugonis, Cluniacensis abbatis, c. 2. ad A. 1051. *Paucis ibi diebus peractis ex petitione regis* (Henrici III.) *filium ejus sacro de fonte levavit* (S. Hugo) *puero nomen patris imponens. Celebravit autem pascha cum Imperatore in Agrippina Colonia.*

Hermannus Contr. Urstisii ad A. 1053. p. 335. *Imp. Henricus magno apud Triburiam conventu habito, filium æquivocum Regem a cunctis eligi, eique post obitum suum, si rector justus futurus esset, subjectionem promitti fecit.* Lamb. Schaffnab. ad A. 1054. p. 162. *Imperatoris filius Heinricus consecutus est in regem Aquisgrani ab Hermanno Coloniensi Archiepiscopo.* Rex Heinricus Imperator in epistola ad Theodoricum Episcopum Virdunensem in Golscheri gestis Treverorum c. 61. *Romam in die Benedicti intravimus -- -- scias Nos a Papa Clemente ordinatum & consensu omnium Romanorum consecratum in die X. sancto Paschæ in Imperatore totius populi Romani exultatione.* Bertoldus Constantiens. ad A. 1084. *Rex Heinricus -- -- Lateranense palatium feria quinta ante Palmas cum suo Ravennate Guiberto intravit. -- -- In die resurrectionis dominicæ Heinricus a Hæresiarcha suo Ravennate coronam non gloriæ sed confusionis accepit.*

Otto Frisingensis Chron. lib. VII. c. 11. A. 1106. *in natali Domini maximus conventus principum Moguntiæ factus est, ubi supervenientes apostolicæ sedis legati anathema a Romanis pontificibus in Imperatorem factum, manifeste omnibus, qui aderant, promulgabant. Eapropter dum ipse in quodam castro,* (Bingen) *positus ac custodiæ mancipatus, audientiam peteret, principes seditionem vulgi timentes, ei apud Inglinheim occurrunt, ibique multis modis commonitum, vel juxta alios circumventum ac coactum insignia regni resignare ac filio mittere XLIII. regni sui post mortem patris, Imperii V. anno -- -- persuadent.* Et c. 12. *Extat*

de hoc inter cæteras ejus (Henrici IV. Imp.) *epistolas ad regem Celticæ, qui Francorum dicitur, seu Aquitaniæ Ducem Epistola missa, quæ miseriarum tragœdiam continens, saxeas quoque mentes ad mutabilium rerum ærumnas contemplandas ac deplorandas emollire posset.* Pervenit hæc lamentabilis etiam epistola ad nos & legitur in Alberici *Chronico ad A. 1106. P. II. p. 199.* subjuncta Historiæ de vita Imp. Henrici IV. editæ a Reineccio *p. 33.* & apud Urstis. *T. I. p. 395.* & in Baronii *Annal. T. XII. ad A. 1106. n. 11. p. 46.* Dodechinus ad A. 1106. *Henricus V. rex nativitatem Domini Moguntiæ celebravit, ibique conventum habuit de habenda pace. Communicato consilio principum patrem suæ curiæ præsentavit, qui pridie Calend. Januariis apud Ingelheim prædicto filio suo coram quibusdam principibus regnum tradidit.*

Annales Hildeshemenses ad A. 1106. *Cum regni principes hoc audissent, condixerunt convenire ad Ingelenheim II. Kalendar. Jan. Ibique Imperator est præsentatus. Regnum filio tradidit. — -- Contigit interim Imperatorem Leodio ægrotasse, & perductus usque ad mortem Kal. Augusti diem ultimum clausit. Gladium & diadema, quæ adhuc secum habebat, filio suo misit. -- — & rogans eum etiam Spiræ juxta parentes suos sepelire. Rex vero statim convocavit ad se principes regni & quærit ab eis consilium, quid de patris exequiis esset facturus. Erat enim humatus, sicut Regem decebat, si apud Deum meruisset, apud S. Lambertum Leodio honorifice ab Episcopo, qui semper sibi extiterat fidelis in omnibus. Tunc principes regni sibi dederunt consilium, ut præciperet eum effodi, ne esset in eadem sententia, qua pater, -- — sicque factum est — -- & in quandam Mosæ insulam est positus. -- -- Post hæc placuit regi, ut patrem suum Spiram deferret. -- -- Cumque III. Nonas Septembr. illuc allatus esset, solito more defunctorum exequiis honorifice a Clero & populo suscipitur, & in Basilicam S. Mariæ, quam summo studio construxerat, portabatur. Idcirco Episcopus interdixit, ullum divinum ibi celebrare officium, donec purgaretur ab hoc facto. Et sic extra monasterium fecit corpus statui in capella nondum consecrata.* Et ad A. 1111. *VII. Id. Augusti cum frequentissimo Episcoporum aliorumque Principum conventu patrem suum* (Imperator) *regio more Spiræ sepelit.* Domnizo *in vita Mathildis lib. II. n. 15.*

Dictus jam dudum Rex quo sit fine solutus
Scilicet Henricus, volo mundi discat amicus.
— -- -- --
Augusti quarto defungitur Idus in anno
Christi milleno centeno denique seno,
Ad templum Spiræ dormit, quod struxerit idem.

Variant antiqui Scriptores in die mortis Henrici IV. constituendo. Ordericus p. 762. & p. 819. scribit: *Henricus Imp. Alemannorum VII. Idus Augusti expiravit.* Epitaphium ejusdem apud Conradum Ursperg. p. m. 272. refert. *VII. Idus Junii.* In die mensis Augusti tamen plerique consentiunt. In numero diei sequimur Domnizonem, qui expressis verbis eundem dixit, cum apud alios vitium in numerorum notas irrepere potuerit.

9) Continuator Hermanni Contr. apud Urstis. ad A. 1055. *Imperator de Italia per Bajoariam rediens, natalem Domini apud castrum Turegum celebravit, ibique Othonis, Marchionis, filiam æquivoco suo filio desponsavit.* Lambertus Schaffnab. ad A. 1566. p. 176. *Rex — nuptias in Triburia regio apparatu celebra-*

celebravit in conjunctione Berthæ Reginæ, filiæ Ottonis, marchionis Italorum. Conferatur idem ad A. 1069. p. 178. & 179. de frustra postea a Rege tentato repudio, auxilio Sigefridi Moguntini Archiep. pretiosa pollicitatione decimarum Thuringicarum redemti, ut causam regis in Synodo Moguntina tueretur. Sed intercessit pontifex Romanus Alexander II. misso legato & separationem fieri prohibuit.

Ipse Sigefridus Moguntinus episcopus in Epist. ad Alexandrum II. in Harduini Concilior. T. VI. Part. I. p. 1163. *Filius — vester, Heinricus noster, ante paucos dies conjugem suam voluit dimittere, & eam, quam legitimis sponsalibus, conjugali dote, regali consecratione, & publicis nuptiis, regali corona, & sacramento sibi firmatam sociavit, nullam primo interponens discidii culpam, vel causam, omnino a se separare voluit — — Ille vero retulit nobis, ea de causa ab ea se velle separare, quia non posset ei, tam naturali, quam maritali coitus fœdere copulari. Quod inquisitum, jam & ipsa fatetur, — — —*

Lambertus Schaffnab. l. c. p. 178. *quia consilia scindendi conjugii, sæpe jam tentata, non processerant, statuit deinceps communicato cum ea solum regni nomine sic eam habere, quasi non haberet.* Conradus Ursperg. ad A. 1084. p. 215. *A Clemente pontifice rex cum regina Bertha in sancta dominica Paschæ imperiali benedictione sublimatus est.* Et p. 226. ad A. 1188. *Bertha imperatrix obiit & Spiræ sepulta est.* Charta Frisingensis in Hundii metrop. T. I. p. 152. *In nomine Hainricus divina favente clementia Rex - — ob petitionem & interventum Perthe, regine, regnique thronique nostri consortis dilectissimæ, — — XV. regni vero VI. Actum Ratispone.*

10) Chronographus Saxo ad A. 889. *Imperator Coloniæ nuptias celebravit, Utonis Marchionis viduam, filiam Regis Ruzorum, ducens uxorem.* Waltramus Ep. Numburg. *de unitate eccl. conserv. lib. II. c. 26. Post illos autem dies, quibus hæc — facta sunt Moguntiæ, concelebrata est etiam Coloniæ per eundem Hartvigum* (Magdeburgensem Episcopum) *ordinatio Adalheidæ Reginæ.*

Dodechinus ad A. 1093. p. 461. *Henricus rex Adelheidam reginam, quam duxerat uxorem odio cæpit haberi: ideo incarceravit eam, & concessit, ut plerique vim ei inferrent, imo filium hortans, ut eam subagitaret. — — Regina autem post plurima & inaudita malorum genera sibi innocenter illata, de custodia, qua tenebatur, quoquo modo Dei miseratione liberata, ad potentissimam tunc temporis fœminam, Mathildam nomine, fugiendo pervenit. Quæ susceptam reginam ad venerabilem virum perduxit Urbanum, apostolicæ sedis antistitem — — Regina autem reversa est in regionem suam & ingressa monasterium facta est abbatissa, ut quidam dicunt;* Dicitur etiam Praxedis ab eodem ad A. 1097. & a Bertoldo Constant. ad A. 1095. quod nomen fortasse post separationem assumsit.

11) Hermannus Contr. ad A. 1051. *Imperatrix iterum filium, quem Conradum postea vocaverunt, Imperatori peperit.* Lambertus Schaffnab. ad A. 1056. *Cunradus filius imperatoris, dux Bajoariæ obiit.*

12) Hermannus Contr. ad A. 1047. *Imperatrix Agnes, quæ Romæ ab Imperatore digressa fuerat, in Ravennati territorio filiam peperit.* Lambertus Schaffnab. ad A. 1061. *Andreas Rex Ungariorum, videns Belem, quendam propinquum suum, regnum affectare, & Ungarios a se paulatim ad eum deficere,*

uxorem suam & filium Salomonem, cui imperator filiam suam, parvulo parvulam desponderat, cum multis opibus ad regem Henricum transmisit; & ad A. 1063. p. 170. *Rex Henricus Ungariam cum exercitu ingressus, Salomonem in solium patris restituit, juncta ei in conjugium sorore sua.*

Registrum Gregorii Papæ VII. *lib. II. n. 44. ad A. 1075. Gregorius, episcopus, servus servorum Dei, Judith, Hungarorum reginæ, salutem & Apostolicam benedictionem -- -- quoniam clarissimus Imperator Henricus pater tuus, & Agnes mater tua jam nunc non humanitus, sed Dei misericordia cælitus, Imperatrix Augusta -- -- me caritative habuerunt. -- -- Praterea multum se commendat nobis tua praclara & inclyta fama, quod in tam tenera ætate, inter asperam & incognitam gentem, generis tui gloriam decorasti: quippe quæ, in excelso nata imperio, nihil in actibus & habitudine tua, nisi decus imperiale, hactenus demonstrasti.* Vixisse eandem adhuc A. *1084.* in molesto matrimonio cognoscimus ex Bertholdo Constantiensi ad h. a. p. 353. *Rex Ungarorum Latislaus parti Catholicorum assentaneus, æmulum suum Salomonem de carcere relaxatum, Ratisponam ad uxorem suam ire permisit, licet ingratam. Nam nec illa, vel ille conjugale fœdus ad invicem eatenus servaverant: imo contra Apostolum se ipsos fraudare non timuerunt. Erat autem ipsa soror Henrici sæpe nominati* (Imp. IV.) *quæ ab ipso jam diu Ratisponæ sustentabatur, etiam antequam maritus ejus captivaretur.*

13) Ebbo in vita S. Ottonis Ep. Bambergensis *in actis SS. Antvverp. T. I. Julii p. 426. Accidit forte, illis diebus, ut germana soror Henrici IV. Imperatoris, Juditha nomine, in matrimonio jungeretur Bolizlao, Polonorum Duci.* Sefridus in vita ejusdem Sancti Præsulis ibidem p. 380. scribit de VVladislao secundas nuptias meditante: *Primo autem cœpit apud se ille tractare, deinde consilium habere cum aliis, postmodum ipsum Ottonem ad consilium vocare, plenius ab eo rem cogniturus. Itaque Otto de majestate ac potentia Romani Imperii, & de antiqua & clarissima Regis* (Henrici IV.) *prosapia, pauca præmittens, de viduitate sororis ejus, dominæ viduæ, quodque eam imperator dignis thalamis sociare volens, totius curiæ ac Principum super hoc consilium expectaret, plurima subjunxit,* felicem fore affirmans, cui tantæ pulchritudinis thorus contingeret. Porro recensentur ibidem ab eodem autore ablegatio Ottonis ad Henricum IV. Imp. pro conciliandis his nuptiis, & denique hæc subjunguntur: *fit contractui locus & tempus, remittuntur nuntii magnis cumulati muneribus, ingens utrinque apparatus, pro personarum dignitate, nuptialibus rebus componitur. Duce igitur optatis thalamis petito, major iterum gratia Ottoni accessit.* Conf. Dlugossus Histor. Polon. Lib. IV. col. *311.* qui addit, eandem quidem, vivente primo marito Salomone, sterilem semper fuisse, ex VVladislao tamen Polonorum Duce fœcundam esse cœpisse, tres quoque filias procedente tempore edidisse. Notandum vero Dlugossum, & Hungaricos Scriptores, Joh. de Throvvcz & Bonfinium, eandem constanter Sophiam item Zophoniam appellare, qualis duplex denominatio non infrequens est in medio ævo.

14) Hermannus Contr. ad A. *1048. Autumnali tempore Heinricus Imp. & Heinricus Galliarum Rex in Metensi territorio convenientes -- -- Quibus diebus terræ motus magnus factus est nocte 3. Idus Octobr. Ipsis item diebus Agnes Imperatrix filiam Imperatori peperit.* Chronicon Halberstad. ad A. *1071. affuit quoque dedicandæ Dei aulæ serenissima Domina Bertha Regina cum præclara matertera sua Irmengarde Ducissa, & sorore Regis* (Henrici IV.) *Adelheide, Quedlinburgensis ecclesiæ abbatissa.* Bertholdus Constant. ad A. *1090. Eggebertus*

bertus quoque Marchio de Saxonia, in causa S. Petri strenuus, dolo cujusdam Abbatissæ a Quintileniaburc, sororis, inquam, Heinrici regis, ut ajunt, per insidias occiditur.

Vulgo ab Austriacis Scriptoribus, Sunthaimio, Arnpeckio, Cuspiniano, Lazioque attribuitur etiam Henrico III. Imp. filia, ITHA nomine, & statuitur uxor Leopoldi V. sive Pulchri, Austriæ Marchionis ab A. 1075. usque ad A. 1096. sed hanc opinionem vulgarem ex instituto refutavit R. P. Hieronymus Pez, Benedictinus Mellicensis, solertissimus antiquitatum Germanicarum indagator, *Diss. VI. proœmial. §. 6. -- 17. in T. I. Script. Austriacor.*

15) Lambertus Schafnab. ad A. 1071. *Regina, quæ una Moguntiæ erat, filium peperit, sed is baptizatus statim obiit, delatusque in Hartesburg, ibi sepultus*, & ad A. 1074. p. 206. ubi de diruto a Saxonibus tumultuantibus Hartesburgo loquitur: *postremo, ne qua regi instaurandi castelli occasio reliqua esset, filium ejus & fratrem, quos ille ad gratificandum popularibus locum, ibi tumulaverat, effodiunt. — -- Effossa defunctorum corpora abbas ex vicino cœnobio opportune superveniens, furenti vulgo eripuit, atque in suum monasterium cum honore transvexit.*

16) Lambertus Schaffnab. ad A. 1074. p. 202. *Castellum Vokenrot paucis ante diebus fuerat obsideri, & quia regina in eo toto tempore belli hujus servabatur, jussu regis profectus eo abbas Herveldensis, consentientibus Thuringis, eandem inde accepit, atque Herveldiam adduxit prægnantem, & jam de partus vicinitate indies anxiantem, cumque ibi diebus multis moraretur, nesciente scilicet rege propter perturbationem reipublicæ, quo eam mittere posset servandam, II. Idus Februarii, feria 4. peperit filium. Is quomodo infirmari, & jamjam expiraturus putabatur, tertio die baptizatus est ab Ezzone, Altenburgensi episcopo, qui tunc forte apud abbatem hospitabatur, & nomine atavi sui Conradus est vocatus, & quoniam alii non aderant, qui digne eo munere fungerentur, abbas & alii plerique fratres Herveldensis cœnobii eum de sacro fonte susceperunt.*

Idem ad A. 1076. p. 233. *Rex natalem Domini Goslariæ celebravit. Cumque eo omnes regni principes evocasset, — -- pauci admodum venerunt. Ab ipsis tamen, qui venerant jusjurandum exegit, & accepit, ut non alium post eum, quam filium ejus, tenerum adhuc infantulum, regem sibi eligerent:* & p. 235. *Rex Pascha Trajecti celebravit, ibique Ducatum Lotharingiæ filio suo Cunrado — tradidit.* Historia de vita Henrici IV. p. 386. *Imperator relicto in Italia filio Conrado, jam tum regni sui hærede designato, regressus est, scilicet qui se grassanti Mathildi — — opponeret, & regnum, quod futurum erat suum, de manu feminæ tolleret. -- -- Filius Imperatoris -- -- a Mathilde persuasus — -- junctus inimicis patris, coronam sibi imposuit, regnum invasit, profanavit jus & omnem confudit & impugnavit naturam, quærebat patris sanguinem, quia non nisi sanguine patris regnare potuisset.*

Dodechinus ad A. 1093. *Conradus, filius Henrici Imp. patri suo hac de causa rebellavit: Heinricus rex Adelheidam reginam, quam duxerat uxorem, odio cœpit habere, ideo incarceravit eam, & concessit, ut plerique ei vim inferrent: immo filium hortans, ut eam subagitaret. Quo recusante patris pollucre stratum, eum rex non suum, sed peregrini filium esse affirmavit, cujusdam principis de Suevia, cujus etiam faciem prædictus Conradus plurimum assimulavit.* Bertoldus Constant. ad A. 1093. *In Longobardia Cuonradus, filius Heinrici Regis*

Regis, a patre dolo circumvenitur & captivatur, sed Dei misericordia ereptus a Mediolanensi Archiepiscopo & reliquis S. Petri in Regem coronatur, annuente VVelphone Duce Italiæ, & Mathilda ejus clarissima conjuge.

Landulphus junior, scriptor quoque hujus temporis in Hist. Mediolanensi Cap. 1. *Cono quoque Rex, qui, dum Henricus pater ejus viveret, per contractionem Mathildis Comitissæ, & officium hujus Anselmi de Rhode fuit coronatus Modœtiæ, & in ecclesia St. Ambrosii regali more -- -- regnans in loco, qui Burgus S. Dominici dicitur. -- -- mox in Tusciam adire tentavit; Et cum pervenisset Florentiam -- -- adolescens arrepta potione ab Aniano, Medico Mathildis Comitissæ, vitam finivit.* Otto Frising. lib. VII. Chron. c. 7. *Anno sequenti nempe MCI. Conradus Henrici Imp. filius christianissimus, cui pater Italiam commiserat, nono, ex quo a patre discesserat, anno, immatura morte præventus, diem obiit, ac in civitate Florentia Tusciæ, honorifice sepultus.* Domnizo in vita Mathildis *Lib. II. c. 13.*

Infra Chonradus Longobardos comitatus,
Dum staret, discors a Mathildi fuit ipso
Tempore, duravit modicum discordia talis:
Nam petiit partes Tuscanas Rex, ibi tandem
Nobilibus quidam facientibus expulit iram;
Post istam pacem febre tactus. Julius autem
Mensis erat magnus, moritur Chonradus, & annus
Tertius, Urbanus, quod transierat, memoratus.

Obiisse Urbanum II. Papam d. 29. Julii A. 1099. testatur his verbis Simeon Dunelmensis in hist. de gest. Reg. ad A. 1099. *Urbanus Papa IV. Kal. Augusti feria V. obiit.*

17) Domnizo l. c. lib. II. c. 11.

Sic procul ejectus Chonradus filius ejus
-- -- -- --
Ac prudens vere -- Siculam duxit mulierem
Rogerii natam Ducis. -- --

Bertoldus Constant. ad A. 1035. *Cuonradus rex cum regio apparatu in Tusciam Pisas perrexit, ibique sponsam suam, filiam Rogerii, Ducis Siciliæ, adhuc admodum parvulam, cum inaudita pecunia sibi oblatam recepit.* Conradus Ursperg. ad A. 1099. p. 228. *Chunradus -- -- cœlibatus pudorem perpetualiter & servare cum proposuisset, coactus tamen a suis filiam Ruggerii, Ducis Siciliæ, famosissimi pene nostrorum temporum viri, duxit uxorem: cujus tam casta usus est conjunctione, ut vix crederetur eam unquam cognovisse.*

18) Annales Hildeshemenses ad A. 1081. *Henricus Rex natus est, junior dictus.* Continuator Lamberti Schafnab. ad h. a. *Heinricus rex natus est, ille qui patrem suum de regno expulit.* Abbas Urspergensis ad A. 1099. p. 228. *In Epiphania, Aquis filium suum juniorem Heinricum quintum Regem fecit, reprobato majore suo Chuonrado, quem prius coronavit.* Otto Frisingensis Chron. lib. VII. c. 8. *Anno ab incarnatione domini 1103. Imperator Henricus natale Domini Moguntiæ celebrans, ibique Henrico filio suo Rege post se designato, sepulchrum*

pulchrum domini se visurum publice denuncians. Dodechinus ad A. 1111. *Rex -- post Pascha a Papa* (Papali II.) *imperator consecratur.*

Malmesburiensis, qui lib. V. p. 167. ait, recensere se gesta in Coronatione Henrici Imp. ex Davide Scoto, Bancorensi Episcopo, tunc a partibus Imperatoris stante, affirmat Henricum Romæ coronatum fuisse, *IV. Idus Aprilis Dominica Quasimodogeniti.*

Iterum Romæ coronatum fuisse post absolutionem a legato Paschalis II. Papæ, Burdino, Archiepiscopo Braccarensi, constat ex Pandulffo Pisano, Subdiacono Apostolico, autore coætaneo, qui Guillelmum bibliothecarium supplevit, in vita Paschalis II. apud Baronium ad A. 1117. n. 5. T. XII. pag. 121. *Diffisus bis Rex, accito Mauritio Bracharensi Archiepiscopo -- -- ante corpus B. Gregorii coronari se fecit, sicque ab Urbe comitatus abscessit.* Ab eodem, tanquam pontifice a se constituto Gregorio VIII. tertium coronatus fuit. Anno 1118. teste Petro Diacono in Chron. Cassinensi lib. IV. c. 64. *Imperator interea cum oppidanis* (Turriculæ) *fœdus iniens, Romam rediit, ibique diebus Pentecostes ab eodem hæresiarcha coronatus Liguriam rediit.* Conradus Ursp. ad A. 1125. p. 271. *Henricus Imp. hujus vocabuli V. apud Trajectum civitatem Pentecosten celebraturus -- -- diem clausit extremum decimo Kal. Juni. Cujus corpus, more regio, curatum Spiram est delatum -- -- juxta majorum suorum mausolea honorifice conditum, anno regni sui XX. Imperii vero XIIII.* Robertus de Monte ad A. 1126. *Henricus imperator -- pentecosten celebraturus Ultrajectum venit, & tandem feria quinta in Pentecoste vitam cum regno amisit. Corpus ejus ejectis intestinis sale respersum Spiram relatum est.* Mortuum esse Henricum V. anno 1125. testatur diploma Lotharii Regis successoris. Datum die XXII. Febr. Anno 1126. in Rubei Hist. Ravennat. lib. V. p. 213.

19) Matthæus Paris in hist. Anglic. ad A. *1109.* p. *61.* *Eodem anno missi sunt nuntii solennes ab Imperatore Romanorum Henrico in Angliam, filiam* Matildem *in domini sui conjugium postulantes. Tenuit itaque Rex apud Westmonasterium in pentecostes curiam suam -- -- & sacramenta de conjugio filiæ suæ ab Imperatoris legatis petiit & accepit. Data est igitur filia Regis Imperatoris Imperatori, sicuti decuit.*

Robertus de Monte ad A. 1114. *Heinricus Imp. cum magna optimatum suorum & totius regni gloria natalem domini celebrat Moguntiæ, ibique uxorem duxit Matildam, filiam regis Anglorum.* Matthæus Paris ad A. 1127. p. 67. *Eodem anno Fulco, comes Andegavensis, Hierosolymam sine animo revertendi profecturus, dedit comitatum suum Gaufrido filio, cognomento Plantagenesi, adolescenti elegantissimo, & peregre profectus, Hierosolymam cum prosperitate pervenit. De cujus adventu Rex Hierusalem valde lætus, dedit ei filiam suam primogenitam, cum spe regni post mortem suam. Quod cum a Rege Anglorum Henrico compertum fuisset, transfretavit in Normanniam, & filiam suam Imperatricem, præfato Gaufrido, Andegavensium Comiti, matrimonio copulavit.*

Hovedenus ad A. *1128.* *Circa pentecosten misit Rex filiam suam in Normanniam disponsandam Gaufrido, filio Comitis Andegavensis, & postea sequutus est eam ipse Rex in Augusto.* Robertus de Monte ad A. *1168.* *Matildis Imperatrix decessit IV. Idus Septembris Rothomagi & sepulta est Becci.* Matth. Paris. ad A. *1186.* sed vitium in numeris. p. 138. *Circa eadem tempora obiit maxima mulierum, venerabilis Domina Matildis, filia Regis Anglorum Henrici I. Imperatrix*

ratrix & uxor Henrici Romanorum Imperatoris, & mater Henrici II. Anglorum Regis maximi, unde ejusdem Matildis epitaphium:

Ortu magna, viro major, sed maxima partu
Hic jacet Henrici filia, sponsa, parens.

Annum emortualem *1167.* constituit Hovedenus p. 505. & plerique Historici Anglici. Arnulphus Lexoviensis Ep. scripsit eidem hoc epitaphium quod extat inter ejusdem epistolas 74. & 75. in magnæ Bibliothecæ PP. T. III. pag. 599.

Regia progenies, stirps regia, Cæsaris uxor,
Hic est magna brevi clausa Matilde loco.
Virtutum titulis humani culmen honoris
Excessit mulier, nil mulieris habens.
Septembris decimo sub prima transiit hora
De nostra ad verum nocte revecta diem.

20) Petr. Diaconus lib. IV. Chron. Cassin. c. 61. ad A. *1117.* *Imperator Ptolemæo illustrissimo Octavia stirpe progenito Ptolemæi magnificentissimi, Consulis Romanorum filio, Bertam, filiam suam in conjugio tradidit.*

21) Chronicon vetus Ducum Brunsu. apud Leibnit. *T. II. p. 15. Henricus V. postea moriens — — nullum reliquit de suo genere successorem.*

22) Otto Frisingensis lib. I. de Gestis Frid. I. Imp. c. 8. Henricum IV. Imp. introducit Fridericum, Comitem Stauffensem, ita inter alia alloquentem: *Filiam quippe, quam habeo unicam, tibi in matrimonio sortiendam tradam.*

De hac Agnete videantur probationes n. 3. 4. 5. Tabulæ I. in Familia nostra Augusta Stauffensi p. 4.



DISSER-

DISSERTATIO VII.

DE

HADVIGE SUEVORUM DUCE VICARIA IMPERII.

I.

HAdvigem in præſens dicere adgredior, genere, rebus geſtis, doctrina etiam, inter Principes feminas nobiliſſimam, ingens ſeculi decimi ornamentum. Nec fuerint, credo, animo tam triſti ſeveroque lectores, ut ad memoriam feminei nominis contrahant frontem, atque ex priſcis Annalium monimentis, arma tantum virumque alto ſupercilio depoſcant. Selegimus autem ex Germanarum Heroidum numero, maxime Hadvigem, illam neglectam fere noſtra ætate ſcriptoribus: quamvis videantur plura ineſſe, digniſſima memoratu.

II. Jam primum ſatis conſtat inter antiquos rerum auctores, regia de ſtirpe Saxonica ortam fuiſſe: patre editam Henrico I. Bajoariæ Duce, 1) cui Rixoſo cognomen graves cum fratre, Ottone M. Imperatore, inimicitiæ indiderunt. *) Auxit præcipue generis gloriam avus Henricus, functo ſatis Conrado Rege, primus, e Saxonibus Germanicæ rei gubernaculis admotus. Neque altius nunc Hadvigis originem, toties celebratam, repetam, unoque ſilentio Ottonem Illuſtrem ac Ludolphum, Duces, involvam, quos per patrem arcta neceſſitudine contingebat. Nec minor autem maternæ proſapiæ celebritas. Nata ex Juditha Bavarica, ad Arnulphum, ad Luitpoldum, potentiſſimos in Bojoariis Principes, genus referebat: 2) habebatque matrem ipſam

§. II. 1) WITICHINDUS *Ann. II.* apud MEIBOMIUM *Script. Rer. German. T. I. p. 656.* eam diſerte vocat *filiam fratris Regis:* NAUCLERUS *Vol. II. Chronograph. Generat. XXXII. p. 735. filiam Henrici, Ducis Saxoniæ & Bavariæ, qui fuit frater Ottonis M.* Stemma ipſum vid. apud KOELERUM, V. C. in *Stemmatographia Auguſta Saxonica, Tab. III. p. 35.* Conf. JO. GEORG. ECCARDI docta Diſſ. *de Auguſto Imperatorum Saxonicorum ſtemmate*, in ORIGIN. GUELPH. T. IV. p. 364. ſq.

*) Alii Henricum, filium ejus Rixoſum cognominant: nos ipſum patrem, ſequuti in primis STRUVIUM, KOELERUM, SCHWARZIUM. Conf. H. C. AREND *de Domus Brunſuico-Luneburg. aliquot Principibus, qui hinc inde ſingularia cognomina indepti ſunt*, (Brunſuic. 1724. 4.) p. 37. Nec patri tamen diſſimilis filius.

2) Eruditæ controverſiæ occaſionem ortus Bavaricæ Domus præbuit: agitataque res fuit, magno ani. orum motu, inter clariſſimos viros, quorum ſcripta ILL. BUDERUS in *Biblioth. Hiſtor.* T. II. p. 1077. ſq. recenſet.

ipsam insigne virtutis muliebris exemplum. Illam certe HROSVITHA, virgo Deo sacrata, in *panegyri Oddonum* 3) eximie laudat, 4) in hunc modum:

At Dux Heinricus, frater Regis, venerandus
Princeps: - - - - - - -
Qui sibi condigne legali junxit amore
Arnulphi natam, Ducis egregii, generosam,
Nomine Juditham, vultus splendore coruscam,
At fulgore magis cunctæ nitidam bonitatis.

III. His igitur Hadvigis parentibus genita, hos majores nacta est. In eo autem veterum scriptorum silentio, non datur natalium certum tempus ostendere: quamvis hoc maxime expedire haud nobis studium defuerit. Contra irritus sit, ac incassum susceptus labor, mutatam nominis formam copiosius prosequi: perfruanturque istis deliciis male seduli homines, quos nubes juvat, & inania captare. *Hadawiga* dicitur EKKEHARDO JUNIORI, 1) MARTINO CRUSIO 2) *Hedowigis*: ego, recentiorum ore rotundo, nuncupare Haduigem sustinui. Nec tacitum tamen Luitgardis nomen feramus, ab AVENTINO illi, non addicente idoneo auctore, impositum. 3) Induit sibi eumdem errorem HENNINGESIUS, 4) contra notatum a BRUNNERO, Boicorum Annalium quam cultissimo scriptore, ad An. DCCCCLV. Si quid veri mens augurat, insignivisse hoc nomine Hadvigem videntur, quod Luitgardem aliquam Burchardo II. Duci Suevorum matrimonio adjunctam compererint, cui & ipsi demum Hadvigis nupsit. Jam vero, a cœpto itinere, quum ad hæc diverticula paullulum deflexímus, non indictam omiserim CRUSII suspicionem, 5) ab Hadvige duntaxat Halicam haud diversam esse, inter filias Henrici Ducis, ab AVENTINO, BRUNNERO, ADLZREITERO, aliis, numeratam. Equidem illud nec refellere, nec adfirmare ante ausim, quam certiora se rei vestigia aperiant. Unam Gerbergam, Gandersheimensi cœnobio præfectam,

---

3) Apud MEIBOMIUM *Script. Rer. German.* T. I. p. 714.

4) Vindicat quoque Judithæ famam, aliquando incertis vulgi rumoribus petitam, DITMARUS MERSEBURG. L. II. p. 340.

§. III. 1) *De casibus monasterii S. Galli*, c. 10. apud GOLDASTUM *Script. Rer. Alemannic.* T. I. p. 45.

2) *Ann. Suevic. P. II. L. IV. p.* 125.

3) Ita vero ille *in Ann. Boic. p.* 474. *Eodem anno, nimirum Christianæ salutis DCCCCLV. obiit, Reginoburgii, Hainricus I. Kalendis Novembribus. Hainricum filium, heredem Bajoariæ reliquit. Sepultus est in templo D. Haimerani. Tulit ex Juditha Ludovicum, Hainricum, LUITGARDAM, Helicam, virginem sacratam, quæ Bathaviæ sepulta est* Unde perperam ADLZREITERUS ad eumd. an. *Luitgardem Aventino dictam Hedvigem* scribit.

4) Apud TENZELIUM, in *Vindiciis Conring. Censuræ Dipl. Lindav.* c. XIII. §. 2. pag. 317.

5) Verba ipsa l. c. ita habent: *Cui* (Henrico) *liberos pepererat uxor Juditha, Ludovicum, Henricum, Luitgardam, Helicam, monialem. Invenitur & Hedovvigis, cap. sequenti: nisi eadem est cum Helica, ut existimo.*

fectam, prisci Annales sororem Hadvigis commemorant; 6) hoc etiam nomine claram, quod sub disciplina illius HROSVITHA floruerit, 7) carmine, ut tum erant tempora, Latino haud incelebris.

IV. Hadvigem autem a prima juventa videbantur ad summam fortunam fata adducere. Nondum adoleverat ætas, nondum viro matura erat, jamque in spem Augustalis connubii ab Constantino, Principe Græco, petebatur. Erat is Romani Imperatoris filius, Constantini, quem Porphyrogenitum vocant, nepos, & ipse aliquando Orientis ad imperium evectus. *) Pacta est puella. Nec mora: Constantinopoli mittuntur, qui rudem artium Græcis litteris instituerent, Germanumque ingenium in mores frangerent peregrinos. Primum tum hausit studiorum amorem, quem dein, per omnem vitam, alta mente infixum retinuit. Ipsas autem nuptias exosa, ut sponsi ab semet animum absterreret, nihil intentatum omisit. Non comta, non composita ad elegantiam fronte, artifici pingenda adsidet. Celat oris formosi ingenitas Gratias, utque minime simulacrum adrideret, vultus ducit, oculis præter morem torvum tuentibus. Ita rem EKKEHARDUS, æqualis temporibus iis scriptor, prodidit, l. c. *Hadawiga*, inquit ille, *Henrici Ducis filia, - - femina admodum quidem pulchra. -- Hæc, quondam parvula, Constantino, Græco Regi, quum esset desponsata, per evnuchos ejus, ad hoc missos, LITTERIS GRÆCIS ADPRIME EST ERUDITA. Sed quum imaginem virginis pictor evnuchus domino mittendam, uti simillime depingeret, sollicite eam inspiceret, IPSA, NUPTIAS EXOSA, OS DIVARICABAT, & OCULOS.* Nec forte pigebit, eadem a BRUNNERO ad An. DCCCCLIV. paullo ornatius perscripta, relegere: *Ea, tenella etiamnum ætate, Constantino, Orientis Imperatori, desponsa, Græcas perosa nuptias, neque vultus sui formæque imaginem, ad invisum sponsum, transmitti passa, sedulo oris elegantiam, corrugata fronte, obtortisque oculis, corrumpebat, quoties vultum pictori exscribendum præbere jussa est.* Tandem rescinduntur male sarta sponsalia, magno Haduigis emolumento, quum, CANGIO teste, l. c. Constantinus evaderet *vir nullius frugis, ac socordia insigni.* Repudiatus, postea ad Helenam, Alypii patricii filiam, adplicuit animum, inque torum genialem adscivit.

V. Contra Hadvigis, ut cultum ingenii aliis omnibus antehabuit, nec lubentius nec jucundius vitam atque in litteris degebat, ac velut amotis, cum sponso Græco, artibus Græcis, nunc Latinas tractabat, industria & successu pari. Inter hæc vero, postquam facta adultior, a Burchardo II. Duce Alemanniæ, insigni cum dote, domum ducta est: defuncta priore conjuge Luitgarde, quam non ambigitur S. Udalrici, Episcopi Augustani, sororem fuisse. 1)

 Utar

6) Vid. KOELER. l. c. p. 38. sq. Conf. JO. GEORG. LEUCKFELD *Antiqu. Gandersh.* c. 22. p. 220. sq.

7) Celebrat HROSVITHA ipsius Gerbergæ, cultum doctrina ingenium, carmenque illi suum, in B. Mariam Virginem retractandum offert: quod, una cum elegis, ad Gerbergam, vid. in HROSVITHÆ Operibus, junctim ab HENR. LEONARD. SCHURTZFLEISCHIO, Vitemb. A. 1707. 4. editis, p. 72. sq. Ejusdem etiam hortatu, Ottonum se laudes cecinisse, alibi testatur.

§. IV. *) Conf. CANGIUS in *Famil. Byzantinis* p. 149.

§. V. 1) Perperam AVENTINUS l. c. p. 471. *Luitgarden* dicit *filiam Henrici, Ducis Bojorum.* Idem error est CRUSII, l. c. p. 124. in verbis: *Ductor erat*

ipsam insigne virtutis muliebris exemplum. Illam certe HROSVITHA, virgo Deo sacrata, in *panegyri Oddonum* 3) eximie laudat, 4) in hunc modum:

> *At Dux Heinricus, frater Regis, venerandus*
> *Princeps:* - - - - - - -
> *Qui sibi condigne legali junxit amore*
> *Arnulphi natam, Ducis egregii, generosam,*
> *Nomine Juditham, vultus splendore coruscam,*
> *At fulgore magis cunctæ nitidam bonitatis.*

III. His igitur Hadvigis parentibus genita, hos majores nacta est. In eo autem veterum scriptorum silentio, non datur natalium certum tempus ostendere: quamvis hoc maxime expedire haud nobis studium defuerit. Contra irritus sit, ac incassum susceptus labor, mutatam nominis formam copiosius prosequi: perfruanturque istis deliciis male seduli homines, quos nubes juvat, & inania captare. *Hadawiga* dicitur EKKEHARDO JUNIORI, 1) MARTINO CRUSIO 2) *Hedowigis*: ego, recentiorum ore rotundo, nuncupare Haduigem sustinui. Nec tacitum tamen Luitgardis nomen feramus, ab AVENTINO illi, non addicente idoneo auctore, impositum. 3) Induit sibi eumdem errorem HENNINGESIUS, 4) contra notatum a BRUNNERO, Boicorum Annalium quam cultissimo scriptore, ad An. DCCCCLV. Si quid veri mens augurat, insignivisse hoc nomine Hadvigem videntur, quod Luitgardem aliquam Burchardo II. Duci Suevorum matrimonio adjunctam compererint, cui & ipsi demum Hadvigis nupsit. Jam vero, a cœpto itinere, quum ad hæc diverticula paullulum deflecximus, non indictam omiserim CRUSII suspicionem, 5) ab Hadvige duntaxat Halicam haud diversam esse, inter filias Henrici Ducis, ab AVENTINO, BRUNNERO, ADLZREITERO, aliis, numeratam. Equidem illud nec refellere, nec adfirmare ante ausim, quam certiora se rei vestigia aperiant. Unam Gerbergam, Gandersheimensi cœnobio præfectam,

3) Apud MEIBOMIUM *Script. Rer. German.* T. I. p. 714.

4) Vindicat quoque Judithæ famam, aliquando incertis vulgi rumoribus petitam, DITMARUS MERSEBURG. L. II. p. 340.

§. III. 1) *De casibus monasterii S. Galli*, c. 10. apud GOLDASTUM *Script. Rer. Alemannic.* T. I. p. 45.

2) *Ann. Suevic. P. II. L. IV. p. 125.*

3) Ita vero ille *in Ann. Boic. p. 474. Eodem anno, nimirum Christianæ salutis DCCCCLV. obiit, Reginoburgii, Hainricus I. Kalendis Novembribus. Hainricum filium, heredem Bajoariæ reliquit. Sepultus est in templo D. Haimerani. Tulit ex Juditha Ludovicum, Hainricum, LUITGARDAM, Helicam, virginem sacratam, quæ Bathaviæ sepulta est* Unde perperam ADLZREITERUS ad eumd. an. *Luitgardem Aventino dictam Hedvigem* scribit.

4) Apud TENZELIUM, in *Vindiciis Conring. Censuræ Dipl. Lindav. c. XIII. §. 2. pag. 317.*

5) Verba ipsa l. c. ita habent: *Cui (Henrico) liberos pepererat uxor Juditha, Ludovicum, Henricum, Luitgardam, Helicam, monialem. Invenitur & Hedovvigis, cap. sequenti: nisi eadem est cum Helica, ut existimo.*

fectam, prisci Annales sororem Hadvigis commemorant; 6) hoc etiam nomine claram, quod sub disciplina illius HROSVITHA floruerit, 7) carmine, ut tum erant tempora, Latino haud incelebris.

IV. Hadvigem autem a prima juventa videbantur ad summam fortunam fata adducere. Nondum adoleverat ætas, nondum viro matura erat, jamque in spem Augustalis connubii ab Constantino, Principe Græco, petebatur. Erat is Romani Imperatoris filius, Constantini, quem Porphyrogenitum vocant, nepos, & ipse aliquando Orientis ad imperium evectus. *) Pacta est puella. Nec mora: Constantinopoli mittuntur, qui rudem artium Græcis litteris instituerent, Germanumque ingenium in mores frangerent peregrinos. Primum tum hausit studiorum amorem, quem dein, per omnem vitam, alta mente infixum retinuit. Ipsas autem nuptias exosa, ut sponsi ab semet animum absterreret, nihil intentatum omisit. Non comta, non composita ad elegantiam fronte, artifici pingenda adsidet. Celat oris formosi ingenitas Gratias, utque minime simulacrum adrideret, vultus ducit, oculis præter morem torvum tuentibus. Ita rem EKKEHARDUS, æqualis temporibus iis scriptor, prodidit, l. c. *Hadawiga*, inquit ille, *Henrici Ducis filia*, - - *femina admodum quidem pulchra.* -- *Hæc, quondam parvula, Constantino, Græco Regi, quum esset desponsata, per eunuchos ejus, ad hoc missos, LITTERIS GRÆCIS ADPRIME EST ERUDITA. Sed quum imaginem virginis pictor eunuchus domino mittendam, uti simillime depingeret, sollicite eam inspiceret, IPSA, NUPTIAS EXOSA, OS DIVARICABAT, & OCULOS.* Nec forte pigebit, eadem a BRUNNERO ad An. DCCCCLIV. paullo ornatius perscripta, relegere: *Ea, tenella etiamnum ætate, Constantino, Orientis Imperatori, desponsa, Græcas perosa nuptias, neque vultus sui formæque imaginem, ad invisum sponsum, transmitti passa, sedulo oris elegantiam, corrugata fronte, obtortisque oculis, corrumpebat, quoties vultum pictori exscribendum præbere jussa est.* Tandem rescinduntur male sarta sponsalia, magno Hadvigis emolumento, quum, CANGIO teste, l. c. Constantinus evaderet *vir nullius frugis, ac socordia insigni.* Repudiatus, postea ad Helenam, Alypii patricii filiam, adplicuit animum, inque torum genialem adscivit.

V. Contra Hadvigis, ut cultum ingenii aliis omnibus antehabuit, nec lubentius nec jucundius vitam atque in litteris degebat, ac velut amotis, cum sponso Græco, artibus Græcis, nunc Latinas tractabat, industria & successu pari. Inter hæc vero, postquam facta adultior, a Burchardo II. Duce Alemanniæ, insigni cum dote, domum ducta est: defuncta priore conjuge Luitgarde, quam non ambigitur S. Udalrici, Episcopi Augustani, sororem fuisse. 1)

 Utar

6) Vid. KOELER. l. c. p. 38. sq. Conf. JO. GEORG. LEUCKFELD *Antiqu. Gandersh.* c. 22. p. 220. sq.

7) Celebrat HROSVITHA ipsius Gerbergæ, cultum doctrina ingenium, carmenque illi suum, in B. Mariam Virginem retractandum offert: quod, una cum elegis, ad Gerbergam, vid. in HROSVITHÆ Operibus, junctim ab HENR. LEONARD. SCHURTZFLEISCHIO, Vitemb. A. 1707. 4. editis, p. 72. sq. Ejusdem etiam hortatu, Ottonum se laudes cecinisse, alibi testatur.

§. IV. *) Conf. CANGIUS in *Famil. Byzantinis* p. 149.

§. V. 1) Perperam AVENTINUS l. c. p. 471. *Luitgarden* dicit *filiam Henrici, Ducis Bojorum.* Idem error est CRUSII, l. c. p. 124. in verbis: *Ductor erat*

Utar rursus EKKEHARDI testimonio. Et diserte ille, l. c. *Sic Græco*, ait, *pervicaciter repudiato, LITTERIS POST LATINIS STUDENTEM, Burckhart illam Dux, multipliciter dotatam, duxit.* Haud dissimiliter WITICHINDUS loc. cit. atque item ANNALISTA SAXO 2) ad An. DCCCCLV. scribunt: *Cui nupserat filia Henrici, fratris Regis.* Ex recentioribus unum addam NAUCLERUM, cujus hæc sunt verba, l. c. *Burchardus, Dux Sueviæ - - habuit duas uxores. Prima fuit soror S. Udalrici, Luitgard dicta: qua defuncta, duxit Hedvigem, filiam Henrici, Ducis Saxoniæ & Bavariæ, qui fuit frater Ottonis M.*

VI. Hand incongruens autem ab hoc loco videtur, pauca de Burchardo II. prius explanare, quam ad rerum ordinem revertar. Primus Alemanniæ Ducatum An. DCCCCXVII. Burchardus, pater, acceperat, post magna intervalla, ab Conrado, Rege Germaniæ, instauratum. 1) Nec enim ego opinionis alterius sim, qua nominis ejus alius anno DCCCCXI. in civili tumultu peremtus, Suevis Dux præfuisse, traditur. Magna auctoritate præsidem, *Cameræ Nuntium* adpellabant, egisse haud abnuerim: & propius ad verum est, inde in Annalibus quibusdam Ducis titulo efferri; 2) quo etiam Warinum & Ruthardum, Bertholdum ac Erchangerum, haud dubie præfectos Alemanniæ, insignes reperio. 3) Ad Burchardum II. vero, filium Burchardi I. de quo supra memo-

---

erat Burkhardus, cui nupserat quædam, de filiabus fratris Regis, Luitgarda. At gravior multo lapsus, quum paullo post p. 127. scribit: *Duo jam adparent, ejusdem fere temporis, Sueviæ Duces, Burchardi adpellati. Prior, qui in prœlio Hungarico 955. periisse dicitur, capite precedente. Alter hic, qui 973. mortuus est. Et uterque Bavariæ Ducis, Henrici, gener perhibetur: prior, ut videtur, in filia Luitgarde, alter in Hedovvige, vel Helica.*

2) In ECCARDI *Corp. Historico Med. Ævi T. I. p. 293.*

§. VI. 1) EKKEHARDUS l. c. cap. 1. p. 19. *Sueviæ Principum adsensu*, STATUITUR ALEMANNIS DUX PRIMUS, BURKHARDUS, *gentis illius nobilissimus, & virtutum dote probatissimus.* Quem locum, plane præter rem, exposuit ECCARDUS *in Commentar. de rebus Franciæ Orient. Tom. II. pag. 857.*

2) Ita HERMANNUS CONTRACTUS ad An. 911. *Burchardus, Dux Alemanniæ, in conventu suo, orto tumultu, occisus est.* In vetere charta Ludovici, Infantis, de A. 905. apud SCHANNAT. *Tradit. Fuldens. p. 222. Burchart, Comes*, inque ejusdem alia, de Anno insequente, apud HERGOTT. in *Genealog. Diplom. Gentis Habspurg. T. II. p. 65. Buruchardus, dilectus Gomes*, occurrit: quem ratus est ECCARDUS l. c. p. 814. esse eum, cui Rex Conradus Ducatum Alemanniæ concessit. Ego quidem, de hoc Burchardo acceperim.

3) Huc adprime faciunt, quæ GOLDASTUS ad RATPERTI c. 2. *de casibus S. Galli* l. c. p. 107. commentatus est: *Stumpffius Warinum Hegoviæ, Ruadbardum Turgoviæ, Comites facit: Vadianus Duces Alemanniæ. Sed erant Cameræ Nuntii, quos vocat Ekkehardus, qui Walafrido teste c. 4. de vita Othmari, Alemanniam, ab Imperatore missi, administrabant, ea potestate, qua Bertholdus & Erchinger, - - qui & ipsi Duces Alemanniæ nominantur.* Ita etiam ULRICUS OBRECHTUS, *Prodrom. Rer. Alsatic.* Vol. I. c. 10. p. 220. & TENZELIUS l. c. p. 316. jam excitati a PFEFFINGERO ad VITRIARIUM, T. II. p. 302. Quibus ego adjiciam LUDOV. BARTH. HERTTENSTEIN *de Ducatu Sueviæ & Alemanniæ* c. 3. p. 17. sq. Aliter animum ECCARDUS l. c. p. 831. inducit, ac non modo Burchardum, sed Erchangerum etiam, dignitate Ducis ornatos arbitratur.

memoravimus, Ducatus demum, exauctorato Ludolpho, rediit. Incertum rei actæ tempus variæ auctorum sententiæ facerent, nisi plura hortarentur, ut fide potissimum ANNALISTÆ SAXONIS, anno illigemus DCCCCLIV. ad quem certe ita habet: *Ludolfus Vasallos, quos habuit, & Ducatum patri reddidit: cui Burchardus in Ducatu successit.* Et gemina sunt, apud CONTINUATOREM REGINONIS 4) ad an. eumd. Sed ne falsi tamen HERMANNUM CONTRACTUM arguam, cui satius visum, annum DCCCCLVII. prodere, quo in Italia Ludolphus occubuit, 5) lubenter viam inierim, pugnantia secum connectere. Igitur concessum prius Ducatum, post fata Ludolphi, sollemni ritu confirmatum Burchardo, existimem.

VII. Is tandem hac circumfusus dignitate, Hadvigem uxorem duxit. Sed inter cetera, vetustate incomperta, annus quoque matrimonii in incerto positus: quamvis facilitate conjectandi, recentiores fere ad DCCCCLV. referant. At dare hoc se ANNALISTÆ SAXONI frustra profantur, quum nec is tempus, nec quem sequitur WITICHINDUS, sat planum tradiderit. 1) Longe serius factum, ex EKKEHARDO l. c. intelligimus. Etenim Burchardum exacta ætate, ad thalami reversum illecebras, auctor est, imparemque ferendis, haud multo post fato abreptum, illibata novæ nuptæ virginitate. Videtur operæ pretium, ipsa verba adscribere: *Burkhart, - - quum jam esset decrepitus, thalamo, ut ajebant, secum nequaquam cubantem, IN PROXIMO MORIENS, quamvis non intactam, incognitam, ut celebre est, CUM DOTIBUS ET DUCATU, reliquit puellam.* Implesse supremum diem Anno DCCCCLXXIII. HERMANNI CONTRACTI testimonio satis constat, 2) consentitque ad h. a. NECROLOGIUM FULDENSE. 3)

VIII. Posthæc, Hadvigis quali animo esset, quanta auctoritate, multis indiciis adparuit. Novus Dux Alemanniæ Otto, Ludolphi ex Ida filius, con-

4) In PISTORII *Script. Rer. German. T. I. p. 79.*

5) HERM. CONTR. ad An. 957. *Luitolphus Dux, commissa pugna, Adalbertum vicit, cunctisque sibi, una cum regno Italiæ, subjugatis, ipse eodem anno apud Plumbiam, immaturo obitu vita decessit, & magno multorum luctu, Moguntiæ sepultus est, Ottone, filio adbuc parvulo, superstite relicto. Et Burchardus Alemanniæ Ducatum accepit.* Alia veterum scriptorum testimonia, super obitu Ludolphi, ILL. SCHEIDIUS, adtulit, ad ECCARDI laudatam Diss. *de Augusto Imperatorum Saxonicorum stemmate* l. c. p. 449. n. *

§. VII. 1) ANNALISTA SAXO ad An. 955. *Sextam & septimam* (legionem) *construxerant Suevi, quibus præfuit Suevorum Dux, Burchardus, cui nupserat filia Henrici, fratris Regis.* Ad verbum hæc ex WITICHINDO transscripsit, cujus locum supra memoratum ad præsens dabo: *Sextam & septimam construxerunt Suevi, quibus præfuit Burchardus, cui nupserat filia fratris Regis.*

2) HERMANNUS CONTR. ad An. 973. *Burchardus Dux obiit.*

3) Apud LEIBNITIUM *Scriptor. Rer. Brunsuic. T. III. p. 754.* Alia loca vid. apud PFEFFINGERUM l. c. pag. 318. n. 5. IDEM etiam HEPIDANUM redarguit, quod obitum Burchardi ad An. 978. differt. Longissime autem a vero HENNINGESIUS abest: ab quo tamen inductus, credo, MEIBOMIUS, & ipse, eum jam An. 955. in prœlio adversus Ungaros cecidisse, scribit in *Notis ad Hrosuithæ Panegyrin Oddonum* l. c. p. 727.

constituitur: 1) summa rerum, late per Suevos apud Hadvigem manente. Quippe præter copiam dotis, aucta avitis mariti bonis, ipsi etiam publicæ rei admota fuit. EKKEHARDUS certe, quem supra transscripsi, loco, *cum dotibus & Ducatu, relictam* commemorat: diserteque illam alias vocat *Suevorum, post Burchardum virum, Ducem viduam, Ducem, Dominam Ductricem.* Ipsa Hadvigis suum Ducatum nuncupat, seque adeo *Vicariam Imperii:* quod quum infra, in tempore, disseram, hic ad enarrandum haud excedam. Neque vero insolita prorsus temporibus illis muliebria imperia: contra a priscis Germanis, tamquam indecora, despecta. * Haud est propositum mihi, exemplis ad præsens insistere, & Augustas in partem regni venisse, ut expeditum, omiserim. 2) Quis enim uxorem magni Ottonis, Adelheidem, ignoret, consortem Imperii? quo nomine ipse eam adpellat in diplomate de An. DCCCCLXIII. *dato consultu, & interventu dilectæ conjugis nostræ, Adelheidæ, & CONSORTIS IMPERII NOSTRI:* inque alio, ejusdem fere ætatis, *consulto, ac interventu Adeleidæ, dilectæ conjugis nostræ, REGNORUMQUE NOSTRORUM CONSORTIS.* 3) Theophania Augusta adeo annos Imperii numerat, quale item diploma MABILLONIUS 4) adtulit, *datum Kal. Aprilis, an.* DCCCCXC. *imperii domnæ Theophanu Imperatricis* XVIII. *indictione* III. 5) Præter has autem, ut ultra progrediar, nobilitatum in Annalibus nomen Mathildis, monasterio Quedlinburgensi præfectæ, invenio, administrata Ottonis III. sacra vice Germania. 6) Rexit aliquantisper etiam Agnes, Henrici III. Imperatoris conjux, Bojoariam, 7) Gertrudisque, mater Henrici Leonis,

§. VIII. 1) HERM. CONTRACTUS, l. c. *Pro quo (Burchardo) Otto, Luitolphi filius regnavit.* Sed pauca de eo memoriæ prodita: uti jam observavit JAC. LAUFFERUS, V. C. *Rer. Helvetic. (Beschreibung Helvetischer Geschichte,) P. II. p. 254. Von diesem finde ich nicht viel aufgezeichnet; theils, vveil zu seiner Zeit die obgedachte Fürstin Hedvvig den besten Theil des Landes noch unter ihrer Botbmäsigkeit gehabt; theils, vveil dieses Hertzogs und seiner Nachfolger Thaten, so sie mit ihren Allemanniern ausgeübet, meistentheils den Kaisern, als obersten Landesherren, unter vvelchen sie die Waffen geführet, zugeschrieben vverden.*

*) TACITUS *de morib. German. c. 45. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute, degenerant.*

2) Vid. ILL. MASCOVII *Princip. Jur. Publ.* L. III. c. 6. §. 2. Conf. LIMNÆI *Jus Publ.* L. II. c. 14. n. 22. & SCHILTERI *Institut. Jur. Publ.* T. I. Lib. I. Tit. 16. §. 2.

3) Alia, id genus, vid. in JO. HEUMANNI V. C. *Commentariis, de Re Diplomatica Augustarum, c. III.* §. 95. *p. 123. sq.* Adjiciam locum HROSVITHÆ in *Paneg. Oddonum*, l. c. p. 723. ubi de Adelheide canit:

Quæ merito Regi statim placuit satis ipsi,
Eligiturque SUI CONSORS DIGNISSIMA REGNI.

4) *Ann. Ord. S. Benedicti T. IV. L. 50. n. 50. p. 69.*

5) Conf. HAHNII *Hist. Imperii, P. II. c. 5. §. 8. not. x. p. 155.* itemque CHRONICON GOTVIC. p. 224. & ORIG. GUELPH. l. c. p. 462. in notis.

6) Vid. CHRIST. GOTTL. SCHWARZII Diss. *de Mathilde, Abbatissa Quedlinburgensi, quondam Vicaria Imperii*, Altorff. 1736.

7) LAMBERTUS SCHAFFNAB. ad An. 1001. *Imperatrix Ducatum Bojoariæ, quem post mortem Conradi, filii sui, usque ad id tempus,* PER SE IPSAM *administra-*

nis, Ducatum Saxoniæ. In Italia memorabilis adprime Beatricis, Bonifacii Marchionis viduæ, Principatus, 9) filiæque Mathildis; cujus & curæ tutelæque Liguria, *vice Regis*, fuit. 10)

IX. Sic ad Rempublicam Haduigis accessit: utque promtum ad asperiora ingenium erat, ultra feminam adstrictius gubernavit. Sedes Duellium (nunc Wurtembergicæ ditionis in Comitatu Nellenburgico castrum est,) delecta: unde nominis potestatisque suæ late Sueviam implevit. Id quoque lubenter EKKEHARDO credam. *Hadauiga*, inquit ille, l. c. -- -- *SUEVORUM, POST BURCHARDUM VIRUM, DUX VIDUA, quum Duellio habitaret, femina admodum quidem pulchra, nimiæ severitatis quum esset, suis longe lateque terris erat terribilis.* Justitiæ in primis rigida custos, privata judicia per *Comitem* exercebat: 1) majoribus caussis in publico conventu agitatis. Talem aliquando ad Walevvis villam edixerat, jussusque adeo Constantiensis Episcopus, cum S. Galli & Augiæ Abbatibus, adesse. 2) Et habet nunc quoque locus celebritatem, quod primam Guelphorum sedem Vir clarus doctrina ac muneris honore conjectavit. 3) Si qua sententiam gravior res distineret, ad Imperatorem, cujus sustinuit vicem, detulit. 4)

 X. Hujus

ministraverat, Ottoni dedit: videns eum virum industrium, & juvandis regni negotiis satis opportunum.

8) Procurabat, filio adhucdum impubere, Saxoniam. Unde *Domina Gertrudis*, TOTIUS SAXONIÆ DUCISSA, dicta est, in diplomate Marcolphi, Archi-Episcopi Moguntini, apud Dn. de GUDENUS *Cod. Diplom.* T. I. p. 132. Conf. ILL. MASCOVII *Commentar. de rebus Imperii sub Conrado III.* Lib. III. §. VII. n.* p. 126. Jam ante editum illud erat in *Deductione Domus Brunsuic. Lauenburgica*, Append. n. I.

9) Vid. ORIG. GUELPH. T. I. L. III. c. 4. §. 24. p. 435.

10) Ita DOMNIZO, in *Vita Mathildis* L. II. c. 18.

> *Huic promsit similem se Rex nusquam reperire,*
> *Cui LIGURIS REGNI REGIMEN dedit*, IN VICE REGIS.

Conf. ORIG. GUELPHIC. l. c. cap. 5. §. 15. not. r. p. 455. sq.

§. IX. 1) Vid. locum EKKEHARDI infra §. XI.

2) EKKEH. c. 10. p. 47. *Colloquium publicum postea, pro his & aliis regiminis caussis*, WALEWIS VILLA, *edixit: illuc quoque Episcopum, & Abbates venire jusserat.* Walvvis haud procul Bodemo castro in Nellenburgico Comitatu vicus est. Jam ante inclaruerat insigni victoria Erchangeri, Cameræ Nuntii, de qua CHRONICON S. GALLI apud DU CHESNE T. III. pag. 470. ita habet: DCCCCXV. *Conradus castellum* TUIXL *obsedit, & Henrico, Saxonum Duce, Franciam invadente, regreditur. Erchanger de exilio reversus, cum Purchardo & Peratholdo, cum ceteris patriotis suis pugnavit, & eos apud* WALAWIS *vicit*, & DUX EORUM EFFECTUS EST. Castellum *Tuixl* ECCARDUS censuit Duellium esse: id quod in medium relinquo.

3) Vid. DN. A SENCKENBERG *Observ. de nomine, & quibusdam ramis incognitis Augustæ gentis Guelphicæ*, (Gœtting. 1753. 4.) §. 3. sq.

4) EKKEH. c. 11. p. 54. *Hadavviga quidem Regibus, patruo & patrueli*, (Ottoni I. & II.) *litteras, pro regiminis rebus aliis, dirigente, sed & pro nobis,*

X. Hujus potestatis vicariæ haud obscura est apud EKKEHARDUM 1) memoria: quamvis expromere formulam, in tanto rerum temporumque, intervallo, ægre liceat. Equidem GUNDLINGIO haudquaquam adsentiar. Sit igitur illi, ut aliquo loco 2) edisserit, *valde verisimile, Hadwigam, post excessum mariti, Suevorum provinciam imperio aliquantisper rexisse, quum Otto, Luitolphi filius, ad Bajoariam in officio continendam, ab Ottone II. evocaretur. Quod ni permittas*, IDEM pergit, *falsa sane erunt, & a veritate longe aversa, quæ litteris mandavit Eccardus. Ubiubi enim viduæ umquam tantam adeptæ sunt potestatem, tantas opes, ut præceperint cum auctoritate, deque rebus, ad provinciæ statum pertinentibus, consilia cum primoribus agitarint? Atqui de Hadwiga talia, ab eodem Eccardo, in Annales sunt relata.* At enim aliam quam inquirenti, ad verum, viam haudquaquam deesse autumem: &, ut sua cuique, in re dubia, conjectura est, opinionem quoque meam peragam. Itaque posset Haduigis dicta videri Vicaria Imperii, quod auspicio Cæsaris provinciam suam procurabat. Neque enim tum jam Duces ac Principes eo potentiæ auctoritatisque fastigio, quo nunc evectos adspicimus, pervenerant, præsides potius quam domini constituti. EKKEHARDUS profecto publicæ rei, ut *Vicariam*, ut *Ductricem*, prospexisse Haduigem, memorat. 3) Sed incerta aliam præterea in sententiam versemus. Atque erunt fortasse, qui bona Imperii per Sueviam, curæ illius ac fidei commendata, accredere malint. Quippe supererant Regibus & Imperatoribus plura regionis ejus dominia, sustinendo Imperii oneri, post damno majore, per indulgentiam eorum, aut Ducum Procerumque, privati usus cupidinem, vetus magnorum regnorum malum adesa. 4) Quod si hæc quoque apud gnaros rerum secus proveniant, atque alii, coercendo vicarium regimen, intra solam juris dicundi potestatem, quæ Ducum postea, in Provinciali Judicio, sacra vice fuit, 5) arbitrentur stetisse, ne id quidem valde renuerim.

XI. At

§. X. 1) EKKEH. c. 10. p. 47. *Miror etiam, me*, VICARIA IMPERII, *tam prope adsidente*, DUO MEI DUCATUS MONASTERIA, *me quidem spreta, tanta miscuisse infortunia. Enimvero, nisi consiliarii dissuaserint, ubi reatum invenero, juste vindicare habeo.*

2) In *Libro singulari de Henrico Aucupe* §. XXXVI. not. g. pag. 269.

3) De *Vicaria* locum adduximus not. 1. Jungam huic, quæ idem EKKEHARDUS c. 11. p. 53. de *Ductrice* scribit: *Quum Ekkehard Duellium ipsa die adscenderet, & Watzemanno, ibi Abbati, nobis & sibi amicissimo, omnem seriem rei nostræ*, UT DUCTRICI, *in proximo, a Norico, ubi Pasca egit, redeunti, insinuaret, & per singula diceret, in Rotvvila legatis, Ruodmanno & Otkero comitatis, jungitur.*

4) Vid. GUNDLING. l. c. not. 1. pag. 274.

5) Ejus rei insigne vestigium adparet, in litteris, super concessa Alberto, Comiti de Dillingen, Advocatia civitatis Ulmæ An. 1255. perscriptis, apud ILL. SENCKENBERGIUM *Select. Juris & Hist. T. II. p. 161. sq.* Quippe inter alia in has conditiones conventum: *Quando Imperator, Rex, vel* DUX SUEVIÆ CURIAM CELEBRATURUS EST, *tunc Dominus & Advocatus noster, Albertus, Comes de Dilingen, herbergam sive hospitium accipiet in Schwaichauen. -- -- Item dominus noster Comes super excessibus ministri nostri, de ipso judicare habet. nisi prius accessit nos Imperator, Rex, aut* DUX SUEVIÆ, CUI TUNC CEDIT IDEM JUDICIUM. -- -- *Item, omnis proscriptus civitatis nostræ apud Sevilingam, pacem habere debet, quatuordecim diebus, etiamsi dominus Imperator, aut Rex, aut* DUX, *Ulmæ fuerint.*

XI. At ne, multa conjectando, incertiorem, quam ante rem faciam, propiusne fidem fit, *Advocatiam* tantum ad S. Galli fuisse injunctam, alii viderint. *Locus* certe, ab Hadvige ipsa, *Imperialis libertatis suique regiminis*, adpellatur, 1) Nec luculentius vicarii muneris vis, dignitasque enituit, quam orta inter S. Galli & Augiæ coenobia gravi lite, cujus hoc nomine sibi cognitionem vindicavit. 2) Longum foret, libero egressu caussam discordiæ ac eventum, ab EKKEHARDO 3) diligenter expositum, 4) in præsens differere. Diem Hadvigis Rudmanno, Augiensium Abbati, statuit, confossumque judicio centum librarum damnat, gratia tamen dimidiæ partis facta. Insignis eam in rem EKKEH. locus 5) est, quem licet prolixiorem juvabit exscribere: *Quoniam mei juris est*, ait Haduigis, *si Laicus Laicum, ut id ipsum juridicialiter proloquar, involaverit, coram COMITE MEO, lege multetur: multo magis, si Regiæ libertatis Abbatem tyrannicus Abbas nocturnus invaserit, REGALI CORAM ME SENTENTIÆ SUBJACEBIT. Attamen MAJESTATIS REO, nisi quod tanti viri vos quidem, qui pro illo loquimini, estis, si vel respondere jam, ABSQUE PRÆSENTIA IMPERII, me deceat, nescio.* Posthæc pergit EKKEHARDUS: *Tandem, post plura, quum consiliarios, inter quos & Ekkehardum adhibuisset, vix actum est, ut Abbate nostro per multam immunitatis, prius in præsentia suorum, quos ad hoc direxerat, pro invasione illa, numquam inter monachos audita, reconciliato, die dato, CENTUM LIBRAS ante portas Duellii, ut se deceret, Ruodmannus ostenderet, tandemque tunc gratiam suam haberet. Dieque dato, quinquaginta Abbati, Episcopi* (Constantiensis) *gratia remissis, cetera recipi jussit.* 6) Nec dubitavit animi virilis femina hanc suam auctoritatem, ipsum apud Cæsarem, sartam tectam tutari. Is enim quum impellente Rudmanno quæstionem jussisset, de moribus ad S. Gallum institui, haud tacitum passa est, *quod tantæ res*, ut EKKEHARDI 7) verbis utamur, *SE NESCIA agerentur.*

§. XI. 1) Hadvigis apud EKKEH. c. 10. p. 47. *S. Galli*, inquit, LOCUS IMPERIALIS LIBERTATIS *quum sit*, MEIQUE REGIMINIS, *immunitatis privilegio pollet.* NAUCLERUS l. c. non dubitavit, illi Advocatiam S. Galli & Augiæ disertis verbis tribuere. Ita quoque LAUFFERUS l. c. p. 249. eam nominat *Kast-Vogtin über diese Klöster.* Ceterum memorabile est, quod EKKEHARDUS c. 5. tradit, Abbates S. Galli, in documentum illius libertatis, cappam fuisse aquiliferam indutos. Verba sunt: *Ut mos nobis est,* CAPPA ILLA AQUILIFERA *indutus.* Adeoque jam tum insigne Imperii Romana avis fuit.

2) Vide locum EKKEHARDI supra §. X. n. 1. adlatum.

3) Cap. 10. p. 45. sq.

4) Ex recentioribus conf. in primis LAUFFER. V. C. l. c. pag. 247. seq.

5) Cap. 10. p. 47.

6) In sequentibus EKKEHARDUS, quibus modis Burchardum, S. Galli Abbatem, Hadvigis placaverit, jucunde narrat: *Misit, post dies istos, DUX IPSA Burchardo nostro, cognato videlicet & amabili suo, ambulatorem valde decibilem & alacrem, ut animum suum læsum & ipsa leniret. Audivit enim, eum delicatis equis delectari nimium. Quem ille continuo amore tantæ* DUCTRICIS *sellari sibi jubens, abiturus ascendit. At equus, exaltanter eum gestans, in postem valuarum, curtis hominem teneritudinis, ingenii tamen ardoris & alacritatis impetit, & femur ei disjungens, vertibulo coxæ evulsit.*

7) C. 11. p. 54. Ibi, posteaquam per universum hoc caput, *de visitatione, sub Burchardo Ingenito, Abbate S. Galli, auctoritate Imperatoris Ottonis facta*, copiose disse-

Ita vero intenta Haduigis publicas ad curas, numquam ab studiis mentem alienavit. Visus tum, in monasterio S. Galli, eorum præstantia Ekkehardus erat, cui, quod in palatio Imperatoris aliquando degeret, *Palatino* cognomentum fuit. 1) Hujus viri ingenio & doctrina adeo illa delectata est, ut e sacro secessu, Duellium evocatum, præceptoris loco susciperet. 2) Cum hoc adesse adsidue, dies ac noctes continuare lectitando, omnis consilii eum participem habere consuevit. 3) Jam & largis ac crebris, muneribus explevit: inque

---

disseruit, ita pergit: *Hadawiga quidem, Regibus, patruo & patrueli, litteras, pro regiminis rebus aliis, dirigente, sed & pro nobis,* QUOD RES TANTÆ, SE NESCIA, AGERENTUR, VELUT IRASCENTE, &, *ne tandem quid de nobis severius decernerentur, rogante. Jubetur ipse litterarum portitor, Huozo, Presbyter, magni quidem, apud Dominum, vir momenti, diem exspectare, &* PRO IPSA, *decretis interesse.*

§. XII. 1) Nonnunquam & ipse hic Ekkehardus adpellatur *Junior* aut *Minor.* Vide GOLDASTI Notitiam Auctorum Rerum Alemannicarum T. I. præmissam. Insigniter eum, ob multa præclara corporis pariter & animi bona, laudat alter EKKEHARDUS l. c. cap. 10. p. 44. *Quoniam hic locum aptum puto, de Ekkehardo, — — rem arduam adgredior: quum tales viri, aut nulli, aut nunc rarissimi sint, discredi mihi vereor. Erat hic facie adeo decorus, ut inspicientes, sicut Josephus de Moyse scribit, gratia sui detineret. ut Otto Saxonicus Rufus, de illo, Nemini umquam, ait, Benedicti cuculla decentius insederat. Statura procerus, forti adsimilis, æqualiter grossus, oculis fulgurosus, ut quidam ad Augustum ait: Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Sapientia & eloquentia, maxime autem consiliis, nemini id temporis postponendus. In ætate florida, gloriæ, ut talis facturæ vir, quam humilitati, proximior: sed postea non ita, quia disciplina, cum qua nihil umquam participii superbia habuit, in ipso erat spectaculo digna. Doctor prosper & asper. Nam quum apud suum Gallum, ambas scholas suas teneret, nemo, præter exiles pusiones, quidquam alteri, nisi Latine, ausus est proloqui. Et quos, ad Litterarum studia, tardiores vidisset, ad scribendum occupaverat, & lineandum: quorum amborum ipse erat potentissimus, maxime in capitularibus litteris & auro, ut adparet in versibus fornicis Galli, quos fecit:*

Templum, quod Gallo Gotzpertus struxerat almo,
Hoc Abbas Immo picturis comsit, & auro.

Has ille litteras, cultello concisas, illic liniverat. In litteris autem, studiose mediocres, & nobiles, æque erudiverat, quorum tamen numerosos Gallo, & aliis, ad summum evexerat. Eorum enim plures ipse vidit Episcopos, ut quondam Moguntiæ, in generali Concilio, quum consessum adveniens intrasset, sex ei quondam discipuli, tunc Episcopi, adsurrexerunt, & magistrum salutabant. Et Wilegisus Archi-Episcopus digito accitum osculatus: Digne fili mi, ait, & tu quandoque cum talibus inthronizaberis.

2) EKKEHARDUS c. 10. p. 45. *Hæc S. Gallum vidua orandi aliquando petiverat caussa, quam Burchardus Abbas festive susceptam, utique neptim, donis quum prosequi pararet, ipsa se alia dona nolle ait, quam Ekkehardum sibi doctorem, si Duellium ad tempus concederet. Nam quum Portanarius esset, de voluntate ipsius, ipsa cum eo pridie secreta condixerat. Quod quum Abbas ingrate quidem concederet, & avunculus dissuaderet, ipse tamen nihilominus, quæ petitus est facere, pertenderat.*

3) EKKEH. l. c. *Duellium, die condicto, quum ægre exspectatus veniret, ultra, quam ipse vellet, susceptum in conclave, suo proximum suum, ut ipse ait, manu duxit magistrum. Ibi, nocte & die, cum familiari aliqua intrare solebat, ad legendum, pedissequa: foribus tamen semper apertis, ut, si quis etiam ausus quid esset, nihil, quod diceret, sinistrum haberet. Illic quoque crebro ambos* MINISTRI, & MILITES, PRINCIPES *etiam* TERRÆ, *lectioni aut consiliis, invenerant agentes.*

inque ipsis etiam iis ingenii, litteris exornari, cum arte quadam, ostentatio. 4) In universum autem cultu illum, in tanta fortuna prorsus insolito ac singulari, prosequebatur adeo, ut ne sollemnes quidem pro se ab alio fundi preces, atque hac demum lege, Sahspachum, villam suam, S. Gallo propriam dicare vellet. 5) Similiter Ekkehardus nemini in observanda Haduige umquam concessit. In tantum eos communium amor studiorum, quo non adstrictius aliud vinculum est, conjunxerat. At vero quosdam, cuncta secus interpretante, vana, nescio quæ, suspicio incessit. Nec temperatum dicacitati fuit: cujus exemplum, ab EKKEHARDO JUNIORE, mandatum memoriæ legimus. 6)

4) EKKEH. l. c. *Domum ille, aut festis, aut quando libet, visere iret, opinabile erat, quantas homini impensas navibus Steinham præmiserit, novum illi semper aliquid in paraturis, aut sibimet utendum, aut Gallo offerendum, acutissima ipsa Minerva præstrui faciens. Inter quæ, præter casulas sericas, cappas & stolas, alba est illa,* PHILOLOGIÆ NUPTIIS *auro insignis: præter quæ, dalmaticum, & subtile pæne aures. Quæ postmodum, Immone, Abbate, sibi antiphonarium quemdam petitum denegante,* ACUTIA SUA VERSIPELLI, *resumserat.*

5) EKKEH. c. 11. p. 54. seq. *Dein Regibus, cum Principibus, crebro quidem collatis, quum opera trivissent consiliis, post aliquot dies, Henrico Episcopo monente,* SAHSPACH, HADEWIGÆ BENEFICII VILLAM, *si ab ea rogatu Regum avelli possit, Sancto Gallo tradere conspirant. Quod illa, quum multotiens, tum per Reges, tum per ipsos nuncios, peteretur, sicut varium & mutabile semper est femina, nunc concedere se spem dedit, nunc facturam sancte abjuravit. Postremo quidem, Abbate nostro, in ipso monasterio, & fratribus illi supplicantibus, facturam tandem pollicetur, si ei Missa quotidiana in loco pro viva & defuncta, in perpetuum promittatur agenda: sed & Ekkehardo ejus loci, usque dum vivat, committatur cura. De quo, quum aliquos ex fratribus nostris, invidos homini, hæsitare audisset, irata exiliit, reque infecta, conventum diremit, seque post hanc horam numquam cuiquam pro hac re aurem juravit adhibere. Sicque, quorumdam invida incautela, Gallus villam illam, quum jam in manibus habere posset, amisit.* Id maxime EKKEHARDUM JUNIOREM male habuit: forte, quod colles inessent, vitibus vestiti, unde hilarior mensæ adparatus sperabatur. Huc enim traxerim, quæ IDEM, infra c. 16. p. 60. in hunc modum refert: *Vineas, postquam ab Hadavviga frustrati sunt, Richerus, homo S. Galli conquisitivus, Decani sui monitis, tum pretio, tum concambio, tantas collegit, ut ubertate redundante, communi fratrum, tum Abbatis, penu repletis, vasa vinaria non pauca, in curte Abbatis, deforis quoque sub divo locarentur, sub custodibus, pluresque, qui alicujus momenti in loco erant, rubeum vinum, quamvis alias bonum, præ deliciis repudiarent.*

6) Ita vero scribit c. 10. p. 46. *Et ecce!* (Ekkehardus Palatinus) *Ekkehardo æquivoco Diacono, & Burkhardo puero, post Abbate, consobrinis comitatus, Duellium pergens, iterum Augiæ Ruodmannum, ut condixerant, adloquitur. Inter colloquia, versutus ille, artibus suis abusus, imparem non invenit. Nam festinantem, ne serus* FEMINÆ SEVERÆ *adveniret, equo decoro donat: quem ille, cum parte comitatus, quum præmitteret, paullisper inter verba lætitiæ, & familiares astutiæ ictus, sciolus tardat, tandemque quum inter amplexus & oscula dimitteretur, supplantator ille hospiti suo in aurem, Fortunate, ait, qui tam pulchram discipulam docere habes Grammaticam. Ad quod ille, quasi caro adsensu subridens, talia in aurem adversario reddit amico: Sicut & tu, Sancte domine, Kotelindam, monialem pulchram, discipulam caram, docuisti quidem Dialecticam: dictoque citius, quum ille, nescio quid, resibillare vellet, ab eo divertens, equo adscenso indignanter abivit.* Conf. IBID. p. 47.

XIII. Inter hæc, Haduigis, lætiore in dies ſucceſſu, bonis artibus operata, jam maxime omnium conſpici laude doctrinæ cœpit. 1) Raræ, illa tempeſtate, per Germaniam litteræ erant: Græcarum nullus propemodum honos, * ipſos ſacri ordinis apud viros, quamquam in patrimonio fere eſſe ſcientiæ videbantur. Unde cumulatior rediit Principi feminæ gloria, verſando exemplaria Græca, id adſequutæ, ut, haud invita Minerva, Græco ſermone, Latina redderet. In primis ſervata carminis ſacri, ſic ex Romano Græce expreſſi, memoria: idque ſi forte, ut e naufragio tabula ſuperet, noſtris ſe certe oculis ſubduxit. Nec dedignata Haduigis eſt, harum amore litterarum eo usque principalem curam demittere, ut teneram iis Burchardi cujusdam ætatem imbueret. Id quoque EKKEHARDI 2) verbis lubet exponere: *Altera deinde die* (*Haduigis*) -- -- *MAGISTRUM LECTURÆ adiit, & quum conſediſſet, ad quid puer ille venerit, pro adſtante, inter cetera quæſivit. PROPTER GRÆCISCUM ille ait, Domina mi, ut ab ore veſtro aliquid raperet, alias ſciolum vobis adtuli. Puer autem ipſe, pulcher adſpectu, metro quum eſſet paratiſſimus, ſic intulit:*

Eſſe velim Græcus, quum ſim vix, Domna, Latinus.

In quo illa, ſicut novarum rerum cupida, adeo eſt delectata, ut ad ſe tractum oſculata, ſcabello pedum proximius locaret, a quo, ut repentinos ſibi adhuc verſus faceret, curioſa exegerat. Puer vero, magiſtros ambos intuitus, quaſi talis oſculi inſuetus, hæc intulit:

Non poſſum prorſus dignos componere verſus;
Non nimis expavi, Duce me libante ſuavi.

Illa vero, extra SOLITAM SEVERITATEM, incachinnans, verſa tandem puerum coram ſe, ſtatuit, & eum antiphonam, Maria & flumina, QUAM IPSA, IN GRÆCUM TRANSTULIT, canere docuit, ita: Θάλασσαι, καὶ ποταμοὶ, ἐυλεγεῖτε τὸν Κύριον, ὑμνεῖτε πηγαὶ τὸν Κύριον, ἀλληλȣ̈ία: *crebroque illum poſtea, quum vacaſſet, ad ſe vocatum, repentinis ab eo verſibus exactis, GRÆCISSARE DOCUIT, & unice dilexit. Tandem quoque abeuntem HORATIO, & quibusdam aliis, quos hodie armarium noſtrum habet, donavit libris.* Igitur Haduigis carminibus quoque gaviſa, priſcæ ætatis præſtantiſſima, HORATII adprime ac VIRGILII, in manibus, in ſinu geſtabat: iisdemque Camenis, ut reliquis artium diſciplinis, ipſos, quos vocant, *Capellanos* ſuos inſtructos, volebat. 3) Adeo ſe cuncti in Ducis, velut unici exempli, mores forma-

---

§. XIII. 1) NAUCLERUS l. c. *Hæc Hedwig*, inquit, *adprime docta legitur fuiſſe in Latino & Græco.* BRUNNERUS ad A. 954 *Græce Latineque inſigniter docta, non ſui tantum, ſed omnis ævi, miraculum dici poſſet.*

* Eo magis conveniens erat, non pati Bouonis nomen, viri, Græce docti, occidere: quo duce ac comite Conradus I. Rex Germaniæ ad hæc ſtudia acceſſerat. Unde WITICHINDUS Ann. III. p. 631. *Bovo*, ait, *Græcas litteras coram Chonrado Rege, legendo, factus eſt clarus.*

2) Loco cit. pag. 46.

3) EKKEH. l. c. *At Ekkehardus Minor ille interea cum puero*, (Burchardo) *ad alios quosdam* DUCIS CAPELLANOS, *quos illa, nullo modo, in curte ſua, otia tenere eſt paſſa, erudiendos ſeceſſerat. Nam & ipſe erat idonee litteratus. Remanſerunt ſolito ſoli, ad legendum illi.* VIRGILIUS ERAT IN MANIBUS, *ſed & locus ille:*

-- -- *Timeo Danaos & dona ferentes.*

formabant: eratque palatium ejus tamquam Bonæ Mentis Musarumque domicilium.

XIV. Præterea inerant in Haduige alia virtutum egregia ornamenta. Nam & religionum adeo studiosa fuit, ut nec sese ab vitæ monasticæ rigore abstineret. 1) Ipsa Duellii fundamenta cœnobii familiæ S. Benedicti aperuerat: 2) quo deinde Steinum translato, arx adhucdum nota, in edito montis, imposita fuit. Prisca morum severitas, 3) qualis in Sabinis, in Catonis uxore, laudata: memorabilior, iis in formæ bonis opumque adfluentia. Nonnunquam egressa modum, & ipsum Ekkehardum exasperabat, 4) quamquam in cuncta familiaria jura adsuetum. Jusjurandum nec sanctius, nec sollemnius erat, quam *Per Hadwiga vitam.* 5) At vero astutiæ vetus Auctor, & mobilis animi, seu ut ipse vocat, *acutia versipellis*, insimulat, 6) illudque adeo antiqui poetæ occlamat, celebratum sermonibus: 7) *Varium & mutabile semper femina.* Os, humerosque, laudibus alii extollant, ac cetera, quæ in oculis sita sunt: ego, ut fluxa & fragilia prætereo.

XV. Obitus vero extremaque funera Haduigis, ipsis a vetustis Scriptoribus tacita ac prætermissa sunt: neque is equidem sim, qui in tempore indagando operam teram. Ceterum hæc de laudatissima Principe mihi exponere visum est, incomto libello, cujus tenuitati apud intelligentes rerum gratiam exoratam velim.

DISSER-

---

§. XIV. 1) EKKEH. l. c. *Adscendentes montem, adparuerunt Duci, ad vesperas eunti.* Et paucis interjectis: *Altera deinde die, quum diluculo, ut ibi solebant, silentium regulæ, cujus & ipsa exactrix erat sollicita, de more, persolvisset &c.*

2) EKKEH. l. c. *Jam monasterium, in monte, statuere cœperat.* Paullo copiosius rem exponit CRUSIUS l. c. *Ædificavit cœnobium in illo suo castro, -- — cujus primus Abbas fuit Wazzemannus. Posteriori tempore, id fuit translatum Steinum ad Rhenum, a Cæsare Henrico II. qui etiam pluribus bonis ipsum donavit, anno 1095. Octob. 1. Locus enim hic commodior erat: quum ante monachi gravarentur arduo illo, in Duellum adscensu.*

3) Unde apud EKKEHARDUM JUNIOREM, *Dux severa* adpellatur, ac *femina severa.* Ipse Ekkehardus Palatinus apud EUMDEM c. 10. p. 47. *Neque enim,* inquit, *tantæ, apud* FORMOSISSIMAM MEAM, *unquam sui fiduciæ, ut* SEVERITATIS *ejus auribus hæc ausim ingerere.*

4) EKKEH. l. c. p. 45. *Moribus tamen illa suis severis, & efferis, sæpe virum exasperans, domi interdum, quam secum, mansisse multo malle fecerat. Ut in dorsi pallio, & cortina lecti sui, quæ humilia sentiens ipse jussit deponi, deponentem illa jussit verberari, & magistro multa rogante, vix concessit, non* DECAPPILLARI.

5) Apud EKKEH. p. 46. Haduigis, *Enimvero,* ait, *ut audio, Magister mi, non percommodus laternifer fuisti lupo illi, aliunde caulas intranti. Quumque ille quidem subrisisset,* PER HADWIGÆ, *illa ait,* VITAM, (sic *enim jurare solebat*) *si imperitorum aliquis claustri illius invasori grandes infregisset, non ego curassem.*

6) EKKEHARDUS eo loco, quem §. XII. n. 4. exscripsimus.

7) Vid. supra §. XII. n. 5.

DISSERTATIO VIII.
DE
HERMANNO CONTRACTO
COMITE VEHRINGENSI ET
MONACHO REICHENAV.
EJUSDEMQUE CHRONICO.

§. I.

HERMANNUS wird deswegen/ weil er ein Krippel gewesen/ CONTRACTUS genennet. Ein gewisser Mann hat gemeinet/ es wäre das Chronicon Hermanni in ein Compendium gebracht worden/ und deßwegen hätte man dasselbige Hermannum contractum geheissen. Es muß aber derselbe/ ob er gleich eine sehr grosse Bibliothec unter seinen Händen gehabt/ die Continuation des Hermanni Contracti ad A. 1054. nicht gelesen haben/ sonst würde er aus folgenden Worten seinen Irrthum haben mercken können: Hermannus Wolferadi Comitis filius ab infantia omnibus membris contractus, sed omnes tunc temporis Viros sapientia & virtutibus praecellens in Aleshausen praedio suo defunctus & sepultus est. Die gebrechliche Leibes-Constitution mag vielleicht verursachet haben/ daß seine Eltern ihn dem Münchs-Leben gewidmet.

§. II. Er ist aber A. 1013. gebohren worden/ wie er von sich selbsten in diesem Jahre schreibet: Hermannus ego XV. Kalendas Augusti natus sum. Seinen Vater nennet er/ wie gedacht/ *Wolffrad*, seine Mutter *Hiltrud*, Piligrini & Bernhardi filiam, welche 15. Kinder ihrem Gemahl gebohren/ darunter auch Hermannus ware. Diese Nachricht findet sich bloß in der editione Henrici Canisii. Seine Großmutter nennet er Anno 1009. Bertham, feminam religiosam; Seiner Mutter Bruder Rudolpertum einen Münch zu Reichenau/ hominem doctum & facetum. Die Mutter Hiltrud ist A. 1051. gestorben. Herr Professor Neu zu Tübingen bemercket in seinen accessf. ad Relect. Wheari part. I. p. 186. daß in dieses Closter Reichenau keine andere Persohnen als Adeliche und von hoher Geburt genommen würden: welches auch/ als das Closter dem Stifft Costnitz incorporiret und untergeben worden/ nebst andern Privilegiis bestättiget worden.

§. III. Anno 1020. ist Hermann XVII. Kalendas Octobris, das ist/ den 15. Septembris, nach seinem eigenen Bericht/ einem Lehrmeister untergeben worden: vermuthlich in dem Closter Reichenau. Trithemius schreibet zwar in seinem Chronico Hirsaugiensi ad A. 1005. er wäre in das Closter St. Gallen gekommen. Er nennet den Praeceptorem Helferich; er setzet auch sonsten noch eine Fabel hinzu/ und saget/ Hermann hätte einen sehr harten

harten Kopff gehabt / und weil er nichts lernen können / sich sehr ungeberdig gestellet und geweinet. Helfrich hätte ihn getröstet / und an die Jungfrau Maria gewiesen: Diese hätte ihm nach Verfliessung zweyer Jahre die Wahl überlassen / entweder um gerade Gliedmassen zu bitten / oder um Gelehrsamkeit / davon sie ihme eines zu verschaffen versprochen. Worauf der arme Hermann die Wissenschafft und Gelehrsamkeit dem gesunden und geraden Leib fürgezogen hätte / welches ein anderer / in Ansehung einer Münchs-Wissenschafft nicht würde gethan haben. Ich glaube / daß diese Particularität in der Legende stehe / welche Sebast. Münster ehemahls zu Alshausen gelesen. Dann Nauclerus hat eben dergleichen erzehlet. Die Hände müssen vielleicht noch gut gewesen seyn: weil er geschwinde schreiben und rechnen können / in der Music excelliret / auch auf allen Instrumenten wol gespielet. Der gute Abt von Trittenheim irret sich aber sehr / wann er diesen unsern Hermann nach St. Gallen bringet. Andere haben schon erwiesen / daß / weil Hermanni Chronicon zu St. Gallen / welches Trithemius gebrauchet / geschrieben gewesen / dieser sich auch sogleich eingebildet / es müste Hermann in diesem alten Schwäbischen Closter zu St. Gallen gelebet haben. Welches weil es falsch / als kan auch sein Præceptor nicht Helferich geheissen haben: Dann dieser ware im Closter zu St. Gallen Schulmeister. Monsieur Dupin meinet / es könnte beydes wahr seyn. Hermann wäre vielleicht in dem Closter St. Gallen in die Schule gegangen / und in Reichenau Münch worden. Welches sich hören liesse / wann er nur ein Wort von St. Gallen gesaget oder geschrieben hätte.

§. IV. Der Vater ware ein Graf / das läugnet niemand. Aber wo? Die meisten nennen ihn einen Grafen zu Vehringen. Diese Graffschafft lieget über Riedlingen an der Donau hin / und ist heut zu Tag Hohenzollerisch: Die Herren Grafen führen daher den Titel / wiewol sie denselben erst seit den Zeiten Caroli V. der Graf Carln seinem Tauff-Pathen aus den Werdenbergischen Gütern die beyde Graffschafften Sigmaringen und Vehringen geschencket / zu brauchen angefangen. Petrus Lambecius erzehlet in dem Tom. II. Cap. VI. seines Commentarii über die Bibliothec zu Wien / er hätte in einer geschriebenen Historie Henrici Gundelfingens von Costnitz wahrgenommen / daß dieser Hermannum Contractum einen Grafen von Vehringen und Sulgow genennet. Jetztgedachter Gundelfingen hat diese seine Historie an den Ertz-Hertzog Sigismund von Oesterreich dediciret. Die Graffschafft Sulgow aber hat den Graffen von Vehringen gehöret. Das Städtgen und Closter Sulgen oder Sulgon ist jetzund Oesterreichisch. Zu wundern ists / daß da Herr Pregitzer die Grafen von Hohenzollern mit den Grafen von Sulgow verknüpffen wollen / er von allen diesen Dingen in seinem Teutschen und Hohenzollerischen Ehren-Spiegel nichts gemeldet. Vielleicht kommet es daher / weil er sich p. 29. persuadiret / die Graffen von Sulgow wären nach Italien gekommen / und daraus die Columneser entstanden. Auch findet man nicht einmahl bey ihme / wie die Hohenzollerische Grafen Vehringen erhalten / welche doch mit dem Ertz-Hause Oesterreich wegen des Dominii directi ehemals disputiret haben / und noch disputiren. Hingegen irret darinnen Gundelfingen sehr / wenn er Hermannum Contractum vor einen Canonicum Augustensem hält. Lambecius meinet / es müsse Augiensem gelesen werden. Der Pater Pagi aber in seiner Critica Baronii Tom. IV. p. 198. glaubet es nicht / sondern meinet / es sey diesem Gundelfingen / wie Trithemio ergangen. Das Manuscript, welches er gebrauchet / hat ihn Zweifels-ohne betrogen. Die Titul im

MSCt. sind keine Evangelia. Die ungeschickte Schreibers und Münche haben nicht allezeit gewust / wem die Bücher / so sie abgeschrieben / zugehöret.

§. V. Dem aber sey wie ihm wolle / genug daß unser Hermann ein Chronicon verfertiget. Die gantz alten Sachen sind aus dem Beda ausgeschrieben / nach der Gewohnheit damahliger Zeiten. Und dieses haben bereits Vasæus in Chronico Hispaniæ und Vossius de H. L. beobachtet / anderer zu geschweigen. Der Editionum sind vier. Die Baßler / des Pistorii, Urstisii, Canisii. Davon ist nicht nöthig vieles zu sagen / weil bereits Vossius, Herr Neu, Meibomius und andere solches zur genüge gethan. Nur kommet es auf die Güte an. Einige meinen / es hätten die Münche nach der Zeit bald hier bald da etwas dazu gethan. Dann sie differiren alle. Die Basileensis und Pistoriana sind die kürtzeste. Die Urstisiana die mittelste. Die Canisiana die vollständigste / so der Ingolstädtische Professor Henricus Canisius Tom. I. antiquæ lectionis aus einem MSCt. des Closters S. Afræ zu Augspurg abgeschrieben. Ich halte es mit denen / welche glauben / alle Veränderung käme von Hermanno selbsten her. Er hat nach und nach seine Annales besser poliret / und von Zeiten zu Zeiten etwas darzugesetzet / auch wiederum einiges weggelassen. Zum wenigsten redet er in allen editionibus von sich in prima persona, und die Correctiones betreffen meistens seine Eltern und Vorfahren / oder einige phrases. Am wahrscheinlichsten ists / daß er biß auf 1053. continuiret. A. 1054. ist Hermann gestorben / wie selbst in dessen Chronico stehet. Und diß aber kan er wol nicht geschrieben haben: weßwegen es dann Sonnen-klar / daß / was biß auf 1066. folget / ein anderer unbekandter Auctor gemachet haben müsse. Indessen betrüget sich Sebastianus Munster in seiner Cosmographia, wann er gedencket / Hermannus sey 1050. verschieden / es muß 1054. heissen: auch irret der Münch Albericus, welcher den Sterbe-Tag 10. Jahr weiter hinaus setzet. Er ist zu Aleshausen begraben bey seiner Mutter Hiltrud. Diß saget der Anonymus, und mit ihme Münster / welcher an dem Ort gewesen. Aleshausen lieget an der Buchauischen See. Der Abt zu Marckthal hat solches an sein Closter gehandelt / der Abt zu Marckthal / sage ich / wo die grössesten Krebse in Schwaben sind. Das erste bezeuget Bruschius in seiner Chronologia Monasteriorum Germaniæ p. 288. das letzte Zeilerus in seinem Chronico Suevicæ und Itinere Germ. Tom. II. p. 47. Gabriel Bucellini in seiner Chronologia Constantiensi, oder Constantia Rhenana Metropoli p. 211. bezeuget / daß in dem Closter Weingarten der Hirn-Schädel und Arm Hermanni aufbehalten würden. Er zehlet selbige unter die grössesten Schätze seines Closters.

§. VI. Eine andere Frage ists / ob Hermann von dem bekandten Gesang der Catholischen Kirche Salve Regina Urheber sey? Der Pater Bucellini dencket also. Er meinet / es wäre derselbe in diesem Stück ein Lehrmeister der heiligen Engel gewesen / dieweil diese solches Salve und Ave Regina bisweilen gesungen haben. Dann es funden sich einige Zeugen / welche solches gehöret. Welches letzte / gleichwie wir es nicht glauben / also finden sich auch einige / die das erste in Zweiffel ziehen / und die Verfertigung des obgedachten hymni dem Petro Compostellano zuschreiben. Zum wenigsten hat Guilielmus Durandus in seinem Rationali divinorum officiorum lib. X. cap. XXII. solches bejahet / denen hernach einige Spanier gefolget / und mit besonderer Freudigkeit angenommen / daß ein so schöner und Eng-

lischer

lischer Gesang einem von ihrer Nation zugeschrieben worden. Wie dann ihnen nicht wenig gefallen/ daß der H. Bernhardus von diesem Lob-Gesang eine so gute Idée gehabt/ denselben biß an den Himmel erhoben/ und vier Predigten darüber gehalten/ insonderheit aber diese Worte von sich geschrieben: Dulce Canticum ac nobilissimum melos, quod in honorem S. Mariæ quater in anno ordo noster devotissime concinit, ad devotionem nostram discutiendam, fratres, assumsimus; quia speciali dulcedine multa refertum masticatione continua repetimus. Nam à summis labiis canticum illud effusum venit. Habet enim fundamentum. Fundamentum ejus in montibus sanctis. Fundamentum ejus in terra dulcedinis suavitas est. Et ubi hæc, nisi in montibus sanctis? hoc est, in mentibus nostris; a sanctis compositum, a sanctis institutum, digne etiam frequentabitur a sanctis. Et vere nisi a religiosis, & affectione sancta ferventibus, nec subtiliter intelligi, nec efficaciter poterit decantari. Est enim tam suave ad gratiam, tam fœcundum ad sensum, tam etiam profundum ad mysteria. Tale enim est, quod a nobis considerari & discuti, prout dignum est, non valeat. (*) Aus diesen Worten haben etliche folgern wollen/ es hätte Bernhardus oberwehntem Lobe-Lied einen Apostolischen Ursprung zugeleget. Die Apostel wären die summa labia: die montes sancti. Der Pseudo-Julianus, davon der Jesuit Hieronymus Higuera aus Toledo Urheber/ hat n. 510. in seinem Chronico fürgegeben/ der Hymnus sey von den Aposteln Griechisch geschrieben und hernach vom Petro Episcopo Compostellano ins Lateinische übersetzet worden. Ramirez de Prato, der sich mit allem Eiffer angelegen seyn lassen/ den Pseudo-Julianum zum Warhafftigen zu machen/ hat sich eingebildet/ er habe einige græcismos in dem Salve Regina erblicket. Worüber Nicolaus Antonius in seiner Bibliotheca veteri Hispanica Tom. I. p. 379. nicht wenig verdrüßlich ist. Er meinet/ es sey solches daher nicht wahrscheinlich/ weil der H. Bernhard, da er als Päbstlicher Nuncius zu Speyer sich aufgehalten/ und die Clerisey dazumal ihr Salve vor ihm gesungen/ die Worte: O clemens, O pia, O dulcis Maria, angehänget. Zum wenigsten hat Guilielmus Eisengrein in seinem Chronico Spirensi solche particularité aufgezeichnet. (**) Wie ist es aber wol möglich/ daß jemand so verwegen seyn solte/ einen Anhang an das Vatter Unser/ als ein von Christo verfertigtes/ oder anderes Apostolisches Gebet eigenmächtig zu setzen? Denn was die Kirche/ sagt Antonius, bey dem Englischen

(*) Der Pseudo-Julianus oder Higuera hat diese Sermones über das Salve Regina dem Bernhardo Toletano zugeschrieben: auch so gar behaupten wollen/ daß er dieselbe im MSCt. besitze. Er ist aber so unglücklich gewesen/ daß ihm niemand wollen Beyfall geben. Der Stilus verräthet Bernhardum Claræ-vallensem.

(**) Daferne solches gewiß/ so könte man sprechen/ es müsten Anno 1146. an dem Weynachts-Fest von Bernhardo diese Worte seyn dazu gesetzet worden. Dann an diesem Tag ware Bernhardus zu Speyer/ welches ich mit den Worten Philippi, der de Miraculis S. Bernhardi geschrieben/ und dazumal Archi-Diaconus ware/ aus dem VII. Haubtstück beweisen will: Ibi (nempe Spiræ) schreibt er/ diem festum celebravit Rex Conradus, ibi coronatus est, ibi adfuit Episcoporum Principumque conventus. Illuc sanctus advenit inter Principes quosdam pacem cupiens reformare, quorum inimicitiis exercitus Christi detinebatur. Der Sanctus ist Bernhardus, der auch hernach Conradum III. und Fridericum Barbarossam mit dem Creutz bezeichnet; welche anfänglich schlechte Lust bezeuget/ eine so weite und gefährliche Reise anzutreten: Absonderlich da Heinrich der Löw zurücke geblieben/ und wegen des ihme entzogenen Hertzogthums Bayern starcke prætensiones machte.

schen Gruß / und bey den doxologiis gethan / das kunte Bernhardus nicht thun. Die zuvor angezogene Worte aber aus dem Bernhardo beweisen noch nicht / daß er geglaubet / den Gesang Salve Regina hätten die Apostel verfertiget. Der gantze Context zeiget nichts anders / als daß ihn derselbe vor ein excellentes Kirchen-Lied gehalten: es mag nun selbiges Hermannus, oder Petrus Compostellanus verfasset haben. Der Pater Mabillon decidiret nichts / sondern lässet die Sache in seinen Annalibus Benedictinis auf beyden Seiten bey einem dicitur bewenden. Da hingegen Nicolaus Antonius dem Petro Compostellano das Wort redet. Vermuthlich hat ihn Jacobus Philippus von Bergamo dazu gebracht / welcher in dem Supplemento Chronicorum ad A. 1120. bezeuget / daß Petrus Compostellanus einige Dinge in laudem B. Mariæ Virginis geschrieben und ausgearbeitet habe. Trithemius aber und der diesem folget / Bellarminus, bleiben bey unserm Hermanno, als von dem sie wissen / daß er auf die Jungfrau Maria viel gehalten.



DISSERTATIO IX.

DE FIDE ET AUTHORITATE MONACHI WEINGARTENSIS IN GENERIS WELFICI AUGUSTISSIMI VETUSTATE ET DIGNITATE.

FAmiliis Principum Imperii Germanici magna contentione, uti olim, teste REGINONE *Lib. II. Chronicorum ad a. 897. p. 7. se extollentibus de nobilitate carnis, de parentum numerosa multitudine, & de magnitudine terrenæ potestatis*, multum refert ad fidem posteritati faciendam, quo autore antiquo & idoneo hæc gloriosa & magnifica prosapiæ & dignitatis prærogativa nitatur. Non sufficit cum obscuro AUTORE ANNALIUM BREVIUM DE LANDGRAVIIS THURINGIÆ *p. 956.* temere pronunciare: *Notandum, quod genus Caroli non ex toto finem habuit, sed tantum a Romanorum regno finem accepit. Nam (ut in chronicis invenitur) omnes Reges Francorum & Germanorum, sed & Principes, Duces & Comites istarum provinciarum, scilicet in Thuringia, in Bavaria, in Franconia, in Pannonia, in Carinthia, in Bohemia, in Moravia, in Suevia, in Saxonia, in Frisia, in Lotharingia, sed & omnes nobiles Alamannorum, originem duxerunt a genere Carolorum;* proferre debent ejusmodi protervi ac stolidi propaginis Carolinæ amplificatores testimonia chronicorum, ad quæ provocant, & censuræ eruditorum submittere, ne tam simplici

plici & nuda assertione inter impudentes loculejos & blaterones genealogicos referantur.

Cum autem pleræque Principum Germaniæ gentes destituantur vetusto & fide digno scriptore, qui earum origines, progeniem, decoraque primigenia ex instituto exponit, eo major est felicitas AUGUSTISSIMÆ FAMILIÆ WELFICÆ, etiam hoc in genere famæ memoriæque prosperrimæ, quod IPSI propitio quodam fato contigit antiquus, doctus, probus, diligens, sagax, ingenuus & domesticus scriptor, cujus integritate, fide, studio & autoritate constat de annoso maximæ nobilitatis & dignitatis splendore MAJORUM WELFICORUM omni laude illustrissimorum.

Est ille cœnobita pervetusti & magnifici asceterii Vinearum, instituti Benedictini, in diœcesi Constantiensis Præsulis, non procul a Ravenburgo, oppido Imperii in Suevia, a Principibus Welfis in patrio solo excitati, qui memor hujus beneficii HISTORIAM DE WELFIS PRINCIPIBUS scripsit, quam a Marco Velsero, Duumviro Augustano, antiquorum monumentorum solertissimo promocondo, ex codice Afrano & Udalriciano descriptam, HENRICUS CANISIUS *in Tomo I. antiquæ lectionis p. 176.* anno MDCI. in lucem produxit, & LEIBNITIUS denuo collatam cum eodem Augustano, atque iterum cum Weingartensi & Steingadensi exemplo, emendationibus & supplementis adjectis, instauravit in *Corp. Script. Brunsu. T. I. num. LV. p. 781. & T. III. num. XXVII. p. 657.*

Hunc scriptorem fuisse ex familia S. Benedicti Weingartensi, ipse non uno in loco prodidit in sua historia. Prooemium ejus incipit: *Generationes Principum NOSTRORUM summa diligentia investigantes.* In *capite III.* de prædiis patrimonialibus ditionis Altorfinæ a S. Conrado, Episcopo Constantiensi, Rudolfo fratri per concambium donatis, & deinde ad monasterium Weingartense pio animo translatis, dicit: *sicut AD NOS hodie pertinent.* Porro in *capite IV.* mutationem in Altorfensi abbatia a Welfone II. factam his verbis refert: *Hic etiam abbatiam Altorfensem, transferendo huc monachos de Altenmunster, & sanctimoniales NOSTRAS illuc ponendo, permutavit.* Non ergo, ut ignarus hospes & peregrinus, accessit ad scribendam historiam Welforum, sed huic operi se addixit, ut familiaris, & Welficæ benignitatis alumnus, in rebus ad Welfos pertinentibus bene institutus & versatus.

Neque ille est recentioris ætatis, & in classe historicorum novus homo, vel secundicerius, sed vixit & scripsit sub finem seculi a Christo nato XII. quod fertile fuit bonorum historicorum. In eo enim claruerunt HELMOLDUS, OTTO de S. BLASIO, GOTFRIDUS VITERBIENSIS, ROBERTUS de MONTE, CHRONOGRAPHUS SAXO, ANNALISTA BOSOVIENSIS &c. Corrupti quidem sunt numeri annorum in historia Welfica post annum MCLXXXII, sed facile restituuntur ope aliorum historicorum. Nam cæremoniam solenniter sumtorum armorum a filiis Imp. Friderici I. Henrico Rege & Friderico, Duce Suevorum, in pentecostali sacro, Moguntiæ, quæ ibi legitur in anno MCLXXX, referunt GODEFRIDUS COLONIENSIS, OTTO de S. BLASIO & adhuc plures præstantissimi historici ad annum MCLXXXIV. *Sequenti dehinc anno*, pergit MONACHUS WEINGARTENSIS, *Heinricus, Dux Saxonum, post festum sancti Michaelis de Anglia reversus est.* Sed a GODEFRIDO COLON. & ARNOLDO LUBECENSI hic primus Henrici Leonis reditus ex Anglia commemoratur in anno MCLXXXV. Finit MONACHUS

CHUS WEINGARTENSIS historiam suam traditione prædiorum, *Berge* & *Willare*, cœnobio suo a Welfone VI. Anno MCLXXXI. Idibus Augusti facta, quam adducit verbis ex ipsa traditionis charta desumtis. Canisio etiam hic numerus anni suspectus videtur in nota marginali, propter anteriores numeros, & ea, quæ CHRONICON WEINGARTENSE insequens habet *ad A. 1191. p. 222. & 23.* Ibi enim hæc leguntur: *Anno MCXCI. XVIII. Cal. Januarii Guelfo nobilis Altorfensis, Principum nostrorum illustrissimus — carne solutus, migravit a seculo. — Quotidie — donis munificentiæ suæ monasteriorum vel ecclesiarum discrete supplevit indigentiam. Monasterio enim WEINGARTENSI, principaliter a parentibus suis fundato, speciali condescendit benevolentia & fratribus, Deo & S. Martino ibidem servientibus, inter alia beneficia, TRADIDIT BERGE & WILLARE, cum non modica familia & suis appenditiis. Fratribus etiam in Augea, pro remedio animæ suæ, contulit prædium in Fidansboven. In montanis etiam claustrum Steingadin a primaria fundatione constituit, quod & consecratione & multa dote ditavit. Quibus ex ordine rerum ita dispositis, nobile patrimonium cum prædiis, nec non advocatiis & ministerialibus, Friderico, Romanorum Imperatori, filio, videlicet sororis suæ, & filio illius, Friderico, Duci Suevorum, sub jure possessionis contulit.* Hæc narratio vero non ita intelligenda est, ac si donatio Bergensis & Willarensis prædii a Welfone VI. facta sit anno MCXCI. Huic enim interpretationi obloquuntur Idus mensis Augusti hujus anni, quibus Welfo jam mortuus erat. Neque, secundum hoc Chronicon Weingartense, Welfo hac accessione dotem Weingartensem adauxit, antequam, post mortem filii sui Welfonis VII. in expeditione sacra anno MCLXVII, suum patrimonium, conventione facta, Imp. Friderico I. ejusque filio, Friderico, Duci Sueviæ, inofficiose neglecto Henrico Leone, Duce & fratruele suo, transscripserat, alias in longe remotiorem annum hæc traditio rejicienda foret. Sed ex supplemento Steingadensi in LEIBNITII *T. III. Script. Brunsu. p. 658.* manifestum est, Welfonem VI. non se omnibus bonis abdicasse, sed retinuisse quædam pro exercenda consueta munificentia in pios cœtus. Ita enim ibi legitur. *Exceperat idem Guelfus quædam prædia, quæ jam dudum, pro remedio animæ suæ, daturum se Deo, voverat, scilicet Vidansboven, cum suis appenditiis, quod S. Petro in Augusta donavit, BERGE & WILLARE cum suis appenditiis, quæ S. MARTINO IN WEINGARTEN DELEGAVIT. Wildergentingen, & curiam in honorem Sardis* (Mendose sane. Msstum Weingartense habet: *Curiam in Horem id est Stadel, & bona in Schans*) *singula cum suo jure, quæ S. Johanni Baptistæ in Steingaden pro dote obtulit.* Et quid ulterius inquirendum & disputandum? Clarissime indicat annum ipse benignissimus tot monasteriorum locupletator, Welfus VI. in tabulis traditionis Steingadensis, quibus jure proprietatis contulit prænominatæ ecclesiæ, post alias largitiones, *prædium in villa montana, quod dicitur Ardis, curiam Horne & curiam in Witergeltingen. Acta sunt hæc anno Domini MCLXXXIII. Indictione prima regnante Friderico Imperatore, Guelpho, Dux.* Vid. HUNDIUS in *T. III. metrop. Salisburg. p. 246.* Non dubitandum ergo est, ultra annum nonagesimum seculi XII. P. C. N. Monachum Weingartensem historiam suam non produxisse.

Præter loci & ætatis commendationem, MONACHO WEINGARTENSI multum autoritatis conciliat, quod bene instructus historiam Welficam condidit, & hoc labore non leviter defunctus est. Nam prisca literarum monumenta undique sagaciter pervestigata indefesso studio evolvit, inter se collata probe expendit, ac nullibi suo ingenio indulsit. Hoc statim innuit in præfatione, quæ incipit: *Generationes Principum nostrorum summa diligentia investigantes*

ac

nec multum in diversis chronicis, historiis, sive antiquis privilegiis quaerendo laborantes, nullam nominatim ante Gwelfonem Comitem, qri tempore Caroli M. fuerat, invenire poteramus. Necessario igitur generationis hujus seriem ab eodem incipere oportebat. Non deturpavit historiam suam fabulis & commentis vulgi *de Isenbardo*, & de prodigiosa fœcunditate *Irmentrudis*, ejus conjugis, ex imprecatione paupercula feminæ, ob tergeminos liberos in suspicionem adulterii inique adductæ, duodecim puerulos, instar catulorum, exponendos, uno partu parientis. Nullam mentionem fecit *curriculi* vel *aratri aurei* versutuloqui *Henrici*. Ingenue fatetur, sibi nullum obvenisse Welfonem, ante socerum Imp. Ludovici pii. Non vidit ergo in atriis Altorfinis ceras fumosas *Egarum*, *Erchinoaldorum*, *Leudesiorumque*, illustrium Majorum domus Regum Francorum Merouingicæ stirpis. Plane ignorat *Ethicones*, *Warinos*, *Eberhardos*, *Ruthardos*, Alemanniæ Alsatiæque Duces inclytos, Comitesque palatii. Tam cautus & providus est in scribendo, ut de tribus sententiis *de exordio nominis* WELF adductis *in capite I*, nullam lectoribus suis obtrudat, sed omnes eorum judicio submittat.

Secundum JOSEPHUM *Lib. I. contra Appionem p. 271. Veracis historiæ indicium est, si de rebus iisdem omnes*, qui scilicet de eodem argumento scripserunt, *eadem dicunt & scribunt*. Neque hac bona nota caret MONACHUS WEINGARTENSIS. Ejus enim narrationes cum aliorum historicorum testimoniis apprime congruunt. Ita ANNALISTA SAXO ad a. 1126. in ECCARDI *Corp. hist. T. I. p. 660*. de primo Welfone *egregiæ libertatis Principe, qui nunquam alicui, nec ipsi Imperatori, pro aliquo beneficio se subdidit dominio &c.* iisdem verbis fere exponit, quæ legimus in historia Welfica Weingartensi. In *capite V.* Welfonis II, filii Rudolfi matrimonium cum conjuge *ducta de gente Salica, de castro Glibberg, Juitha nomine, sorore Henrici Ducis Noricorum, & Friderici, Ducis Lotharingiorum & Adilberonis, Episcopi Metensis*, ob geminam mendosam scripturam valde obscuratum est, sed ex collatione aliorum historicorum admodum illustre redditur. Nam ex iis cognoscimus, hanc conjugem fuisse ortu Lucemburgensem, & neptem S. Kunigundæ, Augustæ, ex fratre Friderico, Comite Lucemburgensi. Hanc agnationem produnt sequentia verba HERMANNI CONTR. *ad a. 1008. Luitolfo, viro docto, Treverensi Archiepiscopo, defuncto, Megingaudus pro eo Archiepiscopus promovetur. Sed ADALBERO, clericus, REGINÆ CUNIGUNDIS GERMANUS, quibusdam faventibus, ad archipræsulatum, quasi ex regio promisso sibi debitum, adnisus, Treverense palatium præsidiis occupat, & jam CUM FRATRIBUS SUIS, THEODORICO, Metensi Episcopo, & HEINRICO, Bajoariæ Duce, FRIDERICOQUE, Comite adnitente, rebellavit.* Inter fratres Kunigundæ, Augustæ, hoc in loco se sistit FRIDERICUS *Comes*, cujus obitum CHRONICON QUEDLINBURGENSE in LEIBNITII *T. II. p. 291.* ad a. 1019. commemorat. *Hoc ipso anno, FRIDERICUS, FRATER CUNIGUNDÆ IMPERATRICIS, defunctus est.* Ejus filius in ordine, quo producuntur a MONACHO WEINGARTENSI, primus fuit *Heinricus*, successor in Ducatu Bajoariæ Heinrici, filii Imp. Conradi Salici, anno 1042. quinto post reportatam ab Hungaris victoriam die, ex fide CHRONICI ALTAHENSIS optima per ista tempora, uti testatur BRUNNERUS *T. II. annal. Boic. Lib. IX. p. 865.* Ne de prædicto patre ejus ulla sit dubitatio, legenda est in du CHESNE *probat. hist. genealog. Famil. Proc. Barr. Luxenb. Limb. & Blesiac. p. 17.* traditio *prædii Bibera dicti, siti in pago Mussolechgowe, in comitatu HENRICI, FILII FRIDERICI, Actum publice V. Kal. Febr. A. D. 1025. anno vero Domini Conradi Regis II.* Eum vitam cum morte commutasse a.

1047.

1047. cognoscimus ex HERMANNO CONTR. ad h. a. *ipsis quoque diebus Bajoariæ Dux Heinricus defunctus Treviris sepelitur.* Idem gravissimus scriptor paulo ante ad a. 1046. meminit ejus fratris, Friderici, Ducis Lotharingorum: FRIDERICUS, FRATER HENRICI, DUCIS BAJOARIÆ, *Dux Lotharingorum, pro Gothefredi fratre ignavo, Gozzilone, constituitur.* Restat Adalbero, Episcopus Metensis, in horum fratrum Luxenburgicorum triga. Neque hunc prætermisit HERMANNUS CONTR. ad a. 1047. *Quo tempore* (Imp. Henricus) *Welf, Comitem, Suevigenam, Welf dudum Comitis filium, Carentani Ducem, promovit. AVUNCULUM quoque EJUS, ADALBERONEM, videlicet HENRICI & FRIDERICI FRATREM, Metensis ecclesiæ Episcopum constituit.* Clare eundem describit WIBERTUS *in vita S. Leonis in actis SS. Antwerp. d. XIX. Aprilis p. 117. ADALBERO, Episcopus Metensis, HEZILONIS, DUCIS GERMANUS, FRIDERICI, eximii Principis, natus.* CHIFFLETIUS ergo *in Vindic. Hispanic. cap. V. p. 61.* in verbis MONACHI WEINGARTENSIS de *Juitha de castro Glibberg* repetitis hunc errorem librarii sagacissime suboluit, & dixit: *Mendum absque dubio irrepsit in scriptionem, positumque* Glihberg *pro* Lutzberg, *ut nonnulli Germani Luxemburgum efferunt, vel recte pro* Lucilburc, *aut* Liceleborg, *ut recentiores tabulæ.* Optime conspirat denique MONACHUS WEINGARTENSIS cum Autore coævo VITÆ B. ALTONIS, quam ex codice traditionum Altonis monasterii GEWOLDUS *in addit. ad Hundii metrop. Salisburg. T. II. p. 55.* inseruit, quippe qui non solum verum nomen conjugis Welfonis II. restituit, sed etiam manifestavit matrem Welfonis. Sic enim ille: *Post obitum B. Altonis, præpotens quidam ex Alamannia, PARENS videlicet EXIMII ILLIUS COMITIS, qui vulgo nomen quoddam est sortitus, quod Latine exprimitur CATULUS, nescio, qua traditione, quave lege, vendicantes sibi ejus monasterium, omniaque, quæ ad hoc pertinebant, pro hæreditario jure possidebant. -- -- Inter hæc pariter commemorandum est, quod venerabilis ITHA, scilicet MATER PRÆNOMINATI, pro institutione tali devotione tanta apud ipsum intercedendo laboravit, ut -- -- in eodem Altonis monasterio sepulturam suam fieri decerneret. -- -- Eadem vero ITHA defuncta ibique, quo decreverat sepulta; defuncto quoque viro, filioque eorum CATULO prædicto, veneranda matrona, IRMENDRUT dicta, PARENTIBUS NOBILISSIMIS ORTA, EJUSDEM scilicet CATULI PER ANNOS JAM MULTOS VIDUA, adhuc, disponente Deo, in vita præsenti posita.* Variat quidem in viduæ hujus nomine HERMANNUS CONTR. ad a. 1036. inquiens: *Sanctimoniales & domina IRMENGARDA, WELPH, COMITIS, VIDUA, apud Altorf pro clericis collecta sunt*; in cæteris tamen non discedit a MONACHO WEINGARTENSI, qui *Capite VI.* dixit: *Hic Gwelf etiam abbatiam Altorfensem, transferendo huc monachos de Altenmunster & sanctimoniales nostras illuc ponendo, mutavit, in qua abbatia, & ipse postmodum defunctus requiescit.* UXOR VERO EJUS ADHUC DIU SUPERSTES IN ALTENMUNSTER SEPULTA EST. Idem in *eodem capite* tradidit, *Welfonem II. Imp. Conrado Salico rebellasse, & cum Brunone, Augustensi Episcopo, maximas prædas & incendia fecisse, nec non & castella & munitiones ejus diripuisse, tandemque ipsam civitatem Augustam cepisse ac diu dimicasse.* Hæc rebellio & devastatio Augustensis ditionis comprobatur etiam testimoniis aliorum historicorum. Primum est WIPPONIS *de vita Conradi Salici cap. XIX: Interea, morante in Italia Imperatore, apud Teutonicos magna invidia, multa consilia, multæ factiones, adversus Imperatorem in cassum erupe-rant. Ut enim a minoribus incipiam, & ad majores perveniam,* quidam Comes in Suevia, Welf nominatus, dives in prædiis, potens in armis, & *Bruno, Episcopus Augustensis, invicem confligentes, multa mala in prædiis & incendiis fecerunt*

fecerunt in regno. Ad extremum prædictus COMES ipsam Augustam irrumpens, ærarium Episcopi dispoliavit, & totam civitatem vastavit, quod postea, cogente imperatore, totum restituit, & Episcopo emendavit. Adstipulatur HERMANNUS CONTR. non uno in loco, nimirum ad a. 1025. scribit: *Rebellio & discordia multa contra Conradum, regem, a putruele ejus, Conrado & Ernesto, Duce Alemanniæ, privigno ejus*, WELPH QUOQUE, SUEVIGENA, COMITE, *& aliis pluribus facta;* atque iterum ad a. 1026. *Brun, Augustensis Episcopus, & WELPH, COMES, prædiis & incendiis inter sese de mutuo debachantur.* Debellatum Welfonem ab Imperatore fuisse scribit ad a. 1027. *Conradus subacta Italia tota, reversus in Alamanniam, apud Ulmam placitum habuit, ibique ad deditionem Ermustum, Ducem, privignum suum, & WELPH, COMITEM, cum aliis accipiens, per aliquot tempora exilio deputavit.* Neque, quod caput rei est, matrimonium filiæ Welfonis II. CUNIZÆ *cum* AZONE, *ditissimo Marchione Estensi Italiæ*, cum dote *curtis nobilissimæ Elisma, cujus erant XI. millia mansuum uno valle comprehensi*, ex quo Welfo IV. omnis terræ Welficæ hæres & dominus, & stirpis propagator, progenitus est, quod MONACHUS WEINGARTENSIS enarrat, destituitur testibus. Præcipuus est ANNALISTA SAXO in sua intercalata narratione de progenie Welfica ad a. 1026. *Rudolphus*, inquit, *genuit Welphum, Comitem; Welphus genuit CUNIZAM, CUNIZA NUPSIT AZONI, Marchioni de Longobardia de castris CALIN & ESTIN, quæ in Longobardia sita sunt, genuitque ei Welphum seniorem.* Ex hoc loco arguo, vocem ESTENSIS, quam ut glossema, alia manu adscriptum, in codice Augustano MONACHI WEINGARTENSIS, respuit Leibnitius, non temere adjectam fuisse a librario, quisquis ille fuerit. Ex duobus instrumentis enim MURATORIUS *in Antichita Estensi P. I. c. VII. p. 41. & p. 273.* comprobavit, ESTE in comitatu Pataviensi jam a. 1077. & 95. in patrimonio Azonis, Marchionis, fuisse. Hoc tamen manifestum est, Azonem, Marchionem, nunquam in diplomatibus *Marchionem Estensem* cognominari. Neque amplius inquirendum est in verum nomen & situm curtis CLISMÆ sive ELISMÆ, postquam idem perexmius ac indefessus antiquitatum Estensium indagator *l. c. cap. VII. p. 47.* mendum in historia Welforum Weingartensi ex tabulis feudalibus Canonicorum Basilicæ Veronensis de a. 1079. correxit, in quibus *curtis una, quæ vocatur LUSIA, cum capolo, pascolo, erbatico, silvis, piscationibus ac paludibus, & omnibus ad eandem pertinentibus*, MARCHIONI AZONI, & UGONI, & FULCONI GERMANIS, FILIIS EJUSDEM MARCHIONIS AZONIS, *data fuit usque ad annos XXVIII. expletos*, pro censu annuo. Facile enim vox LUSIA transire potuit in LUSINAM, deinde in ELISINAM, & demum longe deteriori corruptione in ELISMAM & CLISMAM, oscitantia & culpa transscribentis, qua sæpe numero historiam VVelficam VVeingartensem depravatam esse, reperimus. Sed ut e diverticulo redeam, adest denique BERTHOLDUS CONSTANTIENSIS, qui ea confirmat, quæ de connubio CUNIZÆ cum AZONE, Marchione, MONACHUS VVEINGARTENSIS retulit. AZZO, scribit ad a. 1097. *Marchio de Longobardia, PATER WELPHONIS, Ducis de Bajoariæ, jam major centenario, ut ajunt, viam universæ terræ arripuit, magnamque guerram suis filiis de rebus suis dereliquit. Nam Welpho Dux omnia patris sui bona obtinere voluit. Sed FRATRES EJUS DE ALIA MATRE PROCREATI, noluerunt se penitus exhæredari, unde aditum ei in Langobardiam prohibuerunt, cum iret ad possidendum. -- -- Interim Welpho, Dux Bajoariæ Longobardiam profectus est ad possidendam hæreditatem PATRIS SUI AZZONIS, Marchionis, qui nuper defunctus est, sed FILII EJUSDEM MARCHIONIS DE ALIA CONJUGE prædicto Duci totis viribus restitere.*

Concordiam annalium historiarumque medii ævi cum historia VVelfica MONACHI VVEINGARTENSIS ulterius probare & urgere nolo, sed nunc potius iis occurrere annitor, quæ minus accuratum historicum produnt, ac parum respondent officio ejus, qui studet exponere originem & propagationem excelsissimæ alicujus domus, ut locum suum in classe historicorum probatorum & inculpatorum tueri possit.

Ante omnia multos offendere potest VVelfis ab eo attributa origo Francica, contra clarum testimonium integerrimi scriptoris HERMANNI CONTR. qui VVelfones ad a. 1025. & 47. iterum iterumque SUEVIGENAS dixit, & contra exceptionem fori, ab Henrico Leone, Duce Bajoariæ & Saxoniæ, oppositam sententiæ proscriptionis in se in curia Goslariensi, Herbipolitana, & Gelinhusana latæ & repetitæ. *Dux enim*, scribit ARNOLDUS LUBECENSIS *lib. II. Chron. Sclavor. c. 24. injuste de se judicatum affirmabat, dicens SE DE SUEVIA ORIUNDUM, & nullum proscriptione damnari posse, non convictum IN TERRA NATIVITATIS SUÆ.* Secus vero se res habet. MONACHUS VVEINGARTENSIS enim non negat VVelfos de Suevia oriundos esse, solum dicit, majores vetustissimos VVelforum, secundum *antiquissimam quandam historiam*, fuisse quidem sanguinis Francici consortes, sed *a Francis, loca circa ripam Rheni, in confinio Germaniæ & Galliæ occupantibus, ob multitudinem eorum nimiam, postea recessisse, & terras Suevicas, pene inhabitabiles, & nemorosas, cum multis suis adhærentibus, habitare cæpisse.* Suevia ergo ea fuit provincia, in qua progenitores VVelforum, *per longa tempora alii aliis succedentes*, uti idem ait, post secessionem a Francis, *nomen suum magna industria dilataverunt.* Posteri ergo horum advectorum, ob sedes circa lacum Potamicum fixas, indigenæ, seu *Suevigenæ*, facti sunt.

Non minus suspectum se reddit MONACHUS VVEINGARTENSIS erroris propagatione fabulæ de *Francis a Troja egressis sub Francione & Thurco, Regibus, super ripas Danubii juxta Thraciam considentibus, & civitatem Sicambriam nominatim ibi ædificantibus &c.* Verum enim vero non tam illi, quam ruditati illius ævi, & magnæ inopiæ bonorum auctorum potius imputemus hunc communem & longe vetustissimum errorem, innixum autoritate FREDEGARII, AIMOINI, SIGEBERTI GEMBLACENSIS, OTTONIS FRISINGENSIS, quos deserere in tanta historicorum criticorum penuria ipsi religioni fuit. Ex annotatione HENRICI VALESII *ad excerpta ex Nicolao Damasceno in collectaneis Constantini Aug. Porphyrog. p. 73.* videtur quidem, coloniam ad Tanaidem in Scythia a Scamandrio, Hectoris & Andromachæ filio, post excidium Trojæ deductam, cujus dux Antenor vulgo, sed perperam, constituitur, occasionem dedisse ad natales Francorum Trojanas, & Sicambriam civitatem conditam. Mihi autem non persuadere possum, primos autores hujus commenti, in tanta barbarie, & tanto literarum Græcarum neglectu, legisse verba Anaxicratæ in libro II. rerum Argivarum, quæ in scholiis in Euripidis Andromacham & Nicolai Damasceni libro IV. historiarum adducuntur.

Porro in dubium vocanda, imo inter nugas plane rejicienda, & explodenda videtur in MONACHO VVEINGARTENSI exaggeratio summæ libertatis VVelforum, qua freti, *ipsi quoque Romano Imperatori homagium facere recusarunt*, & ex qua orta vehemens indignatio Ethiconis, patris, quam in se convertit Henricus, filius, cum *Imperatori homagium & subjectionem fecisset, pro susceptis ab eo in beneficio quatuor millibus mansuum in superioribus partibus Bavariæ*, quoniam hoc facto *nobilitas & libertas Guelphica nimis esset debilitata,*

tata,

tata. Ego vero MONACHO VVEINGARTENSI hanc mentem non affingo, ac si persuaserit sibi, VVelfos plane immunes ab omni imperio Regis Germaniæ & nulli legi ejusdem obnoxios fuisse. Vera illius sententia est: Welfos possedisse jure hæreditario, longo tempore, ditiones amplissimas, de quibus Regibus non tenebantur, atque ab omni nexu & servitio feudali quam diutissime abhorruisse, ita tamen ut cives essent regni Germanici, Regis majestatem colerent, ejusque summæ jurisdictioni subessent, non qua beneficiarii, sed qua possessores liberi prædiorum patrimonialium. Hac ratione Regi obedientiam & fidelitatem, ob jus protectionis & supremæ jurisdictionis, promittebant, & ad defensionem patriæ obstricti erant, prout hoc officium sæpe postulant & urgent Capitularia Regum Francorum. Ejusmodi liberi optimates dicebantur viri EGREGIÆ LIBERTATIS, quo elogio SIGEBERTUS GEMBLACENSIS ad a. 1014. insignivit Conradum Salicum ante regnum ipsi delatum. *Henricus,* ait, *Imperator, consulentibus se Principibus super substitutione regni, designans Conradum, virum egregii generis & EGREGIÆ LIBERTATIS, quippe qui NUNQUAM SE SUBMISERAT ALICUJUS SERVITUTI.* WIPPO enim *in ejus vita cap. I. p. 465.* scribit: *Conradus licet genere & virtute, atque IN PROPRIIS BONIS nemine esset inferior, tamen de republica, in comparationem talium virorum, Ducum, Marchionum, parum beneficii & potestatis habuit.* In appendice ad CHRONICON MONTIS SERENI *p. 210.* occurrit nobis *in diebus primi Ottonis quidam Tidericus, egregiæ libertatis vir.* Eo minus etiam pertinax recusatio beneficii regii Welfis improbanda est, quo semper est præstantior meliorque conditio liberi domini alicujus fundi præ statu beneficiarii. Simplex enim nexus subjectionis ratione territorii minus libertatem infringit, quam accessione vasallagii duplex, & possessio ex proprio hæreditarioque jure prædii, de quo pro arbitrio disponere possum, præferenda est fundo acquisito ex beneficio alterius, sub sponsione fidelitatis, honoris & obsequii præstandi in servitiis vel militaribus, vel palatinis, & cujus alienatio sine consensu Domini est prohibita.

Vanitatem MONACHI WEINGARTENSIS possent etiam quidam renudare in derivatione nominis *WELFE a Catilina, Romano senatore, quod nomen theutonisatum,* uti dicit, *GUELFF sonat, quippe cujus filiam quidam ex antiquissimis Guelphis in uxorem duxisset.* Quare vero non indulgeamus Monacho nostro falsam nominis Welfici notationem, a seculo inerudito & Romanas origines affectante excogitatam, & ab illo tantum ex narratione aliorum repetitam, & cum alia derivatione, sine ulla affirmatione, dubitanter conciliatam? Longe ante eum RUPERTUS GOSLARIENSIS in carmine *de bello Saxonico* ab Imp. Henrico IV. gesto cecinit:

> *Hos* ROMANORUM *sequitur* DE GENTE VETUSTA
> DUX CATULUS, NOMEN REFERENS *moresque, genusque,*
> *Signa Ducis sequitur gens inclita Bajariorum,*
> *Quam totiens domitis celebrat victoria Parthis.*

Magis caute & cogitate hoc nomen exponit GUNTHERUS in *Ligurini Libro IX:*

> *Hunc* EX ROMANO CATULORUM SANGUINE CLARUM
> *Et genus,* ET NOMEN, *nisi fallit fama,* TRAHENTEM
> *Theutonicus verso* VVELPHONEM *nomine sermo*
> *Dixerat, ambiguæ deceptus imagine vocis.*

Adhæc MONACHO VVEINGARTENSI vitio verti possint præteriti fratres Judithæ Augustæ inclytissimi, CONRADUS, Princeps famosissimus, collega Regum, & inter primates aulicos apprime illustris, uti dicitur ab HEINRICO Monacho *de Miraculis S. Germani, Antissiodorensis Episcopi, lib. II. c. 2.* in LABBEI *T. I. novæ Bibliothecæ scriptor. p. 556.* maritus Adelhaidis, ex Carolino sanguine oriundæ, & sator Regum Burgundiæ Juranæ, mortuus a. 862, & RUDOLPHUS, Abbas S. Richarii a. 866. defunctus, quos celebrant THEGANUS, NITHARDUS, & ANNALES BERTINIANI. Ob id immerito succenseremus Monacho nostro, qui non neglexisset hoc nobile par fratrum, nisi destitutus fuisset his autoribus, a quibus tam laudantur, quam culpantur. Deficiunt & aliæ historiæ sæpe in iis rebus, ubi maxime debebant abundare.

Demum MONACHUS VVEINGARTENSIS *in capite* IV. adduxit *filiam Ottonis M. Imperatoris, Richluit nomine, Cunonis nobilissimi conjugem, ejusque filium, Eggebertum, Marchiam, quæ est in finibus Saxoniæ versus Danos, Stadin nominatam, obtinentem;* quos omnes nullus æqualis & præclarus scriptor novit. Sed quotusquisque scriptorum istius tempestatis est, qui in consignandis genealogiis vetustis Principum nostrorum non abreptus est in devia, & fallit & fallitur tam sua, quam aliorum culpa? Neque ob unicum ejusmodi erratum omnis fides historici est fluxa ac sublesta.

Cum ergo de MONACHI VVEINGARTENSIS prisca & germana fide, integritate, circumspectione & diligentia in recensendis VVelforum rebus nos simus persuasissimi, confidenter dicere & affirmare audemus, tantum VVELFICAM GENTEM, continuatam in Serenissima DOMO BRUNSUICENSI & LUNEBURGICA omnibus familiis vetustate & dignitate eminentiori antecellere, quantum MONACHUS VVEINGARTENSIS fide & auctoritate aliis scriptoribus præstat.

Quæ enim Familia est in Germania, imo in universa, qua cultos & christianos habet Reges & Principes, Europa, quæ progenitores suos, haud interrupta serie, a tempore Caroli M. Imp. deducit? Nulla omnino ad hæc tempora cana consurgit tam vetusto ac veraci teste. Sola atque unica VVELFICA FAMILIA AUGUSTISSIMA hoc vetusti generis splendore omnes longe superat & antecedit.

Neque EA ulli cedit dignitatis priscæ prærogativa, quam extollunt nuptiæ augustæ Ludovici pii Imp. & Judithæ VVelficæ, egregia libertas, & diuturna possessio amplissimarum ditionum, absque omni obligatione clientelari, ordinatio domus per officia *Dapiferi, Pincernæ, Mareschalli, & Signiferi, quibus fungebantur Comites, vel eis æquipollentes viri,* quæ officia palatina dicuntur JUS PRINCIPUM in diplomatibus Regum & Imperatorum nostrorum, & denique cohors numerosa Ministerialium, quæ decora eximia copiose recenset MONACHUS VVEINGARTENSIS.

Non potui non oculos inprimis convertere in hunc principem historicum VVELFICÆ DOMUS, & pro ejus autoritate ac fide intemerata strenue laborare sub auspicium muneris Professoris publici historiarum mihi clementissime demandati a serenissimo potentissimoque Principe ac Domino, Domino,

GEOR-

GEORGIO II, Rege magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ, Defensore Fidei, Duce Brunsuicensi & Luneburgensi, S. R. I. Archithesaurario, & Principe Electore, &c. &c. PRINCIPE MAGNANIMO, PIO, JUSTO, BENIGNO, FORTI, PACATORE ORBIS EUROPÆI, ET RESTITUTORE TRANQUILLITATIS PUBLICÆ, *Rege, Principe Electore, ac Domino meo longe clementissimo*, in Academia Gottingensi a SE magnifice instituta. Cum enim mearum esse partium ducam, indicare & commendare meis Auditoribus eximios omnis ævi historicos, eosque a suspicionibus negligentiæ, falsitatis, malæ fidei, inscitiæ & corruptionis liberare, inprimis a me asserenda fuit probitas, candor, & solertia MONACHI WEINGARTENSIS in propagata posteritati Historia Welsorum, quam digne excolere & docere impigre allaborabo.



DISSERTATIO X.

DE

DUCIBUS WELPONIBUS
EORUMQUE ACQUISITIONE
COMITATUS ALTORFF. ET RAVENSBURG.

§. I.

TEmpore Pii Lodevvici Imperatoris filii Caroli M. fuit Princeps unus in Bavvaria, qui fuit bynomius, cujus nomen erat ERICUS, vocabatur etiam WELPO, habens filiam nomine JUDITAM, quam idem LODEWICUS Imperator accepit in Conjugem, post mortem prime Imperatricis conjugis sive *Ermegardis* nomine, cum qua concepit aut genuit *Karolum Calvum*, & tandem a suis genitoribus, amicis & consanguineis steterat Regnum Francicum cum magno honore per longa tempora.

§. II. Cujus Proavus ERICUS vel WELPO Comes erat tam liber, quod nemini unquam nec etiam Imperatori dederat manum, pro aliquibus bonis etiam feodalibus. Ad hoc etiam incitavit filium suum HINRICUM, quod non esset minor eo, sed quod sic etiam in suis propriis esset contentus. In quo tamen non consenserat ei, sed ex consilio *Juditbe* sororis sue dedit se in potestatem Imperatoris *Lodewici* tali conditione, quod Imperator sibi deberet concedere in SVUEVIA de allodiis & aliis terris, lignis, pratis & agris, quantum posset cum aratro suo pertransire arando in hora meridiei.

§. III. Quod tandem compertum est *Welponi* patri suo. Et indigne ferens recessit a *Bawaria* in montana habens ibi aliqua Castra & Civitates, licet modica. Circumdedit autem terram illam silva proprie dicta *Scherendewalt*. accipiens ex suis XII. milites & vasallos, qui pre aliis semper erant in Curia sua, conclusitque viam, per quam intraverat, manens ibi omnibus diebus vite sue, non videns amplius filium suum, nec filius eum.

§. IV. Unde filius acquirens allodia in *Swevia*, ut sibi Lodewvicus Imperator promiserat, licet cum astucia. Unde HINRICUS Dux filius Welponis fecerat sibi preparare aratrum aureum, habens eum secum, secrete prius ordinatis equis, quod quando unus esset fessus, insederet alium, & tandem in hora meridiei infra dormitionem Imperatoris circumequitavit Civitates, Castra & villas equitans festinanter. Et postquam equi fuerint lassi, venit super equam, volens etiam circumequitare montem unum adjacentem, qui tandem veniens qua ad medium montis, equa pre lassitudine non poterat ulterius procedere, ex hoc vocatus est mons ille proprie deinde MERENBERG usque in hodiernum diem. Ex illo etiam inolevit Dominus de RAVENSBERG, qui nunquam ascendant equas, etiamsi urgeret magna necessitas.

§. V. Inter hæc Lodewvicus Imperator surrexit a sompno. Tandem HINRICUS DUX venit cum aratro suo, petens sibi concedere illa promissa, & confirmaret illa cum Litteris & Sigillis Regiæ Majestatis, quod tamen penituit Imperatorem fecisse, eo, quod illa cum astucia magna perpetrasset, cogitans tamen promissionis, concedens sibi illa, que circumequitaverat cum aratro suo totaliter.

§. VI. Ab illo enim tempore ipse HINRICUS & sui hæredes vocati sunt de RAVENSBERG propter Castrum adjacens in Circulo, quem circumequitaverat, qui antea vocabantur de ALTORFF a villa illa. Et tandem ab illa progenie orti sunt tres fratres; scilicet RUDOLPHUS, WELPO & CUNRADUS.

§. VII. Hic CUNRADUS fuit Episcopus Constantiensis tempore S. Odalrici Episcopi Augustensis, & fuerunt ambo sancti viri. RUDOLPHUS vero genuit WELPONEM Comitem, qui genuit Cunizam. CUNIZA desponsata fuit Azoni Marchioni de Lombardia de Castris proprie Calym & Esten, quas lucratus est ei Welpo. Hic accepit in uxorem JUTTAM relictam Havordi de Anglia, quæ fuit filia Roperti Comitis de Flandria. De hac Jutta idem Welpo genuit duos filios Ducem WELPONEM dictum Juvenem & HINRICUM Welponem antiquum, quorum unus accepit in uxorem Mechtildem de Lombardia. Hic moritur sine liberis, dimisitque Ducatum suum Hinrico, qui HINRICUS DUX accepit in uxorem VVILFELDAM filiam magni Ducis Saxoniæ, quem habuit a Sophia Ducissa, que Soror erat Koladislay de Ungaria, quorum duorum pater Dux VVelpo habuit etiam primitus aliam uxorem, scilicet Etelingam, que fuerat filia Ottonis Ducis de Bavvaria nata de Saxonia.

§. VIII. Hic fuit nobilis & potens, nolens obedire sed contrarius esse Hinrico IV. Regi Romanorum & Imperatori, cui tamen resistere non potuit, & tandem expulit eum a Ducatu suo licet minus juste, & dedit Ducatum VVelponi sororio suo.

§. IX.

§. IX. Hic VVELPO repudiavit Etelingam uxorem suam & quare, causa ignoratur adhuc hodie, quam postmodum Hermannus Comes de VVestfalia accepit in uxorem, qui etiam vocatus est de Caula, de qua genuit Hermannum, dictus Comes Juvenis.

§. X. Hic HINRICUS frater VVelponis, de quo prius scriptum est, audivit ab antiquis temporibus a primo *Etbicone* scil. *Welpone*, quomodo fugasset a filio suo in montana, & ibidem mansisset tempora vite sue, & ibi sepultus esset, volens scire veritatem, misit effodere tumulum ejus ac eorum, qui secum obierant, qui invenit ita esse, fecit construi Ecclesiam supra tumulum & crura Avi sui. Ipse etiam extumulavit Cunradum Episcopum Constantiensem, quem Dominus multis signis sublimaverat tam in vita quam in morte, & tandem ob honorem ipsius dedit allodia & etiam multa bona & dona Ecclesiæ Constantiensi, cum quo demonstravit genealogiam suam.

§. XI. Hic idem HINRICUS DUX cum WILFILDA uxore sua genuit duos filios scil. Hinricum & Welponem, & quatuor filias. HINRICUS accepit in conjugem Gerdrudam filiam Lotharii Regis, de qua genuit Hinricum tertium. WELPO accepit filiam Comitis Palatini. Una autem filia Hinrici pretaxati scil. JUDITHA accepit Ducem Fredericum de Svvevia, secunda filia scil. SOPHIA accepit Ducem Bertholdum de Saringen, qui postea interfectus est, unde eadem Sophia post mortem mariti accepit Luppoldum Marchionem de Stiria, qui propter suam fortitudinem dictus est *Luppoldus fortis*. Tertia filia scil. WIFELDA accepit Rodolphum Comitem de Bregensse. Quarta filia scil. MECHTILDIS accepit Theobaldum juvenem filium Theobaldi Marchionis antiqui, quo mortuo idem Wifelda accepit filium Beringeri Comitis de Sulzbach.



DISSERTATIO XI.
DE NOMINE
ET QUIBUSDAM RAMIS INCOGNITIS
AUGUSTÆ GENTIS GUELFICÆ.

§. I.

QUi ſemper dum libros novos evolvo, aliquid meditari ſoleo, in lectione HISTORIÆ AUGUSTÆ GENTIS GUELFICÆ, Virorum Eruditiſſimorum opera egregie nuper excultæ, nec mihi ab ulteriori diſquiſitione temperavi. Monebat ut id agerem tum ſummus hujus domus ab omni ævo ſplendor, tum etiam aliquot annorum in illius terris, ac nexu olim exactorum grata recordatio. Juvabat illos quaſi præſentes obtueri Principes, qui & potentia & virtute magni, in ſera poſteritate adhuc majores effecti, quam ſibi quodammodo propoſitam tuebantur ſpem, non ipſi quidem in rem abiiſſe viderunt, ſed tamen genti ſuæ, ad bene de ſucceſſione in Angliam ſperandum, quaſi ſignum aliquod prætulerunt.

§. II. Et primo quidem de *nomine Guelforum*, quo gaviſi ſunt, egregia quæque, tum in præfamine, tum etiam alibi conducta deprehendi. (*a*) Subſtiti vero meo meditamine in eo, nomen *Welf* idem eſſe quod *Wolfgangus*, *Wolfhardus* ſive *Welfhardus*, *Wolfinus*, aut quod infra occurret *Wolvene* ſive *Wolf*. Confirmabar in hac ſententia, quando didici, ipſum Welfum IV. Welfhardum Ducem compellari, id quod dubium fere relinquebat nullum. Accedebat Latinum *Catuli* nomen, quod haud ſecus ac Germanicum *Wolf*, & lupum, & canem exprimit. (*b*) Vel hodie autem ruſticis in Wetteravia, Suevia, Bavaria, Auſtria, Wolfhardus & Wolfgangus, vulgo contracte redditur per *Wolf*. Quando vero primos gentis autores, hoc nomine in tantum delectatos legi, ut minimum primogenitus, aut aliquis etiam aliorum, ſi impedimentum naſceretur, in illud adſciſceretur, opinatus fere ſum, hinc accidere potuiſſe, ut poſteritas inde communi nomine, etiamſi alio aliquo in baptiſmate eſſent aliqui inſigniti, nihilominus compellaretur, qua in re præcipue animum attendi OTTONIS FRISINGENSIS autoritati, qui ita fatur: *Duæ in Romano orbe, apud Galliæ Germaniæve fines famoſæ familiæ hactenus fuere; una Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio.* (*c*) Hic enim uti

(*a*) Præfatio Cl. SCHEIDII in fin. & Lib. I. Cap. 2. Tomo I. Nec unquam nomen aliquod gentis, Eruditis majorem crucem fixit.

(*b*) SKINNER Sect. III. Etymolog. nominum in *Wulfbad* & ſeqq. WACHTER & SCHILTER Gloſſ. voce *Wulf*.

(*c*) De Geſtis Frid. I. L. 2. C. 2. apud *Urſtiſ.*

uti gentem Salicam HENRICOS, ita Altorfinos GUELFOS vocat, gentis nomine a prænominibus æque adscito. Neque enim Salici Henrici, nisi a prænominibus dicti.

§. III. Cum vero apud GOLDASTUM (a) caput Sueviæ, conventibus publicis destinatum, tempore Burcardi Alemanniæ Ducis WALEWIS VILLAM vocari recordarer, Guelforum satorem hanc arcem condidisse, ei nomen suum imposuisse, & posteros a sede perpetuo Guelfos vocatos existimavi. Probabit hoc se omnibus iis, qui secum recogitent, simili modo omnes fere Germaniæ gentes illustres a castris nominatas, e. g. Hohenstaufios, Zæringios, Veringios, Kyburgicos in Vicinia. Nil ergo vetat, & hoc de Guelfis credere. Germanice dictum nomen exprimerem, per Wolfeck/ Wolfesweiler/ Welfsdorf/ Welfeshaus/ Wolfach rc. In bonis vero Guelforum hanc villam fuisse, ipse WEINGARTENSIS testatur, quando dicit: *Sanctus igitur Conradus* in Episcopatum (Constantiensem) *promotus patrimonium, quod a patre possidebat, Altorf,* WOLPTESWENDE, *Berge, Fronhoven, cum suis attinentiis, & omnia ultra fluvium nostrum Stutzine sita, sicut ad nos hodie pertinent, fratri suo Rudolpho per concambium donavit.* (b). Habes ergo hic Walevvisvillam ipsam in bonis Guelforum, uti statim demonstrabo.

§. IV. Scilicet *Wolpteswende* idem est ac *Walewisvilla*. Sane nemo hæsitaverit, *Walef* & *Wolf* denotare in vetere nostra lingua unum idemque. Villa vero Germanice dicitur *Wende*, quia *wenden* est *morari, habitare, incolere, sedem figere*. Inde expressiones Germanicæ *Wende*, *Wenti*, arx, domus, villa, vicus. (c) Inde etiam die vier Wände beschreyen/ in eo determinando usuveniens, an liberi vivi sint nati. (d) Inde *Giwanti* divertere, (e) verbum moræ Germanicum bewenden/ & expressio ich lasse es dabey bewenden/ aliæque similes adhuc hodie usuvenientes. Quæ cum satis distincte eruta, nemo de arce Welforum Wolptesvvende, aut Walevvis villa, quæ ipsis nomen dederit, posthac dubitaverit.

§. V. Nomen autem præcise ab hoc castro hæsisse inde disces, quia Henrici, Ethicones & alii, nihilominus Guelfi dicti, quamdiu has terras tenebant, ii vero, quibus aliæ non autem simul hæ contigerant, in alia abierunt nomina. Ita magnus ille Carinthiæ & marcæ Veronensis Dux Guelfo III. ob bona Suevica retenta semper Guelfo audit, nec minus Guelfo IV. Dux Bavariæ, & Guelfo V. hujus successor. Quorum quartus ex Italia evocatus, ob possessiones statim in hoc nomen abiit, veteris, quo necessario insignis esse debuit, plane oblitus. Henricus vero Superbus, Bavariæ & Saxoniæ Dux, cum tota gente sua non amplius in Guelforum nomen transiere, arce videlicet Guelfica stemmatica, ad Guelfonem VI. qui ideo cum filio nomen retinuit,

(a) Tomo I. p. 47. in EKKEHARDO Jun. de Caf. S. Galli 10. ubi: *Colloquium tamen publicum postea pro his & pro aliis regiminis causis Walevvis villa edixit, illuc quoque Episcopum & Abbates venire jusserat.*

(b) Cap. 3. apud LEIBNIT. T. I. Brunsvicens. p. 782.

(c) WACHTER Gloff. in *Wenden* ac in *Want.*

(d) JUS ALEMANN. Prov. tit. 92. §. 1. JUS FEUD. SAXON. art. 20. HOFMANN de comm. bonor. conjug. §. 4. & alii sine numero.

(e) SCHILTER Gloff. voce *Wenden*,

devoluta. Quæ nobiscum recogitantibus nobis non adeo crassus error BRUSCHII, a Cl. SCHEIDIO (*a*) suo jure quidem notatus videtur, quando gentem Guelforum extinctam dixit. Guelfi enim, qui eo nomine gavisi revera ad plures abierant, altero ramo, qui id nomen deposuerat, superstite. Id vero ex more seculi, ubi semper nomina nova a castris, aut dignitate tracta. Hauserat sua a Weingartensibus Monachis haud dubie BRUSCHIUS, qui vix aliorum, quam in vicinia extinctorum, memoriam retinuerant.

§. VI. Ubinam gentium vero sita fuerit illa Walevvis villa jam disquirere oportet. Situm citati autores indicant. Nec ego dubitaverim, *Altorfium* sive Ravenspurgum, uti hodie vocatur, Walevvisvillam fuisse. Illic enim sedes Welforum, qui ideo de *Altorfio* nominantur. Conservatur etiam in appellatione vetus nomen. Scilicet Dorf signat villam, alt vero additum efficit, ut sit *antiqua villa*, antiqua arx. Vetus ergo hic Welforum, & originarium domicilium, *castro* antiquo in vicinia anno 1091. aut etiam anterioribus paulo temporibus per Guelfonem IV. in monasterium mutato, & novo inde in Ravenspurgo, aut alias circa hæc loca, condito. (*b*) Hinc vero uti Burcardi Ducis, & viduæ ejus tempore (§. III.) publici Sueviæ conventus in Walevvisvilla celebrati, ita in Altorfio & tribus in locis vicinis, ut villa arci proxima, hodie adhuc, uti id notum *judicium Provinciale* administratur, tenuibus quidem, aliquibus tamen, veteris dignitatis reliquiis, ampliori decore in Rotvvilam postea translato.

§. VII. Suffecerit vero si des, Altorfium fuisse vetus castrum, præsertim cum vox *dorf* etiam castrum, ædes, indicet. (*c*) De novi contra, quod Guelficum nomen conservaverit Historia, (§. VI.) ego adeo indubius non sum. Deprehendo certe in illo tractu plura castra & vicos, Wolfach Fürstenbergicorum, Wolfegg Truchsessiorum Comitum, ut & Wolfesweiler non longe a Friburgo Brisgoviæ dissitum. (*d*) Wolfegg vero inprimis, inter Memmingam videlicet & Ravensburgum situm, nostri Guelfici gloriam tueri posset, nisi forte illud hoc ipsum sit, ubi postea Duces in Altorf aut Ravensburg, veteri jam in monasterium mutato habitarunt. (*e*) Id addendum in Saxonia extare castrum *Wolfsburg*, quod ab Altorfio nostro sive Wolptesvvende forte nomen traxit. Et ni fallor, vel hodie illud est ditionis Brunsvicensis.

§. VIII. Ab hoc ergo castro Altorfio & aliis id nomen, tracta est haud dubie appellatio gentis, der Welfen. Quo ipso non nullæ aniles de hoc nomine fabulæ concident. Originem familiæ quod ultimam concernit, gens hæc Francica censetur. Franci enim pro temporum in Genealogicis elegantia, Troia processisse a Monachis & Clericis finguntur, Welfi vero Trojanis

(*a*) Præfat. Hist. Guelf. Tomo I. p. 8.

(*b*) BUCELIN. Germ. Tomo I. p. 92. sq. WEINGART. c. 3. p. 783. ZEILER Topograph. Sueviæ p. 214. HISTORIA GUELF. cum cit. Tomo II. pag. 276. seqq.

(*c*) WACHTER Gloss. voce *Dorf*.

(*d*) ZEILER Topograph. Sueviæ p. 223. & 232. Addit. p. 124. & HERRGOTT Habsburg. Indice Geograph. post Tom. 1.

(*e*) Certe Henricus *Ravensburgi*, uxor vero *Altorfii* obiit, ut ergo duo castra supponi debeant, illic extantia, WEINGART. C. II. p. 786.

nis itidem accensiti. *(a)* Scilicet nil tum magnum aut splendidum, nisi ab Ulysse, Aenea, Priamo, aut Antenore, de quibus hodie, an unquam in orbe fuerint, quæritur, processisse diceretur. Alii vero ad Assyrios, Syros, aut Indos delati sunt. Nec Abrahamus a cupiditate splendoris, & antiquitatis tum semotus mansisset, nisi Judæorum invaluisset ingens odium, ac contemtus.

§. IX. Sed in nomine, & aliis satis hæsimus. Primum vero *gentis Autorem*, qui ad splendorem aliquem pervenerit, me ignorare profiteor. Nec in hoc solum cespito, verum in illo etiam, quod multos ramos splendidissimæ familiæ in vulgatis scriptoribus ne quidem deprehendam. Video sane, WEINGARTENSEM ipsum Conradum Judithæ conjugis Ludovici Pii fratrem omisisse, qui tamen omnino memorandus erat, & cum Rudolpho, tertio fratre, alias satis illustris est. *(b)* Patrem contra, & fratrem illorum Ethiconem retulit, ut Altorfii habitantes. Et idem forte in multis aliis ipsi accidit, qui ad hanc gentem omnino referri debent, sed eo pertinere crediti non sunt, quia Monacho huic soli hæsimus, nullos tamen referenti, præter eos, qui de monasterio bene erant meriti.

§. X. Videntur vero mihi, ut periculum faciamus, aliquid ad hanc gentem spectans suppeditare chartæ Rhinovienses, celebris illius in Turgovia Monasterii. *(c)* Hujus fundator dicitur *Wolfhardus* Comes de Kyburg, qua in re, ex traditione, & constanti fama omnes conveniunt. Nec ego contradixerim aut traditioni, aut verosimilitudini. Id tantum observo, primos hujus Monasterii fundatores dictos fuisse *Wolfene* sive Welfos. Aut ergo Welfi Monasterii fundatores, aut plane ipsi Kyburgii Welfis accensiti, præsertim cum Welfos in Galliæ Germaniæve finibus simul consedisse legamus, (§. II.) Kyburgicus autem Burgundiæ Comitatus, ad terras Gallicas satis apte quadret. Accedit, Conradum Guelficum (§. IX.) fuisse Ducem Burgundiæ, quod fieri forte nequivisset, nisi is aut Burgundus, aut illic magnis bonis fuisset præditus, cum semper ditissimi fere ex Provincia in Duces legerentur.

§. XI. Profecto aut Electio Ducis ipsorum Provincialium Statuum erat, aut vero, si id non fieret, minimum ipsorum præsentatio, & consensus requirebantur. Nec Germanorum moris, ut exteros Magistratus facile ferrent, nisi gentes quodammodo concrevissent, uti id in Francis ac Alemannis accidit. Turbæ ferme omnes sub Henrici IV. Imperio in Saxonia natæ, ab exteris Magistratibus provenerunt, nec alias Germani olim in id genus rebus faciles. Quin etiam Bavaris, Carentanis, Saxonibus, familia regnatrice dejecta, adhuc durantibus seculis XI. XII., non alii Duces nisi ex Provincia contigere. Unde in Conrado Guelfico diversum non statuam, donec plenius edocear.

(a) WEINGARTENS. p. 781.

(b) SENCKENBERG Select. Tom. III. p. 96. sq. cum cit. & HIST. GVELF. L. IV. c. 2. Tomo II.

(c) STUMPF Schw. Chron. fol. 418. seq. SIMLER de Republ. Helvet. p. 32. LANG. Helvet. Cathol. p. 332. sqq. 1083. sqq. Tomo I. MABILLON. Annal. Benedict. T. II. p. 351. seq. T. III. p. 251. BUCELINUS Chron. Constant. p. 139. Germ. Sacræ T. II. p. 116. 149. GOLDAST. Alemann. T. I. p. 255. LAUFFER Beschr. Helvet. Geschichten T. II. p. 198.

§. XII. Ad fundatores Rhinovienses ut revertar, *Wolfhardus* quidem circa annum DCCC. vixisse fertur. Obvenit autem mihi charta Regia, anno DCCCLII. exarata, & ex ipsius Monasterii scriniis desumta, quam etiam citatus LANGIUS, sed Germanicam, inde dedit, cui, ut hoc obiter moneam, plura ad manus fuisse video, atque HERGOTTIUS, vir alias satis diligens, attulit. Illic Rex Ludovicus Germanicus narrat, sibi in Concilio Moguntino (*a*) supplicasse Archi-Episcopum Rabanum Moguntinum, Salomonem Episcopum Constantiensem, nec non Folchvinum (Volcuinum) Abbatem Rhinoviensem, ut Monachum quendam Gohpertum, a *Wolvene* nobili Viro de Alemannia tum præsente, cujus avus, pater, & ipse Rhinoviam fundaverint, in Abbatem consensu fratrum monasterii electum confirmet, & Jura Advocatiæ definiat, quod etiam ipse fecerit, uti id latius exponitur. Nos autem tibi totum Diploma, (*b*) uti illud ex authentico accepimus, anecdoton cum credamus,

---

(*a*) Conf. Diploma apud SAMMARTHANOS Gall. Christ. Tomo V. Prob. p. 507. n. 1. ubi hujus Concilii mentio, nec non ANNAL. FULDENS. ad an. DCCCLII. ap. *Freber* Tomo I.

(*b*) *In Nomine Domini & Saluatoris nostri Jesu Christi.* HLudovvicus *divina ordinante Providentia Rex. Quoniam Principem ac Defensorem Ecclesiarum nos fecit Dominus, ne ejus ingrati esse videamur gratiæ, servitium suum augmentare, Ecclesias ditare, bene & opportune constructas defendere, destructas vero nos oportet restaurare. Idcirco notum sit omnibus fidelibut nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter* Rabanus *Metropolitanus Moguntiensis, &* Salomon. *Episcopus Constantiensis, nec non* Folchvvinus *venerabilis Abbas Augiensis cum multis aliis Principibus* in generali Concilio Moguntiæ *celsitudinem nostram adierunt, & quendam nobilem virum de Allemannia nomine* Wolvenc, *cujus Avus & Pater, nec non ipse quoddam Coenobium* Rhinava *nuncupatum, in Alemannia in Pago Turgovve, in Comitatu Adalbami ob Laudes divinas, & regulares disciplinas construxerant, obtutibus nostris repræsentaverunt, humiliter deprecantes, quatenus Monachum quendam nomine* Gohpertum, *quem idem* Wolvene *a fratribus & a se electum dixerat, in praefato Locello Abbatem constitueremus: quod & ita fecimus, ea videlicet ratione, quod Monachos suos regulariter regat, nulli calumniam sine justo judicio inferat, Res Monasterii intus & foris bene ordinet, omnia juxta sapientis Architecti dispositionem decenter, congrue, ac utiliter gubernet. Hic talis, atque sui successores a nullo ejiciantur, nisi tali, quod absit, facinori involvantur, quod Ecclesiastici viri eos inter se non patiantur, tunc primo in generali Concilio Constantiensi vel Moguntiensi justo Con-Regularium Judicio deponantur. Postquam vero aliquis eorum sic depositus fuerit, & de hac luce, quod magis cupimus, migraverit, non aliunde Abbas sibi constituatur, nisi, quod absit, inter illos nullus idoneus inveniatur. Præterea principes supradicti, nobis flebiliter sunt conquesti, quod & nos satis audivimus, & veraciter scivimus, scilicet plerosque eorum, qui Ecclesiarum vocantur Advocati debita potestate in tantum abuti, ut qui deberent esse modesti defensores, impudenter effecti sint rapaces, & injuriosi exactores. Quopropter nostræ placuit providentiæ in præfati Abbatis suorumque Successorum, & fratrum videlicit Monachorum hoc perpetualiter ponere potestate, ut sapientum usi consiliis, ex eis, quos inter potentes Sæculi esse noverint æquitatis, & modestiæ amatores, eligant suo competenter loco, Advocatos & Defensores: nec quisquam omnium sibi hanc curam vel potestatem præsumat vindicare, vel quasi hæreditariam, aut aliquo Jure debitam invadere, nisi quem Abbatis electio, & Monachorum consulta approbatione velint admittere. Cujuscunque autem fidei Abbas ejusdem Coenobii Advocatiam non timet committere, eidem nos & successores nostri, Bannum regale debemus contradere, eo videlicet tenore, ut quandocunque sui commissi prævaricator in rebus vel hominibus, quod vulgo Balmunt dicitur, existat, vel si aliquem Advocatum sive exactorem præter se sine Abbatis permissione sibi uspiam constituat, semel secundo & tertio commonitus, si non emendaverit, statim sine mora, & sine præjudicio Advocatiam*

damus, in margine sistimus, haud nescii, multis illud fortassis interpolatum visum iri, qua de re tamen latius disserendi locus non est.

§. XIII. Anno deinde DCCCLXVI. idem *Wolvene*, aut ejus filius, monasterio antea destructo, ac neglecto, a se restaurato, multa prædia, ac insignem adeo dotem contulerat, quæ omnia Ludovicus Germanicus confirmat, atque locum sanctum in suum, Regis nimirum Jus translatum, Regia Protectione munit, prædiave in Turgovia, ac alibi ei confirmat. (*a*) Inde in aliis Regiis litteris, Abbas Rhinoviensis *Wolvene* nescio quis, insignem donationem Regiam aufert. (*b*) Supra dictam autem Regiam confirmationem, postea firmat, repetitque, Henricus III. anno CIↃXLIX. verba concepta Ludovici nostri referens. (*c*)

§. XIV. Alia porro chartarum Rhinoviensium biga de *Wolvene* aliquo sermonem habens, altera annum DCCCLXXI. altera vero annum DCCCLXXIII. præfert, ubi is Dominus ejusdem loci, qui gregi Dominico præsit, compellatur. (*d*) Is num Abbas, an Advocatus fuerit, jam non disquiro. Plures vero hoc nomine insignes, Rhinoviæ etiam inter Monachos egisse, docent Ephemerides S. Galli, ubi Monachus Rhinoviensis *Wolvene*, pro quo orandum sit, adscribitur. (*e*) Non autem mihi nosse datur, utrum is ad autorum gentem spectaverit, nec ne.

§. XV. Habes ergo Wolvenos, sive Welfones unum aut plures, sub Ludovico Germanico. Et uti id pie creditur, ex Comitatibus Kyburgicis. Fundum hujus de Kyburgiis traditionis equidem non legi, sed & avum Wolveni nostri, qui S. Findanum susceperat, Wolfhardum vocant. (*f*) Ejus filius, aut nepos esse deberet *Wolo*, sive potius *Wolv*, *adolescens*, *Monachus admodum literatus*, *Comitis de Kyburg filius*, *B. Viri Notkeri de sorore Nepos*,

S 3 circa

tiam cum omnibus commodis perdat. Item Advocatus in præfato loco nullum Jus habeat placitandi, vel aliquam judiciariam potestatem exercendi, nisi forte ab Abbate vocatus advenerit, & tunc voluntati, sive petitioni ipsius satisfaciat. Quæcunque autem potens vel impotens Persona hoc statutum bonae memoriæ Caroli Avi nostri, ac piæ recordationis HLudovici Patris nostri, una cum nostra Confirmatione aliqua temeritate transgredi, & infringere præsumpserit, Sexaginta Libras auri, medietatem Palatio nostro, medietatem Abbati persolvat. Et ut hæc Confirmationis nostræ Authoritas nunc, & semper stabilis, & inconvulsa permaneat, manu propria illam firmantes, sigillo nostro consigniri jussimus. Hadebertus Subdiaconus ad vicem Grimaldi Archi-Capellani recognovi. Datum Anno ab incarnatione Domini DCCCLII. Regis X. Indict. XV. Actum Moguntiæ *coram multis Principibus in generali concilio feliciter.*

(*a*) LANG. l. c. p. 333. sqq. ubi verba.

(*b*) IBIDEM, sed iterum in patrium sermonem translato monimento.

(*c*) Extat apud HERRGOTT. Geneal. Habsburg. T. II. p. 120. conf. TSCHUDI Schw. Chron. p. 19.

(*d*) ap. HERRGOTT l. c. p. 44. 46.

(*e*) ap. GOLDAST. Alemann. Tom. I. p. 93. & MABILLON Annal. Benedict. T. II. p. 351.

(*f*) GOLDAST T. I. Alemann. ad vitam S. Findani p. 255. MABILLON Annal. Benedict. l. c.

circa Arnulphi Imperatoris tempora. (*a*) Hic EKKEHARDUS Minimus seculi XIII. scriptor elogium Comitis de Kyburc adjicit, a quo abstinuerat EKKEHARDUS Junior longe antiquior. Utrum ergo huic etymo satis fidei habendum, alii dispiciant.

§. XVI. Nec forte ab hac Guelforum gente arcendus *Wolfleoz* sive *Wolfleon* Constantiensis Episcopus, antea S. Galli Abbas, Eginonis, cui in Episcopatu successit, ex fratre nepos, anno DCCCXIII. (*b*) Satis enim hoc nomen, quod idem est ac *Welf*, huc accedit. Et ex praecipuis vicinis gentibus, Episcopi crebrius desumebantur, uti id etiam in S. Conrado Constantiæ denuo accidit. (§. III.) Hunc vero Wolfleoz BUCELINUS (*c*) *Wolfleos*, *Wolflon*, *Wolfolon*, *Volferon*, diversis nominibus vocat. Quod tamen semper idem est, ac si dicas Wolfle/ Wolf/ sive Wolfhard. Eum ergo Guelfis accensere, quid vetat? In quo tamen ego adeo nihil definio, ut potius ingenue profitear, cum MANLIUS & PISTORIUS, uterque diligentissimus, genus illius nesciverint, (*d*) nec me conjecturis meis nimium tribuere velle.

§. XVII. Quinimo in ipso Burchardo Alemanniæ Duce sub Conrado I. præsumtiones occurrunt, quæ eum a genere Guelfico non fuisse adeo alienum, hariolari sinunt. Videlicet *Burkhardus gentis Alemannicæ nobilissimus*, & *virtutum dote probatissimus*, (*e*) habebat generum Hupoldum. Dicitur gener Comes de Kyburg, uti socer Comes de Veringen. (*f*) Fuisse consanguineos socerum, ac generum, mos illorum temporum in matrimoniis contrahendis credere sinit. Burcardi præcipua sedes *Walevvisvilla*, quam castrum Guelforum originarium fuisse (§. III. seqq.) demonstravimus. Fortassis ergo ipsi Veringii ramus Guelforum, uti id de Kyburgiis (§. X. seqq.) conjicere licuit. Bona etiam harum gentium avita, in hoc terrarum tractu sita.

§. XVIII. Ad alterutrum, Veringensium, aut Kyburgicorum stemma pertinere credendi, Conradi I. Regis ævo florens Comes *Rudolfus*, *Wolfhardi* Comitis pater, & Wolfhardi frater *Henricus*, circa S. Gallum viventes. (*g*) Refert vero WEINGARTENSIS eodem ævo, quo hi in vivis erant, Rudolphi, (S. Conradi fratris, qui circa annum DCCCC. natus est;) filios fuisse *Heinricum*, & *Welfonem*, quorum nomina cum illis filiorum Comitis Rudolfi apud EKKEHARDUM coincidunt. Jam si Rudolfum Guelficum, ut tertio genitum, Conrado aliquantis annis juniorem existimes, vix erit, cur de temporis ratione dubites, & habebis adeo utroque citato loco eosdem Guelfos, quos diu ex VVeingartensi jam noveras.

§. XIX.

(*a*) EKKEHARD. Jun. p. 25. & Minimus C. 27. p. 242. ap. *Goldast.* cit. Tomo I.

(*b*) *Goldast.* l. c. p. 4. 5. & 92.

(*c*) Germaniæ T. 1. p. 5. add. Constantiam p. 142. sq.

(*d*) CHRON. Constant. p. 706. ap. *Pistor.* scriptor. Tomo III.

(*e*) EKKEHARDUS Jun. de Cas. S. Galli p. 19. apud *Goldast.* T. I. Alemann.

(*f*) Chron. Constant. MANLII l. c. p. 740. add. GOLDAST. l. c. post. p. 226. Genealogiam Kyburgicam, ex Cod. MS. veteri Augustano texens. Quæ & apud BRUSCHIUM, HERRGOTTUM, aliosve.

(*g*) EKKEHARDUS Jun. ap. *Goldastum* l. c. p. 19.

(*h*) C. 4. p. 783.

§. XIX. Si hic opponas, Welfones tantum Nobiles & Dynastas, non autem Comites fuisse, jam quidem illud non præcise negabo, qui enim id pote? Sed & Conradus II. Dynasta, & quidem non minoris Abollæ, *qui nullius se subjecerat servituti.* (*a*) Et tamen idem ille Conradus, *parum beneficii* (non ergo nihil) & potestatis de Republica habuit, (*b*) ac ideo Conradus Dux vocatur. (*c*) Quin ipse Welso III., *quidam Comes in Suevia Welf nominatus* (*d*) audit. Nihil ergo impedit, hos, quos adduxi, Comites fuisse. Et domus aliqua in diversos abiens ramos, & Dynastas, & Comites eodem tempore dare facile potest. Nihil ergo ad me hic scrupulus. Potuissent certe Veringii, & Kyburgii Comites cluere, nihilominus vero reliqui Guelfi, in Dynastarum dignatione subsistere.

§. XX. Nolim in his esse prolixior, cuilibet tamen apparebit, cum Guelfos ad Germaniæ Galliæve fines æque relatos videas, (§. II.) eis in Burgundiæ gentibus simul locum esse debuisse, nec tamen ego alium ferme scirem, nisi inter quam proximo situ eorum terras attingentes Comites Kyburgios. Divisas fuisse post annum DCCCC. lineas facile concesserim, & aliud Kyburgios dicendos ac Guelfos, sed tamen idem utrisque contigisse genus ultimum. Nisi forte Kyburgii interdum plane etiam Guelfi dicti. Sed de his docebunt chartæ Rhinovienses sequiores, & Sangallenses, quæ nondum in lucem editæ sunt; & fortassis etiam Salemitanæ. Certiores vero Probationes atque ego dedi, hic exigere fere non licet, quin curatiores in tanta caligine, nec QUERCETANUS, scrupulosissimus sane, si superesset, exegerit.

§. XXI. *Hildegardim* etiam Suevorum Nobilissimam, Immæ filiam, a Gothefrido Suevorum Duce descendentem, Guelfis itidem accenseri video, quam URSPERGENSIS *Ethiconis* filiam perhibet, postmodum Ludovico Pio nuptam, cum Caroli M. conjugem sciamus. (*e*) Puto lineam hic in describendo omissam, cum *Henricus* Hildegardis frater, qui illic recensetur, ad Juditham Augustam non quadret, nec Urspergensem errasse facile dici queat, præprimis in re, quae alias haud improbabilis videtur. THEGANUS certe Suevam eam vult, volunt & alii. (*f*) Et otium nobis hic fecit SCHMINCKIUS, (*g*) qui late eam Suevam fuisse, contra BLONDELLUM deduxit. Alios vero cumulare longum foret. Qui autem de Hildegardi latissime commentatus est BRUSCHIUS, (*h*) eam Sueviæ Ducem vocans, meras texuit nugas,

(*a*) SIGEBERT. Gemblac. ad an. 1024. ap. *Pistor.* p. 127. ed. *Mirei*, SYLVIUS, p. 783. T. II. in chron.

(*b*) WIPPO de Vita Conradi Sal. ap. *eund.* T. III. p. 464.

(*c*) LABBE Bibl. MSt. T. I. Sect. V. in vita B. Adalberonis a coævo conscripta p. 675. Conf. HAHNII de ortu Conradi II. p. 59. citatos.

(*d*) WIPPO l. c. p. 473. Adde ANN. ASTRONOMI anno DCCCIX. ubi *Welfo Comes Nobilissimus* pater Judithæ.

(*e*) Chron. p. 209. ed. novæ, sub Lothario Saxone anno MCXXVI.

(*f*) THEGANUS c. 2. p. 70. ap. *du Chesne* & *Kulpis*. EGINHARDUS c. 18. ap. *Reuber*.

(*g*) Ad Eginhardum c. 18. p. 90.

(*h*) Monaster. Germ. T. I. p. 89. seqq.

gas, quem in multis, sed non omnibus PETRUS sequitur. (a) Ut adeo ego satis proclivis in hoc sim, ut Hildegardim Guelfam existimem, præprimis cum Ludovicus Pius, ob hanc conjunctionem, ex eadem gente sibi secundam thori sociam petiisse videatur. Moris enim erat fere, consobrinos inter se jungi, quod necdum Henrici S. ævo (b) tolli potuit, haud dubie tamen prævia dispensatione. Cæterum ex KOELERO, BUNAVIO, & reliquis, ultimo loco dictis similibus rerum Germanicarum Historicis, plura de Hildegardi disces. Latius itidem de Hildegardis genere, cunctis adductis autoribus disceptarunt, & eam circa lacum Potamicum, imo ex Guelfis natam deduxerunt CAMPIDUNENSES, (c) qui nos multo labore levarunt. Cum autem Immam Reginam in ACTIS SANCTORUM (d) magnarum ditionum hæredem dici cernam, monebo tantum, inter vetera Guelforum bona *Immenstadium* castrum, & villam adhuc hodie cerni, (e) Juris Comitum Kœnigsekiorum effectam. Sed hæc atque alia iis, quorum id negotium est, trutinanda relinquentes, Lectorem dimittimus, si non satiatum aut convictum, nihilominus cogitabundum.

(a) Suevia Eccles. p. 225. seqq.

(b) VITA ADALBERONIS Metensis aqud *Labbe* Bibl. MSta p. 674. sq.

(c) Rettung der Stadt Kempten Immedietæt 1731. p. 14. & Stifft. Wiederlegung 1737. itidem p. 14. sqq.

(d) Vol. VI. ad diem XXX. Apr. in vita ejus.

(e) ZEILER Topograph. Suev. p. 99. & Addit. p. 56.



DISSER-

DISSERTATIO XII.

NONNULLA DE WELPHORUM ET HOHENSTAUFFIORUM NECESSITUDINE

SPECIATIM DE JUDITHA LUDOVICI PII CONJUGE, REGIBUS BURGUNDIÆ WELPHIS ET FRIDERICO SUEVO, HENRICI IV. SOCERO.

§. I.

ET Welphi & Hohenstauffii e veterrima prosapia orti sunt. Non est tamen non fatendum, de Welphis antiquiora vestigia superesse, quam de Gibellinis, qui postea summum in orbe imperium obtinuere.

§. II. Cui enim ignotum est, Juditham Ludovici Pii alteram uxorem e Welphorum stemmate fuisse oriundam? Non credimus, feminæ hujus nomen dedecori futurum nobilissimæ, quæ superest, stirpi: utut me non latet, quid in ejus opprobrium excogitaverint privigni, nonnullique e præsulibus, qui obnixe omnia faciebant, ut Ludovicum Pium ludibrio civium suorum exponerent, & Caroli Calvi matrem tanquam leve scortum fuscis coloribus depingerent.

§. III. Saltem *Theganus* Trevirensium Chorepiscopus ejus ætatis scriptor impios appellat filios Imperatoris tali convicio posteriorem Ludovici Conjugem maculantes. *Supradicti*, inquit, *impii objicientes ei multa contraria dixerunt, Judith Reginam violatam esse a quodam Duce Bernhardo, qui erat de stirpe regali & Domini Imperatoris ex sacro fonte baptismatis filius, mentientes omnia.*

§. IV. *Agobardus* vero Lugdunensium Archiepiscopus in *Apologetico pro filiis Ludovici Pii adversus Patrem* tanta confidentia de libidinibus Augustæ perorat, ut mirari non subeat, perplures eam, quasi agmine facto, calumniis proscidisse, & indigna atque nefaria feminæ serenissimæ impegisse. Quid enim audacius his verbis fingi potest? *Igitur cum prædictus Dominus & Imperator quietus esset in domo, & florens in Palatio suo, cum adhuc juvenem conjugem sub sui reverentia custodiret, & secundum Apostolum, uxorium debitum ille persolueret, in processu vero dierum, cum cœpissent hac primum tepescere,*

deinde frigescere, ac per hoc & mulier resolvi in lasciviam, cessantibus licitis conversa, immo adversa ad inlicita, adscivit sibimet aptas personas ad perpetranda turpia, & primum latenter, deinde impudenter. Cognoverunt autem hoc initio pauci, deinde plures, ad postremum autem multitudo palatii, & regni ac finium terræ. Quam rem irridebant minores, dolebant majores, omnes autem clari viri intolerandum judicantes. Concitati itaque sunt spiritus filiorum Imperatoris rationabili Zelo, videntes maculatum stratum paternum, sordidatum palatium, confusum regnum, & obscuratum nomen Francorum, quod hactenus clarum fuerat in toto orbe.

§. V. At probe tenendum est, *Agobardum*, multis licet animi dotibus conspicuum, nonnihil humani hac in caussa fuisse passum. Amplectebatur is multo affectu Lotharii partes & inter incentores belli parricidalis fere præcipuus erat: quo pessimo facinore eum illustria sua facta ingentesque virtutes haud parum commaculasse *Stephanus Baluzius* (*a*) vir clarissimus ingenue adfirmat. Ex eo autem satis elucet, non posse hominem partibus infectum veritati congruens testimonium perhibere.

§. VI. Magis speciosum videri posset, quod e fragmento *Odonis Ariberti* (*b*) adfertur, Carolum Caluum Judithæ filium *os Bernhardi retulisse, a quo is genitus vulgo credebatur, natura adulterium maternum prodente.* Addit idem *Aribertus*, Carolum postea Bernardum non tantum crudeliter manu propria interemisse; verum etiam pede calceve percutientem inclamasse: *Væ tibi, qui thalamum patris mei & domini tui foedasti.*

§. VII. Sed nullum mihi dubium hæret, quin tota hæc narratio sit splendide conficta. Non fit verisimile, Carolum fuisse adeo improvidum, ut seipsum utcunque genitum publice pronunciaret, ac, matris fama conspurcata, labem dignitati suæ ipsemet adspergeret.

§. VIII. Id non nego, Carolum trucidasse Septimaniæ Ducem ac Barcinonæ Comitem: hoc perspicue ex aliis quoque scriptoribus, inprimis *Fuldensibus annalibus* cognitum est, at talia Regem verba emisisse, cum exanimem calce feriret, difficillime credo.

§. IX. Primarium accusationis caput illud erat, Imperatricem fuisse pulchram & blandam, atque in familiaritate nimiam, lusionibus indulgentem, luxui deditam. Ea potissimum Agobardus compilavit, ut imperitioribus fumum venderet, & exclamationibus ac dictis scripturæ incondite coacervatis tragoedias excitaret. At parum felices feminæ forent, si, quibus formæ venustas contigit, suspicione vulgati corporis onerarentur. Diu est, cum illud Biantis, aut Antisthenis dilemma vapulat, *aut pulchram duces, aut deformem,* cetera. Multo minus comitas aut urbanitas in vitium verti potest. Miseri etenim Principum feminarum conditio esset futura, si, quas humanitas & mira comitas commendat, opinione adulterii infamarentur. Fac, Juditham severiori vultu suos respexisse, & agrestem & sævam, & superbam forte turbulenti homi-

(*a*) In not. ad *Agobardum* p. 5.

(*b*) Conservavit nobis hoc fragmentum *Guilielmus Masnavius* Senator Tholosanus, idque cum *Stephano Baluzio* pro singulari sua humanitate communicavit, quem propterea in notis ad Agobardum p. 129. merito prædicat.

homines dixissent. Adeo iniqui sunt sacerdotes, si communione imperii excludantur, & ad vitæ sanctimoniam eos regnantes cohortentur. Si quid video, nemo rectius Imperaticem *Petro de Marca* (*a*) defendit. Nam cum exprobrationem Reginæ Ludovici Conjugi, quod Bernhardo nimium fuisset addicta, retulisset, ita tandem concludit: *Odio quæsitus color Bernbardi cum Juditha familiaritas, quam in perversum interpretabantur, cum tamen ex muneris palatini necessitate sequeretur, tum quia Bernhardus datus erat Rector Carolo.* Ipse Nithardus Caroli Magni nepos, qui de dissensionibus filiorum Ludovici integrum volumen concinnavit, non aliam inimicitiæ caussam adfert, quam Bernhardum *secundum ab Imperatore effectum potentia atque*, ut ille loquitur, *Republica esse abusum.* Hoc istud Eridos pomum fuit. Lotharius Pipinus, Ludovicus ferre non poterant, ut Dux Septimaniæ magnorum negotiorum adjutor esset, & imperii consortium affectaret Juditha. Hinc calumnia excogitata: *si quis dubitat an meretrix esset, audiat quam blanda sit.* At satis perspicuum aliunde est, Camerarii munus, quo fungebatur Bernhardus, Reginæ in palatio officiis fuisse quadantenus confine. Exponam id *Hincmari* ex libro *de ordine palatii cap. XXII.* verbis: *De honestate vero Palatii, seu specialiter ornamento regali, nec non & donis annuis militum absque cibo & potu vel equis, ad Reginam præcipue & sub ipsa ad Camerarium pertinebat; & secundum cujusque rei quantitatem ipsorum sollicitudo erat, ut tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid, dum opus esset, opportuno tempore defuisset. De bonis vero diversarum legationum ad Camerarium aspiciebant, nisi forte jubente Rege tale aliquid esset, quod Reginæ ad tractandum cum ipso congruet.* Unde clarum fit, quæ falsi rumoris occasio fuerit. Ad quod cum accederet Imperatoris conatus Carolo regnum destinantis, actum sane de ipsius pudicitia fuit, actum de egregiis moribus, quibus ornatam *annales Metenses adseverant*, eamque ut *sapientiæ floribus optime instructam* ad annum IↃCCCXXIX. satis candide celebrant.

§. X. Quæ cum ita sint, non dubito profecto, a Patre Judithæ *WELPHONE* gloriosissimæ gentis initium ducere, ex quo tot Galliæ ac Burgundiæ Reges, tot Principes utriusque sexus nobilissimi genus ac sanguinem trahunt. Etsi enim longe antiquior Guelphorum prosapia est; tamen cum ab hoc demum tempore certa annales suppeditent, & indubitata monimenta supersint, antiquiora & incerta merito prætermittimus. Ipse *Monachus Weingartensis*, qui de Welphis Principibus plurima memoriæ prodidit, altius non adscendit, sed a Welphone Patre Judithæ insit, cujus *Chronicon* post *Canisium* denuo atque curatius recudi celeberrimus *Leibnitius* jussit. Et hujus autem Judithæ fratres Conradus erant & Rudolphus, quos ex aula Imperatoria sublatos monasterio incluserunt contumaces Ludovici Pii filii, donec, reducta concordia, illi etiam libertati (*b*) redderentur.

§. XI. Eorum posteros antequam referam, monendos existimo Lectores, ne equitis filiam Juditham existiment, aut minorem dignationem Welphis adscribant. Tollam istud dubium illustris Leibnitii verbis: *Guelfi antiqui, sive ex Alemannis, ut veteres scribunt, sive ex Agilolfingis, vetustis Bajoariorum* Rectori-

(*a*) Marcæ Hispanicæ lib. III. cap. XXIII. §. 3.

(*b*) Ita enim auctor vitæ Ludovici Pii ad a. 830. *Misit interea in Aquitaniam conjugemque revocavit fratresque illius Conradum & Rudolphum jam dudum adtonsos.*

Rectoribus, ut quibusdam viris doctis placet, olim in Suevia & Bavaria hereditarias nullique feudorum legi obnoxias ditiones habuere, quæ tunc insignis prærogativa habebatur: usque adeo, ut quidam ex illis Ethico indignaretur Henrico filio, quod insignem terrarum tractum sub homagii conditione Imperatoris beneficio recepisset. Principes ergo habebantur etiam, qui Duces Comitesque (quod feudale erat) non appellarentur, qui tamen domum suam aliquando Regio more per ministeria Comitum, vel his æqualium regebant, ut de Guelfis habet scriptor, quem damus.

§. XII. Inprimis vero Conradus Judithæ frater memorandus nobis est, cujus filius Hugo Abbas & Conradus Junior Burgundiæ Trans-Juranæ rector, a quo Rudolphus descendit, primus post Caroli Crassi abdicationem Burgundiæ Rex. Ut enim ita sentiam, sequentes rationes pervincunt testimoniis veterum firmatæ. Vocatur quippe Rudolphus *Conradi* filius; vocatur *Hugonis Abbatis* nepos. Hugo Abbas autem, qui tot fortibus ausis immortalem nominis gloriam consecutus est, non Caroli M. filius naturalis, sed Conradi & Adelheidis (a) Ludovici Pii filiæ justo matrimonio natus fuerat: quod sequens *Herici Monachi de Miraculis S. Germani Episcopi Antisiodorensis* Lib. II. cap. V. locus probat: *Robusta diligentia confectum opus; multisque opitulante DEO sæculis duraturum CHONRADO* (b) *Principi & ejus jugali benignissimæ immortalem de cætero ferret memoriam meritorum, quorum primam & incomparabilem in nos locumque nostrum ex animo benevolentiam, posteritatis quoque illorum hæreditaria devotio comprobavit. FILII scilicet æquissimorum parentum & probitati & pietati, quam simillime respondentes, quibus ultra omne, quod humanum est, idem locus & animo, sed & indicibili amore charissimus evidenter apparuit - - Is est Hugo, ut absque assentationis fuco verum fatear, & nomine & officio Abbas,* (c) *de quo quicquid dixero, longe infra meritum ipsius est, præstatque de eo silere per omnia, quam parum dicere; neque enim quicquam de illo tunc tractandum suscepi, nisi quod eximia proles egregiis manans genitoribus hos quam simillime, tum dignitate, tum moribus repræsentat: eo factum est, ut paternis, annuente Deo, suffectus honoribus, avitæ memor gloriæ & potestatis, & probitatis patriæ robustissimus hæres existat beato protegente Germano.* Hericus autem Caroli Calvi ætate vixit & Episcoporum Antisiodorensium res gestas monitu Lotharii Caroli Calvi filii litteris consignavit. Vir fuit doctus, Remigii præceptor, *Theosophus simul & Monachus*, quo postremo elogio ac nomine eum *Wala* Episcopus Antisiodorensis compellat. Debemus hæc acta *Joanni Philippo Labbeo* Societatis Jesu consorti, qui primus ea in *Bibliotheca MS. nova* Tom. I. in lucem produxit.

§. XIII. Idem *Hericus* Lib. II. cap. II. perspicue ostendit, Conradum seniorem fuisse Adelheidis maritum, Collegam regni Caroli Calvi. Quod ne dubium maneat, ejus verba referemus. *CHONRADUS Princeps famosissimus,*

(a) Mirandum est. *Danielis* elegantissimam historiam nihil hujus rei tradere, sed vulgaribus erroribus locum relinquere.

(b) Est hic Conradus junior, quod probe observavit in *Indice* Labbeus, simulatque ex sequenti vocula FILII elucet.

(c) Habuit hic Abbas Hugo fratrem Welphonem, generis præclari, unde ortus, indicem, Abbatem Centulensem, quem Ludonicus Balbus *consanguineum* suum merito vocat. Attinebat enim eidem tum aviæ intuitu, tum proavi, quo nata est Adelheidis mater Welphonis nobilissima.


mus, Collega Regum, & inter primates aulicos apprime inclytus, per id temporis regia munificentia maximus & sua nobilitate condignis fulgebat honoribus: conjux illi erat ATHELEIS nomine, primorum & ipsis natalium perinde titulis gloriosa, quippe quæ avita antiquorum procerum oriunda propagine splendorem generis augustissimæ æquiparabat stemmate dignitatis (a) Junxerat hos cum conjugii charitas, tum socialis gratia probitatis, fortunarum amplitudinem & religionis in Deum & moderationis in sæculum cultibus exæquantes: elucebat mira in personis sæcularibus officiositas, ingens devotio, inexplicabilis fidei magnitudo, ut difficile judicare sufficeret, uter eorum in Religionem pronior, in sanctos ferventior, in pauperum indigentiam copiosior appareret; ita se pietatis certabant officiis prævenire, cum fastigio dignitatis, tum etiam virtutis æmulandæ studio omnibus potiores.

§. XIV. Rudolphum autem Conrado fuisse genitum *Annalium Fuldensium* testimonio demonstramus: *Rudolphus vero filius Chonradi superiorem Burgundiam (b) apud se statuit retinere.* Eundem Rudolphum Hugonis Abbatis fuisse nepotem, Regino ad an. IↃCCCLXXXVIII. indicat: *Per id tempus* T 3 *Ru-*

(a) Posset aliquis animum inducere, ita *Adelheidis* describi genus, ut a Ludovico Pio non videatur descendere: sed fit credibile, *Hericum* adfirmare, fuisse eam ortam, matris respectu antiquorum procerum stirpe, quem splendorem eadem *Augustissima dignitatis stemmate æquiparasset*, hoc est, cum summa dignitate conjunxisset. Joannes Mabillonius Lib. VI. de *Re diplomatica* ambiguis verbis seductus noluit Adelheidem Ludovici filiam appellare: at in *annalibus Benedictinis* Tom. IV. sæpe id facit sæpius: quod indicio est, eum priori opinioni repudium misisse.

(b) Superior Burgundia dicitur: sed quæ continuerit illa, exacte vix intelligitur. Aliquid *Hadrianus Valesius* vidit *in notitia Galliarum.* Et caue putes, comprehendisse omnia, quæ hoc sub regno postea sunt comprehensa. Saltem ne credas rogo, *Reginonem* omnium curatissime Burgundiam Rudolphi signasse, quando *Jura* & *Alpibus Penninis* conclusit: scimus, longius quod constituebat, regnum ab eo fuisse porrectum. Id moneo, inprimis Episcopos esse considerandos & civitates vel Rudolphum agnoscentes, vel Bosonem. Hoc *Sirmondus* fecit, cum Tom. III. Concil. Gallic. p. 496. Bosonis regnum delinearet; idem *Valesius* cum Rudolphi I. At expendendum quoque non sine cura, quæ fortunis Rudolphi II. accesserint, cum hic Italiæ regnum Hugoni relinqueret Caroli Constantini Tutori: quæque itidem acceperit Conradus Mathildam Lotharii Francorum Regis Sororem matrimonio sibi copulans: ut varias denominationes silentio prætermittam, quas accepere Burgundiæ partes, cum una inferior, altera superior, tertia media diceretur, hæcque Trans-Jurana, illa Cis-jurana, immo Cis-alpina, & Transalpina audiret, & rursus alia majoris, alia minoris Burgundiæ nomine insigniretur. Meum jam non est, expedire omnia, quamvis haberem nonnulla. Ἐν παρόδῳ moneo, non esse, quod quis sibi grandia polliceatur de *Alphonsi Delbene* Episcopi Albiensis ac Domini Albiæ tribus libris *Regnum Burgundiæ Transjuranæ* & Arelatis describentibus. Scatent omnia erroribus, ac præter orationes ineptas fere nihil est, quod magnificas impleat pagellas. Pæne oblitus essem, Rudolphum II. nonnulla ex Allemanniæ pagis suæ ditioni adjecisse: unde Regis Allemanniæ titulus, quo eum usum in libro singulari de Henrico Aucupe ostendi. Alibi scripseram, Rudolphinum regnum ad Isaram usque excurrisse, quod aliquibus displicuisse video. Verum non intelligimus Isaram Bavariæ, sed quæ Rhodano miscetur: quod ut perpendant contra nitentes æquum est, antequam in arenam descendant.

Rudolphus filius Conradi, nepos (a) Hugonis Abbatis (de quo supra meminimus) provinciam inter Juram & Alpes Penninas capit, & apud S. Mauricium accitis secum quibusdam primoribus & nonnullis sacerdotibus coronam sibi imposuit, Regemque se appellari jussit. Unde nunc extra dubitationem ponitur, Rudolphum Burgundum fuisse Welphum, eodemque, quo Juditha, genere ortum. Subjiciam schema (b)



§. XV. Quibus constitutis consequitur jam, ut secunda Ottonis Magni uxor Adelheidis ad Welphorum itidem genus pertineat. Fuit enim Rudolphi II. filia. Nec ambigo, quin ea in memoriam uxoris Conradi senioris Adelheidis nomen acceperit. Quod autem Adelheidis patrem habuerit Rudolphum II. Burgundiæ & Italiæ Regem ac Bertam Reginam matrem itemque fratres Conradum Regem Burgundiæ, Burchardum Episcopum Lausannensem, deinde Lugdunensem Archiepiscopum, & Rudolphum Burgundiæ Transjuranæ Ducem charta fundationis Monasterii Paterniaci, quod in Pago Bernensi invenitur, ad oculum docet, ubi Berta Regina declarat, *se Paterniacum oppidum, cum omnibus rebus ad ipsum pertinentibus donare S. Mariæ Sanctisque Petro, Johanni, Mauricio, ac sociis ejus, & illis sanctis, qui in illo loco requiescunt, consentientibus filiis suis, Conrado gloriosissimo Rege, & Rodolfo duce, pro anima Rodolphi Regis & filii sui Bernhardi Episcopi atque Ottonis Gloriosissimi Regis, nec non pro anima filiæ suæ Adelheidæ, & filiorum suorum Conradi Serenissimi Regis & Rudolphi Ducis: ea lege, ut in honore sanctæ Mariæ & prædictorum sanctorum illic regulare monasterium constituatur, ibique monachi juxta regulam beati Benedicti viventes congregentur, qui ipsas res possideant, & ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fideliter frequentetur, conversatioque cælestis omni desiderio & ardore intimo perquiratur, sintque ipsi monachi cum omnibus præscriptis rebus sub potestate & dominio Magoli abbatis.* Post

(a) Non est opus probatione, nepotem significare filium ex fratre. Luculentis & pluribus testimoniis id ostendit *Cangius in Glossario*, quem, qui dubitant, legant. Sed facit tamen ejus significationis ignorantia, ut nescio quem Hugonem Abbatem fingerent, filiosque eidem tribuerent, ut Rudolphus nepos tandem emergeret.

(b) Potuissem sine negotio recensere aliorum errores, si operæ pretium existimassem. At, veritate in lucem protracta, tenebræ evanescunt omnes. Si quid addi deberet, caussæ errorum forent adjiciendæ. Verum terminos certos præsenti dissertationi præfiximus, quos eam ob rem non credimus movendos.


Post cujus decessum monachi libertatem habeant eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Ad hæc, ut singulis quinquenniis Romam decem solidos mittant ad concinnanda luminaria: sicque tuitionem sanctorum Apostolorum habeant, & Romani Pontificis defensionem. Data in die Martis, Kalendis Aprilis, anno XXIV, regnante Conrado Rege. Actum vero Lausana civitate.

§. XVI. A Conrado Burgundiæ Rege Gerberga sanguinem traxit Giselæ mater, Hermanni Sueviæ Ducis conjux: quod quum a multis probatum fuerit, uno *Wippone* teste erimus contenti. *Superbos*, inquit, *dilecta Regis Conjux Gissela prudentia & consilio vicit, cui pater erat Herimannus, Dux Alemanniæ, Mater ejus Kerbirga, filia Conradi Regis de Burgundia fuit.* Gisselæ hujus intuitu Conradus Salicus regnum Burgundiæ imprimis ambivit, idque, post Rudolphi ignavi excessum variasque turbas coortas, tandem consecutus est: proceribus plerisque ad saniora consilia redeuntibus.


§. XVII. Uti vero progenies masculina CONRADI senioris Conradi Salici ætate extincta est; ita etiam alterius fratris ETHICONIS Parentum possessiones circa Lacum Bodamicum obtinentis prosapia cum Welphone III. Carinthiæ Duce eodem fere tempore exaruit. Unde Cuniza, seu Kunegunda, soror ei in patrimonialibus successit, atque Azoni Magno Liguriæ Marchioni nupta novæ stirpi ad summos in Germania honores evectæ initium dedit. Non est dubium, ab Ethicone Welphos posteriores omnes in Saxonia & Allemannia sanguinem ducere. Id Historia de *Guelphis* ac *Chronici Weingartensis* Scriptor perspicue docent. Recentiores Rudolphum indicant Judithæ fratrem; sed destituuntur veterum testimoniis, ac tabulis ad probandum necessariis.

§. XVIII. Mirandum est, ignorasse Ferrariensis Historiæ scriptores, Azonem, seu Albertum Kunegundam in matrimonio habuisse. Ipse *Gaspar Sardi*, qui nobis Ferrariensium Ducum res gestas Italico sermone descripsit, tenebras hic offundit, & nescio quas conjuges dicto Alberto adsingit: ut *Pignam* silentio prætereain. *Monachus Weingartensis* vero eum quidem Estensem Marchionem appellat; sed vox *Estensis* in Canisiana editione glossematis loco habenda videtur. Ceterum aliunde illustris *Leibnitius* certis argumentis comperit, Welphos ab Azone oriundos Atestini stemmatis esse. Id nobilissimus auctor in *epistola* Italico simulatque Gallico idiomate conscripta de *connexione serenissimarum familiarum Brunsuicensis & Estensis* clarum reddidit: ita ut nunc, Guelphis prioribus relictis, adfirmare pro certo liceat, Kunnizæ filium Welphum extitisse primum post Ottonem Goettingensem exauctoratum Bavariæ Ducem. Ferrarienses Duces vero, utut ab Azone orti, aliam tamen matrem agnoscunt. Fuit illa Ermengarda Hugonis Cenomanensis Comitis filia. Hac nati sunt Fulco & Hugo. Fulco Azonis & Ermengardæ filius natu major, *Orderico Vitali* Historiæ Ecclesiasticæ scriptore adfirmante, *patris honorem in Italia possidebat:* a quo Ferrarienses & Mutinenses Duces hodierni descendunt, de quibus præclara collegit *Imhoffius* vir summus. Ne oblivioni tradatur res omnis, subjicio schema:

Azo



§. XIX. Sed ita vero Henricus IV. qui, uti ostendimus, itidem e Guelphorum prosapia permanavit, Guelphorum posteriorum fortunam ad majorem auctus deduxit: quemadmodum idem Hohenstauffiis, qui ad id usque tempus incogniti pæne fuerant, nonnihil decoris atque lucis addidit. Quæ omnia, ut penitius intelligantur, faciam, ut altera pars stemmatis Rudolphini cum Germanica Welphorum ac Francorum Suevorumque connectatur.



§. XX. Ea genealogia rite ordinata facile nunc est ad demonstrandum, Welphum Kunegundæ filium Henrici IV. Cæsaris beneficio Ducatum Noricorum, hoc est, Bavariæ obtinuisse. Lamberti Schaffnaburgensis hanc in rem testimonio utar. *Rex*, ait ad annum MLXXI. *natalem Domini Goslariæ celebravit. Ibi per interventum Rudolphi Ducis Suevorum, Welf filius Azonis Marchionis Italorum, Ducatum Bavariæ suscepit. Is filiam Ottonis Ducis Bajoariorum uxorem duxerat, & per jusjurandum altera jam vice matrimonio fidem dixerat. Quamdiu itaque res tranquillæ erant, quamdiu etiam temere coeptum sine grandi permutatione rerum sedari posse sperabat, maritalem uxori affectum & honorem deferebat, & causam Soceri, quantum poterat, armis & consiliis tuebatur. At ubi animadvertit, latam in eum esse sententiam, & bellum iracundiamque regis magis indies adversus eum crudescere, leges omnes vinculaque omnia,*

omnia, quibus vicissim propinquitatem firmaverant, abrupit; satius putans, perjurii crimen & violatæ fidei verecundiam sustinere, quam res suas florentissimas desperatis ac perditis ejus rebus admiscere. Et primo in tam trepidis rebus petenti auxilium denegavit, deinde filiam ejus a complexibus suis & tori & consortio segregavit, patrique remisit, postremo ad ipsum ejus ducatum occupandum omnem operam intendit, parum pensi habens, quantum auri, quantum argenti, quantum redituum ac possessionum suarum dilapidaret, dummodo, quod cupiebat, assequeretur. Directus est ergo dolus in manu ejus & potuit & invaluit, cunctis detestantibus, quod clarissimam atque inopinatissimam in republica dignitatem tam fatua ambitione polluisset. Auctor historiæ de Welphis principibus Welphoni Bojo Juditham Conjugem, filiam Balduini Comitis Regi Angliæ ante nuptam tribuit, e qua Welphum famosæ Mathildis alterum maritum & Henricum nigrum genuerit. Similiter in Codice quodam pervetusto Monasterii Weingartensis eadem Juditha Regina Angliæ nominatur. Sed veretur Mabillonius *Annal Benedict.* Tom. V. p. 339. ne non sit Angliæ Regina. Ego vero vix dubito, potuisse eam hoc nomine appellari. Saltem id solidis argumentis demonstratum dedi peculiari hanc in rem conscripta dissertatione, quam in *nova Bibliotheca* part. XL. n. 3. invenias, & ni displiceat, evoluas.

§. XXI. Magis nunc necessarium scitu est, quis fuerit Fridericus Hohenstauffius, cui Henricus IV. Sueviæ Ducis honorem perbenigne est largitus. Et nemo vero melius ejus genus atque originem *Ottone Frisingensi* depingit, quem propterea audiamus: *Ea tempestate*, inquit Lib. I. de gestis Friderici cap. VIII. *Comes quidam Fridericus nomine, ex nobilissimis Sueviæ Comitibus originem trahens in castro Stoyphe dicto coloniam posuerat. Hic cum esset consilio providus, armis strenuus, ad Curiam Imperatoris adsumtus - sic eum alloquitur: (HENRICUS) Virorum optime, quem inter omnes in pace fidelissimum*, & in bello fortissimum expertus sum. - - - - *Filiam quippe, quam habeo unicam, Tibi in matrimonio sortiendam tradam, Ducatumque Sueviæ, quem Bertoldus invasit, concedam. Sic itaque prædictus Fridericus Dux simul Suevorum & gener Regis factus ad propria rediit &c.* Bina hic excutienda sunt; primum, quodnam nomen fuerit gnatæ Henrici? secundum, ubi castrum Stoyff, seu Stauffense sit quærendum? Et patet primum e litteris fundationis Monasterii Loricensis, quod exstruxit Fridericus Suevus, & in quo Hohenstauffii Principes maximam partem sunt sepulti. Recitabo litteras: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Fridericus divina favente clementia Suevorum Dux & Francorum &c. omnibus Christi nostrisque fidelibus tam futuris, quam præsentibus notum fieri volumus, quatenus ego Fridericus & uxor mea AGNES cum duobus filiis nostris Friderico scilicet & Conrado ob remedium animarum omnium parentum nostrorum virorum & in Domino quiescentium tempore Hermanni Augustensis Episcopi, Gebhardi Constantiensis Episcopi, Joannis Spirensis Episcopi, Eunehardi Wirzeburgensis Episcopi per religiosorum ac nobilium laicorum manus Domini Henrici de Vellenberg, Domini Wittonis de Groningen Abbatiam quandam Loricha Beato Petro Principi Apostolorum eo tenore, ut in singulis annis aureus nummus ad supplementum vestitus Apostolici destinatus, ab ipso loco persolvatur, juste & libere tradidimus; hoc quoque addita conditione, ut quisquis nostra cognationis Senior extiterit, defensor & Advocatus præfati loci permaneat. Si vero, quod absit, invasor vel damnosus fuerit, advocatia privetur, & vir discretus in locum suum substituatur. Hoc etiam firmissime statuimus, ut cum Abbas ejusdem loci de hoc seculo migraverit, alter ejusdem cœnobii Monachus libera electione eligatur; si autem ex ipsis satis condignus nemo invenitur, consilio comprovincialium Abbatum illius de Hirsowa, de Camberg,* &

& de Swifalta idoneum eligant. Praeterea decrevimus & firmiter Dei ex parte interdicimus, ut nullus amplius Abbas bona ejusdem ecclesiae conquisita vel conquirenda aliqua temeritate inductus vel violet, vel diminuat, hac tantum caussa excepta, ut si aliquis Principum aut Dominorum virum aut mulierem cum bonis illorum eidem Abbatiae juste & libere dederit, ipsi dantes humiliter reposcentes bona cum illis data in beneficium recipiant. Tempore vero Domini Henrici quarti Imperatoris haec facta sunt, ut nullus deinceps Imperator, nullus Episcopus, nullus Dux, vel Marchio, nullus Comes, vel Advocatus, nulla prorsus persona magna, sive parva bona praenominatae Ecclesiae inquietare, molestare, disvestire audeat. Quod ut verius esse credatur, & ab omnibus inviolabiliter conservetur, hanc privilegii chartam nostro sigillo insigniri jussimus. Anno Dominicae incarnationis millesimo, centesimo secundo, indictione decima quinta, Nonis Maji, quae est inventio S. Crucis, quae illo anno occurrit in Sabbato. Haec acta sunt in Christo feliciter. Amen.

Alterum vero, nempe situs Stauffensis castri, in obscuro amplius latere vix potest, si intelligamus, quo loco inveniatur cœnobium Loricense. Ac consentiunt in eo ad unum omnes, in Suevia istud prope Stauffam inveniri; quod oppidum a Stutgardia haud procul distans Wurtenbergenses post funesta Conradi fata, consentiente demum Rudolpho Habspurgico, suo patrimonio adjecerunt. Observavit hoc HENRICUS PETRI in *Suevia sacra*; non obscurum id fuit BESOLDO in *monumentis Wurtembergiae redivivis*; suboluit idem MABILLONIO; ita ut nunc quidem nullus dubitationi locus sit, Stauffam cum castro, quod *Hohenstauffen* appellarunt, non in Alsatia, aut Brisgovia, sed Wurtenbergensi territorio inveniri.

§. XXII. E dicto diplomate elucet itidem, Agnetis filios fuisse Fridericum Coclitem, Barbarossae patrem, qui Henrici Nigri filiam matrimonio sibi junxit, & Conradum III. qui cum Henrico Superbo capitales inimicitias exercuit, nec, donec dejiceretur, quievit. Dolendum est, non potuisse Stauffenses & Welphos Principes, tot necessitudinibus devinctos, in unum conspirare: habuit utraque gens viros longe fortissimos; sed fecit ambitio, fecerunt mutuae injuriae, ut una alteri vel sanguine parentaret, vel per insidias & mille technas perniciem intenderet. At vicit tandem Welphorum fortuna: periere Gibellini, nec mascula progenies superat: utut familiae permultae tum extra Germaniam, tum in illa originem suam e Suevorum sanguine deriuant. Verum de origine & progressu illarum dissensionum alio loco differam.



DISSER-

DISSERTATIO XIII.

JUDITHÆ WELPHICÆ
AUGUSTÆ FRANCICÆ
ELOGIUM HISTORICUM.

PRÆFATIO.

FUit olim exigua Historiæ Germanicæ dignitas, quod post renatas literas ingenia hominum lacteo Romanorum Græcorumque Auctorum flumine imbuta & saturata, masculos illos patriarum rerum fontes fastidirent, cum simul scriptorum ejusmodi paucitas & exsangue illorum, & elumbe, res gravissimas tradendi genus melioribus assuetos offenderet. Sed postquam animadversum est, exstitisse in media barbarie cum Veteribus comparandos, EGINHARDUM, LAMBERTUM SCHAFNABURGENSEM, GUNTHERUM, alios, superesse eam monumentorum copiam, quæ post tot & tanta Rerum Germanicarum Volumina se exhauriri nondum passa est, in infinita pene Tabularum publicarum multitudine insignem Historiæ Germanicæ partem exstare, nec modo laudi nobis esse, majorum facta non ignorare, sed utile quoque & necessarium, specialium in Imperio Rerumpublicarum origines hic latere, Jura Imperii, Imperatoris, Ordinum his monumentis explicari, vindicari, defendi; tum certatim Summi Viri in hæc studia incubuere, eaque scientiæ historicæ conversio facta est, ut cum antea Græca & Romana ad nostrum imperium nihil plane facientia in deliciis unice haberentur, nunc una aut prima veterum Annalium, Chronicorum, Tabularum sit cura, &, ut Q. MUCII Servium Sulpicium increpantis verba quodammodo immutata in rem meam vertam, turpe sit Viro Germano, & docto, & historiarum studium profitenti res gentis, in qua versatur, ignorare. Quare & Ego, qui Græca & Romana & insignem eorum alicubi utilitatem magni facio, & diligo, & istius mei amoris argumenta nonnulla publice exstare judico, ad patrias res nunc merito accedo, & quid in his valeant humeri, quid ferre recusent, experior, initio ab hac de Juditha Augusta *dissertatione facto.* Elogium *est, res exilis fateor, nec admodum mihi eo nomine plaudo; hanc tamen interea propensissimæ meæ etiam in hanc doctrinæ partem voluntatis tesseram egregio publico offero.*

ELOGIUM.

JUDITHA WELPHICA ILLUSTRI GENERE PROGNATA, QUÆ PLURIMAS SVÆ ÆTATIS FOEMINAS PRINCIPES PULCRITUDINE ANTEIVIT, (*a*) MORIBUS ETIAM AD SUSPICIONES USQUE

(*a*) FRECULPHUS LEXOVIENSIS in *Chronici sui* Tom. II. initio. *Si de venustate corporis agitur, ut absque adulationis fuco proferam quod verum est, pulchritudine superat omnes, quas visus vel auditus nostræ parvitatis comperit reginas.* Rectius de hac re judicarent elegantes formarum spectatores, si vero

ELEGANTIBUS LITERIS QUALES ILLA TEMPESTATE FUERUNT EGREGIE EXCULTA (a) HIS VIRTUTIBUS LUDOVICO PIO (b) CONNUBIO JUNGI MERVIT CUJUS ÆTATE ET PLACIDIS MORIBUS SCIENTER USA IMPERANDI ET CUPIDA ET PERITA NIHIL ANTIQUIUS HABUIT QUAM SIBI ET FILIO FIRMARE REGNUM, ACERRIMIS INDE PRIVIGNORUM ODIIS EXERCITA ET INDIGNA PASSA SEMPER AD INGENIUM REDIENS DONEC EX TOT TANTISQUE MALIS CAROLO FILIO REGNANTE ELUCTARETUR.

I. Illustri genere fuisse Juditham non negabit, qui in THEGANO (c) relatum leget, Ludovicum *sequenti anno accepisse Filiam Welfi ducis, qui erat de nobilissima stirpe Bavarorum, & nomen Virginis Judith, quæ erat ex parte matris nobilissimi generis Saxonici.* Quibus avis atavisque edita sit, dicere non licet, quod omnes illacrumabiles & ignoti longa nocte urgeantur, (d) nisi forte

---

vera jucundissimæ Augustæ imago ad nostram ætatem pervenisset. Videre licet figuram illius in æs incisam in BUCELINI Historia Agilolfingica, sed, qua fide, non indicatur. Abit sane multum ab alia, veteri omnino & majoris fidei, quam ex Codice antiquo Cœnobii Weingartensis, qui *Chronica generationis principum nostrorum &c.* inscribitur, depromtam JO. ULR. PREGITZER *dem Teutschen Regierungs- und Ehren-Spiegel* p. 73. inseruit; & quam Ill. GUNDLINGIUM pro eo, quo me & omnes bonas literas complectitur amore atque patrocinio, mihi indicasse, ingenue & lubens profiteor.

(a) ANNALES METENSES ad An. 819. *sapientiæ floribus optime instructam* dicunt, sed luculentior testis est FRECULPHUS LEXOVIENSIS Episcopus, qui chronici sui Tomum II, quem appellat, *dominæ Augustarum felicissimæ Judith* inscripsit. Ex dedicatione ista, uti cum ipso opere in Bibliotheca Patrum maxima Volumine XIV. legitur, sequentia huc pertinent: *Quamobrem dum in temporalibus nihil desit rebus, ut augmento careas: studio sapientiæ dilataris, ut excellentior retro seculis imperatricibus reperiaris. Igitur indita a Deo Tibi sapientia & naturalis ingenii scientia attonitum me reddit inter ceteros adjutores. Quoniam in divinis & liberalibus studiis, ut tuæ eruditionis cognovi facundiam, obstupui, statimque mecum deliberare cœpi, quodnam munusculum meo labore congestum tuæ offerrem Almitatis Flagrantiæ.*

(b) Pio huic & *Almi* & *Sancti* cognomen tributum fuisse, ex FRAGMENTO CASSINENSI se demonstrare posse existimat JO. HENRICUS BOECLERUS in *Comment. de Rebus* Sec. IX. p. m. 44. sed perperam. *Pius* omnino dicitur Ludovicus in illo Fragmento, quod est CHRONICI CASAURIENSIS non *Cassinensis* apud DU CHESNIUM T. III. p. 544. *ob merita clementiæ, Ludovicus* vero ille *Sanctus & incomparabilis Vir & bellorum studiis eruditus*, cujus paulo post mentio fit, est Ludovicus II. Imp. Lotharii Filius, cœnobii conditor, quem non sanctum modo, sed *sanctissimum, piissimum, clementissimum* merito appellant illius familiæ fratres. De *Almi* nomine in omni isto fragmento nihil reperi.

(c) De *Gestis Ludovici Pii* c. 26.

(d) JO. ULR. PREGITZERUS facit Welphum I. Thassilonis Zollerani fratrem, Isenbardi Comitis Altorffensis Filium, sed auctorem laudat BUCELINUM. quem in tam antiquis omni exceptione majorem non esse, quis non videt? LUDOV. ANTON. MURATORIO accedimus, qui in *Antiquitatibus Estensibus* nuper Italo sermone editis in Welpho I. tacentibus veteribus monumentis subsistit.

forte suave GUNTHERI (*a*) somnium, genus ad Catulos Romanos referentis, aut æque incerta CONRADI URSPERGENSIS (*b*) sententia de Origine Welphorum Scythica cuipiam placeat. Defuisse suum non splendorem genti, sed gentis splendori idoneum vatem, cum THEGANUS noster innuit, tum ASTRONOMUS in *Vita Ludovici*, (*c*) qui Procerum Filiabus Juditham annumerat. Hoc dubium videri poterat, quod idem ASTRONOMUS, & ille, qui Annales Regum Francorum Pipini, Caroli, Ludovici scripsit, & quem EGINHARDUM (*d*) fuisse non admodum repugnaverim doctissimis Viris, Welphum, Welpum, vel Welponem nostrum Comitem appellant, quem Ducem ait THEGANUS. Ego EGINHARDO crediderim fuisse Comitem, aut Ducis Filium, quales nullius etiam muneris publici administratione onustos Comitum dignatione & titulis esse æstimatos, multis indiciis sibi compertum scribit ULRICUS OBRECHTUS in *Prodromo Rerum Alsaticarum*, (*e*) vel omnino tali magistratu insignem, mox tamen vel Generi favore, vel Filiæ artibus ad ducalem dignitatem evectum, quo THEGANUS respexit.

II. Annus agebatur post reparatam generis humani salutem DCCCXVIII. cum Hermengardis Ludovici Pii Conjux diuturno morbo confecta V. Non. Octobris, marito ante biduum ex Britannica expeditione reverso, Andegavi exspiraret, quem luctum, si eo valere Ludovicus sivisset, ut abdicato imperio familiæ cuidam sacræ nomen dedisset, egregie fuisset actum cum Republica Francica. Sane agitasse ejusmodi consilia Ludovicum, aut saltim eorum suspicionem præbuisse, clare indicat ASTRONOMUS: *Qua tempestate monitu suorum uxoriam copulam meditabatur inire. Timebatur enim a multis, ne regni gubernacula vellet relinquere, sed compellebatur.* Itererat nempe eorum, qui summæ rerum præerant, retineri Imperatorem tam mitem, tam obsequentem, quod cum alia magis commoda ratione effici non posset, quam secundis Ludovici nuptiis, suaserunt illas, cessantemque impulerunt, e lectissimis Procerum filiabus undique conductis pulcherrimæ optione eidem relicta. *Tandemque eorum voluntati satisfaciens*, pergit ASTRONOMUS, *& undequaque adductas Procerum filias inspiciens Judith duxit.* Tulit ita suæ elegantiæ præmia Judith, talamum Augustum, & simul præcipuæ pulcritudinis laudem, Ludovicus vero oculos in amore duces secutus, simul in ea ætate, in eo fastigio, prole numerosa & adolescente stipatus incontinentiæ sibi maculam apud posteros contraxit, si temporum rationes consulas Anno a nato Christo DCCCXIX.

III. Duo accusationis Capita constituunt ii, qui Judithæ nostræ diem dicunt, mores minus probatos & imperandi cupiditatem. Quod enim ex ACTIS S. FREDERICI *Episcopi Ultrajectini* nonnulli afferunt, Juditham hunc Antistitem, quod Ludovici cum Augusta consanguinea matrimonium damnarit, immissis percussoribus e medio sustulisse, BARONIUS (*f*) jam pro figmento habuit, CAROLUS COINTIUS in excellentibus illis *Annalibus* Fran-

U 3

(*a*) In *Ligurino* L. IX.
(*b*) ad An. 1126.
(*c*) ad An. 819.
(*d*) ad An. 819.
(*e*) cap. 12.
(*f*) T. VIII. ad An. 828.

Francorum Ecclesiasticis (*a*) prolixe refutavit, ANTONIUS etiam PAGI in incomparabili *Critica Baroniana* (*b*) Opere merito suo calculo damnavit. Sed & in de moribus judicio habet illa Patronos suæ causæ Viros Illustres, e Gallis PETRUM DE MARCA, (*c*) STEPHANUM BALUZIUM (*d*) CAROLUM COINTIUM (*e*) NATALEM ALEXANDRUM (*f*) ANTONIUM PAGI, (*g*) e nostris GABRIELEM BUCELINUM (*h*) JO. HENRICUM BOECLERUM (*i*) & NICOLAUM HIERONIMUM GUNDLINGIUM (*k*) & qui ex Veteribus præcipuus est Trevirensem Chori Episcopum THEGANUM: (*l*) *supradicti impii objicientes ei multa contraria dixerunt, Judith Reginam violatam a quodam duce Bernardo, qui erat de stirpe regali & Domini imperatoris ex sacro fonte baptismatis filius* MENTIENTES OMNIA. Fuit ille Bernhardus regia stirpe ortus, Gothica forte, ipsi Ludovico Imperatori cognatione, quam spiritualem Romana ecclesia appellat, junctus Comes Barcinonensis, mox Septimaniæ, Camerarius Imperatoris, & juventæ rector Carolo datus, sed qui exstincto Ludovico, infelici morte & scelere Caroli, quem educarat, periit. Dici potest obtrectationi colorem quæsitum a Bernhardi munere, criminique datum, quod officium strenue faceret; familiares sermones Reginæ & quotidianam consuetudinem, quam ad libidines retulit livor, Camerarii munus flagitasse, de quo egregie tradit HINCMARUS Rhemensium Antistes in *Epistola de Ordine & Offic. Palatii* (*m*) *de Honestate vero Palatii seu specialiter ornamento regali, nec non & de donis annuis militum, absque cibo & potu vel equis ad Reginam præcipue & sub ipsa ad Camerarium pertinebat, & secundum cujusque rei qualitatem ipsorum sollicitudo erat, ut tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid dum opus esset ullatenus opportuno tempore defuisset. De donis vero diversarum legationum ad Camerarium adspiciebat, nisi forte jubente rege tale quid esset, quod Reginæ ad tractandum cum ipso congrueret.* Alia omnia loqui videntur mores Judithæ in S. Radegundis monasterio demonstrati, de quibus ANNALES METENSES (*n*) ita habent: *Quæ in Pictaviensem urbem compulsa est, ibique in monasterio S. Crucis est retrusa, ubi & ipsa domino nostro JEsu Christo studiosissime famulari die nocteque totis nisibus studuit: atque inibi Domino famulantibus ita placuit, ut omnes profiterentur, se eam velle imitari.* Allegatur & hoc, quod causa publice sit decisa, cœnobioque a privignis inclusam Uxorem Imperator non prius in torum recepenit, ASTRONOMO (*o*) teste, *quam legali præscripto modo ab objectis se purgasset. Sed & Bernhardus Imperatorem adiens modum se purgandi ab eo quærebat more Francis solito, scilicet crimen objicienti semet objicere volens, armisque impacta diluere. Sed cum accusator licet quæsitus deesset, cessantibus armis purgatio facta est juramentis.*

IV. Hæc sunt ea, quibus Judithæ pudicitiæ laus asseritur, quæ tamen aliis ita comparata non videbuntur, ut nihil contradici possit. Qui illam litem suam

(*a*) Tom. VIII. ad An. 838. n. 42. seqq.

(*b*) T. III. An. 838. n. 5. (*c*) *Marcæ Hispan.* L. 3. c. 23. §. 7.

(*d*) *Not. ad* AGOB. p. 127. 133. 134. (*e*) *Annal. Eccles. Franc.* T. VIII.

(*f*) *Historiæ Ecclesiast.* T. VIII. p. 222. 227. (*g*) *Crit. Baron.* T. III. ad An. 830.

(*h*) *In Histor. Agilolfingica.* (*i*) *Dissertat.* T. III. p. 54.

(*k*) *In Nonnullis de Welphis & Hohenstauffiis Gundling.* P. VII. Sect. I. n. 2. seqq.

(*l*) c. 36. (*m*) n. 22. (*n*) ad An. 829. (*o*) ad An. 831.

sam faciunt, omnino excipiunt, differre id, quod officio judicis continetur ex legum præscripto reum deficientibus accusatoribus merito absolventis, ab eo quod in ipsa rei veritate est, quam circumstantiæ facile prudentioribus persuadent, judiciali ordine interea in alia omnia discedente. Esse magnas in animis hominum latebras, in quas illa in rebus adversis recipere atque subducere solent mortales, quæ in se maxime culpari improbarique sentiunt. Eandem ideo Bernardum Cameræ præfici, & Carolum Filium ab eo regi voluisse, ut sua cum eodem consuetudo aliis videretur innoxia, cum dignitati ejus intercedere potuisset tantæ dignitatis fæmina, cui & deteriores suspiciones vitandæ sint. THEGANUM pro suo candore & simplicitate credidisse Judithæ Bernhardoque jurantibus, nec aliter decuisse, aut licuisse res Augustæ narrare non viventis modo, dum illa scribebantur, sed imperantis. Mussare sane ANNALES METENSES, (a) dum *Reginam pulcram nimis* appellant. Gravissime autem accusare S. AGOBARDUM Lugdunensium Antistitem in *Apologetico pro Filiis Ludovici Pii adversus Patrem: (b) Igitur cum prædictus dominus & Imperator quietus esset in domo & florens in Palatio suo, cum adhuc juvenem conjugem sub sui reverentia custodiret, & secundum Apostolum uxorium debitum ei persolveret, in processu vero dierum cum cœpissent hæc primum tepescere, deinde frigescere, ac per hoc & mulier resolvi in lasciviam cessantibus licitis conversa, immo adversa ad inlicita ascivit sibi aptas personas ad perpetranda turpia, & primum latenter, deinde impudenter. Cognoverunt autem hoc initio pauci, deinde plures, ad postremum autem multitudo palatii & regni ac finium terræ. Quam rem inridebant minores, dolebant majores, omnes autem clari Viri intolerandum judicantes.* Sed AGOBARDO merito objicitur, eum fuisse in Partibus, & primo quidem loco. Non adeo licere, hunc antestari, neque PASCHASIUM, qui *Vitam Walæ Abbatis Corbejensis* memoriæ prodidit, cum & hunc virum vel inter primos discordiarum civilium auctores memorandum esse omnes sciant. Aperte tamen RHEGINO (c) *Prumiensis Abbas* licet anno non suo: *Fuit autem*, ait, *hæc dejectio* (Ludovici Pii) *pro maxima parte facta propter multimodam fornicationem Judith uxoris ejus*, & apertissime *Fragmentum* ODONIS ARIBERTI, quod nos STEPH. BALUZIO, BALUZIUS GUILIELMO MASNAVIO, Senatori Tolosano acceptum tulit: *Pace itaque cum sanguine eucharistico separatim per Regem & Comitem firmata & obsignata Bernardus Comes Tolosanus ex Barcinonensi Tolosam venit, & Regem Carolum in cœnobio S. Saturnini juxta Tolosam adoravit. Cumque Rex manu læva tanquam sublevandi gratia, Comitem apprehendisset, altera pugione in latus ejus adacto eum crudeliter interemit, non sine crimine fidei & religionis violatæ, nec sine suspicione patrati parricidii. Filius quippe Bernhardi vulgo credebatur, & os ejus mire ferebat, natura adulterium maternum prodente. Post tam nefandam necem rex de solio sanguine maculato discedens, & pede cadaver percutiens, sic exclamavit: Væ tibi, qui talamum patris mei & domini tui fœdasti.* Ast hic etiam in promtu sunt, quæ regerantur; RHEGINONEM ea tempestate non vixisse, & (si quis urgeat, proxime tamen abfuisse,) scripsisse Prumiæ, cujus cœnobii homines partibus Lotharii, Regis primum munifici, tandem cum eundem rerum humanarum tædium caperet, socii atque inquilini sui nimis favisse admodum verisimiliter dici potest. DEODONIS fragmento Illustris GUNDLINGIUS, (d) *Nullum*, inquit, *mihi dubium hæret, quin tota hæc narratio sit*

(a) ad An. 829. (b) Operum T. II. p. 61.

(c) ad An. 838. (d) Loc. cit. §. 7. 8.

sit splendide confiсta. Non sit verisimile Carolum fuisse tam improvidum, ut seipsum utcunque genitum publice pronunciaret, ac matris fama conspurcata, labem dignitati suæ ipsemet adspergeret. Id non nego Carolum trucidasse Septimaniæ ducem ac Barcinonæ Comitem; at tulia regem verba emisisse, cum exanimem calce feriret, difficillime credo. Est Viri celeberrimi in rebus historicis tanta apud me auctoritas, ut major esse non possit. Erunt tamen alii suspicionibus indulgentes, qui contendent, pro confiсta narratione non habuisse BALUZIUM aut MASNAVIUM, qui istum ARIBERTUM reliquis rectius novere; ista Caroli exanimem calce ferientis verba esse confiсta, si dicas, consistere tamen suspicionem patrati parricidii, quod ore mire referret Bernhardum, adulteriumque maternum natura proderet; improvidum facile credi summe iratum, & quem saltim egregie perfidum, & sanguinarium fatebuntur omnes; forte sperasse, ita se abolere posse maculam natalium, quod illum occideret sua manu, quem alii credebant patrem: & merito iratum fuisse Ludovici filium ei, qui Judithæ pudicitiam attentando, genus sibi dubium reddiderit; aliam cædis tam atrocis, tam perfidæ, tam improvisæ non dici posse causam, quam ultionem delicti, cujus in publico judicio reum agere Bernhardum, puderet Carolum; denique ad plures tum abiisse matrem. Cædes enim facta est Anno DCCCXLIV. Anno DCCCXLIII. obiisse Juditham inferius annotabimus. Est *Historia Translationis S. Sebastiani* apud DUCHESNIUM (a) cujus locum, in quem forte fortuna incidi, addam: *Regali exutus purpura* (Ludovicus) *calceamentisque tertio ferme lapide rejectis, cum conjuge nudis ad monasterium, quo jam locutus fuerat* (S. Sebastianus) *processit plantis. Et quia aliquos flagitiosos audierat Imperatrix Judith vi quadam impræfocabili, in conventu publico crimina sua detexisse, & odii livore interius perustos palam exterius metuendo nimis examine ignibus atrocibus concremari, pro eo quod priusquam loco devenirent, suorum criminum appetitus dignis confessionum ac pœnitentiæ remediis coercere neglexissent, anxietatis nimiæ procellis elisa, cum præcognovisset illuc Cæsarem iter disponere, nec se ab eo absque sui rubore dirimi posse, totam se ad propitiam redemtoris contulit pœnitentiam, agensque cum venerabilibus sacerdotibus culparum suarum secreti mysterii munus cum Psalmista orabat, ut ab occultis suis mundari & ab alienis mereretur absolvi. Eleemosynarum interea impendiis cæterorumque bonorum operum exhibitionibus per spatium interjecti temporis, quod præscierat, incunctanter operam dedit. Sicque demum religiosa majestati Votiva Comes effecta ad S. Martyris limina præclaris meritis præcipua properavit.* Officium feci, dum hæc bona fide attuli, jus ferendi sententiam, in re tam ardua, & tam incerta de moribus illustrissimæ fœminæ, cujus splendorem in mediis antiquitatum tenebris refulgentem veneror, mihi non sumo.

V. Ad alterum aggredior, Judithæ nostræ dominandi cupidinem, immoderatumque in filium studium ac amorem. Pepererat Juditha Filium Ludovico, Carolum, Anno DCCCXXIII. (b) Sed ipsum belli civilis incendium puero demum adolescente Anno DCCCXXX. erupit. In origines mali altius inquiram, quod ab aliis id ita factum fuisse non meminerim. Sunt eventorum civilium causæ aliæ publicæ, &, ut a nonnullis vocantur, justificæ, aliæ

(a) T. II. p. 334.

(b) In Franconofurch. palatio novo. CHRON. VIRDUNENSE quod est *Hugonis Abb. Flaviniaci*, apud Labbeum Tom. I.

aliæ arcanæ & suasoriæ, hæ iterum, incomparabili LEIBNITIO (a) monente, vel utilitatis, vel affectuum. Deprehendes, hic tales omnis generis subfuisse, neque tamen omnibus easdem; alio enim furiarum genere agebantur belli civilis capita, Judithæ privigni, alio ejusdem tubæ, seditiosi Francorum proceres. Publicas illorum causas non aliunde melius cognoscas, quam ex *Actis impiæ & nefandæ exauctorationis Ludovici Pii Imperatoris* apud DUCHESNIUM, (b) & ex AGOBARDI LIBELLO APOLOGETICO, ad duo potissimum genera revocandas, flagitia conjugis, & sacramenti in divisione regni inter filios interpositi violationem. Ad arcanas & quidem utilitatis referas, quod filii suas provincias Caroli gratia accidi viderent, affectuum vero, quod nimiam illam Bernardi apud Imperatorem potentiam ferrent ægerrime. Illud egregie firmat THEGANUS: (c) *Alio anno venit Wormatiam, ubi & Karolo Filio suo, qui erat ex Judith Augusta natus, terram Alemannicam & Rheticam & partem aliquam Burgundiæ coram filiis suis Lothario & æquivoco suo Ludovico tradidit, & inde illi indignati una cum Pipino Germano eorum.* Hoc adstruit NITHARDUS, (d) qui postquam clandestina Lotharii consilia Patri & Matri patuisse narrasset, *Ad quod,* inquit, *Bernardum quendam ducem Septimaniæ Pater in supplementum sibi sumens Camerarium constituit, Karolumque eidem commendavit, ac secundum a se imperio præfecit. Qui dum inconsulte republica abuteretur, quam solidare debuit, penitus evertit.* Proceribus Franciæ, qui hæc dissidia excitarant, fovebantque, Hilduino Archi-Capellano, Jessæ Ambianensi, Agobardo Lugdunensi, Ebboni Remensi, Bernardo Viennensi, Bartholomæo Narbonensi, Heliæ Tricasfino, Heriboldo Antissiodorensi Episcopis, Walæ Corbejensi Abbati, Hugoni Socero Lotharii, Matfredo Palatii Proceri & Comiti Aurelianensi, aliisque causæ publicæ eædem, arcanæ ferme aliæ. Utilitati suæ offici putabant, quod ad summa regni officia cum peregrini (e) tum vilioris sortis homines (f) admoverentur, quæ ad Francorum nobilissimos jure quodam pertinere videbantur. Sed & ii qui ad summas dignitates pervenerant, quorum nihil interat, quem pari vel inferiore gradu consistere velit favor Principis, qui simili olim indulgentia a sordibus ad honores summos transierant, infensissimi omnium habebantur, cujus rei insanique affectus origo, nisi me omnia fallunt, altius est revocanda. Franci, gens liberrima Clodovæo Rege, Rheno superato in Romanis Galliarum provinciis regnum sibi condiderunt. Accepti inde in fidem Britanni, Aquitani, Marcæ Hispanicæ, & Septimaniæ Gothicæ cives, Burgundiones, Alemanni, Bajoarii, Thuringi, Saxones, Frisii, sed lege non æqua, saltim opinione Francorum, qui sociorum primæ expeditionis posteri reliquos omnes nobilitate anteibant. Maxima horum in regno potestas sub Merovingis, nec minor, postquam Reges in perpetuam Majorum Domus tutelam concessere. Pipinus precario Rex factus procerum majestatem comiter observabat, Carolus vero virtute, prudentia, felicitate Magni nomen apud posteros promeritus, in republica in partibus credenda non genus aut sanguinem, sed probitatem morum & doctrinæ excellen-

(a) In præfat. Cod. Jur. Gent. diplom.

(b) T. II. p. 331. (c) c. 35. (d) L. I. A. 829.

(e) Bernardus inprimis erat offendiculo, ANNALES FULDENSES: A. DCCCXXX. *Commotio contra Imperatorem a Proceribus Francorum in Compendio exorta propter Bernardum, quem in palatio esse noluerunt.*

(f) Graviter ipse THEGANUS de hac re conqueritur c. 20.

cellentiam spectabat, Episcoporum vitia emendabat, fastum compescebat, jura pro sua voluntate ordinabat, Duces in ordinem redigebat, Comites provinciis praeesse jubebat, suam denique voluntatem ad reipublicae prius salutem veluti ad normam quandam exactam pro lege haberi cupiebat, quod quam aegre tulerint Franci, plures in optimum Principem conjurationes ab EGINHARDO (*a*) memoratae satis loquuntur. Imperium ita ordinatum tradidit Ludovico, & rationem id administrandi ei tota illa aestate, quae ipsi fuit novissima, multis verbis commendavit (*b*) prudentiam tamen, virtutem & felicitatem commendare non poterat, quo factum est, ut primum Pipini Italiae Regis, Fratris Filii, seditione periclitaretur, mox filiorum exitialibus odiis exerceretur: ipsis Proceribus per hos cuniculos Carolinum illud imperandi genus subvertentibus. Sane egregii publici causa se haec pericula subire, haec exilia pati, magna animi fiducia asserebant, quod adeo a multis creditum est, ut postquam perduellium plurimi una lue in Italia, quo profugerant, periissent, hos Francorum ultimos obiisse, communi sermone vulgaretur. Luculenter in hanc rem ASTRONOMUS (*c*) *Hi enim,* inquit, *erant, quorum decessu diceretur Francia nobilitate orbata, fortitudine veluti nervis succisis evirata, prudentia his obeuntibus annullata.*

VI. Cum Ludovicus Pius ad tantam Imperii molem suis humeris sustinendam non sat roboris sibi superesse cerneret, Anno Seculi IX. decimo septimo, post excessum Caroli quarto, Lotharium filium natu maximum imperatorem & in imperio collegam constituit, Pipinum Aquitaniae, Ludovicum Bajoariae reges dedit, (*d*) consilio, ut mihi videtur non malo, cujus tamen bonitatem infelix illud cum Juditha matrimonium corrupit. Aderat Patri ille ex filiis, qui consilio plus valebat propter aetatem, & penes quem a teneris imperii spes fuerat, duo minores natu, Viri fortes, ad utrumque Imperii limitem occidentalem & orientalem pro Reipublicae Francicae salute excubabant. Quietae etiam res fuerunt mortua Irmengarda matre, Ingramni Andium ducis filia, nec minus ducta jam Juditha, & nato Carolo, quamvis non deessent, qui latentes discordiarum igniculos magno studio excitabant. Annotavit id THEGANUS (*e*) *Lotharius Filius suus primogenitus ex Regina suscepit in conjugium filiam Hugonis Comitis, qui erat de stirpe cujusdam ducis nomine Edith - - Jam tunc* (initum autem matrimonium cum Ermingarda A. DCCCXXI. ut habent AMNALES BERTINIANI) *imminebat ei infidelitas, quam per suggestionem supra dicti soceri sui & aliorum iniquorum multorum ostendit in Patre.* Tandem cum intelligerent Filii, Carolo Alemanniam Rhaetiamque tradi, Bernhardum Camerae Imperiali praefici, & manifesto sui odio, ut HITHARDUS loqui amat, *in supplementum assumi*, haec omnia Judithae novercae astutia fieri, deteriora eandem moliri, Patrem, ut ASTRONOMI verbis utar, *praestigiis quibusdam eludi, ut non modo non vindicare sed nec advertere posset*, se, ne nefariis ausibus intercederent, in extrema regni ablegari, sibi non amplius quiescendum rati, infesto agmine in Franciam reversi sunt. Paraverat expeditionem Ludovicus in Britannos ex Bernardi sui consilio, populo ingratam, qua occasione usi sceleris auctores suis persuaserunt, ut signis conversis Parisium omnes peterent. Junxit perduellibus castra primum Pipinus ex Aquitania cum

(*a*) c. 20.
(*b*) ASTRONOMUS ad A. 813.
(*c*) ad A. 835.
(*d*) ANNAL. BERTINIANI ad h. A.
(*e*) c. 28.

cum copiis accedens, quod postquam Ludovico nunciatum est, Bernardum saluti suæ fuga consulere, Conjugem Laudunum in monasterium S. Mariæ secedere jussit, ipse filio obviam Compendium processit. Pipinus restituto apud Aurelianenses Matfredo, eam primam sibi curam esse credidit, ut Reginam custodiæ mandaret, quam Lauduno adductam, *intentata per diversi generis pœnas morte*, quæ ASTRONOMI verba sunt, adegit, ut polliceretur, se velato capite cœnobio nomen daturam & facta sibi cum imperatore colloquendi copia, ut abjectis armis comisque recisis idem faceret, persuasurum. Fecit potestatem ingrediundi cœnobium conjugi Ludovicus, ut voto vitam redimeret, ipse deliberandi spatium sibi dari petiit. Deportata est Juditha ex populi etiam eam ad pœnam exposcentis sententia Pictavium in S. Radegundis monasterium, quod & S. Crucis dicebatur: Fratres etiam Augustæ Conradus & Rudolphus tonsi, Lotharius, qui interea ex Italia advenerat, Compendii omnia ratihabuit, Heribertus quoque Bernardi Frater excæcatus, Odo consobrinus, armis ablatis, in exilium actus est. Res tamen Ludovici patris afflictæ in conventu Noviomagensi Ludovici filii & Germanorum fide convaluerunt. *Niumagum ventum est*, ait ASTRONOMUS, *omnisque Germania eo confluxit, Imperatori auxilio futura.* Rediit Juditha jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum justo judicio, (a) obviam ei euntibus optimatibus, & Drogone Episcopo, Mariti Fratre, & Carolo Filio; (b) rediere & fratres; nec tamen in talamum recepta est, donec die, qua purificationis Mariæ memoria in ecclesia colitur, objecta crimina satis diluisset. Accurate hæc præ cæteris narrant ASTRONOMUS & ANNALES BETINIANI.

VII. Triumphabat Juditha & Bernhardus, Lothario in Italiam relegato, Ludovico Aquis hærente, Pipino patris conspectum fugiente. Hic tamen vim vi repellere moliebatur, Ludovicus etiam minus tuta videns omnia, cum hostili agmine, Caroli Alamanniam ingrediebatur. Sopita sunt hæc utcunque, donec Anno DCCCXXXIII. fratres junctis exercitibus in Pagi Helisatiæ campo amplissimo, Basileam & Argentariam inter, quem illa tempestate *rubeum*, posteri *mendacii* appellarunt, patrem cum exercitu accedentem, una nocte omnibus copiis spoliarunt. Quam tristia passus sit Ludovicus, alii tradiderunt. Nos in Judithæ rebus versamur, quæ statim a marito divulsa, & in Italiam Dartonam, (Dertonam, ducatus Mediolanensis nunc urbem, Itali *Tortona* vocant) deportata est, Carolo filio in Promiense monasterium detruso. Rediit ex Italia Anno sequente DCCCXXXIV. reducentibus eam Rathaldo Suessionensi Episcopo & Bonifacio Comite, restitutis prius Imperatoris rebus, ubi iterum Ludovici filii pietas insignis & fides eluxit. Receptus est in gratiam primum Pipinus, inde Lotharius, & filiorum omnium consensu denuo divisum imperium. Miror hanc divisionem latuisse cum alios, tum accuratissimum divisionis Imperii Karolini Scriptorem CONRADUM SAMUELEM SCHURTZFLEISHIUM, Virum, quem in argumento historico pauca latuerunt. Ita autem ait: (c) *Semel & iterum erravit Ludovicus Pius, imperiumque bis partitus est, & priori divisione, quæ multorum sententia in A. DCCCXVII. incidit, successores & reges appellavit Lotharium, Pipinum & Ludovicum. Posterior A. DCCCXXXVII. facta narratur, quum pro amore & studio in filium natu minimum rescissa priori senteutia optimam regni partem Carolo, qui Calvus*

(a) THEGANUS c. 37. (b) ANNALES METENS. ad A. 829.

(c) n. 26.

nominatur, assignavit. Potior est auctoritas FRAGMENTI *historiæ Franciccæ* LOISELIANI apud DUCHESNIUM (*a*) in quo sequentia legunrur: *His peractis, filiis suis ac populis plurimis convocatis,*] *clementissimus Imperator iterum inter filios suos quatuor dividit imperium, & Lothario quidam majori imperium Italiæ, Ludovico quoque regnum Germaniæ & Saxoniæ, Pipino vero regnum Aquitaniæ concessit, Karolo quoque Franciam & Burgundiam delegavit.* Immo rem prorsus conficit *Præceptum Domini Ludovici Imper. de divisione regni sui inter filios*, quod in vetustissima membrana servatum exhibet DUCHESNIUS, (*b*) & ipse SCHURTZFLEISCHIUS in dissertatione *de Regno Austrasiæ* (*c*) allegat, proque sua in his rebus doctrina egregie explicat. Ter adeo erratum est a Ludovico, non bis, quod in dissertatione *de divisione Imperii Karolini* ajebat SCHURTZFLEISCHIUS, immo forte quater, si divisionem, cujus meminit FRAGMENTUM LOISELIANUM inter filios quatuor, diversum dicere velis, ab ea, quæ *Præcepto Ludovici* continetur, inter filios tres, nulla Lotharii facta mentione.

VIII. Ingens circa hoc Ludovici Imperatoris præceptum exorta est dubitatio, quod illius confecti & tempus & locus conjiciendo indagari debeat. Abstinuere sese PETR. PITHOEUS, qui inter XII. Francicos scriptores edidit, & ANDR. DUCHESNIUS, qui magno operi (*d*) illud inseruit. MELCH. GOLDASTUS (*e*) Carisiaci An. DCCCXXXVII. confectum esse credidit, in qua opinione STEPHANUS BALUZIVS (*f*) locum mutavit & Carisiaco Aquisgranum substituit. CAROLUS COINTUS magno nisu idem Theodonis Villæ & Anno DCCCXXXV. vindicavit; a quo discessionem iterum fecit ANTONIUS PAGI, (*g*) in Stremiaco prope Lugdunum, anno quidem eodem, quo vult COINTIUS, illud contigisse asserens. Mihi non incommode dici posse videtur, *Præceptum* illud, non in Theodonis Villa A. DCCCXXXV. sed anno quo Ludovicus restitutus est, DCCCXXXIV. in Villa regia Carisiaco fuisse confectum, recentibus trium filiorum meritis, Lothario res adhuc novante. Repetitum tamen fuisse illius *Præcepti* prælectionem, firmatumque simul Lothario, qui interea ad saniorem mentem redierat, Italiæ imperium, forte in Villa Theodonis aut Stremiaci An. DCCCXXXV. quod *Fragmentum Loiselianum* narrare videtur. CAROLUS COINTIUS, qui de hoc *Ludovici Præcepto* omnium uberrime in *Annalibus* suis (*h*) disseruit, *opinioni*, inquit, *nostræ plurimum favet, quod in eodem placito aliud indictum est hoc quoque anno Wormaciæ post Pentecosten celebrandum, ubi, teste Astronomo, Filius Pipinus occurrit, nec Ludovicus alter ejus filius defuit.* Itaque divisionem adeo insignem, absentibus filiis, factam credam? Eandem tacuisse scriptores existimem, qui Judicium Ebbonis, Theodonis villæ in placito generali habitum, non tacuere? At in Carisiaco affuerunt filii tres. ASTRONOMUS (*i*) in hac re non favet, sed apertissimis verbis ait: *Inde ergo Nantogilum, ac post venit Carisiacum villam regiam, ubi consistens opperiebatur filium* PIPINUM *& eos qui trans Matronam residebant, sed & eos, qui trans Rhenum ad Ludovicum filium ejus transfugium fecerant, sed & ipsum filium, qui ad eum veniebat* LUDOVICUM

(*a*) T. III. p. 334.
(*b*) T. II. p. 327.
(*c*) c. 2. n. 6.
(*d*) Tomo II.
(*e*) Tomo II. Constitut. Imperialium.
(*f*) Capitularium Tomo I.
(*g*) T. III. Crit. Baronianæ ad A. 835. & 836.
(*h*) T. VIII. A. 835.
(*i*) ad A. 834.

CUM - - *maxima multitudo fidelium suorum ibidem occurrit* - - *Porro* CAROLUM *jam dudum secum habebat*. Addam argumentum, quod contra PAGIUM etiam militabit, non aliam rationem dari posse, cur in *Precepto* nulla prorsus Lotharii injiciatur mentio, quam præceptum, illo nondum patri reconciliato, esse confectum. Rediit autem in gratiam sub finem Anni DCCCXXXIV. ante placitum Theodonis Villæ habitum; quo facto data in perpetuum Italia, aut saltim interea relicta est. Si enim cui magis arriserit, *Scriptorem fragmenti Loiseliani*, qui & aliis erroribus laborat, hanc Patris, reconciliato sibi filio, benignam voluntatem, de Italia Lothario relinquenda, cum priori Regni Francici divisione Carisiaci inita confudisse, facile assentiar. Mihi sufficit, post quatuor Virorum longe doctissimorum GOLDASTI, BALUZII, COINTII, PAGII sententias, quintam ostendisse, & simul illud *Loiselianum Fragmentum* hujus controversiæ studiosis indicasse. Sane reapse unam eandemque Imperii divisionem & *Preceptum* & *Fragmentum* loquitur, ut ex jucunda utriusque collatione satis apparebit FRAGMENTUM: *Ludovicum Regnum Germaniæ & Suxoniæ*. PRÆCEPTUM: *Ad Bajuvariam totam Toringiam, Ribuarias, Atoarias, Saxoniæ, Frisiæ, Ardenna, Asbania, Bragbento, Fanderes, Mempision, Medenenti, Amau, Austerban, Adertensis, Terwanensis, Bolensis, Quentovico, Camalecensis, Virdomadensis*, accuratius nempe demonstratis partibus Cisrenanis. FRAGMENTUM: *Pipino regnum Aquitaniæ*. PRÆCEPTUM: *Ad Aquitaniam totam inter Ligerim & Sequanam & ultra Sequanam pagis XXVIII. id est Catalonis, Meltianum, Ambiensis & Pontium usque in mare*. FRAGMENTUM: *Karolo quoque Franciam & Burgundiam*. PRÆCEPTUM: *Ad Alamanniam totam Burgundiam excepto, quod Pipino datum est, totam Provinciam, & totam Gotiam & de ista media Francia, Warensis, Ungensis, Castrensis, Portiano, Remagensis, Laudunensis, Mosellis, Treveris*. Nihil regni Francici reliquum fuit, quod Lothario tribueretur, quam injuriam ille quidem tum patienter tulit, Juditha vero Augusta, ut eum adversus Fratres excitaret, invidiosa, nisi me omnia fallunt, commemoratione refricuit.

IX. Nempe contigerant Judithæ, (ut in viam redeamus ex diverticulo, cujus mihi gratiam faciat æquus Lector, rogo,) contigerant, inquam, quæ in votis habuerat, sibi imperium in maritum obnoxium, Carolo filio regnum, sed uti erat indomita habendi dominandique studio percita, mox alia machinabatur. Luculentum testimonium perhibet ASTRONOMUS (*a*) ex quo & Augustæ ingenium, (*b*) & Ludovici patientiam facile colligas: *Augusta Judith, cum Consiliariis Imperatoris consilio inito, eo quod valentia, ut videbatur, Imperatoris corpus mox destitueret, & mors ingrueret, & sibi & Carolo periculum immineret, nisi aliquem fratrum sibi adsciscerent: conjectantesque nullum filiorum Imperatoris tam convenientem huic rei sicut Lotharium, hortati sunt Imperatorem, ut ad eum missos pacificos mitteret, ad hoc ipsum invitaret. Qui ut paci semper studens, semper dilector pacis atque amator firmitatis, quærebat non modo filios, sed & inimicos sibi charitate uniri, libenter assensus est*. O Ludovice! o bone! quo tua abiit paterna pietas? quo fœderum & præceptorum valet sancta fides? an inter novercalia delinimenta nulla subit meritorum Ludo-

 vici

(*a*) ad A. 835.

(*b*) Mitius adeo, quam par est, sed ut fere Galli solent, de Juditha ANTONIUS PAGI *Critic. Baron.* T. III. An. 838. n. 2. annotat: *Juditham de pace inter Carolum & ejus fratres conciliandâ sollicitam fuisse.*

vici filii animum recordatio? sed intercepit perniciosa consilia Walæ Corbejensis Abbatis a Lothario missi mors, Lotharii diuturnus morbus, terror Belli Normannici, & dissidia, quæ cum Pontifice Romano exercebat Lotharius, superstitiosissimo Imperatorum longe molestissima. Interea moriebatur Filius Pipinus ex fide ANNALIUM BERTINIANORUM Anno DCCCXXXVIII. *Tum Juditha Augusta consilii, quod pridem cum Consiliariis aulicis cæterisque Regni Francorum nobilibus inierat,* sunt ipsa ASTRONOMI verba (*a*) *nequaquam immemor persuasit Imperatori, quatenus ad Lotharium filium suum missos mitteret, qui eum ad patrem invitarent, ea conditione, ut si fratris sui Caroli dilector & adjutor, tutor & protector esse vellet, veniret ad patrem, & sciret se ab eo omnium perperam gestorum indulgentiam adepturum, simul & medietatem Imperii excepta Bajoaria consecuturum.* Hanc enim Ludovico relinqui volebat Pater, vel Patris potius nomine Juditha, ampliorem sane ea provincia, quæ hodie isto nomine utitur, exiguam tamen, si cum universo regno Karolino conferas, portionem. Tabulas divisionis regni inter Lotharium & Karolum exhibent ANNALES BERTINIANI, quas cum ratas habere nollet Ludovicus, fratribus suis sane melior, & quem in Germania primum regnasse, merito inter laudes nostræ gentis referimus, Pater expeditionem contra eum comite Augusta suscepit, in qua extinctus est Anno DCCCXLI. placide admodum, & nulla maleficiorum conscientia, de quo merito usurpes illud, quod AUSONIUS de Claudio Cæsare dixit:

Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

X. Mortuo Ludovico, Juditham in partes Caroli concessisse, rempublicam administrasse, filium consiliis juvisse, ingenium Nostræ satis loquitur, & NITHARDUS clarissimis testimoniis firmat. Ita cum Carolus ad Francos inter Mosam & Sequanam degentes abiisset, ut istam provinciam Lothario, mille artibus utrique Fratrum insidianti, eriperet, Juditha domi cum summo imperio remansit. NITHARDUS (*b*) *Eodem tempore missus ab Aquitania venit, nuncians, quod Pipinus,* Fratris nempe Filius, *cum his, qui parti suæ favebant, super matrem Karoli irruere vellet.* Eadem expeditionis in Lotharium susceptæ comes fuit. NITHARDUS: *Karolus quoque a fuga, qua Pipinum & suos dispersenat reversus, & quoniam matrem, ubi tuto relinqueret, non habebat, pariter ad Franciæ partes properabat.* Ut placito Attiniaci celebrando interfit, Carolus voluit, & cum Lotharius tergiversaretur, *Cadbellonicam urbem adiit, ibidemque Matrem,* quæ filium secuta erat, *cum Aquitanis recepit.* Junxerant castra Ludovicus & Karolus, mox obviam iere Lothario, a quo cum saniora & mitiora consilia negligerentur, commissum est atrox illud & Francico nomini exitiale prælium Fontanidense; ubi adfuisse Juditham ea, quæ NITHARDUS (*c*) habet, satis evincunt: *Cumque adversa undique propulsa viderentur, Lodhuwicus cum suis Renum petiit, Karolus vero una cum matre Ligerim adiit.* Vix adeo dubitandum est, eandem fœderi Argentinensi & divisioni regni Aquisgranensi interfuisse, quamvis illorum temporum monumenta, a me lecta, reliqua Judithæ taceant. Mortuam tamen An. DCCCXLIII. & in Turonibus in Basilica S. Martini sepultam esse CHRONICA SANGALLENSE (*d*) LEMOVICENSE, (*e*) EGOLISMENSE, (*f*) quod & AQUITANI-

(*a*) ad An. 838. (*b*) L. II. (*c*) L. III. initio.
(*d*) ap. DU CHESNIUM Tom. III. (*e*) ap. LABBEUM Tom. I.
(*f*) ap. eundem LABBEUM Tom. I.

TANICUM appellatur, HERMANNI CONTRACTI (a) ADEMARI (b) uno ore affirmant. (c)

(a) ap. PISTORIUM Tom. I. (b) ap. LABBEUM Tom. II.

(c) Deposita est Juditha XIII. Kal. Aprilis. Ita enim piissimus filius in praecepto de Abbatia S. Eligii n. C. in Append. Actorum veterum Capitularibus Baluzianis adjecta: *Eo siquidem pacto, ut diem depositionis patris nostri praecellentissimi, Imperatoris Ludovici, quod est XII. Kal. Maji & matris nostrae gloriosissimae Imperatricis Judith quod est XIII. Kal. Aprilis - - sub continua orationum missarumque assiduitate cum omni clero sibi commisso praesens futurusque Antistes celebret.* De die depositionis, quamvis habeam quod dicam, nunc non commentabor, cum supersint nonnulla, de quibus N. L.



DISSERTATIO XIV.

DE

RUDOLFO SUEVICO ANTI-CÆSARE.

POSITIO I.

RUDOLFUS SUEVICUS, cujus corpus sepulchro illatum Merseburgi quiescit, ex antiqua Comitum Rheinfeldensium stirpe oriundus fuit.

Non alienum erit, pauca de gente & ducatu Sueviae, nec non de urbe & arce Rheinfelden, unde comites Rheinfeldenses denominati sunt, commemorare. Gentem quod attinet, Suevi quondam Germaniae populi vetustissimique fuere, quorum gentem maximam & bellicosissimam Germanorum omnium CÆSAR esse scripsit. *B. Gall. 4. I.* Majorem enim Germaniae partem tenuerunt, ab Albi ad Rhenum usque extensi, quemadmodum STRABO scripsit. Vide CLUVERIUM *de antiqua Germania.* MANTUAN. *ad Caes.*

- - Amplissima cerne
Regna Suevorum, quos vistula claudit & ingens
Oceanus, vada Danubii confinia gentis
Tot complexa sinu immensa excurrentia late.

Sic vetustorum Suevorum sedes nostra aetate tenent Polonorum quidam, Pomerani, Lusati, & bona pars Bohemorum, Saxones, Misnenses, Thuringi, Hassones seu Catti & Franci. LUCANUS 2, 41.

Fundat ab extrema flavos aquilone Suevos.

Facef-

Faceſſant, quæ vulgo alias de hujus gentis ingenio, indole & moribus paſſim referuntur, quia jam res noſtras ſerio agere animus eſt. De Ducatu nunc pauca notemus. Modo ergo dictum ducatum, qui regnum olim fuit, primus Clodovæus Francorum rex inſtituit, eumque primo non hæreditarium. Poſtquam vero talis eſſe cœpit, cum eum poſt Rudolfum Suevum, ex Rheinfeldiis comitibus ortum, Fridericus Antiquus, Baro hactenus Hohenſtauffæ, Friderici Barbaroſſæ Imper. avus, ab Henrico IV. Imp. in navatæ contra Rudolfum operæ præmium, fruſtra repugnante iſtius genero Bertholdo Zæringenſi, acceperit vid. TOB. PFANNERUS *de præc. Germ. princ. gent. c. I.* PHIL. JAC. SPENERI *theatr. nob. Europ. P. III. p. 11.* Huc etiam pertinent, quæ aqud S. Rev. BUDDEUM in allgemeinen hiſtoriſchen *Lexico, P. IV. p. 398.* ſub. tit. Schwaben ſequentibus verbis leguntur: Endlich kam Schwaben wiewohl nicht völlig an die Hohen-Stauffen/ aus welchem Geſchlecht etliche Käyſer entſproſſen. Der letzte Hertzog in Schwaben von dieſem Hauſe war Conradinus/ welcher Anno 1269. zu Neapolis enthauptet worden. Nachgehends gab Käyſer Rudolf der I. ſeinem Sohn Rudolfo den Titul eines Hertzogs in Schwaben/ der noch auf dieſen Tag bey ſolchem Ertz-Hauſe bleibet/ deſſen auch die Land-Vogtey in Ober- und Nieder-Schwaben iſt. Itziger Zeit iſt zwar Schwaben noch eine Provintz des teutſchen Reiches/ und eine von deſſelben Creyſſen/ iſt aber unter viele Herren vertheilet/ ausgenommen die Reichs-Städte/ deren in dieſem Lande gar viel ſeyn; woher auch die Eintheilung in das Oeſterreichiſche und Kayſerliche Schwaben herkommen mag. Jenes begreiffet diejenigen Länder und Oerter/ welche das Haus Oeſterreich in Schwaben beſitzet/ das andere aber begreifft die übrigen immediaten Reichs-Güter/ welche von Fürſten/ Grafen und Reichs-Städten darinne beſeſſen werden. 2c.

Nunc quoque aliquid de urbe & arce Rheinfelden, proferamus. *Rhenofelda, incolis Rheinfelden, urbs parva, ſed munita Germaniæ, in Suevia Provincia, cum ponte ad Rhenum fluvium, una ex quatuor civitatibus ſylveſtribus, ſub dominio Auſtriacorum, vix duobus milliaribus germanicis ſupra Baſileam in ortum, in ipſo limine Helvetiæ & Briſgoviæ.* His verbis eam deſcribit BAUDRANDUS *Tom. II. p. 168.*

Audiamus quoque ZEILERUM: *Rheinfelden,* inquit ille, *eſt ultima ex Auſtriacis Rhenenſium civitatibus ſupra Baſileam, quarum hæc eſt pulcherrima, munitiſſima, & optime ſtructa; pontem quoque habens elegantem, quo Rheno jungitur.* vid. EJUS *Fidus Achates p. 314.*

Hanc urbem a Theodorico, primo Comite Rheinfeldenſi, ſub finem ſeculi decimi extructam fuiſſe, teſtatur HENNINGESIUS *Theat. Geneal. Tom. 2. part. I. p. 269.* Niſi hoc forſan de arce Rheinfeldenſi intelligendum eſt, quam uno milliari ſupra urbem in medio Rheno olim conſpicuam fuiſſe, teſtatur MUNSTERUS *in Coſmographia lib. 3. p. 595.*

Audiamus denique clariſſimum NUBNERUM, qui noſtra ætate, ob ſingularem in hiſtoricis, genealogicis & geographicis peritiam, communi plauſu clareſcit. Verba ejus hæc ſunt in *real*en Staats-Zeitungs- und *Converſations-Lexico p. 1413. ſeqq. & 1878.* Rheinfelden iſt die ſchönſte/ feſteſte und gröſte unter denen vier Wald-Städten. Die übrigen drey heiſſen Seckingen/ Lauffenburg und Waldshut. Sie heiſſen Urbes Sylvaticæ, weil ſie in Schwaben am Rhein liegen/ und gehören dem Hauſe Oeſterreich. Unter-

Unterweilen verstehet man auch durch die vier Wald-Städte Ury/ Schwitz/ Unterwalden und Zug in der Schweitz. De arce Rheinfeldensi pariter citato loco pergit HüBNERUS ita: Rheinfelß/ eine gute Festung in der Grafschaft Catzenellenbogen/ auf einem hohen Felsen am Rhein/ über den Städtgen St. Goar. Gegen Rheinfels über liegt die so genannte Catz/ oder Catzeneinbogen/ auf einem hohen Felsen/ und ist der Rhein allhier sehr schmal. Rheinfels gehöret dem Hause Hessen-Rheinfels/ das Haus Hessen-Cassel aber hat das Jus præsidii, und ist daselbst ein doppelter Rhein-Zoll. Anno 1702. wurde so wohl die Catz als auch Rheinfels durch die Hessen-Casselischen Trouppen eingenommen/ und mit Guarnisonen beleget/ und in denen Friedens-Præliminarien ist solche dem Hause Cassel zugesprochen worden/ dawider aber der Land-Grafe von Hessen-Rheinfels/ auf dem Reichs-Convente zu Regenspurg sich heftig beschweret hat. Ubrigens theilen sich die Landgrafen von Hessen-Rheinfels in den Rotenburgischen und Wanfridischen Ast.

Cæterum quibus limitibus circumscriptus fuerit comitatus Rheinfeldensis, satis non constat, nisi quod MüNSTERUS *loco citato* refert, quod ad utramque Rheni ripam extensus fuerit. De his & similibus dubiis geographicis unusquisque uberiorem cognitionem sibi acquirere poterit, cum aliquando B. CELLARII, viri etiam post fata celeberrimi, *geographia medii avi* lucem publicam aspexerit.

POSITIO II.

Pater hujus Rudolfi fuit Cuno, Comes Rheinfeldensis; Mater vero Itha, quo sanguine progenita fuerit, nondum luculenter constat.

Nimis incertum esse studium Genealogicum, uno velut ore conqueruntur omnes, qui suam in eo collocant operam. Nequeo mihi temperare, quo minus afferam, quæ ante aliquot annos, Lipsiæ vir quidam clarissimus & doctissimus de incertitudine & emendatione studii genealogici terse & eleganter, ita scripsit & monuit. Je grösser die Finsternissen sind / welche man in denen Genealogien der alten teutschen Chur- und Fürstl. Häuser findet/ je grösser Lob verdienen diejenigen/ welche solche mit Hülfe der alten Scribenten/ Bullen/ Diplomatum, Briefe und Urkunden/ welche uns die Länge der Zeit/ und die Unachtsamkeit unserer Vorfahren übrig gelassen/ zu vertreiben suchen. Vor dem war dieses eben keine so grosse Kunst/ da sich die Welt noch mit Fabeln und Mährgen abspeisen ließ. Wenn eine Person in dem Geschlecht-Register fehlte/ erdichtete man eine; hörten die Nachrichten von einem Hause auf/ so brauchte es nicht weiter/ als daß man einem andern vornehmen Hause/ ohngefähr um eben diese Zeit/ einen falschen Sohn/ adliche Tochter anflickte/ und der Stamm-Vater des einen vor des andern erdichteten Stamm-Gliedes Nachkömmling ausgab. Damit war dem Dinge geholffen. Die Stamm-Tafeln waren bis an die Arche Noä fertig; wiewohl/ wenn Cuntz von Rosen es auch so mit seinen Vorfahren hätte machen wollen/ würde er seine Vetterschaft noch viel näher als in Noah mit Käyser Maximiliano gemacht haben. Heut zu Tage ist es eine schlimme Sache/ daß die Leute alles wollen bewiesen haben/ ja daß eine Geschlechts-Erzehlung ohne Proben/ und ein Mährgen aus der Kinder-Stube einer-

einerley Glauben verdienen. Wer nun da ein Haus über vier/ fünff hundert Jahr/ oder noch weiter ausführen will/ der hat alle Hände voll zu thun/ und muß tausend Stellen/ Namen und Umstände zusammen halten/ ehe er mit Wahrscheinlichkeit von der Sache sprechen kan. Vollkommene Gewißheit ist selten zu erwarten/ und die darauf alleine sehen/ sind schreckliche Verächter dieser Art von Gelehrsamkeit. Dem aber ohngeachtet wissen wir doch itzo vieles ziemlich genau/ davon sich die alten Genealogisten nicht hätten träumen lassen. Ist gleich die Conjectur manchmahl falsch/ so ist sie doch nicht zu unterdrücken; der Vorgänger Fehltrit warnen die Nachfolgenden/ und eine halbe Wahrheit hat hier ofte die gantze gebohren. Vid. sechs und siebenzigter Theil der Leipziger teutschen Actorum Erud. p. 249.

Me autem in perveſtiganda origine Comitum Rheinfeldenſium propter incertitudinem ab initio ſæpe dubium hæſitaſſe confiteor. Ipſe enim CRUSIUS, quo nemo in rebus Suevicis conſignandis diligentior fuit, de Rudolfi natalibus nihil habuiſſe videtur, quod ſcriberet. Mihi tandem tutiſſimum viſum eſt, HENNINGESII veſtigiis inſiſtere, qui Rudolfi originem & Imperatores, quos Saxonicos nominare ſolemus, retulit. Operæ autem pretium erit, totum ſtemma in brevi tabula exhibere.

OTTO I. Imperator ex gente Saxonica † 973.

OTTO III. Imper. † 983.	RICHILDIS vel RICHENZA vel RICHLINDA uxor Cunonis Comitis Oeningenſis, ad lacum Podamicum ſeu Brigantinum, qua Rhenus evolvitur.

RUDOLPHUS Comes Oeningenſis. N. ultimus Comes Oeningenſis ſecundum Henningeſium.	RICHENZA vel RICHLINDA, uxor 1. Caroli Salmenſis in Lotharingia 2. THEODORICI Comitis Habsbugici, qui primus ex dote uxoris conſtruxit Rhenofeldam, unde ipſe & poſteri ejus Comites Rhenofeldenſes dicti ſunt.	CUNIGUNDA, uxor Friderici Comitis Andechſini. Itha, uxor Rudolfi Ducis Bavariæ.

CUNO, Comes Rheinfeldenſis uxor Itha.	ULLICUS, Comes Rheinfeldenſis.

RUDOLFUS, Comes Rheinfeldenſis creatus Dux Sueviæ 1058. electus Imperator contra Henrcum IV. 1077. occiſus & ſepultus Merſeburgi 1080.	ALBERO vel ADELBERTUS, Epiſcopus Wormatienſis 1068. † 1070.

POSI-

POSITIO III.

Ad animi ejus dotes, etiam alia corporis bona accesserunt, quibus non minorem felicitatem obtinuit noster Rudolfus, quam virtutibus inclaruit.

Paucis inter mortales datum est, eleganti corporis forma, & insignibus animi dotibus excellere. Multi sub externa personæ pulchritudine, humilem mentis debilitatem occultant: In aliis e contrario, quibus corporis ornamenta denegavit natura, excellentissimi animi prudentiam nemo satis mirari potest, juxta vatis Sulmonensis effatum:

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Utroque autem bonorum genere Rudolfum nostrum cumulatum fuisse eleganter asserit *Fridericus* LUCAS in Grafen-Saal *Part. I. p. 437.* sequentibus verbis: GOtt und die Natur hatten diesen Rudolfum mit ungemeinen Gemüths- und Leibes-Gaben gezieret: seine schöne wohlgewachsene Person bekleidete ein fähiger Verstand und unvergleichliche Heldenmüthigkeit. Mit anwachsendem Alter/ nach abgelegter Kindheit/ thät er in unterschiedenen Feldzügen und Actionen hiervon die Proben. Weil er nun seine Grafschaft nicht allein löblich regierte / sondern auch ausserhalb sich berühmt machte/ erreichte er hohe Ehren-Staffeln.

Hoc pariter de eo affirmat Autor vitæ Henrici IV. quam exhibet URSTISIUS p. 383. *Rudolfus*, inquiens, *Dux eximius, vir magnæ autoritatis, & laudis in toto regno, veri rectique tenax, denique spectatus in omni genere virtutum.*

POSITIO IV.

Antequam progrediamur ulterius, notandum est, quod Rudolfus noster Henrico IV. Imperatori, quem deinde hostem habuit infensissimum, duplici affinitatis vinculo junctus fuerit.

Epitome de Henrici IV. cujus jam mentio facta est, vita & fatis, exhibet latinis verbis Vir clarissimus Dn. M. UHSE, Gymnasii Merseburg. Rector percelebris, in der Römischen Orientalisch-Teutschen Käyser merckwürdigen Leben und Thaten *p. 377.* quod in eum finem addere volui, ut tota series rei eo facilius cognoscatur. Ita vero scribit: *Henricus IV. patre Henrico III. Imp. matre Agnete natus, sub cujus tutela, patre moriente vix quinquennis imperio admotus est, sed per Annonem Colon. & Albertum Magdeburg. Anno 1062. matri ereptus, licentius agere solitus multorum odia concitavit, Saxonem maxime, accedente etiam Papæ odio, a quo excommunicatus, & ab Anti-Cæsaribus variis vexatus, Gregorium tamen VII. in exilium misit, filii tandem cognominis armis succumbens obiit Leodii 7. Id. Aug. Anno 1106.* Plura citato loco Germanicæ linguæ idiomate conscripta legi possunt. Nunc reliquum est, ut de duplici vinculo affinitatis Henrici IV. & Rudolfi agam.

Mirabamur his nostris temporibus, ante aliquot annos gentem *Austriacam* atque *Bavaricam*; item *Burboniam* atque *Sabaudicam* odiis plus quam vatinianis, imo bellis prorsus internecinis inter se dissidere; Cum tamen arctissima inter eos intercederet sanguinis propinquitas. Sed nihil novi sub sole: idem enim Rudolfi temporibus usu venisse, ex illis, quæ dicturi sumus, ad oculum patebit.

Henrici IV. Imperatoris sororem, fuisse Rudolfi nostri uxorem, nullum est dubium: In circumstantiis autem, quod sæpius fieri solet, magna est autorum discrepantia. *Agnetem* vocat HENNINGESIUS, & qui eum sequitur REUSNERUS: *Mathildin* vero appellant LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS, HERMANNUS CONTRACTUS & alii.

Impuberum fuisse hanc Mathildin, cum pater ejus Henricus III. Imperator anno 1056. diem supremum obiret, certum est. Post fata parentis Episcopo Constantiensi Rumoldo nutriendam traditam fuisse, *dum matura viro, plenis dum nubilis annis.* Etiam satis cognitum est, teste CRUSIO *Part. 2. p. 212.* Utrum vero prius Rudolfo desponsata, & dum demum propter ætatis teneritudinem Rumoldo tradita fuerit, quod LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS *ad annum 1058. p. 164. edit. Pist.* affirmat? an vero rapta prius ex Rumoldi custodia, & tum demum Rudolfo desponsata fuerit: quod testatur *Chronicon Hirschaugiense ad annum 1056.* hoc in dubio relinquendum est.

Quicquid hujus sit, consummatum fuisse hoc matrimonium per nuptias publicas satis clare testatur HERMANNUS CONTRACTUS *Edit. Urst. ad annum 1059.* Sed præmatura morte extincta est Mathildis vel anno 1060. ut habet idem HERMANNUS; vel *intra paucos celebratæ conjunctionis dies,* quæ sunt verba SCHAFNABURGENSIS *p. 188. Edit. Pist.*

Secundis nuptiis sibi conjunxit Rudolfus *Adelheidam*, Ottonis, qui aliis Montisferrati, aliis in genere Italiæ Marchio dicitur. Quo anno in torum ei venerit, quove in vivis esse desierit Adelheida, me fugit: *Bertham* vero, Henrici IV. Imperatoris uxorem hujus Adelheidæ germanam fuisse sororem, ex Genealogicis constat: hæc sufficiant, quæ ad demonstrandam affinitatem, quæ inter Henricum IV. & Rudolfum olim intercessit, in medium proferre visa sunt.

HENNINGESIUS Rudolfo nostro tertiam uxorum, cui etiam *Adelheidæ* nomen fuerit, ex familia Comitum Burgundiæ adscribit: quod nos in medio relinquimus; Vid. EJUS *Theatrum Geneal. Tom. 2. p. 269.*

POSITIO V.

Propter hanc affinitatem Rudolfus noster anno 1058. ab Henrico IV. Imperatore, vel potius a matre illius, Agnete, Dux Sueviæ, vel Alemanniæ creatus est.

Libet totam hanc rem verbis ABBATIS URSPERGENSIS describere: *Otto de Swinfurte Dux Suevorum quarto Kalendas Octobr. obiit, & Rudolfus de Rinvelden, qui postea Rex esse contendit, ducatum accepit, quod magnum fuit Seminarium earum, quibus regnum perturbatur, commotionum. Eundem namque ducatum, vivente adhuc Ottone Duce, Henricus Imperator Bertholdo Comiti, qui*

post

post Carinthiorum accepit ducatum, promiserat, eique annulum suum, velut hujus rei commonitorium dederat, quem ille diligenter servans, post amborum obitum, Imperatoris scilicet & Ducis, Imperatrici Agneti imperium tunc disponenti obtulit, eamque annulum agnoscentem pro ducatu sibi promisso commonuit. Sed quia prædictus Rudolfus mox post Imperatoris obitum, filiam ejus Rumoldo Constantiensi Episcopo commendatam, utrum consilio raptam an dolo nescitur, uxorem duxit, receptam jam in gratiam, eundem ducatum illi, causa filiæ, Imperatrix dedit, quod animum Bertholdi non parum commovit. Pro qua commotione lenienda ducatus Carinthiorum ei committitur, quem postea filio suo æquivoco, ipsius rogatu Rex Henricus commisit. Vid. *Chronicon ipsum pag. 232.* Quanquam autem Mathildis illa, Henrici IV. soror, quæ Sueviæ ducatum, velut dotis loco Rudolfo attulerat, non multo post in ipso ætatis flore, quod paulo ante annotavimus, sine prole discesserit, Rudolfus tamen nihilominus ducatum, quo semel auctus fuerat, per viginti annos retinuit.

POSITIO VI.

Tantam Rudolfi felicitatem haud exigua invidia Principum Imperii strenue sequebatur; & ipse Henricus IV. cum Imperii habenas capesseret, implacabile odium erga hunc Rudolfum simul suscipiebat.

Uti umbra corporis, ita invidia virtutis comes est, insensibilis quidem quamdiu virtutem colas, sensibilis autem atque visibilis, quamprimum virtutis aliquod præmium capias. Cujus rei documentum Rudolfus noster est, quo in tenui fortuna constituto nemo felicior; post adeptum autem Alemanniæ ducatum nemo Imperatori invidiosior extitit, operæ pretium est, rem paulo altius repetere.

Henricus IV. Imperator, per aliquot annos sub matris Agnetis tutela adoleverat, *quæ tanta arte periclitantis reipublicæ statum tutabatur, ut nihil in ea tumultus, nihil simultatis, tantæ rei novitas generaret:* Quæ sunt verba SCHAFNABURGENSIS *ad annum 1056. p. 163. Edit. Pist.*

Sed Principibus Germaniæ nec honestum videbatur nec tolerandum, diutius a muliere Imperium gubernari Romanum: Henricum igitur matri ereptum, in suam potestatem redigebat archiepiscopus Coloniensis. quod pluribus verbis describit SCHAFNABURGENSIS *ad annum 1062. p. 166. Edit. Pist.*

Ab eo tempore in quævis vitia ruebat Imperator, juvenilibus cupiditatibus agitatus, *adeo ut non unam Bathsebam libidinosus stupraret, nec unum Uriam crudelis interficeret*, ut loquitur autor Anonymus *Chronici Magdeburgici*, qui mores profligatissimos graphice describit *p. 289. seqq. Edit. Meibom.*

Rebus ita compositis fieri non poterat, quin Principum Imperii animos a se abalienaret Imperator, eorum imprimis, quibus publica Imperii salus atque dignitas curæ cordique erat, quos inter primum facile locum tenebat Rudolfus Suevicus.

Sed erat etiam causa specialior, quæ Rudolfum nostrum Henrico reddebat invisum, nempe *metus comparationis*, quem in Tiberio jam olim observavit

vit TACITUS *Annalium Lib. I. cap. 76.* ad quem locum in Academia Fridericiana Anno 1701. sub præsidio *Magnif. Buddai*, disputatio habita est elegantissima.

De insidiis autem Rudolfo nostro ab Imperatore comparatis, audiamus CRUSIUM *Part. 2. p. 241. ex Chronico Magdeburgensi* ita disserentem: *Henricus cum tribus fortissimis viris armatis, quandam domum desertam medio noctis intravit: & unum ex militibus Rudolfi, Suevorum Ducis, secreto introduxit. Qui cum, visis gladiis obstupuisset, Rex quoque multis eum promissionibus onerasset, ut Rudolfum Ducem occideret, ille non amore promissorum donorum, sed timore præsentium gladiorum, hoc se facturum juramento confirmavit. Mane cum Dux de virtute & fide laudatus a Rege cum multa suavitate dimissus abiret, ille velociter insequitur, & lancea prætensa, per mediam turbam festinans, alto clamore se occisurum Ducem minitabatur, a militibus vero circumdatus & causam interrogatus, illud quod nocte præcedenti gestum erat, exposuit & projectis armis Duci, quod eum occidere coactus jurasset, aperuit. Alio tempore, cum idem Dux Reginam manu sua e monasterio duceret, Rex sagittario cuidam præcepit, ut eum juxta Reginam sagitta conficeret. Sed ab ipso sagittario Dux præmonitus, inventa quadam occasione, festinus a Regina recessit. Tertio loco, cum causæ quædam coram Rege agerentur, & Dux cum paucis suorum interesset, nunciatum est ei, a duobus Regis famulis januam cum nudis gladiis obsideri, qui eum egredientem confoderent. Ipse occulte suos quoque gladiis adesse, & horum aliquot cubiculum intrare, cæteros præ foribus stare jussit. Deinde ad januam accedens, tales, inquit, nollem vidisse janitores, neque post hac volo videre. Nec unquam voluit amplius ad Regis curiam venire.*

POSITIO VII.

Non ita multo post anno 1075. in Imperio exardescebat bellum intestinum, quod vulgo bellum Saxonicum appellari solet: in quo Imperatoris partes contra Saxones tuebatur Rudolfus noster.

Hujus belli historiam carmine heroico ab anonymo conscriptam, exhibet Reuberus p. 202. De injuriis, quibus gentem Saxonicam lacessivit Imperator, legatur MARIANUS SCOTUS *p. 454. Edit. Pist.* vel etiam LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS *p. 191.* Prælium ipsum, quod anno 1075. prope Negelstadium ad Unstrutam commissum est, graphice describit BUNTINGIUS *in Chronico suo p. 681.* Nobis hoc unicum hic observasse sufficiat, quod Rudolfus Suevicus omnium injuriarum, quas acceperat, quasi oblitus *primus fuerit, qui Imperatori suam operam contra Saxones promisit, primus etiam qui Saxones terga vertere coëgit.* Quantis periculis se tum exposuerit Rudolfus, pluribus describit CRUSIUS *Annal. Part. 2. p. 234.* ubi inter alia: *Rudolfus* inquit, *Dux Alemanniæ multis sæpe gladiis impetitus, quanquam tenacissimæ loricæ præsidio ictus omnes frustraretur, multis tamen ex assidua contusione membrorum affectus est incommodis.*

POSITIO VIII.

Ex hoc bello Saxonico occasionem nanciscebatur Pontifex Romanus Gregorius VII. ut Henricum IV. Imperatorem

rem iterum iterumque excommunicatum, tandem ad humillimum pœnitentiæ actum adigere posset.

Ex celeberrimi Domini ECCARDI *Corp. hist. med. ævi Tom. II.* de Gregorio VII. Pontifice Romano nonnulla afferre liceat. Scribit ille autem p. 591. ita: *Carpentarius quidam natione Tuscus, Romæ habens puerum secum duxit, ubi laborabat, qui, patre secante ligna, collegit fragmenta securi præcisa, & composuit ea in forma scripturæ ludendo, taliter sonantis: Dominabor a mari usque ad mare. Quod quidam sacerdos præteriens legit & intelligens ipsum puerum futurum Papam vel Imperatorem, dixit patri suo, ut filium suum ad scholas mitteret, quod sic factum est. Hic juvenis Hildebrandus dictus cum adolevisset, per Scriptores Imperatoris ad curiam est tractus, & tunc sæpissime Henricus filius Imperatoris, adhuc juvenis, ipsum multum exacerbavit & irritavit in tantum, ut sæpe Imperatrix filium suum propter eum corriperet, in præsagium futuri mali, quod idem scholaris facturus esset eidem Henrico. Contigit autem quod Henrico Imperatori talis visio appareret. Videbatur enim sibi, quod filius ejus Henricus in mensa sederet, & scholari Hildebrando duo cornua crescerent, cum quibus filium suum in altum levaret & tandem in stercus projiceret. Quod Imperatrix mœsta dixit, filium suum per ipsum de imperio fore deponendum. Unde Imperator fecit ipsum includi in turri Hamsteyn, a qua post annum extractus factus est monachus.* pag. 611. ita pergit: *Hic prius monachus, deinde Archidiaconus ecclesiæ romanæ factus, in Papam concorditer est electus, sine consensu tamen Henrici Regis, & Gregorius VII. dictus est.* Sub isto Gregorio, secundum Egghardum, romana respublica & tota ecclesia novis & inauditis schismatum erroribus periclitari cœpit. Cumque ipse absque Regis consensu, solis tantum Romanis faventibus, hunc apicem conscendisset, fuerunt, qui illum non canonice sed tyrannice papatum auctumarent sibi usurpasse; pro qua re etiam a nonnullis Episcopis abdicatus est, & præsertim ab Episcopis Teotoniæ. Hi epistolam sibi miserunt inter alia hæc verba continentem: *Quia ergo introitus Tuus in perjuriis initiatus est, & ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam conversationemque tuam, tam multiplici infamia dehonorasti, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos nos esse pronunciamus. Et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas, tibi hactenus fuit episcopus, tu quoque nullius nostrum a modo eris apostolicus.*

Hypocrisin, i. e. fucatam pietatem, cum impius tumescens fastu theologico (cui B. Bayerus in peculiari disputatione omnium hæresium originem tribuit) sanctitatis præ se fert umbram; in dicendo & agendo Pontifici Gregorio VII. propriam ac perpetuam hancce Demosthenem secutum fuisse constat, qui teste VALER. MAXIM. cum interrogaretur, quidnam in dicendo efficacissimum esset, respondit: Hypocrisin. Namque modo dictus Gregorius orationem, quam Dn. ECCARDUS *p. 152. cit. lit.* exhibet, habuit, de qua jure meritoque verba valent, quibus olim Joannes Capocius civis Romanus erga Pontificem Innocentium III. utebatur: *Verba, sancte Pater, Dei, facta Diaboli.* Vid. FULGOS. *Memorab. Lib. VI. c. 2.* Reliqua apud Bennonem de vita & rebus gestis Hildebrandi; plurima vero & etiam curiosa apud B. Rechenbergium Theol. olim apud Lipsienses celeberrimum in dissertat. 1693. habita de incredibili dominandi cupiditate Hildebrandi legi possunt. Illum ipsum Hildebrandum s. Greg. VII. non solum, modo jam alleg. Card. Benno, veneficii simul accusat, verum etiam prolixe asserit, eum consecratam hostiam, ad indagandam Henrici IV. Imper. mortem in ignem projecisse. Consentiunt Magdebur-

burgenses Cent. II. cap. 10. reprehendunt illum ut hæreticum, necromanticum, seditiosum, simoniacum, adulterum ac pessimum non solum omnium pontificiorum, sed fere omnium hominum. Et idcirco cum non Gregorium, ut vocabatur in pontificatu, neque Hildebrandum, ut dicebatur ante pontificatum, sed Hellebrandum, appellant, quod germanice (Höllen-Brand) infernitionem significat.

Ad hunc Pontificem querelas suas deferebant Saxones, postquam ex prælio Anno 1075. inferiores discesserant: Nihil autem jucundius accidere potuisset Gregorio, qui jam diu consilia de subjugando Imperatore animo suo agitaverat. Cum igitur Henricum aliquoties Romam ad dicendam caussam citasset, neque tamen ille comparuisset, tandem diris eum devovere non dubitabat.

Regnabat autem tum temporis *ignorantia* & *superstitio* per Germaniam, ut decreta Romani Pontificis vulgo haberentur pro oraculis: Fulmen igitur excommunicationis tantum poterat etiam apud Imperii Principes non paucos, ut Anno 1076. Triburiæ convenirent, atque de novo Imperatore eligendo consilia communicarent.

Quid faceret Henricus IV. in his angustiis? Nempe ut ex duobus malis eligeret minus, iter parabat in Italiam, absolutionem a Gregorio VII. petiturus: quam demum sequenti anno 1077. post tridui inediam & frigus, Canusii indignissimis conditionibus impetrare poterat. Videatur SCHAFNABURGENSIS *p. 249. Edit. Pist.*

Quædum scribo, facere non possum, quin seculo, quo jam vivimus de sua felicitate gratuler: Nostris enim temporibus, per Dei gratiam & *invictissimorum Imperatorum* fotitudinem, eo redacti sunt Hildebrandi successores, ut Cæsari R. I. semper Augusto nullum damnum sive ignominiam inferre possint, cum etiam in electione præsentis Imperatoris Augustissimi Caroli VI. vana sine viribus fuerit ira pontificis, quod testatur tractatus gallicus: *Remarques nouvelles sur vn Bref du Pape.* Largiatur modo Deus Carolo VI. Imperat. S. R. I. Augustissimo nec non optimo & indulgentissimo Regi Pol. & Elect. Sax. vires, honores, & annos de nostris.

Cæterum apologiam pro Henrico IV. scripsit GOLDASTUS, collectis in unum corpus scriptoribus, qui partes Imperatoris contra Hildebrandum tutati sunt. Vicissim contra Henricum acerrime scripsit BRUNO de *Bello Saxonico apud Freherum.* Multa etiam, quæ huc faciunt, collegit diligentissimus BANGERTUS *in notis ad Helmodi Chronicon Slavorum p. 73.* De tyrannide autem & superbia Pontificum Romanorum ejusdem imprimis seculi copiose olim disseruit Beatus Dn. GUNTHERUS, Præceptor meus, etiam post fata colendus, in disputatione inaugurali, quam *de modo singulari convincendi Lutheranos etiam contumacissimos* adhuc superstes conscripsit.

POSITIO IX.

Sed cum in Italia pœnitentiam ageret Henricus IV. ecce! nonnulli Germaniæ Principes interea novum eligebant Imperatorem, Rudolfum scilicet Suevicum.

Grego-

Gregorius VII. spem fecerat Imperii Principibus suæ factionis, fore, ut quam primum ipse in Germaniam veniret, & bellorum civilium tempestates *apostolici moderaminis gubernaculo* temperaret; sed cum eo tempore non liceret Pontifici, ut itineri tam periculoso se committeret, tandem *Sigefridus* Moguntinus, *Adelbertus* Wurtzburgensis & *Hermannus* Metensis, Episcopi, cum *Rudolfo* Sueviæ, *Wolfo* Bavariæ, *Ottone* Saxoniæ, & *Bertholdo* Zæringiæ Ducibus, de summa rerum deliberaturi, publica agitabant comitia.

Locus comitiorum ex communi sententia *Forchemium* Franconiæ oppidum fuit; quanquam CRUSIUS *Annalium Parte 2. p. 238. Sforthaimium* fuisse contendat. Ibi mense Februario anno 1077. in præsentia Legatorum Pontificiorum, in Imperatorem eligebatur *Rudolfus Suevicus*. De hac electione SPENERUS *in historia Germaniæ Univers. Tom. II. p. 412.* ita sentit: *Eligunt Principes Rudolfum Suevum, affinem Henrici nunc hostem præcipue ei infensum. Tot autem conditionibus novum Regem circumscribunt, ut vere precarium haberet regnum, nec ultra tantum in regno valeret, quantum Dux in provincia.* Inaugurationis autem solennia, sequenti mense Martio, peragebantur Moguntii. vid. SCHAFNABURGENSIS *p. 252. Ed. Pist.* & URSPERGENSIS *p. 235.*

Quam infausta vero fuerit hæc Pseudo-Imperatoris coronatio, CRUSII verbis recensere libet, qui *part. 2. p. 239.* rem ita narrat: *Cum Sigefridus inungeret & coronaret novum Regem, ecce tibi faustum omen, cives Moguntinenses. Hi armis correptis & Archiepiscopum & Rudolfum tanquam Henrici Regis proditores, urbe exigere conantur, sed a præsidio Rudolfi profligantur, multis in templo occisis. Dominis illis, peracta re divina, in palatinis ædibus cænam capientibus, ecce rursus civium agmen! ecce pugna? occumbunt Rudolfi milites, faces in prætorium jactantur, interficiatur, clamant, sceleratus tyrannus, & sacrilegus episcopus. Hi vero, visa tanta vi, tanta animorum acerbitate, non resistere, sed tenebris noctis se tegere cogitaverunt, & inde in Saxoniam elapsi sunt.*

An ista Rudolfi electio præscitu Gregorii Pontificis facta sit, in dubio relinquendum est: quod autem factam electionem suo calculo approbaverit, testis omni exceptione major *corona* est, quam ei pontifex cum hac epigraphe transmisit: *Petra dedit Petro; Petrus diadema Rudolfo*; OTTO FRISINGENSIS *p. 412. Edit. Urst.* & SIGEBERTUS GEMBLACENSIS *p. 603. Edit. Pist.* referunt, vel: *Papa dedit Romam Petro; Tibi Papa coronam;* ut habet ALBERTUS STADENSIS *p. 246.*

Tum temporis adhuc in Italia morabatur Imperator Henricus IV. ignarus, quid rerum vel Forchemii, vel Moguntii actum esset: sed Wernerus II. Episcopus Argentinensis, qui Rudolfi electionem omnibus modis detestabatur, festinabundus Romam pergebat, Henricoque autor erat, ut quanta fieri posset celeritate in Germaniam rediret: quod pluribus narrat ALBERTUS STADENSIS *p. 246.*

POSITIO X.

Licet autem sic satis legitime electus videri possit Rudolfus. Ego tamen perfidiam ejus nullo modo excusandam esse arbitror.

Fidelitatis juramentum Henrico Imperatori suo dixerat Rudolfus, de quo nullum est dubium: atque hoc unicum deterrere debuisset Rudolfum, quo minus oblatam coronam acciperet. Agnovit hoc ipse Rudolphus, anno 1073. quo juravit, *se non passurum, ut in Imperatorem eligeretur, nisi prius juramenti religione, & fide Henrico debita solutus esset:* quod expressis verbis testatur ADELZREITERUS *Part. I. Lib. 18. §. 17. p. 468.* Idem etiam agnovit anno 1080. cum in ultimo vitæ suæ articulo constitutus esset, quod infra testatum faciemus. Si autem & ante, & post electionem cognovit Rudolfus, quid sui sit officii, ego profecto non video, cur idem cognoscere non potuerit anno 1078. quo coronam imperialem sibi imponi passus est.

Valere præterea apud Rudolfum debebat beneficiorum memoria, quibus eum affecerat Henricus: ut taceam geminum affinitatis vinculum, de quo jam supra suo loco actum est. Neque excusationem petere poterat ab insidiis, quas ei struxerat Imperator: jam dudum enim, agnito errore, cum Rudolfo in gratiam redierat Henricus, teste SCHAFNABURGENSI *ad annum 1073. p. 191.*

Electum eum a Germaniæ Principibus fuisse, sed non ab omnibus, imo vero a paucissimis. Quod si etiam nonnihil injuriarum ab Imperatore acceperant Saxones, quid hoc ad Rudolfum nostrum, qui non Saxonico, sed Suevico sanguine progenitus erat. Et si adeo Saxonum injuriis commotus fuisset Rudolfus, qua quæso conscientia paulo ante, anno scilicet 1075. pro Henrico contra Saxones pugnare potuisset?

Neque in Pontifice Romano quæri potest perfugium. Si enim contra mentem Gregorii VII. facta est Rudolfi electio, quod expressis verbis testatur ADELZREITERUS *Part. I. p. 485.* sane juramenti religione, a Pontifice quidem Romano, non fuit solutus. Sin autem Imperii Principes, ut Rudolfum eligerent, exstimulavit Gregorius, nosse profecto & poterat & debebat Rudolfus, quod Pontifici Romano in temporalibus nihil juris sit in Imperatorem Romanum, præsertim cum eo ipso tempore veniam peccatorum suorum a Pontifice Romano impetrasset Henricus, quod profecto Rudolfum latere non potuit. Fac etiam esse, quod Rudolfus conscientiam habuerit vel *dubiam* vel *scrupulosam;* scire tamen debebat, quamdiu judicium intellectus nullo rationum momento in neutram partem vergit, *actionem esse suspendendam:* quod jam suo ævo agnovit CICERO, solo rationis lumine usus, quando *Lib. I. offic. cap. 9.* ita scribit: *Bene præcipiunt, qui vetant, quicquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum.* Videatur PUFFENDORFFI *Jus Naturæ Lib. I. cap. 3. p. 45.* Adjiciamus quæ *summe reverendus* BUDDEUS *in Institut. Theol. Moral. P. II. c. I. §. 25. p. 384.* de conscientia dubia proposuit. Hancce modo adductam regulam Ciceronis: *Bene præcipiunt, qui vetant, quicquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum,* non simpliciter & sine limitatione admittendam esse, existimavit B. TITIUS, *Lipsiensium olim JCtus clariss. in observ. ad Puffend. de offic. hominis & Civis ad L. I. c. 1. observ. 19. p. 94. Dubitans enim,* scripsit, *habet intentionem & bene & male agendi, hinc tum demum peccati arguendus est, si actio suscepta legi etiam revera repugnet. Ast qui dubitat & non obstante dubitatione agit, intentionem habet legem migrandi, etiamsi illi adversa fuerit.* Hic etiam non ipsa actio, sed sola intentio in censum venit, quod recte quoque observat JO. BARBEYRACIUS *ad Puf. de J. Nat. & Gent. L. I. c. 3. §. 8.*

POSI-

POSITIO XI.

Henrico ex Italia reverſo, in duas partes ſcindebatur Germania, aliis Imperii Principibus Henrici, aliis Rudolfi partes tenentibus: Hinc ſequebantur prœlia cruenta, quibus anno 1077. 1078. 1079. atque 1080. de ſumma rerum dimicatum eſt.

Rudolfi partes ſequebantur *Suevi* atque *Saxones*; Henricum tuebantur *Francones* & *Rhenani*. De numero prœliorum variant Autores. Intra quadriennium confectum eſt bellum, cujus hiſtoriam in brevi compendio exhibebimus.

Anno 1077. *primum prælium* commiſſum eſt prope *Herbipolin*, ex quo ſuperior diſceſſit Rudolfus, ut diſſertis verbis teſtatur SPANGENBERG *in Chronico Mansfeldico p. 219*. Und gewann König Rudolf dieſesmahl nicht allein die Schlacht/ ſondern auch die Stadt Würtzburg/ bey welcher das Treffen vorgegangen. Imo magno tunc in periculo fuit ipſe Henricus, propter inſidias, quibus eum circumvenerat Rudolfus, ut niſi lorica munitus fuiſſet, proditorum petitiones evitare non potuiſſet. Vide præter SPANGENBERGIUM etiam LEHMANNI *Chronicon Spirenſe p. 407*.

Anno 1078. menſe Auguſto acerrime *rurſus* pugnatum eſt ad fluvium *Stronow*, non procul a *Mellerſtadio* Franconiæ oppido. Tanta vero fuit prœlii ambiguitas, ut ab utra parte victoria ſteterit, difficile dictu ſit: certum tamen eſt, ex Rudolfi copiis plures belli Duces atque Principes vel obtruncatos vel captos fuiſſe. *Wernerus* Archiepiſcopus Magdeburgenſis in fuga vel ferro vel laqueo periit: *Sigefridus* Præſul Moguntinus, & *Wernerus* antiſtes Merſeburgenſis, cum jam ex arbore ſuſpendendi eſſent, ab ipſo Henrico, qui forte ſupervenerat, militum gregariorum manibus erepti atque conſervati ſunt: *Albertus* autem Wormatienſis Epiſcopus, quod ne quidem aſpectu dignaretur victorem ſuum, in vincula conjectus eſt. *Hermannus* atque *Magnus* Saxoniæ Duces in ipſo prœlio ciciderunt. Plura qui velit, evolvat CRUSII *annales Part. 2. p. 242*. AVENTINUM *lib. 5. p. 355*. SPANGENBERGII *Chronicon Mansfeldicum p. 220*. RIVANDRI Thüringiſche *Chronica p. 198*. Thüringiſche Merckwürdigkeiten *p. 473*. TRITHEMII *Chronicon Hirſchaugienſe p. 250*. ADELZREITERUM *Part. I. p. 487*. & ex antiquioribus URSPERGENSEM *p. 236*. STADENSEM *p. 247*. MARIANUM SCOTUM *pag. 455*. & LAMBERTUM SCHAFNABURGENSEM *p. 253. Edit. Piſt.*

Anno 1079. menſe Februario *tertium prælium* commiſſum eſt prope *Flandenheimium* ſive *Feldheim* in Thuringia. ADELZREITERUS victoriam adſcribit Rudolfo *Part. I. p. 489*. USPERGENSIS vero Henrico *p. 236*. In ipſo prœlio ſine dubio victoriam reportavit Henricus; ſed a Saxonibus tamen ejus caſtra direpta ſunt. *Wratiſlaus* Bohemiæ Dux, qui Henrico ſuppetias tulerat, ipſam haſtam, quam tenebat, Rudolfo extorſit e manibus. Videatur BALBINI *Epitome p. 206*. Quam male in hoc prœlio rurſus mulctatus fuerit *Wernerus* Merſeburgenſis Epiſcopus, quem veſtimentis omnibus ſpoliatum, nudum abegerunt milites, legi poteſt in *Chronico Magdeburgenſi* apud MEIBOMIUM *Part. 2. p. 243*. hæc Germanica adſcripſit verba: Das hieß die armen Sachſen und Schwaben ins Schwitz-Bad geführet!

Anno 1080. demum secutum est *prælium decretorium*, de quo sequenti paragrapho acturi sumus. Dicto hoc anno maxime Gregorius VII. Episcopos & Principes una cum Rudolfo Suevico adversus Henricum IV. concitavit, quod ex Bennone Cardinali supra allegato clarissimus Dn. Leuckfeld *in antiquitatibus Halberstadensibus*, oder historischer Beschreibung des vormahligen Bischoffthums Halberstadt *p. 505.* egregia addita epicrisi ita profert: Der Pabst Gregorius reitzte die Sachsen mit ihren Bischöffen und Herren/ nebst ihrem Könige Rudolfo nicht nur beständig an/ daß sie sich tapfer Käyser Heinrichen wiedersetzen und gegen ihn fechten solten/ denn er wüste gewiß/ daß er als ein unächter Käyser dis Jahr sterben würde/ er wolte auch nicht eher ruhen/ bis er ihn aus dem Lande der Lebendigen ausgerottet hätte/ oder er wolte nicht Pabst seyn/ sondern er ließ auch seine Creaturen in Rom den 7. Martii zusammen kommen und that den Käyser abermahls in den Bann/ sprach auch alle Unterthanen quit und loß von dem Eyd und Gehorsam/ so sie ihm geleistet/ und warf dabey eine gesegnete Hostie ins Feuer durch Zauberey zu erfahren/ wie bald der Käyser sterben würde. Wie solches gemeldter Cardinal bezeuget. Dergleichen aber der heilige Apostel Petrus und Paulus niemahls/ auch nicht einmahl gegen die heydnische Obrigkeit und den Tyrannen Nero gethan/ sondern zum Gehorsam und Unterthänigkeit die Christen ermahnet haben/ gleich wie sie selbst mit einem demüthigen und GOtt-gefälligen Exempel nach Christi Fürbilde ihnen darinnen fürgegangen seyn. Welches dero vermeynter Stuhl-Successor billig beobachten sollen.

Et quid miri? hoc tum accidisse Romæ, quoniam teste B. CELLARIO *in Hist. medii ævi ad sec. X. p. 116.* non levia damna erant, quæ ecclesiam premebant, invalescente indies superstitione, impietate Pontificum, ruditate monachorum & omnium, qui sacris operam addixerant &c. Citato loco autor etiam ex Baronio refert, intruso fuisse eo tempore in romanam sedem homines monstrosos, turpissimos, perditissimos usque quaque fœdissimos.

POSITIO XII.

In quarto denique prœlio, quod anno 1080. mense Octobr. ad Elystrum commissum est, Rudolfus coronam Imperialem amisit.

Postquam in principio hujus anni prope *Strausfurt* in Thuringia, quoddam quasi præludium certaminis factum esset, de quo vide SPANGENB. *Mansf. Chron. p. 221.* ad fatale tandem prœlium in Misniam vicinam se convertit uterque exercitus.

Ad *Elystrum* fluvium pugnatum esse constans plurimorum Historicorum est relatio: Ex locis autem vicinis alii nominant Volcksheim. Fabricius Lib. 3. p. 359. Alii Milsen. Wiprecht in Chronico p. 306. alii Drößig. Zieglers Schau-Platz p. 1168. alii zwischen Drößig und Gera. Brotuf. p. 425. qui tamen facile omnes inter se conciliari possunt ab iis, qui in Misniæ topographia versati sunt: CRANZIUS autem nullo modo excusandas est, qui hoc prœlium prope Herbipolin depugnatum esse scribit *Lib. 5. p. 119.*

De

De die, quo proelium commissum est, itidem non consentiunt autores. BROTUFIUS *p. 510.* & BANGERTUS *ad Helmoldum p. 77.* habent diem 15. Octobr. sed credibilius est, quod die 12. Octobr. pugnatum sit, quod testatur SPANGENBERG *in Chron. Mansf. pag. 221.* & CRUSIUS *in Annal. Sueviæ Part. 2. p. 251.*

Rudolfus, cum lento agmine moveri jussisset in hostem, simul sacerdotibus negotium dabat, ut divinam opem implorarent, decantato Psalmo 82. qui in nostris Bibliis 83. est, quo vix alius ad erigendos militum animos est efficacior. His autem verbis incipit: *O Deus! ne agas silentium! ne surdum agas, neque quiescas, o Deus fortis! Nam ecce inimici tui perstrepunt, & osores Tui extollunt caput &c.* Autor est ADELZREITERUS *Part. I. lib. 18. pag. 491.*

Diu ancipiti Marte pugnatum est, donec tandem ad Rudolfi partes inclinare videretur fortuna bellica, ita ut Henricus jam de fuga cogitaret, sed Rudolfo lethaliter vulnerato, subito ea rerum conversio facta est, ut Henricus plenam victoriam reportaret. Legatur SPANGENB. *Chron. Mansf. pag. 221. seq.* Cui jungatur GOTTEFRIDUS *Viterbiensis*, qui p. 502. de hoc prœlio vere decretorio inter alia sic canit:

Dum fugit Henricus, comitum comitante caterva,
Miles ei signum media statione reservat,
Dicens: quo graderis! respice victor eris,
Hoc ego Rudolfum gladio tibi dico peremtum,
Rex negat eventum, sed eum trahit ille retentum:
Rex ubi fata gemit, publica fama venit.
Miles ait: surge, tua gloria magna resurget;
Saxo fugit, quia Rex cecidit, tu curre, perurge.
Dum tractus rediit, victor & ille fuit &c.

POSITIO XIII.

Rudolfus duplici vulnere accepto semianimis delatus est Merseburgum, ubi quarto a pugna die, magno gentis Saxonicæ luctu, animam exhalavit.

Merseburgum unde hoc nomen derivetur, varie disputant Chronographi. Prolixus hac de re egit VULPIUS in Merseburgischen *Chronico c. 1. p. 1. 2. 3. 4. sqq.* Celeberrimus vero ille atque Excellentissimus Dominus *Jo. Petr. a* LUDEWIG Fridericianæ Cancellarius gravissimus *Tom. 14. Reliqu. Manuscript. omnis ævi diplom. ac monument. in præfat. p. 55. & 56.* longe aliter sentit: *Cæterum*, inquit, *binis verbis addo. Merseburgum nunc Marcipolin, Herisburgum nunc Martisburgum iterum aliter scribi: verum nostro judicio probari simplicitatem. Idque ideo, quoniam hæc scriptura est vetus in annalibus & monumentis. Deinde oppidum quondam altera parte circumdatum fuisse paludibus fluviorum Salæ & Elstræ, excedentium suos alveos Lipsiam versus, usque dum fossis & eminentioribus viis, de quarum instauratione* p. 585. *aqua depulsa & cursu promota est, illud quidem hodieque patet viatoribus. Sed Germa-*

 ni

ni palustria loca adpellarunt parva maria, mer, mor, morast, quam maris significationem paulo mutarunt Romani. Inde Mærseburgum, sive Merseburgum, idem quam castellum inter palustria. Inde clades, in qua occubuit Rudolfus noster, describitur contigisse inter Elistrum fluvium & Gronæ paludes. Vellem igitur desinerent scriptores nugari, expungerentque in libellis Marcipolin aut Martisburgum simplici nomine Merseburgi restituto postliminio. Huc etiam valent, quæ jam laudatus HUBNERUS im achten Theil seiner kurtzen Fragen aus der politischen Historia *p. 627.* ita profert. Merseburg ist / nachdem ohngefehr 7. Jahr vor Christi Geburt der Römische General Drusus Germanicus mit einem Römischen Kriegs-Heer bis an die Saale kommen/

(*Et Sala, quæ Drusi gestat præclara Trophæa*)
(CONF. CELTES *in Hercyn.*)

damahls noch keine Stadt/ sondern nur eine Römische Burg gewesen/ darein die Römer eine Garnison gelegt haben. Es fliesset aber unter diesem Berge ein kleiner Strom in die Saale/ welcher die Geissel lat. Gisala genennet wird: An demselben Wasser hat damahls nur ein Dorff gelegen/ welches nach dem Wasser Geissel oder Giesel ist genennet worden: Es soll sich auch dieses Dorff etliche Meilen an gedachtem Strome hin/ bis nach Mücheln erstreckt haben; welches sich diejenigen leichte werden einbilden können/ welche von den Pagis der alten Deutschen einige Nachricht haben. Was nun von diesem Dorffe zunechst an der Römischen Burg gelegen hat/ das ist im andern Seculo zur Zeit Kaysers Antonini Pii, ohngefehr Anno 160. mit einer Mauer umgeben / und also in eine Stadt verwandelt worden / welche bis auf diesen Tag Merseburg genennet wird.

Die Stadt hat sich anfangs nur bis an die Geissel erstrecket / und ist also gar klein gewesen. Nachdem sich aber die Einwohner gemehret haben/ so ist nach diesem zur Zeit Käysers Ottonis I. das Stücke über dem Wasser bis an das Thor St. Sixti daran gebauet worden. Als aber im fünften Seculo das Thüringische Reich sich weit und breit erstreckte/ so hat Merseburg ausser allen Zweifel auch daruntur gehöret. Und alß endlich im sechsten Seculo die Sachsen um die Gegend den meister spielten/ so ist Merseburg ohne Zweifel mit dem übrigen nordlichen Theile von Thüringen den Sachsen zu Theile worden. Ob aber gleich in den nachfolgenden Zeiten nicht nur Bischöffe / sondern auch Grafen zu Merseburg residiret haben / so ist doch die Stadt Merseburg an sich selber keinem von beyden schlechterdings unterworfen gewesen/ sondern es ist eine frey Käyserliche Pfaltz-Stadt gewesen / darinnen die Käyser / wenn sie nach Sachsen kommen sind/ ihr PALATIUM, oder ihre Pfaltz gehalten haben. Gestalt denn auch ungezweiffelte Nachricht vorhanden ist / daß vor dem grossen Interregno von den Sächsischen / Fränckischen und Schwäbischen Käysern / vielfältige Reichs-Täge in der Stadt sind gehalten worden. Nachdem aber erstlich die Grafen von Merseburg Anno 1007. abgestorben sind / und nach dem grossen Interregno die Käyser meistens an gewissen Orten residiret haben / so ist die Stadt Merseburg nach und nach unter die Gewalt der Bischöffe kommen / und auch bis auf diesen Tag darunter geblieben. Reliqua apud VULPIUM *in Chron. Merseb.* una cum autorum testimoniis legi possunt *cap. 4. pag. 19. seq.*

Ma-

Manum dextram a *Godofredo Bullionæo*, qui paulo post regnum Hierosolymitanum Saracenis eripuit, amputatam fuisse, tradit Autor **der Thüringischen Merckwürdigkeiten** p. 424.

De isto *Godofredo Bullionæo* ejusdemque gestis amplissimus atque doctissimus noster TRILLERUS, quem ipsi exteri ob varia rarissimi ingenii & politioris doctrinæ exempla mirantur & sequuntur, *in annotationibus suis super Hugonis Grotii Christum patientem p. 600. seqq.* scite & diserte scripsit. Alii vulnus circa ilia a *Bullionæo* inflictum, aliis vero deinde accurentibus manum, dubium a quo, abscissam fuisse affirmant, teste MATTHIA *in Theatro Hist. pag. 907.* CLUVERIUS autem refert, *Bullionæum* vexillum, quod gerebat, impegisse in pectus Rudolfi, eoque transverberato, cruentum rursus erexisse. vid. *Epitome p. 511.*

Cum de lethalitate utriusque vulneris nullum esset dubium, Wernerus Episcopus Merseburgensis, qui non modo partes, sed etiam castra ejus constanter secutus fuerat, curavit, ut Rudolfus semianimis Merseburgum transferretur, ubi die 16. Octobr. 1080. hoc est, quarto a prœlio die, satis placide expiravit.

Saxoniæ Principes, qui ad lectum morientis Rudolfi adstabant, inter alia dixisse feruntur, *si Dominus omnipotens vitam illi servare vellet, etiamsi utraque manu careret, nullum tamen alium, eo vivo, Saxoniæ Rectorem se electuros esse; Regum enim vires in capite & sapientia non in manibus & corporis robore residere.* Qua fide Rudolfus multum lætatus, felici morte resolutus dicitur. Vide CRUSIUM *Part. 2. p. 251. Chronicon Magdeburgicum apud* MEIBOMIUM *Tom. 2. p. 316.* & ADELZREITERUM *Part. I. p. 492.*

Quo ætatis anno obierit Rudolfus, nullibi quod ego sciam, annotatum est, neque in epitaphio ejus quicquam apparet, ex quo saltem aliquid opinari aut divinare liceat. AVENTINUS tamen *lib. 5. p. 351.* scribit: *Rudolfum* jam anno 1077. cum in regem se eligi pateretur, *fuisse virum senectute venerabilem, domi forisque præclarum, cæterisque principibus bonis artibus præstantem;* ex quo conjici potest, quod tum, cum animam efflaret, ad minimum sexagenario major fuerit.

Quod superest, Rudolfus morte sua confirmavit Pontificis vaticinium, qui *divinitus relatum sibi prædixerat, hoc anno 1080. falsum Regem esse moriturum*, quod Gregorius quidem de Henrico intellectum voluit; de Rudolfo autem intelligendum fuisse, magno animi sui mœrore didicit. Videatur SIGEBERTIS GEMBLACENSIS *p. 604. Editionis Pistorianæ.*

POSITIO XIV.

Rudolfus, cum in ultimo vitæ suæ articulo jam constitutus esset, perfidiam suam agnovit atque publice detestatus est.

Erant nonnulla, fateor, quæ Rudolfi conscientiam tranquillare aut ad minimum in admisso errore sic confirmare potuissent, ut quæ gesserat, bene recte-

recteque gesta sibi viderentur. Primo enim Hildebrandus anno 1080. denuo excommunicaverat Henricum, & quidem his verbis: *Ego autoritate apostolica mibi a Deo delata, Henricum Regio Germaniæ titulo iterum spolio, & Christianorum obedientia privo, atque omnes religione jurisjurandi, quo se illi obstrinxerint, absolvo. Contra vero ut Rudolfus a proceribus Germaniæ in Henrici locum declaratus, regnum administret ac tueatur: nomine nostro omnibus, qui fidem ei præstiterunt, omnium peccatorum remissionem veniamque, & in hac, & in futura vita concedo.* Legi hæc possunt apud CRUSIUM *p. 250.*

Deinde idem Hildebrandus ad Rudolfum sequentem dederat epistolam: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Rudolfo Regi & omnibus secum in regno Saxonum commanentibus, tam Episcopis, quam Ducibus & Comitibus, majoribusque ac minoribus, peccatorum absolutionem & Apostolicam benedictionem! cum veritas ipsa dicat, omnium, qui propter justitiam persecutionem patiuntur, regnum esse cælorum, & Apostolus clamet, neminem nisi qui legitime certaverit, posse coronari: nolite, filii mei, in hoc, qui vos jam multo tempore exagitat, bellico furore deficere: nolite per illius fallentis personæ mendacia, de nostro fideli adjutorio dubitare, sed magis magisque pro tuenda veritate ecclesiastica, pro defendenda vestræ nobilitatis libertate labori jam citius finiendo incumbite: Vos & corpora vestra, quasi murum pro Domo Israel opponendo.* Videatur CRUSIUS *loco citato p. 251.*

His talibus decretis & literis Pontificis maximi, cum Rudolfus denuo ad tentandam belli aleam inductus fuisset, sine dubio potuisset aliquam exinde consolationem sibi affingere: Sed tanta erat vis conscientiæ, ut morti jam vicinus culpam non palliaret, sed eam potius, dextram abscissam sinistra tenens, convocatis ad se factionis suæ Episcopis atque Principibus, ingenue fateretur.

Verba, quibus usus est Rudolfus, ita refert URSPERGENSIS *p. 238. Ecce, hæc est manus, qua Domino meo Henrico fidem sacramento firmavi! ecce ego jam ejus regnum & vitam derelinquo præsentem; videte, qui me solium ejus conscendere fecistis, ut recta via monita vestra sequentem duxeritis.*

ALBERTUS autem STADENSIS paulo aliter *p. 247. Ecce hæc est manus, qua Domino meo, Henrico fidem firmavi sacramento: sed jussio Apostolica, pontificumque petitio, quæ me ad id deduxit, ut juramenti transgressor, bonorem mibi indebitum usurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis: quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo hi, qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerint, ne forte deducti simus in præcipitio mortis æternæ: Et hæc dicens, diem clausit extremum.*

Rursus aliter recenset ultima hæc Rudolfi verba Historicus recentior, MATTHIAS *in Theat. Hist. p. 907. Cum Rudolfo morituro dextra præcisa afferretur ad adstantes Episcopos dixisse fertur: Condignam ego perjurii accipio mercedem: Ecce hæc est manus, qua Domino meo Henrico fidem sanctissime juravi: Vos Episcopi videte, in quo me, vestra monita sequentem collocastis solium! Ego quidem ex hac vita discedo, sed vobis rationes Deo reddendæ erunt.*

Allegari hic etiam merentur verba ANONYMI, qui vitam Henrici IV. conscripsit, quæ extant *p. 185. Editionis Reuberianæ: Abscissa Rudolfi dextra dignissimam perjurii vindictam demonstravit, qui fidem Domino suo Regi juratam violare*

violare non timuit: & tanquam alia vulnera non sufficerent ad mortem, accessit etiam hujus membri pœna, ut per pœnam agnosceretur & culpa.

Notatu digna existimo, quæ circa verba ex vita migrantis Rudolfi ita monuit jam laudatus LEUCKFELD *in Chron. Halberst. p. 508.* Die letzten Römischen Scribenten gehen diesen merckwürdigen Umstand gar vorbey/ und melden nur insgemein / er wäre im Siege als ein anderer Epaminondas verschieden. Wäre dieser Rudolfus auf Käyserlicher seite gewesen und hätte bey seinem Abschiede eine solche Rede gegen dessen Bischöffe und Herren wider den Käyser / zum besten Hildebrandi gethan / so würde davon gewiß des Schreibens kein Ende seyn/ und sein Todt unfehlbar unter die Rache GOttes gesetzt werden / da aber das Gegentheil geschehen / so übergehet man alles mit Stillschweigen/ und gedencket an keine Straff-Hand GOttes/ die einen unrechtmäßigen König und verführten Meyneydigen darnieder geleget hat. Da man doch im Gegentheil findet / wenn auf Käyserlichen Seiten ein Bischoff oder anderer Herr gantz ordinair bey gutem Alter auf dem Bette verschieden/ daß man immerfort wider das Zeugniß derer alten wahren Scribenten gantz erschreckliche und unsehliche Arten des Todes ihnen andichtet/ um die Geschichte des Käysers nur desto greulicher denen Unwissenden in der Historie/ zu dessen grösserer Beschimpfung vorstellig zu machen/ welches aber ein böses Zeichen einer sehr schlimmen Sache ist.

POSITIO XV.

Corpus Rudolfi in templo cathedrali, quod Merseburgi est, splendide tumulatum est, ubi in hunc usque diem illius sepulchrum, Epitaphium, atque manus amputa conspici potest.

De templo hoc cathedrali refert jam allegatus Dn. HUBNERUS im achten Theile seiner kurtzen Fragen aus der politischen Historie *p. 683.* Die erste Christliche Kirche zu Merseburg hat Käyser Carolus M. anlegen lassen/ nachdem er anno 785. die Sachsen zum Christlichen Glauben bekehret hatte. Sie ist die Kirche zu St. Johannis genennet worden / hat ihre Einkünffte und Canonicos gehabt / und hat gestanden / wo heutiges Tages in der Fürstlichen Residentz die Hof-Stube stehet. Darnach hatte Käyser Henricus Auceps, nachdem er die Wenden ziemlich gedemüthiget hatte/ den Vorsatz/ zu Merseburg ein Bißthum anzulegen und dadurch das Christenthum auszubreiten/ er ward aber von dem Tode übereilet/ ehe er sein Vorhaben bewerckstelligen konnte. Doch hat er anno 935. eine kleine Kirche an den Ort gebauet / wo nunmehr die Dom-Kirche stehet / und der itzige Schloß-Platz ist damahls der Kirch-Hoff gewesen. Huc pertinent quæ *summe Reverendus* Dn. BUDDEUS im allgemeinen Historischen *Lexico P. III. p. 516.* scripsit: Käyser Otto brachte die beeden Cörper St. Romani und Maximi dahin/ und schenckte das alte Käyserliche Hauß dem Bischoffe zur Wohnung/ die Kirche ließ er dem allmächtigen GOtt/ Johanni dem Täuffer / und St. Laurentio zu Ehren einweihen. Solche ist aber durch die Pohlen und Wenden anno 982. wiederum zerstöhret worden. Hierauf hat Käyser Heinrich der II. anno 1015. zu der annoch stehenden Thum-Kirche die ersten 4. Grund-Steine geleget/ und 2. grosse Glocken giessen lassen/

im übrigen aber 2. silberne Leuchter / eine güldene Taffel vom Ungerischen oder Arabischen Golde mit Edelgesteinen / nebst güldenen Laubwerck / dazwischen ein Crucifix gestanden / samt andern Kleinodien hinein verehret / welche aber nachgehends Käyser Carl der Vte / da er Churfürst Johann Friedrichen bekrieget / aus der Kirche nehmen / und mit sich fortführen lassen. Erst gedachter Käyser Heinrich hat anno 1021. dem Bischoff Dietmaren in diese Thum-Kirche zwey güldene und mit Edelgesteinen reich besetzte Kelche verehret. Desgleichen hat er auch ein mit Gold beschlagenes Evangelien-Buch / 2. kostbare Creutze / 2. Capseln von Silber und viel andern Kirchen-Ornat dazu geschencket. Etsi quidem Caroli V. milites hocce templum despoliarent thesauris, reliquerunt tamen, haud animadvertentes, nec satis circumspicientes, arcam aliquam albam, vestibus & aliis ornamentis aureis ac argenteis, margaritis & gemmis varie distinctis, repletam, quam ipse aliquo tempore in capella Episcopali ad sinistram manum dicti templi cathedralis (vulgo Herrschaffts-Seite) positam, repertam atque apertam, paulo post vero jussu Rev. Capituli in locum satis clausum & munitum (vulgo Clausur) translatam esse memini. Ita citato loco pergit Dn. BUDDEUS: Der Chor war an dem Gewölb nicht alzuwohl versehen / und fiel dahero unter dem Bischoff Hunoldo unversehends ein / und ob zwar Käyser Heinrich der III. solchen wieder aufbauen lassen / so fiel er doch zum andernmahl übernhauffen. Weßwegen der Bischoff Hunold ein neues aufrichten lassen / und zu mehrer Befestigung an die Seiten des Chors die zween hohen steinerne runde Thürme gegen Morgen gebauet. Bischoff Werner hat den grossen Glocken-Thurm mit zwey alten Spitzen von Grund auf neu erbauet; nachmahls hat Bischoff Thilo und sein Nachfolger Bischoff Adolph den Thurm fast von neuen aufgeführet / worauf er Anno 1517. eingeweyhet worden 2c.

Episcopatum Merseburgensem quod attinet, duplicem imprimis ejus fundationem, alteram ab *Ottone I.* an. 968. factam, alteram ab *Henrico II.* Imp. restauratam probe notandam esse arbitror. Ex Grammatophylacio (S. Archiv.) Summe Rev. Capituli literas confirmatorias, quæ plurimos latent hisce pagellis comites esse volui: *In nomine sanctæ & individuæ trinitatis* HENRICUS *divina favente clementia Rex. Notum habeat totius orbis terrarum circulus, & præcipue tam præsens fidelium nostrorum industria, quam eorum ex toto posteritas futura, qualiter pia jam dudum magni Ottonis Imperatoris solertia, sanctam Merseburgensis ecclesiæ sedem Episcopii nomine, in honorem Sancti Johannis Baptistæ Sanctorumque Christi martyrum Laurentii ac Romani, ex voti debito, primitus ornavit, ordinatoque ibi pastore pervigili Bosone, facultatibus & sumptibus necessariis, locum pro tempore sublimavit, additis suo debitis servitio, tam redditibus quam prædiis, ut quæ hic cum benedictione sibi temporaliter in mundi spargeret arena, coram Deo lucrificatione recolligens meteret. Quibus de medio discedentibus, & Gysillario Episcopo succedente, honorabile illud Episcopii caput & nomen in Abbatbiam flebiliter commutatum in Archiepiscopi Magdeburgensis servitium, quorundam, ut ita dicamus, inconsiderata religio usque ad nostra tempora transmigravit. Nos itaque, divino ut credimus instinctu, una cum dilectissima nobis conjuge & regnorum consorte* CUNIGUNDA *præfatam sedem reparare volentes, mortuo Gisillario Episcopo, votum effectum complevimus, institutoque ibidem venerabili de nostra capella Præsule Wipperto, omnia, quæ quolibet modo ab antecessoribus nostris Regibus ac Imperatoribus ibidem quondam tradita, vel præceptorum scriptis commendata, aut aliquo modo inde fuerant abalienata recollegimus, & sanctæ sedi illi per hoc Regiæ Majestatis insigne confirmavimus. Unde vero & partem parochiæ atque decimationem civitatum, quæ Treben & Tuchamuzi vocantur,*

tur, ab venerabili Episcopo Cicicensis ecclesiæ Hildubarto, cum tribus villis loco sibi competente collocatis & sub uno vocabulo Crozuwa vocatis, sua voluntate redimentes, Merseburgensi ecclesiæ restituimus. Præter hæc etiam duas villas in pago Schuzi, & pagos in Episcopatu sitos, nomine Wisseburgk & Lostatana, quos prædictæ destructor ecclesiæ Gisillerus sine Concambio & Regalibus perceptis Wolcoldo Misnensis ecclesiæ Episcopo sponte sua impotens concessit, Regali jure nostro & potestate ad integrum Merseburgensis ecclesiæ suis Rectoribus cunctis remota omni molestia reddimus. Et ut hæc nostra renovatio & confirmatio stabilis ac inconcussa permaneat, hanc nostri præcepti paginam manu propria roboratam sigillo nostro imprimi jussimus!

Egilbertus Cancellarius vice Willigisi Archi-Capellani recognovi.

Plura de incrementis hujus Episcopatus Vir Magnificus supra allegatus Dn. a LUDEWIG *in Reliqu. Manuscript. omnis ævi diplom. ac monum. Tom. IV.* ad nostram usque ætatem exhibuit, quæ evolvi legique merentur. p. 54. 329. 587.

Sub Choro templi cathedralis sacellum subterraneum est, in quo ossa Rudolfi in hunc usque diem cubant. An crypta illa, quæ ædiculæ speciem præbet, jam ante extiterit? cujus generis sacella subterranea passim alibi videas: an vero tum demum in honorem Rudolfi ædificari cœperit? parum compertum habeo. Hoc vero certum est, nihil omisisse *Wernerum* hujus ecclesiæ tum temporis Episcopum, ut corpus Rudolfi, quem constanter per aspera quæque secutus fuerat, quantum fieri posset, regia magnificentia conderetur.

Aliquot annis post, cum Imperator Henricus IV. templum hoc intrasset, fuere, qui indigni ferrent, *quod tyrannus etiam post mortem regiis insignibus honoraretur*, ut CRUSIUS loquitur *Part. 2. p. 251.* sed nullo modo adduci poterat Imperator, ut Rudolfi Mausoleum violaret, aut manes ejus turbaret, quin potius dixisse fertur: *Utinam omnes inimici mei tam splendide sepulti essent.* Videatur OTTO FRISINGENSIS *in vita Friderici Barbarossæ p. 412. Edit. Urstis.* Quibus usibus sacellum illud subterraneum subsequentibus temporibus destinatum fuerit, verbis FABRITII *Originum Saxonicarum lib. 3. p. 360.* referre libet: *Sepulchrum Rudolfi ad nostra usque tempora in loco templi subterraneo magnifice stetit, donec Michael Sidonius Præsul ibi cellam vinariam effodit: nihil terrente ipsum aut loci religione, aut reverentia Summi Principis, quem videlicet Præsules olim perdiderunt viventem, & nunc iste debonestavit, in causa Pontificia fortiter mortuum.*

Nostrum jam non est de religione sepulchrorum disputare, in ejusmodi tamen profanos usus conversum esse hoc sacellum, negari non potest. In ipso enim loco, ubi cippum quæreres, hodie cacabula, vino Hungarico repleta conspicies. Sub his cacabulis autem ossa Rudolfi adhuc quiescere, manus lapidi incisa, quam una cum adumbratione sacelli subterranei depingendam curavi, satis testatur.

Hæc de crypta subterranea sufficiant. In templo autem ipso, & quidem in medio chori eminet *Cenotaphium* orichalceum, quod sepulchro subterraneo perpendiculariter incumbere videtur: In eo ad vivum expressa est Rudolfi

dolfi effigies, quam æri incisam, conspiciendam exhibet *Figura 3.* adscriptis in margine tribus distichis sequentibus:

Rex hoc Rudolphus, patria pro lege peremtus
Plorandus merito conditur in tumulo:
Qua vicere sui, ruit hic sacra victima belli
Mors sibi vita fuit, ecclesia cecidit.
Rex illi similis, si regnet tempore pacis,
Consilio, gladio, non fuit a Carolo.

Sensum hujus Epitaphii rhythmis germanicis utcunque expressit SPANGENB. *in Chronico Mansfeldico p. 222.*

Hieher ist König Rudolf gelegt/
Durch Lieb des Vaterlandes bewegt/
Zu retten des Freyheit/ er sich
In Krieg begeben ritterlich/
Darob erschlagen jämmerlich/
Billig beweint von männiglich/
Durch ihn sein Volck oft hat den Sieg
Behalten/ nun er selbst hier liegt
Geopfert auf/ doch ist der Todt/
Sein Leben worden/ bringet Noth
Der Kirchen in Römischen Reich/
Nach Käysern Carl nicht ist sein gleich
Gewesen/ so im Regiment
Mit Rath und That so viel geendt.

BROTUFIUS autem p. 477. sequentem versionem exhibet:

An diesem Orte liegt begraben
König Rudolff/ Hertzog zu Schwaben/
Da er streit für das Vaterland/
Ward ihm abgehauen seine Hand/
Welches ja billig zu klagen ist.
Denn durch ihn hat zu mancher Frist
Sein Volck gut Glück und Sieg gehabt/
Nun aber liegt er da im Grab.
Jedoch ist er durch solchen Todt
Dieweil er in so grosse Noth
Der Kirchen/ und der Geistlichkeit
Wegen gerathen ist im Streit/
Zu ewigen Lebens seliger Frist
Gefördert worden gar gewiß.
Sos GOttes Will gewesen wär/
Und er die Käyserliche Ehr

In

Jn grössern Fried und mehrer Ruh
Ohn Streit hät mögen bringen zu
Seins gleichen nicht gewesen wär/
Von Käyser Carl dem Grossen her
Es wär auch gewest am weisen Rath/
Oder gleich in mannhaffter That.

In facrario denique templi (in der Sacristey) in hunc usque diem asservatur ipsa *Rudolfi manus* in prœlio amputata, atque ita exficcata, ut putredinem non contrahat. Unguibus humanis alicubi arrosa videtur, quod an superstitionis, an vero curiositatis causa factum sit, compertum non habemus. Vide speciem ejus æri incisam figura 4.

POSITIO XVI.

Cæterum sine masculo hærede discessit Rudolfus. Comitatus igitur Rheinfeldensis ad Zeringios; Sueviæ vero ducatus ad Stauffenses translatus est.

Duo quidem filii *Bertholdus* & *Otto* ex Adelheida progeniti fuerunt, quos & Sueviæ Duces dici voluit Rudolfus, sed ante patrem cœlibes decesserunt, teste CUSPINIANO *p. 284.*

Habuit præterea tres filias, *Agnetem*, Bertholdi Zœringensis uxorem: *Adelheidam*, Colomanno Hungariæ Regi nuptam; & *Mathildin*, Ernesto Austriæ Marchioni elocatam: teste GUILLIMANNO *in Habspurgiacis p. 229.*

Henningesius superaddit quartam filiam, nomine *Bertham*, primis nuptiis Ulrico Brigantino, secundis autem Sigefrido Brandenburgico copulatam.

Mortuo Rudolfo comitatus Rheinfeldensis ad filiam *Agnetem*, & per eam ad Duces Zæringios devolutus est, referente HENNINGESIO *parte priori Germaniæ p. 269.*

Extincta deinde Zæringiorum familia, quod factum est anno 1118. *Rhenofeldam* liberam Imperii civitatem factam esse scribit MUNSTERUS *in Cosmagraphia lib. 3. p. 595.* Ab Imperatore Ludovico Bavaro eandem Austriacis concessam fuisse, circa annum 1410. commemorat BAUDRANDUS. Damnum vero, quod Rhenofelda anno 1678. a Gallis perpessa est, pluribus describit autor des verwirrten Europæ Tom. 3. p. 766.

De *Adelheida*, Rudolfi vidua hæc refert GUILLIMANNUS *in Habsburgiacis lib. 5. p. 229. Adelheid, cum per multas miserias & animi dolores vitam Tiguri, bellis undique strepentibus, toleravisset, indeque Rheinfeldam se recepisset, paucis mensibus dilectum conjugem subsecuta est, & apud S. Blasium, regia tamen pompa tumulata, quemque adeo honorem vivens obtinere non potuit, post mortem exoleta & extincta æmulatione & invidia, accepit.*

Sueviæ ducatum Rudolfus jam anno 1077. cum Imperii habenas capesseret, genero suo *Bertholdo Zæringiæ* Duci tradiderat: teste CRUSIO *Part. 2. p. 239.*

p. 239. Sed Henricus IV. ex Italia redux, deturbato Bertholdo, *Fridericum Stauffensem*, quem generum sibi aspicere constituerat, in solio ducali collocabat: qua inopinata rerum conversione ita commotus fuisse dicitur Bertholdus Zæringensis, ut in Phrenesin inciderit, nec ultra septimum diem superstes fuerit. Videatur URSPERGENSIS *p. 236.*

Superest, ut colophonis loco mentionem faciamus *aureæ monetæ*, in honorem Rudolfi Pseudo-Imperatoris cusæ, quem *Octavius de Strada* p. 505. æri incidendam curavit, & quam in limine hujus dissertationis Fig. 1. repræsentavimus. Merseburgi cusam fuisse, ex urbis insignibus patet, quæ in parte postica (facie aversa) conspiciuntur: quod vero in epigraphe MESBURGI CIVITAS, pro MERSBURGI CIVITAS legatur, chalcographi errorem esse puto. Cæterum an hujus generis nummus aureus adhuc in aliquo gazophylacio reperiatur, compertum non habemus.



DISSERTATIO XV.

GENEALOGIA FAMILIÆ AUGUSTÆ STAUFFENSIS EX DIPLOMATIBUS ET OPTIMIS SCRIPTORIBUS ASSERTA ET CORRECTA.

PROBATIONES AD TABULAM I.

Nota:

Numeri præfixi personas iisdem in Tabulis signatas semper respiciunt.

1.) FUndatio templi D. Fidis, Virginis, in Schletstadt de An. 1194. in B. Rhenani lib. III. rer. Germanic. p. 152. Crusii Annal. Suevic. P. II. lib. VIII. c. 13. & Hertzogi Elsassischer Chronic. lib. VII. c. 3. p. 4.: *Quam sententiam ego Hildegardis, in Christo pauper & modica, cum filiis meis, videlicet Ottone, Argentoratensis ecclesiæ Episcopo, Suevorumque Duce, Friderico, Ludovico, Waltero, Conrado, & filia mea Adelheida, ante oculos ponentes* &c.

Obrechtus *in Prodromi rer. Alsatic. c. X. p. 230.* Hildegarden cognominat *Hohenloicam*, sed absque ullo allato testimonio fide digni Autoris.

Historia Friderici Imperatoris Magni hujus nominis Primi, Ducis Suevorum, & parentelæ suæ, maxima quidem parte compilata ex Conradi Urspergensis

2.) Otto ... Episcopus ... ab A. 10...

...is. ...4.

8.) Conradus I. v. A. 1094.

9.) Adelheida. v. A. 1094.

10.) Frideri... natus A. ... in monast...

...a, ...ctus A. 1138. d. 22. Febr. hujus nominis III. ...An. 1152. sep. ibid. in Basilica.

11.) I. Judi... Sax... Berengarii Senioris C. de Sulcepach, qui ...nast. Eberacensi.

12.) II. Ag...

I. Fridericus III. vid. Tab. II. 47. ... in ...

20.) Fridericus Dux Sueviæ a sede dictus de Rotinburch, †. d. 19. Aug. A. 1167.

21.) UXOR: Rixa seu Richensa F. Henrici Leonis Bav. & Sax. D. & Clementiæ Zaeringensis, ducta A. 1167. quæ postea nupsit A. 1169. Canuto F. Waldemari R. Daniæ, & †. A. 1221.

22.) Conradu... Comes Pala... †. A. 1186... sep. in mona...

gensis chronico, & sub ipsis typographiæ incunabilis in lucem edita in forma majori, vulgo tamen haud nota, quæ vero inter alia cimelia extat in bibliotheca instructissima Viri consultissimi, *D. Eucharii Gotl. Rinkii*, Antecessoris in hac academia celeberrimi, p. 1. *Fuit in partibus Sueviæ parentela nobilium, primo quidem militarium simplicium, qui dicebatur de STAUFFEN qui tamen suis probis at virtuosis actibus ad hoc devenerunt, ut inter Barones sive Liberos deputarentur. Et ut legitur in libro de miraculis S. Fidis virginis & martiris fuerunt de eadem parentela tres fratres*, quorum *unus* dicebatur *Fridericus. Alter Conradus. Tertius Otto.* Qui *Otto* fuit *Episcopus Argentinensis. Mortuo autem inprimis inter eos Conrado* &c.

Bertoldus Constant. in appendice ad Herm. Contr. ad A. 1100. p. 378. *Otto Strazburgensis schismaticus de Hierosolymitano itinere reversus* &c. *diem clausit extremum.* Consentiunt in anno mortis Dodechinus ad h. a. p. 465. Chronicon Wirzeburgic. Baluzianum ad h. a. Conf. Kunigeshoven *in der Strasburgisch. Chronica Cap. IV. §. 31. p. 142.* Hertzog. l. c. Lib. VI. p. 78. Guillimannus *de Ep. Argentinens. n. XLIII. p. 210.* Videatur etiam n. 1. diploma.

3.) Otto Frisingensis de gestis Frid. I. Imp. lib. I. c. 8. *Ea tempestate comes quidam, FRIDERICUS nomine, ex nobilissimis Sueviæ comitibus originem trahens, IN CASTRO STOPHE dicto, coloniam posuerat. Hic, cum esset consilio providus, armis strenuus, ad curiam Imperatoris assumptus per multos dies ibidem militarat, strenuissimique ac nobilissimi militis officium implens in omnibus periculis suis viriliter Imperatori Henrico IV. astiterat. Videns princeps ergo reipublicæ tam dubium statum, vocato ad se secreto præfato comite, sic eum alloquitur:* &c. *Filiam quippe quam habeo unicam tibi in matrimonio sortiendam tradam, Ducatumque Suevia, quem Bertolfus invasit, concedam. Sic itaque prædictus Fridericus, Dux simul Suevorum, & gener regis factus ad propria rediit.* Et cap. 9. *Ipse Fridericus post multa virtutum suarum insignia in senectute bona diem ultimum claudens, in monasterio Laureacensi, in proprio fundo constructo, humatus est.*

Conrad. Ursperg. ad A. 1105. *Fridericus Dux obiit.* Chronographus Saxo ad A. 1106. *Fridericus Dux Swavorum, cui nupserat Filia Imperatoris Heinrici, obiit.*

4.) Diploma fundationis monasterii Lorchensis de d. 7. Maji A. 1102. in Besoldi *Documentis rediv. monasterior. Wirtenbergic.* p. 713. & in Petri *Suevia ecclesiastica* p. 563. *In nomine S. & individuæ Trinitatis, Fridericus*, Divina favente clementia, *Suevorum Dux & Francorum* &c. notum fieri volumus, quatenus *ego Fridericus & uxor mea Agnes cum duobus filii nostris, Friderico* scilicet *& Cunrado* &c.

5.) Otto Frising. l. c. C. 10. *Mortuo Alemannorum Duce Friderico, Agnetem ab ipso viduatam frater suus Henricus, Imp. Henrici F. in sua suscepit, eamque Leopoldo, Orientali Marchioni, in uxorem dedit*, & lib. VII. Chron. c. 9. *Henricus junior omnes vires patris in Duce Boemiæ Beroe ac Marchione Leopoldo*, cujus sororem præfatus Dux habuit, fore considerans, ipsos multis modis, promissa *sorore sua, quæ* tunc nuper *a Friderico Suevorum Duce viduata fuerat in uxorem Marchioni*, inductos, ambobus, ut patrem relinquerent, persuasit.

Chronicon Mellicense ad A. 1106. *Henricus IV. Imp. obiit VII. Id. Aug. Leopoldus IV. Agnetem F. Imp. duxit uxorem sc. viduam a Friderico D. Suevorum,*

rum. Conf. Chronicon Claustro Neoburgense ad h. a. Chronicon Austriacum incerti Autoris ad A. 1058.

Diploma d. 29. Sept. An. 1146. in Summario Canonizationis S. Leopoldi in T. I. Script. Austriac. p. 617. *Ego Leopoldus Marchio Orientalis cum nobilissima Conjuge Agnete.*

In excerptis necrologii pervetusti Claustro-Neoburgensis ibid. p. 494. *VIII. Kal. Octobr. Agnes Marchionissa, Fundatrix hujus ecclesiæ.* Consentit Necrologium vetus Mellicense ibid. p. 309. Chronographus Saxo ad A. 1143. *Obiit Agnes Marchionissa, mater Cunradi Regis.*

De hujus Agnetis fœcunditate in hoc secundo matrimonio, in quo habuit XVIII. liberos, quorum septem in tenera ætate sublati sunt, undecim vero, qui supervixerunt, sex videlicet filii & quinque filiæ, ad honores temporalium rerum omnes promoti sunt; videatur Narratio genealogica posterorum S. Leopoldi Austriæ March. T. I. Script. Austriac. p. 574. Chronicon Claustro-Neoburgense ad A. 1144. ibidem p. 441. Radevicus lib. II. Gest. Frid. I. c. 11. & Conradus Urspergensis ad A. 1152. Sedulo notanda hæc est progenies, ut variæ cognationes in diplomatibus & historiis cum Hohenstauffiis occurrentes recte explicentur. Ita e. g. in diplomate Conradi III. Imp. de A. 1141. in Hundii & Gevvoldi *metropol. Salisburg.* T. III. p. 210. inter testes subscriptos occurrunt: *Fridericus Dux Suevorum, Heinricus filius noster, Conradus frater noster, Trajectensis Præpositus.* Hic Conradus fuit Filius S. Leopoldi ex Agnete, atque frater uterinus Conradi III. Imperatoris. Porro Bolizlaus Dux Polonorum a Chronographo Saxone ad A. 1138. & Monacho Lauterbergensi ad A. 1146. gener Conradi III. dicitur. Sed ex supra allegatis autoribus de sobole Leopoldi ex Agnete patescit, Filiam secundam Leopoldi Agnetem in uxorem accepisse Polezlaum Ducem de Polan; uti etiam ipse Chronographus Saxo ad A. 1146. *Cunradus Rex dum Cumæ curiam haberet, Wiodisclazo, qui erat senior inter fratres, & qui sororem Regis habebat in conjugio, regem adiit*; conf. Albericus ad A. 1141. p. 290.

De loco sepulturæ Agnetis, uxoris Leopoldi & fœcundissimæ matris, in templo Claustri Neoburgensis testatur Ladisl. Sundheimius in tabulis Claustro-Neoburgensibus lingua vernacula compositis T. I. Script. Austr. p. 1192.

6.) Inter traditiones veteres Cœnobii S. Stephani Herbipoli evulgatas a Cl. Schannat in Collectione I. Vindemiæ literar. n. XVIII. p. 62. *Ego Fridericus, Dei Gratia Dux, partem beneficii mei, Episcopo Wurciburgensi Domno Emenbardo causa salutis animæ fratris mei Luewici Palatini Comitis, restituerim.* - - - Acta sunt hæc A. Inc. *Dom. 1103. indict. XI. Henrico IV. imperante.* Conf. diploma Hildegardis *n. 1. p. 5.*

7. 8. 9.) Videatur idem diploma Hildegardis matris n. 1. p. 5.

10.) Videatur diploma n. 1. Otto Frising. lib. I. cap. 9. de gestis Frid. I. *Suscepit vero Fridericus ex nobilissima compare sua Agnete duos filios, Fridericum, & Conradum*; Et c. 10. *Mortuo Alemannorum Duce Friderico, Agnetem ab ipso viduatam frater suus Henricus - Leopoldo Orientali Marchioni - in uxorem dedit, filiis ipsius, Friderico quindecim, Conrado duodecim, annos habentibus. Porro Fridericus, qui major natu erat, patri in ducatum successerat*; Et c. 39.

Inter

Inter hæc Fridericus, Dux nobilissimus in Gallia manens, gravi infirmitate detinebatur, acrem in mente contra Dominum & fratrem suum Conradum regem indignationem gerens, quod filium suum Fridericum, quem ipse tanquam primogenitum, ac nobilissimæ prioris comparis suæ filium unicum, commitendo ipsius gratiæ cum filio suo parvulo ex secunda uxore, totius terræ suæ hæredem fecerat, crucem permiserat accipere - - ipse tamen vim doloris non sustinens non multis post diebus vivendi finem fecit, ac monasterio, quod St. Walpurgis vocatur, in terminis Alsatiæ sito, humatus est, successitque ei in ducatu filius suus Fridericus.

Otto de S. Blasio c. 2. A. *1147. Conradus, mortuo fratre suo Friderico, Suevorum Duce, Filio ejusdem nominis Ducatum concessit.*

11.) Otto Frising. *l. c.* Lib. I. c. 14. *accepit autem Fridericus Henrici Noricorum Ducis filiam in uxorem, ex qua postmodum Fridericum gloriosissimum, qui inpræsentiarum imperator est, & Juditham, quæ modo Matthæo, Lotharingorum Duci, copulata noscitur, genuit.* Et c. 18. *Henricus, Noricorum Dux, Friderico Duci, haud memor* affinitatis, quæ ex copula sororis suæ Judithæ inter ipsos erat, *bellum indixit.*

12.) Otto Frisingens. *l. c.* c. 21. *Fridericus Dux, mortua uxore sua Juditha, dissensionis tempore, Friderici Comitis de Sarburg, fratris Alberti, Episcopi Moguntini, filiam Agnetem in uxorem duxit, ab eaque Conradum, qui Palatinus Comes nunc Rheni esse noscitur, & Claritiam, Ludovici Thuringiæ Comitis uxorem, accepit.* Conf. n. 18. Conradi Abb. Ursperg. testimonium. Schema genealogicum veterum Comitum Saræpontanorum vid. in P. Anselmi *T. II. Hist. Fam. Reg. Franc. genealog. chronol. p. 1325.* ex qua particulam, hanc nostram genealogiam illustrantem, repetit Cl. Joannis *in App. prior. ad Parei hist. Bav. Palat. p. 33. & in T. I. script. Mongunt. p. 533.* quam vero correctiorem denuo exhibuit in *Curis posterioribus in Parei hist. Palat. p. 244.*

13.) Videatur diploma n. 3. & n. 10. loca Ottonis Frinsingensis lib. I. c. 9. & 10. Idem c. 22. *defuncto Imp. Lothario - Conradus, Friderici Ducis frater, ab omnibus, qui aderant, exposcitur, ad regnumque levatus in palatio Aquis coronatur.* Conf. Idem in lib. VII. c. 22. Chronici, ubi Imp. Henrici V. dicitur sororius. Idem lib. I. c. 63. de gest. Frid. *Conradus non multo post omnibus bene in Gallia & Germania compositis, cum etiam jurata expeditione in proximo imperii coronam accepturus esset, non sine suspicione quorundam, quos ex Italia habuit, medicorum quasi ex Rogerii Siculi metu submissorum morbo corripitur, sicque tamen tanto non fractus infirmitatis dolore curiam celebraturus, Babenberg venit, ubi cum multorum planctu raptus - - proxima a capite jejunii sexta feria id est. XV. Kl. Martii vitam finivit, regalia Duci Friderico, cum unico suo item Friderico commendans. Erat enim tanquam vir prudens de filio suo adhuc parvulo, ne in regem sublimaretur, quasi desperatus: idcirco & privatæ & reipublicæ melius profuturum judicabat, si is potius, qui fratris sui filius erat, - - sibi succederet. Volentibus vero familiaribus suis, juxta ejus, ut asserebant, petitionem, eum ad Laureacense monasterium deferre, ibique in proprio fundo juxta patrem humare, Babenbergensis ecclesia hoc contumeliosum sibi fore judicans, non permisit, quin imo convenientissimum & honestissimum & ecclesiæ illi & imperio decernens juxta tumbam Imp. Henrici, ejus loci fundatoris - - regio cultu eum sepelivit.* De anno emortuali nempe Ao. 1152. testatur Idem libr. VII. Chron. c. 36.

Dodechinus ad A. 1138. p. 472. *Conventus principum apud Confluentiam urbem factus est in cathedra St. Petri, ubi Conradum - -. Regem constituunt.*

Conradus Ursperg. ad A. 1116. *Fridericus, Dux Suevorum, & Chunradus frater ejus, qui Ducatum acceperat pertinentem ad Herbipolensem ecclesiam ab Henrico juniore, nepotes fuerunt præfati Henrici filii, videlicet sororis ejus. Filia namque Henrici Senioris cuidam Friderico, nobili de STOPHEN, matrimonio juncta fuit, mortuoque Rudolpho Duce Suevorum in bello - - dictus Henricus Senior, Ducatum Sueviæ præfato Friderico, genero suo, contulit. Ipse quoque Fridericus præfata filia dicta Agnete duos filios progenuit, Fridericum videlicet & Chunradum, quorum Fridericus Ducatum Sueviæ tenuit, quem a quibusdam audivimus denominari monoculum. Chunradus vero Ducatum Franconiæ, ut prædictum est, accepit.*

14.) Diploma Conradi III. Imp. dat. A. 1140. in Tolneri Codice diplomatico Palatino n. XLIX. p. 43. *Conradus divina favente clementia Romanorum Rex secundus - ob - petitionem dilectæ conjugis nostræ Gertrutis Reginæ, & Friderici fratris nostri Ducis Sueviæ &c.* Et in alio diplomate in Ludevvigi *reliqu. MSSt. Tom. II. n. IX. p. 185. Conradus D. F. cl. Rom. Rex secundus - - per interventum dilectæ contectalis nostræ Gertrudis - - per totum comitatum Kochengau, quem ante nostram in regno sublimationem nos ipsi habuimus.*

Otto Frising. Chron. lib. VII. c. 28. A. 1144. *Caloiannes Constantinopolitanus Imperator, qui filio suo Manuel sororem reginæ Gertrudis desponsando cum Romano Rege Conrado amicitiæ fœdus inierat.* Conf. idem lib. I. c. 23. de gestis Frid. I.

Willermus Tyrensis Hist. lib. XVI. c. 23. *Erat inter Imperatores affinitatis vinculum: nam eorum uxores sorores erant, filiæ Berengarii Senioris, Comitis de Sulcepach, magni & egregii principis, & in regno Theutonicorum potentissimi.*

Gotfridus Viterbiensis P. XVII. p. 511. *Tunc Constantinopoli Manuel Imperator habens uxorem Teutonicam, sororem scilicet uxoris Regis Conradi natam de Sulzbach, filiam nobilissimi Comitis in terra Bavarorum.*

Otto de St. Blasio c. 20. ad A. 1166. *Præterea in partibus Tusciæ - - Berenegerus, Princeps de Sulzbach - - cum aliis principibus - - pestilentia tacti occubuerunt.*

Tumulum Gertrudis sibi vendicant tam monachi Lorchenses, quam Eberacenses. De his vide Bruschium in Chronolog. Monaster. Germ. p. 1444. qui hanc inscriptionem tumuli refert: *Hic jacet Regina Gertrudis, uxor quondnm Conradi R. Rom. hujus Cœnobii fundatoris, translata in hanc tumbam a venerabili Abbate Nicolao. A. 1169. quinto Kal. Maj.* De illis videantur n. 19. versus mausoleo Suevorum Ducum in templo Loricensi inscripti.

15.) Videatur testimonium Ottonis Frisingensis n. 11. Fragmentum historicum incerti autoris Alberto Argentinensi apud Urstis. præfixum ad A. 1225. p. 84. *Fridericus Dux Alemannorum, frater Cunradi, postea Regis, duxit filiam Henrici, Ducis Noricorum i. e. Bavarorum, nomine Judith† uxorem, genuitque ex ea Fridericum postea Imperatorem & Judithbam, quæ Matthæo, Lotharingorum Duci nupsit.*

Histo-

Historia de Guelfis c. 10. *Juditha nupsit Friderico, Suevorum Duci, quæ Fridericum Imperatorem, & uxorem Matthæi, Ducis Lotharingiæ, progenuit.*

Hæc Juditha vero postea nomen suum mutavit, & Berthæ appellationem adscivit, uti attestantur duo diplomata, quæ produxit Vignierius in libro eruditissimo *de la veritable Origine des maisons d' Alsace, de Lorraine, d' Autriche* &c. & quidem in probationibus p. 115. hæc occurrunt: *Ego autem Matthæus, Lotharingorum Dux & Marchio, facientibus hoc considerans cum uxoremea Berta &c.* Alterum Henrici, Episcopi Leucorum de A. 1159. ita sonat: *Confirmamus etiam vobis - - xx solidos, quos Matthæus venerabilis Dux & Marchio, simul & uxor ejus Berta Ducissa nobilissima cum filiis suis Matthæo & Friderico ecclesiæ Vestræ - - contulerunt.* Berthæ nomen etiam profert Albericus ad A. 1193. p. 401. inquiens: *Dux iste Simon, & Fridericus de Bites, & Comes Matthæus Tullensis, & Theodoricus, qui fuit electus Metensis ante Episcopum Bertrannum, quatuor isti fuerunt filii Ducis Lotharingiæ, Matthæi, qui Dux Mosellanorum dicebatur, nati Berta, sorore Imperatoris Frederici.* Conferatur eruditissimus Fellerus in Genealogica historia Domus Brunsuigo-Luneburgensis Cap. X. §. 7. p. 347.

16.) Videatur n. 10. locus Ottonis Frising. lib. I. c. 36. de gestis Friderici I. Dodechinus ad An. 1156. *Hermannus, Comes Palatinus, obiit, cui successit Cunradus, frater Imperatoris ex patre.*

Diploma Friderici I. Imp. de An. 1161. in Brovveri annalibus Trevir. ad h. a. *Tam futura, quam præsens noverit ætas, qualiter nos controversiam illam, quæ inter familiarissimos & carissimos Principes nostros, Hillinum, venerabilem Trevirorum Archiepiscopum, & Fratrem nostrum Conradum, Palatinum Comitem de Rheno* &c.

Acerbus Morena de rebus Laudensibus in Leibnit. Script. Brunsu. T. I. p. 825. *Cumque ea die Imperator principes suos, sicut voluit, ad bellum ordinasset, fecit Ducem Conradum, fratem suum, & qui Comes Palatinus erat de Rheno.* Et Continuator ejusdem p. 848. *Conradus, frater Imperatoris, & Comes Palatinus de Rheno, erat spissus corpore, mediocris statura, capillis blondis, virtuosus multum, modestus, non multum loquens.*

Godefredus Coloniensis ad An. 1195. Conradus Palatinus Comes de Rheno obiit: cujus dignitates & beneficia Heinrico, filio Heinrici, quondam Ducis Saxoniæ, cesserunt. Is enim filiam ejus unicam duxerat.

Sepultum eum esse Schœnaugiæ, in monasterio uno milliari Heildelberga distante, ostendit ejusdem epitaphium ibidem, quod apud Freherum in Orig. Palat. c. 10. ita se habet: *Anno Dominicæ incarnationis* MCXCII. VI. *Idus Novembris obiit illustris princeps Dominus Conradus, Comes Palatinus Rheni, Dux Suevia, Comes in gemino ponte, Germanus Friderici Imperatoris Barbarossæ.* Epitaphium hoc, uti vox Barbarossæ prodit, non tantum est recentioris ætatis, verum etiam vel mendose descriptum, aut in numero anni binario, cum quinarius esse debeat, corruptum, vel vetustate ita exesum, ut illi numeri ægre distingui possint, uti etiam censent viri de historia Palatina immortaliter meriti, Tolnerus Hist. Palat. c. XV. pag. 329. & Joannis in not. ad Pareum Lib. III. Sect. I. p. 126.

17.) In literis feudalibus Philippi, Archiep. Colon. quibus Conrado, uxori, & filiæ ejus Stalecke & advocatiam in Baccharach A. 1189. concessit; in Tolneri Codice diplomatico Palatino n. LXVI. p. 59. *Scire volumus omnes in Christo renatos, quod castrum Stalecke & Advocatiam in Bacherache e manu Domini Pal. Comitis Chunradi cum aliis, quæ illic a nobis in beneficio tenuit, ipso rogante, & hæc nobis resignante, suscepimus, & in eodem momento ipsi & ejus jugali Dominæ Irmengardi ejusquæ filiæ Agneti* jure feodali, concessimus.

Subscriptio diplomatis ipsius Conradi C. P. Rh. de An. 1190. ibidem n. LXV. p. 58. *Acta sunt hæc præsentibus una cum spectabili Comitissa Palatina Irmentrude nostra conjuge legitima* testibus subnotatis &c. Et errore scribæ nomen Irmentrudis fortasse irrepsit, pro nomine Irmengardis.

In donationis literis Popponis XII. Comitis Hennebergici de An. 1159. quibus monasterio Visaræ tres Mansos in Nider-Naha donavit, in Spangenbergii Chronico Hennebergico pag. 92. *Quia charissima genetrix nostra Bertha - - itaque & nos, & germana nostra Irmengardis Palatina Rheni, & Luitgardis Palatina de Saxonia &c.* Adjicit Spangenbergius: *Es findet sich, dass diese Irmengardis an einen jungen Pfalzgrafen bey Rhein sey verbeyrathet worden, und dass sie A. 1197. gestorben.*

18.) Vidatur testimonium Ottonis Frisingensis n. 12. Monachus Rheinhartsbornensis in annalibus breviss. de veterum Thuringiæ Landgr. origine, nuptiis, liberis, rebus gestis ap. Pistor. T. I. p. 958. A. D. 1140. *Ludovicus primus principalis vel provincialis comes, filius fundatoris nostri, pridie Idus Januarii obiit, sepultus in Rheinbersborn. Ludovicus secundus accipiens legali copula Friderici Imp. sororem Juttam, suscepit ab ea Ludovicum Pium, tertium sui nominis Landgravium, Fridericum de Cygenbain, Henricum juniorum nomine Raspen tertium, & Hermannum hujus provinciæ principem illustrem & Comitem Palatinum, & Juttam, Comitissam de Rabinberg.*

Epitaphium quoddam inter Reinhardsbrunnensia monumenta collecta a Frid. Hortledero, & publicata a consultissimo Struvio in P. II. *des neu eröffneten historischen und Politischen Archivs* p. 296. - - *S. Soror Friderici Imperatoris.*

Conradus Ursberg. ad a. 1152. p. m. 283. *Habeat autem dictus Imperator Fridericus fratrem, Chunradum nomine, ex parte patris. Nam pater ipsius, mortua Juditha matre ipsius Imperatoris, duxit aliam uxorem de genere comitum illorum, qui dicebantur de Zuuainbruck & de Sarbruck, ex qua genuit præfatum Chunradum & filiam quandam, quam duxit in uxorem Landgravius de Thuringia, & ex ea genuit illum Landgravium, qui postmodam proximæ consanguinitatis immemor Philippo regi rebellavit.* Imperator itaque prædictum *Chunradum fratrem suum Palatinum Rheni effecit.* Et ad An. 1193. p. 308. *Præfatus quoque Hermannus, Landgravius de Thuringia, hic cœpit adversari Philippo, dirum facimus, cum esset filius amitæ suæ.*

Albericus ad An. 1193. pag. 491. *Soror quoque una prædicta Bertha,* quam duxerat sororem Imperatoris Friderici in n. 15. *Landgravio Thuringiæ Ludovico peperit Hermannum Landgravium.*

Arnoldus Lubecensis lib. III. c. 15. *Circa dies illos A. 1186. Ludovicus Landgravius in Thuringia, filius sororis Imperatoris.*

Con-

Confirmatio donationis monialibus S. Nicolai Isenacensibus factæ An. 1191. ab Hermanno, Thuringiæ Landgr. in Paullini annalibus Isenacensibus §. 36. p. 31. *Hermannus DEI Gratia Thuringiæ Landgravius, Saxoniæ Comes Palatinus - significamus - quod frater noster & in principatu principali Comitiæ Antecessor Landgravius - Mater etiam nostra Domina Juditha unum mansum in Graveplebe - proprietati prædicti Conventus nostro consensu contulit.*

Bene vero monet Tenzelius in supplemento Historiæ Goth. §. 215. & 219. pag. 470. & 478. quia neque de filio Hermanno, neque de patruo Ottone Frisingensi, neque de monachis Reinhartsbornensibus cogitare, ne dum dicere licet, hos patronæ beneficentissimæ, illum fratris filiæ, istum matri, falsum nomen tribuisse, sane vel Juditham binominis fuisse, vel Thuringos eam pro ignotiori Claritiæ nomine, notiori Juttæ salutasse, vel omnes Ottonis Frisingensis Codices, qui in tribus, quas habemus, editionibus diversis Claritiæ nomen constanter referunt, corruptos esse.

Ast κριτικώτατος Eccardus *in Hist. Genealog. vet. Landgr. Thuring. c. V. §. 8. p. 328.* ita hunc nodum solvit inquiens: *Quam Otto Claritiam vocat, eam, Tentzelio teste, Wollebertus in hist. Bar. Hohenstauf. Ducumque Sueviæ Germanica MSSt. Clementiam appellat. Meliori itaque Ottonis Codice eum usum puto: ex abbreviato enim Clementia a descriptore oscitante facile Claritia effingi potuit, Clemens Germanice est gut, quod Saxones superiores Jut enunciant: inde vides Jutta nomen Clementia redditum, amboque hæc vocabula unum nomen esse, nec Thuringicis scriptoribus Ottonem adversari. Genuinum uxoris nomen Juditha vel Juttam fuisse patet ex præcepto Hermanni filii - Clementia vero illa a suis vocata videtur, ut a sorore etiam Juditha dicta distingueretur.*

Alius quidem scriptor Erphesfordensis de Landgraviis Thuringiæ in eodem Pistorii Tomo cap. XIX. inquit: *Ludovicus Thuringiæ Landgravius secundus, & quartus in ordine, duxit in uxorem Juliam, filiam Conradi Ducis Sueviæ, pro tunc Imperatoris Anno 1150.* Sed ipse paulo post in cap. XXIII. errorem hunc suum his verbis correxit: *Anno principatus Ludovici Thuringiæ Landgravii tertii orta est magna discordia inter ipsum principem & Erffordenses - - postea per Fridericum Imperatorem fuit sedata, qui Landgravii fuerunt filii sororis Imperatoris,* id est *consobrini.* Ergo minime Ludovici II. Ferrei uxor pro filia Conradi III. Imp. est habenda.

19.) Otto Frisingens. lib. I. c. 43. de gest. Frid. I. ad A. 1147. *At Conradus Rom. Rex Principes convocans in oppido orientalis Franciæ Franconefurt - generalem curiam celebrat, ibique filio suo Henrico adhuc puero per electionem principum rege constituto, in palatio Aquis cum Dominica medianæ Quadragesimæ regem injungi ac coronari jubens, regnum participem legit.* & c. 62. ad An. 1150. *Circa idem tempus filius regis Henricus, quem - per electionem principum ordinaverat, diem obiit, habens adhuc alium fratrem parvulum nomine Fridericum.* Guntherus Ligurini I. 320.

Quippe Deus, si regna diu voluisset in illa
Stare domo, prolem potuit servasse priorem,
Quæ jam suscepto consorti fœdere regno,
Flebilis indigna præcessit morte parentem.

Albericus ad A. 1149. pag. 316. *Conradus Rex recessurus Henricum filium suum Aquisgrani in Regem sublimat, ne post discessum suum regnum absque Principe remaneret, & aliqua rerum perturbatio fieret*; & ad a. 1152. p. 321. *Mortuus est Conradus in reditu suæ peregrinationis, qui filium suum Henricum nomine, Aquis cum esset, iturus Hierosolymam sublimaverat.* Quoniam Conradi expeditio sacra ex consensu omnium scriptorum An. 1147. accidit, patet, Albericum electionem Henrici incongrue retulisse ad A. 1149.

Sepultum eum esse in monasterio Loricensi testantur versus sequentes, qui pro epitaphio Principum Stauffensium circa sepulchrum in medio ecclesiæ ejusdem monasterii scripti leguntur, & annotati sunt in dicta Historia Friderici I. & parentelæ suæ in Bibliotheca Rinckina selectissima f. 1.

Communis fossa juxta nos continet ossa,
Scire velis horum lege versiculorum.
Principibus nati requiescunt hic tumulati,
Fundator hic primus humatur Dux Fridericus
Cum consorte thori, cujus nunquam defuit ori
Christo quo melos, confertur gratia celo.
Binos matre latos fratres habet hic tumulatos.
Gergrud regina Conradi regis amica
Illic cum nato Heinrico jacet cinerato.
Hinc Dux Suevorum Fridericus ad alta regis polorum
Transit germano sibi Conrado sociato.
Tres fratres horum scribuntur nomina quorum.
Rembolt Wilhelmus & tertius Fridericus
Et soror his communis est combinata Beatrix
Nobilis atque pia cineratur Greca Maria
Philippi Regis conjux, hanc atria regis
Fac intrare pia summi tu virgo Maria
Ipsius nata jacet cum matre hic tumulata.
Qui legis hæc metra, dic quos obtegit horrida petra
Æterna vere mereantur luce gaudere.

20.) Videatur n. 13. locus Ottonis Frising. Lib. I. c. 22. & n. 19. locus ejusdem ex cap. 62. Guntherus Ligurini I. 324. de filiis Cunradi:

Nunc quoniam fatis e fratribus alter iniquis
Occidit, & casu regnum fraudavit acerbo
Alter adhuc teneris puer est male firmus in annis,

Et Lib. VII. 228.

- - *Suevumque Ducem, fidumque nepotem*
Te, Friderice, suum, Chunrado rege creatum,

& v. 551.

Unam

Unam portarum socia virtute premebant
Cognati juvenes, quorum Comes aulicus alter
Nomine Chunradus; Regis quoque frater: at illum
Ductorem Suevis Chunrado patre relictum
Æquivocum, junctumque sibi Fridericus amabat.

Abbas Urſperg. ad A. 1139. p. m. 281. *Ipſe Rex* Chunradus *relicto filio parvulo Friderico in brevi poſt vita deceſſit, ac in monaſterio Loracenſi eſt ſepultus, & Friderico fratueli ſuo ſedem regni reliquit. Statuens cum eodem, ut filio ſuo, cum ad annos perveniret, Ducatum Sueviæ concederet.*

Radevicus de geſtis Frid. I. Lib. I. c. 6. *Apud Herbipolim civitatem Conſtantinopolitani Imperatoris legati - - FRIDERICUM, DUCEM SUEVIÆ, filium Conradi Regis, adhuc adoleſcentulum, in præſentia ſua gladio accingi, & militem profiteri poſtulant & impetrant. Amita ſiquidem ſua Hirena Imperatrix CPLtana, & antea & nunc multis & magnificis eundem puerum viſitaverat largitionum muneribus, idque legatis in mandatis dediſſe traditur, ne quando niſi completo negotio in Græciam reverterentur: aſtipulante ſibi cum magno favore proprio marito ob gratiam & antiquam amicitiam cum patre pueri rege Conrado habitam.* Iisdem verbis fere hæc tradit etiam Guntherus Ligurini VI. 156. - 167.

Continuator Morenæ de rebus Laudenſibus in Leibnitii T. I. Script. Brunsv. p. 848. *Fridericus, Dux de Rotemburgo, qui Regis Conradi, patrui Imp. Friderici, fuit filius, erat pro ætate fortis, juſtitiæ cupidus, bene compoſitus, craſſus & ſpiſſus, albus, pulcher atque formoſus, hilaris, jucundus, capillis quaſi albis & nigris,* & p. 846. ad An. 1167. *Interea dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima - peſtilentia ſuper Imperatorem ejusque totum exercitum divinitus accidit. - - Obiit namque Dux Fridericus in Rotemburgo, R. quondam Conradi F. & Imperatoris Germanus conſobrinus, de quo immenſus dolor ferè per totum inolevit, quoniam ipſe homo erat magnæ virtutis.*

Otto de St. Blaſio c. 20. ad An. 1166. *Primo in mortem Principum graſſans - - deſæviit dira peſtis - - præterea in partibus Tuſciæ Dux Fridericus de Rotinburch F. Cunradi R. - - cum aliis principibus - occubuerunt - Oſſa itaque Welfonis in Alemanniam translata - nec non & Friderici, Ducis de Rotinburch, ſimiti modo apud Hebera tumulantur.* Loquitur Otto de monaſterio Eberacenſi, in quo tumulus Friderici hac metrica epigraphe teſte Bruſchio *in chronol. monaſt. p. 144.* viſitur:

Hic Dux Suevorum Friderich, fautor monachorum
Et Romanorum Regis natus jacet, horum
Author fundorum; Deus huic da regna bonorum
XIV. Kal. Septembrium Romæ obiit.

Eum non tam tenellum fuiſſe Anno 1152. quo Pater moriebatur, ut promeruiſſet etiam ab Alberico ad h. a. qui omnia hic turbat, jure dici *Infans de Roteburc*, credibile eſt non unam ob cauſam. Agit enim teſtem in traditione monaſterii Hallenſis d. IV. Id. Febr. An. 1156. in inſtrumento in Cruſii *Annal. Suev. T. II. p. 401. & p. 417.* & in privilegio Lorchenſi de An. 1154. in quo tamen ſe nondum *Ducem Sueviæ*, ſed ſaltem *filii Conradi Regis*, nominavit.

navit. Cum titulo Ducis Sueviæ primum mihi occurrit A. 1157. in diplomate Friderici I. Imp. in du Chesne *Genealog. de la Maison de Luxemb. dans les preuves* f. 42. Deinde interfuit expeditioni Italicæ factæ A. 1158. multaque bellicæ virtutis specimina edidit, uti Morena & Guntherus, coævi, testantur. Post A. 1143. eundem in lucem editum esse, apparet ex his verbis Epistolæ Conradi patris ad Emanuelem Imp. ap. Otton. Frising. Chron. Lib. I. c. 24. *Si nuntius tuus - unicum filium nostrum Henricum in præsentia nostra morti dedisset, ad majorem iram majestatis nostræ animum provocare non poterat.*

21.) Helmoldus in Chronica Slavorum Lib. II. c. 10. §. 6. ad An. 1167. *Mortui sunt ea pestilentia - præterea nobilissimus adolescens filius Conradi Regis, qui duxerat unicam filiam Ducis nostri*; & §. 7. *In tempore dierum illorum misit Henricus, Dux Bavariæ & Saxoniæ, legatos in Angliam, & adduxerunt filiam regis Angliæ - - Separatus enim fuerat a priori Conjuge domina Clementia, propter cognationis titulum. Habuit autem ex ea filiam, quam filio Conradi R. dedit in matrimonium, qui etiam modico supervixit tempore, præventus immatura morte in expeditione Italica.* Et c. 14. §. 3. ad A. 1169. *Et rogavit Rex Danorum* Woldemarus *Ducem* Henricum, *ut filiam suam viduam Fretberici nobilissimi Principis de Rodenburg, daret filio suo, qui jam designatus erat rex, in uxorem.*

Chronicon Montis Seneri. A. 1167. *Filius Conradi Regis filiam Henrici Ducis in matrimonium sortitus est.*

Botho in Chron. Brunsv. picturato ap. Leibnit. p. 344. loquens de Henrici Leonis liberis: *De erste docter de heyt Rixsa, de nam Frederick Conrads sone, de starff ör van stunden an, do nam se wedder Knud des Koniges sone to Dennemarke.*

Godefridus Colon. ad An. 1172. *Per idem tempus Henricus Dux Saxonum filiam Regis Angliæ duxit uxorem, repudiata priore ob famam consanguinitatis. Filiam vero ejus, quam ex ipsa genuerat, & quæ prius copulata fuerat Friderico Duci,* qui in Italia obierat, *duxit filius Regis Danorum.*

Saxo Grammaticus Lib. XIV. Rer. Danic. pag. 205. *Igitur Henricus Dux, ut repudiatam regis amicitiam recuperaret, sine qua Sclavos arcere non posset, Henricum Razeburgensem Ep. & Antistitem Lubecensem legatione onerat, filiam suam minorem filio ejus in matrimonio offerens.*

Ericus Daniæ Rex in historia Danica ad An. 1221. in Lindenbrog. script. Septentr. 272. *Obiit Rikece Regina.*

22.) Videatur Tolnerus in hist. Palat. c. XV. p. 331.

23.) Videatur diploma Philippi Archi-Ep. Colon. n. 17.

Albertus Stadensis ad An. 1194. ap. Kulpis p. 297. *Heinricus F. Ducis Heinrici duxit Agnetem F. Palatini, Conradi de Rheno*, & ad An. 1204. *Obiit Agnes, uxor Heinrici Ducis & Palatini Comitis, & in ecclesia B. Virginis apud Stadium sepelitur.*

Monachus Weingartensis de Guelfis Principibus in T. I. Leibnit. Script. Brunsv. pag. 805. *Henricus II. F. Heinrici Leonis - - Agnes ejus uxor prima, F. Con-*

F. Conradi, Rheni Palatini, qui fuit frater Friderici I. Imp. Ducis Sueviæ, ex qua Palatinatum consecutus fuit.

Guilielmus Neubrigiensis lib. IV. Rer. Angl. c. 30. *Rex Francorum Imperatorem Teutonicum - - - affinitate sibi cupiens devincire, consobrinæ ejus, unica scilicet filiæ Palatini Com. - - - connubium expetivit. Petitionem Imperator gratanter amplexus, ejus complendæ gratia Comitem Palatinum - - - accersivit; nec latuit ea res matrem puellæ. Quæ unicam sobolem secreto conveniens - - - tum illa: si mea vota prosperentur ab eo certe, cui me dici, in annis infantiæ desponsatam, nunquam disjungar, Henrico scilicet Ducis Saxonici F. Et Mater confide, ait, Filia, - - - - Regis Anglorum ex sorore nepotem, virago mirabilis secretis literis accersivit. Qui festinus occurrit, & votis promtissime concurrentibus, dilectam virginem, tradente matre, accepit: qua nimirum, propter eventus ancipites, accelerante negotium, illico ritu solenni celebratæ sunt nuptiæ.*

Gerhardus Præpositus Stederburgensis in historica narratione de Henrico Leone ap. Meibom. T. I. p. 434. *Perdurante adhuc odio Dni Imperatoris, quanto virtuosius Dux Junior in cunctis actionibus suis patris sui virtutem est secutus, eo major Imperatoris circa ipsum accenditur ira, & irritum inter Ducem & filiam Palatini de Rheno dissipare nitebatur matrimonium. At illa, quamvis a multis impetebatur ab Imp. ad hoc destinatis in Ducis, quem elegerat, amore immobilis permanebat. Tandem, matre sua agente, Palatino inscio, vocatus - - - cum etiam ipsa, quæ futura erat sponsa, quid gereretur, ignoraret, vespertino crepusculo intravit, & ipsa nocte, absque nuptiarum celebratoribus, non tamen sine benedictione sacerdotali, in thalamum collati sunt, & felix contractum matrimonium. Vocatus postera die Palatinus, qui tunc ad latus erat Imperatoris, dum castrum intravit, quæ gesta sunt audivit; & tunc demum cum gaudio & exultatione divulgatæ sunt nuptiæ. Deinde Palatinus Imperatorem adiit, se de conscientia facti juramento expurgat, & omnibus modis filium, quem illi adoptavit per filiam, gratiæ Imperatoris elaborat restituere. - - Dux itaque - in plenam gratiam Imperatoris ibi receptus est, & filius suus beneficiis Palatini, quæ ab Imperatore tenuit, solenniter est investitus.*

Arnoldus Lubecensis lib. IV. c. 20. *Filius Ducis - filiam Palatini de Rheno sortitus est uxorem. Qui quoniam patruus Imperatoris erat, Imperator eum pro ejusmodi copula vehementer arguebat - - sed quia legitimus contractus dissolvi non poterat, paulatim mediante socero juvenis Palatinus gratiæ Imperatoris appropinquabat - quia in ipsa profectione in Apuliam Ducis F. in omnibus ad placitum ei deservivit - - omnem dignitatem soceri sui de manu Imperatoris suscepit jure beneficiario.*

Celeberrimus antiquitatum Germanicarum indagator, *Jo. Georgius ab Eckard*, Consiliarius intimus Herbipolensis Præsulis & Ducis Franconiæ, potiores circumstantias hujus maxime memorabilis matrimonii expressas deprehendit in figuris aureis coloratisque antiquæ cimeliothecula cujusdam ligneæ, quæ asservatur in museo illustris ac generosissimi Domini, *Hieronymi Guilielmi Ebneri ab Eschenbach, illustris Reipublicæ Norimbergensis Senatoris Consularis, & Academiæ Altorfinæ Curatoris providentissimi*, easque in primis ope Chronici Rythmici Principum Brunsuicensium Cap. XLIV. in Leibnitii Tom. III. Script. Brunsu. p. 78. pro more suo, hoc est, docte & ingeniose, illustravit in Schediasmate peculiari Norimbergæ edito A. 1715. in 4.

Fragmentum confirmationis donationis Henrici, Ducis Saxoniæ, & Comitis Palatini ad Rhenum, de prædio in Opphavve factæ a Conrado, Comite Palatino, Schœnaugiensi monasterio in celebratissimi Joannidis *Curis posterибus in Parei hist. Palatin. p. 245. Quapropter notum facimus omnibus hominibus - quod præfatus socer noster Palatinus Comes Rheni, una cum illustri conjuge sua, & dilecta socru nostra, Domina Hirmengardi, ecclesiæ B. V. Dei genitricis Mariæ in Sconaugia, in qua sibi & jam dicta Hirmengardi prænobili jugali, suæ sepulturæ petiit locum & eligit, tradidit quoddam prædium suum in Opphawe.* &c.

24.) Necrologium Laureshamense in Cl. Schannati *Collect. I. Vindemiæ literar. pag. 36.* III. Non. Septembr. *Friderici illustris pueri. Hic filius Conradi, Palatini Comitis.*

PROBATIONES AD TABULAM II.

FAMILIÆ AUGUSTÆ STAUFFENSIS

1.) OTto de St. Blasio c. 2. *Anno Dominicæ incarnationis* MCXLVII. *Conradus Rex, mortuo fratre suo Friderico, Suevorum Duce, filio ejusdem nominis Ducatum concessit.*

Otto Frising. Chron. lib. VII. cap. ult. An. 1152. *Conradus Rex eodem anno defunctus est: in cujus locum Fridericus Dux Suevorum, filius fratris ejus Friderici, rex electus est apud Franconefurt.* Et de gestis Frid. I. lib. II. cap. 1. *An. 1152.* III. *Nonas Martii id est tertia feria, post Oculi meiin oppido Franconefurt - - tandem ab omnibus Fridericus, Suevorum Dux, Friderici Ducis filius, petitur, cunctorumque favore in regem sublimatur;* Et c. 2. *Duæ in Romano orbe apud Galliæ Germaniæve fines famosæ familiæ hactenus fuere, una Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio: altera Imperatores, altera magnos Duces producere solita. Istæ, ut inter viros magnos gloriæque avidos assolet fieri, frequenter sese invicem æmulantes, reip. quietem multoties perturbarant. Nutu vero Dei, ut creditur, paci populi sui in posterum providentis, sub Henrico V. factum est, ut Fridericus Dux, pater hujus, qui de altera, id est de Regum familia, descenderat, de altera Henrici scilicet, Noricorum Ducis, filiam in uxorem acciperet, ex eaque Fredericum, qui in præsentiarum est & regnat, generaret.* Et c. 3. *Rex - in proximo Sabbato Aquisgranum venit sequenti die, id est dominica, qua Lætare Hierusalem canitur - ab Arnoldo Archiep. Coloniensi, aliis cooperantibus coronatus, in sede Regni Francorum - - collocatur.* Et c. 20. *Rex a Papiensibus - invitatur, ibique ea Dominica, qua Jubilate canitur, in ecclesia S. Michaelis, ubi antiquum Regum Longobardorum palatium fuit, multorum civium tripudio coronatur.* Et c. 22. *Rex cum benedictione debita Imperii coronam accepit anno regni sui IV. mense Junio XIV. Kalend. Julii.*

Annales rer. Pisanar. ad An. 1155. *Rex in mense Junii Romam venit, & coronam Imperii ab Adriano recepit.*

Monachus Weingartensis ap. Leibnit. T. I. p. 798. *Fridericus F. Friderici Ducis & Luduitan f. Juditha sororis Welfonis.*

Histo-

FAMILI

1.) Fridericus III. *F. Friderici II. D. Sueviæ, & Judithæ Bava*
Imperator hujus nominis I. electus Francofurti ad Moenum d. 5
Imperator Romanus Romæ eodem anno d. 18. Junii †. *in expe*
2.) UXORES: I. Adelheidis f. Adila, *F. Marchionis Diepoldi d*
3.) II. Beatrix, *F. unica Hæres Rainaldi III. C. Burgundiæ*

2.
Henricus VI.
Imperator
vid. TAB. III.

2.
4.) Fridericus IV.
D. Sueviæ An. 1167.
†. *A. 1191. in obsidione Accaronis Syriæ, & in domo Teutonica sep.*
Desponsata ipsi fuit
5.) *I.* Filia septennis *Waldemari I. Regis Daniæ,* soror *Canuti VI. R. A. 1182. sed domum remissa An. 1186.*
6.) *II.* Filia *Belæ R. Hungariæ A. 1188. sed etiam non ducta.*

7.) Otto.
Comes & Pal
gundiæ An.
†. *d. 11. Jul.*
UXO
8.) Margaretha.
F. Theobaldi
& vidua Hu
mini de Oissy.

14.) Beatr

Otto *Dux Mera*
An. 1208. &

15.) Beatrix

MARITUS:

Ferdinandus III.
Rex Castiliæ & Legionis
An. 1217. in festo S. Andreæ
†. *1234. sep. Burgis.*

16.)

Historia de Guelfis ap. eund. n. LV. c. 10. p. 786. *Judita nupsit Friderico, Suevorum Duci, quæ Fridericum Imperatorem nostrum, & uxorem Matthæi, Ducis Lotharingiæ, progenuit.*

Tageno in descriptione Expedit. Asiaticæ Frid. Imp. ap. Freher. T. I. p. 416. in An. 1190. *Gaudium nostrum in luctum maximum versum est. Nam IV. Idus Junii, qui erat tunc dies Solis, circa vesperam, Seleuciæ subito Imperator obiit. - - XI. Kal. Jul. exercitus incolumis - Antiochiam intravit, ubi ossa Imperatoris humata sunt a filio in templo ante aram St. Petri.*

Otto de St. Blasio c. 35. *Fridericus obiit anno regni 38. imperii autem 35 - sepultis intestinis ejus cum carne reliqua apud Tarsum, ossa Antiochiam translata, cultu regio officiosissime reconduntur.*

2.) Otto de St. Blasio c. 10. ad An. 1185. *Circa hæc tempora Fridericus Imp. generalem curiam - - apud Constantiam habuit, ibique coram Hermanno Ep. in choro Constantiensi, uxorem suam, F. Marchionis de Vobiburch, Adelheidam nomine, caussa fornicationis sæpius infamatam, repudiavit, eique postmodum Filiam Reginboldi, Principes ac excellentissimi Comitis Burgundiæ, nomine Beatricem superduxit.*

Conradus Ursperg. p. m. 284. *Deinde Imperator rediit in Alemanniam, ubi tunc duxit uxorem. Nam antea judicio ecclesiæ in Synodo Constantiensi, inter ipsum & Adilam, filiam Marchionis Diepoldi de Hochburg, quam habuerat uxorem, divortium celebratum est, objectu consanguinitatis. Quam postea Dietho de Ravensburg, ministerialis ipsius, habuit uxorem;* Et p. 292. ad An. 1154. *Divortium quoque factum est Constantiæ inter Fridericum Regem & Aldam F. Diepoldi Marchionis.*

Vinculum consanguinitatis inter Fridericum Imp. suamque conjugem Adelam manifestat Chronicon Weingartense c. 10. *Henricus Dux ex Wulfilde - - - tres filios habuit - - - & quatuor filias, Judithам, Sophiam, Machtildem, & Wulfildem - - - Mathildis primo Theapoldo, filio Theopaldi, Marchionis Campiensis de Voheburck, post eo mortuo Gebehardo de Sulzbach, copulata est.* Ergo Fridericus Imperator & Adelheida Conjux fuerunt ex duabus sororibus Juditha & Mathilde, filiabus Henrici VI. sive Nigri, Ducis Bavariæ, prognati.

3.) Otto Frising. L. II. c. 30. *Eodem anno Imperator - - - dies Pentecostes in quodam castro Ottonis Palatini privatus erat. - - - Sequenti dehinc hebdomade in civitate orientalis Franciæ, Herbipoli, regio apparatu, multa Principum adstipulatione, juncta sibi Beatrice, Reinaldi Comitis filia, nuptias celebrat. Reinaldus iste de antiqua & illustri Burgundionum prosapia originem trahens, illius Burgundiæ Comes dicebatur - - - - - - Reinaldus iste Simonis, Lotharingiorum Ducis, filiam ducens, ab ea tantum hanc puellam suscepit, ipsamque non multo post moriens - - totius terræ suæ hæredem reliquit. Quam Imperator in uxorem sortitus non solum Burgundiam, sed & Provinciam, Imperio jamdiu alienatas, sub uxoris titulo familiariter possidere coepit.*

Albericus ad An. 1156. *Fredericus Imperator, judicio & consilio Archiepiscorum relicta uxore sua, duxit filiam Comitis Burgundiorum, Rainaldi nomine, de Ultra-Saonam, quam patruus suus Comes Guillelmus, arcta turris custodia diu*

clausam tenuerat, ut eam perderet, & hæreditatem ejus fraudulenter præciperet, sed Deo miserante de manibus ejus liberata Imperatori in conjugium copulata est. Guntherus Ligurini V. 294.

Nam, quæ prima viro, nec permansura potenti
Nupserat, illicito cognata recedere lecto
Jussa locum thalamis dederat, caussamque secundis
- - - - - - - - ut forte beata
Principis in thalamos succederet illa Beatrix
Principe digna viro, prolem paritura beatam.
Quam comes Allobrogum, Regum de gente vetusta
Ortus, ea ipse suis Reinaldus clarior actis
Progenuit, moriensque tuos, Burgundia, fines
Orbatæ in teneris & pupillaribus annis
Et validas urbes, munitaque castra reliquit.

Idem Guntherus postea v. 318 - - 860. describit solennia nuptiarum in Herbipolensi civitate celebrata.

Conradus Ursp. p. 283. *Imperator Dominam Beatricem de genere Burgundionum nobilissimam, filiam Comitis Bisuntini, quæ illi unica erat hæres omnium bonorum, duxit uxorem, cujus opulentissima dote, ut fertur, etiam quinque millia militum ejus subduntur imperio.*

Dodechinus & Chronicon Montis Sereni, quod dicit in Pentecoste hoc factum esse, in Anno nuptiarum, qui fuit 1156. consentiunt, sed perperam Burgundicam sponsam *Agnetem* vocant. Nam hos scriptores erroris redarguunt tabulæ pacis Venetæ An. 1176. inter Imperatorem Alexandrum P. M. conscriptæ, quas ex Tabulario Anagniensi produxit Sigonius de regno Italiæ Lib. XIV. p. 352. in quibus inter alia hæc leguntur: *Pontifex & omnes Cardinales recipient Beatricem, uxorem Imperatoris Friderici, catholicam & Romanam Imperatricem, eamque aut Alexander Pontifex, aut legatus ejus coronabit.* Et diploma d. d. Ulmæ Kal. Nov. An. 1164. in Lunigii Spicilegii Ecclesiast. Archivi Imperialis P. III. p. 747. *Fridericus divina fav. Clem. Rom. Imp. Augustus - - pro nostra, nostraque Karissimæ Consortis Beatricis Imperatricis, & Junioris Friderici Kariss. Filii prosperitate - - - - - -*

Otto de S. Blasio c. 27. An. 1185. *Beatrix imperatrix obiit & apud Spiram regalibus exequiis - - sepelitur.* Conf. n. 2. ejusdem testimonium.

Necrologium S. Stephani Bisontini in Chiffletii Vesont. P. I. pag. 255. *Decimo septimo Cal. Dec. obiit Beatrix Imperatrix, quæ instituit duos Capellanos ad altare S. Georgii, pro cujus anima Fridericus Imp. dedit ecclesiæ St. Stephani villam, quæ dicitur, Villa nova.*

4.) Guntherus Ligurini I. 69.

Tu quoque, quem patri reverendum nomine Rhenus,
Et metuenda aliis formidat Suevia terris,
Dux Friderice Ducum - - - - - - -

&c. V.

& vers. 334. de Beatrice sponsa:

Hoc rerum splendore sacros regina mariti
Venit in amplexus, Comites, Regesque, Ducesque
Felici paritura thoro, se maxime, qui nunc
Fortiter Ausonias urbes, Henrice, regendo
Grande tibi nomen primo nancisceris ævo.
Et te, Suevorum ductor, Friderice paterni,
Quod tua facta probant, dignissimi nominis hæres,
Te quoque cum magno præclaræ laudis Ottone
Insignis Chunrade puer: cunctisque minorem,
Sed non dissimilem morum probitate Philippum.

Diploma in documentis Würtembergicis pag. 24. de d. VII. Kal. Maji An. 1189. *Fridericus, Dei gratia Suevorum Dux, notum facimus - - - - nos autoritate Domini & Patris nostri Friderici Romanorum Imp.*

Otto de S. Blasio c. 10. *Ex hac Beatrice genuit Fridericum, Ducem Sueviæ, Henricum Imperatorem, Cunradum Ducem, Ottonem, Comitem Burgundiæ, Philippum Regem, qui omnes in brevi perierunt.* c. 21. *Friderico, qui secundus natu erat filiorum, ducatu Sueviæ cum hæreditate Welfonis, & prædiis Rudolfi de Phullendorf, concesso.* Et c. 35. ad An. 1195. *Fridericus Dux reliquis assumtis Christianis in obsidione Accaron desudantibus associatur - - - - ubi modico morens tempore febre corripitur, immaturaque morte raptus cum maximo planctu ibidem sepelitur.*

Scripsit se etiam *Ducem Elisaciæ* in confirmatione Fundationis monasterii in Trusenhusen An. 1181. quam cum sigilli appensi forma publicavit Ulr. Obbrecht in *prodromo Alsatic. rer. cap. X. pag. 228. 229.* unde ectypus ipsius sigilli titulum hujus diatribæ exornans desumtus est.

5.) Arnoldus Lubecensis Lib. II. c. 35. ad An. 1182. *Imperator - venit Lubeke - Waldemarus quoque Rex Danorum cum multa classe venit ad ostium Trabenæ, & obsessa est civitas terra marique - Rex vero Waldemarus cum multo comitatu veniens in præsentiam Imperatoris - filiam suam filio ipsius, Duci Sueviæ videlicet, desponsavit, & episcoporum juramentis firmata sunt sacramenta conjugalia.* Lib. III. cap. 2. *In tempore illo* (A. 1192.) *mortuus est Rex Danorum Waldemarus, & regnavit Canutus filius ejus pro eo; ad quem misit Imperator legatos honoratos, - pro sorore ipsius, quam pater ejus jam pridem filio ejus desponsaverat, & ut partem pecuniæ persolveret, sicut determinatum fuerat. Hæc enim pactio desposationis fuerat inter Imperatorem & Regem Daciæ, ut quatuor millia marcarum cum filia persolveret librata pondere publico, quod Carolus M. instituerat, & ut in ipso tempore, quo filiam repræsentaret, partem pecuniæ, prout sibi visum fuisset, persolveret, & post sex annos desponsationis, dum nubilis ætas advenisset, quia tunc puella septennis erat, sex hebdomadibus prius pecunia tota ex integro solveretur. Hæc privilegiis utrobique firmata erant, ut si quid horum negligeretur, hæc pactio seu desponsatio irrita haberetur. - Canutus autem Rex sororem quasi cum dedignatione eis tradebat, dicens, sororem suam nequaquam filio Imperatoris sociandam, si juramenta patris temerare voluisset. Tradidit tamen eam illis cum equitatu & vestitura mediocri, sed non juxta regalem magnificen-*

ficentiam, & partem quandam pecuniæ, ut dictum est, persolvit. Et c. XX. ad An. 1186. *Eo - tempore misit Imperator ad Canutum Regem legatos honoratos pro pecunia, quam pater illius cum sua filia ipsius filio socianda pollicitus fuerat, quam etiam idem Canutus partim persolverat. Qui propter occasiones supra dictas, quæ inter Imperatorem & ipsum versabantur, pecuniam persolvere timuit, Imperator vero non propter repudii occasionem, sed propter pactionis immutationem, Regi sororem suam intactam, cum tali apparatu, quo eam acceperat, restituit.*

6.) Conrad. Ursp. ad An. 1181. *Alteri filio suo Friderico Duci desponsavit Filiam Regis Ungariæ, qui tamen morte præventus ipsam non duxit.*

Godofridus Colon. ad An. 1189. *Rex Ungariæ filiam quoque suam filio Imperatoris desponsavit:*

7.) Guntherus Ligurini I. 75.

At tibi cui Rhodanus totus famulatur ab ortu
Usque suo, totusque fluit, dum gurgite fesso
Oceani tumidis tandem se misceat undis,
Hæc placuisse velim: dubium, puer inclyte, dici
Rexne, Comesne velis: veterum nam regna potenter
Allobrogum materna regis, regnique decore
Dignus, ab excelso nomen deducis Othone.

Otto de S. Blasio c. 21. *Ottone Archisolio Arelatensi cum Burgundia, Reinaldi avi sui terra, sublimato.*

9.) Albericus ad An. 1190. *Quartus Fridericus F. dictus est Otto Comes Alemannus de Burgundia, qui de Comitissa Blesensi Margareta genuit filiam unicam Beatricem, quam habuit Otto Dux Meraniæ, & per eam factus est Comes Burgundiæ.*

Nicolaus Vignierius in Chronico rerum Burgund. ad An. 1119. pag. 144. *Otho, F. Frid. Imp. qui primus Palatini titulo cum comitatu Burgundiæ usus est, hoc anno natura concessisse scribitur a Paradino: quamvis non desint, qui illum An. 1191. die XI. Julii obiisse contendant - - Ex tabulis illius seculi compertum est, illum ex Margaretha, Theobaldi Blesensis C. F. qua antequam illi jungeretur, Hugoni Domini de Oisy nupserat, reliquisse Beatricem F. quæ Ottoni Duci Meraniæ collocata est, qui eo nomine & Comitatus & Palatini Burgundici jura titulosque sibi vindicavit & asseruit. An aliam autem sororem nomine Johannam habuerit, nulla veterum lectione mihi adhuc liquido constare prorsus agnosco.*

9.) Guntherus Ligurini I. 82.

Nec tum regifico Chunradi nomine clarus,
Ac verus virtute nepos, cui fœdere certo
Nominis & juris, succedens, Francona rura
Herbipolimque regis, - - - - - -

Otto de S. Blasio c. 21. *Cunrado dignitatibus, beneficiis & prædiis Friderici Ducis de Rotinburch ditato;* c. 37. ad An. 1190. *Reversus ad Cisalpina Henri-*

Henricus Imperator Cunrado fratri suo ducatum Sueviæ concessit. Et c. 44. A. 1196. *Henricus Imp. mortuo fratre Cunrado - - Philippo fratri suo, - - ducatum Alemanniæ concessit.*

Diploma Friderici II. Imp. d. XVI. Cal. Sept. An. 1220. in Hundii & Gevvoldi metrop. Salisb. T. III. p. 362. *Fridericus D. G. Rom. R. &c. - - - - confirmantes quicquid - - - - & gloriosus pater noster, invictissimus Imperator Heinricus, & charissimus patruus noster Conradus, illustris Suevorum Dux - tradita a patruis nostris Friderico & Conrado Suevorum Ducibus.*

Conradus Ursp. ad An. 1187. *In tempore illo in Alemannia Chunradus, Frater Imperatoris, Dux Suevorum, movit exercitum contra Bertholdum, Ducem Zaringiæ, de voluntate Imperatoris, cumque maneret in quodam oppido, Durlach nomine, obiit & sepultus est in monasterio Loricensi.*

10.) Diploma Philippi Imp. d. 12. Cal. Octobr. A. 1201. in Hundii & Gevvoldi metrop. Salisb. T. III. p. 252. *Philippus secundus D. F. Cl. Rom. Rex & semper Augustus - animadvertentes honestam fratrum conversationem monasterii Staingadensis, quod fundavit prædilectus avunculus noster inclytus Dux Welpho - confirmantes, quicquid - - charissimi fratres nostri Heinricus, gloriosus Romanorum Imperator, & Conradus, illustris Suevorum Dux;* Et in alio diplomate eiusdem Imperatoris de eodem anno ibid. p. 361. - - *tradita a fratribus nostris Friderico & Conrado, Suevorum Ducibus.* Guntherus Ligurini I. 89.

Ultima magnifici, sed non minus inclyta proles
Principis, oblatum puerili suscipe dextra
Munus, & his gaudens aliunde Philippe libellis.

Chronicon Montis Sereni ad An. 1198. *Philippus ultimus filiorum Friderici I.* Conradus Ursp. ad An. 1197. *Tunc Imperator Henricus ducatum Sueviæ contulit præfato Philippo fratri suo. Qui relictis partibus Italiæ transivit in Alemanniam cum uxore sua, ponens eam in castro Suainbusen.*

11.) Otto de St. Basio c. 41. An. 1195. *Henricus Imperator apud Tarentum constitutus - Filium regis Tancredi adhuc puerum Rogerium in Rhætiam Curiensem perductum oculis privari, & in castro Amiso - - custodiri præcipit, - - sponsam vero ipsius, filiam Constantinopolitani Imperatoris, Philippo fratri suo desponsavit;* Et c. 43. An. 1196. *Henricus Imp. mortuo fratre suo Conrado, Philippo fratri suo,* qui in Sicilia interim cum eo manebat, *data sibi sponsa, filia Constantinopolitani Imperatoris, ducatum Alemanniæ concessit, ipsumque cum eadem sponsa sua in Germaniam destinavit. Qui in Alemanniam perveniens, apud Augustam urbem in Pentecostes armis cinctus, nuptias magnifice celebravit, in loco qui Gunzinlech - - dicitur.*

Conradus Ursperg. ad An. 1195. *Henricus Philippo quoque fratri suo dedit uxorem Dominam Erinam, F. Regis Græcorum, quam reperit in Palatio Panormitano: desponsata siquidem fuerat Filio præfati Tancredi, tradens & dominium totius Tusciæ, & terram Dominæ Mathildæ.*

Diploma in Lunigii Spicilegio eccles. P. III. pag. 749. *Philippus D. G. Suevorum Dux - - adhuc prædicto cœnobio confirmamus omnem traditionem, quem pater noster Fridericus, Romanorum Imp. invictissimus ac Dominus, ac frater noster*

noster Henricus, eadem Gratia Imperator, & frater noster Fridericus, Sueviæ Dux illustrissimus, felicis memoriæ, frater quoque noster Conradus, Sueviæ Dux, cujus anima requiescat in pace - ut nos una cum nobilissima consorte nostra Erina - - ut autem hæc traditio nostra & dulcissimæ consortis nostræ Erinæ Ducissæ permaneat. - - Act. A. 1197. 3. Kal. Aug. ap. Suenbusen.

Hanc Irenem fuisse F. Isaaci Angeli Constantinop. Imp. ex prima conjuge fusius asseruit Du Cange in libro de Famil. Aug. Byzant. Sect. XXXII. IV. p. 204. qui etiam reprehendit Rogerium Hovedenum, qui eandem P. II. Annal. Angl. A. 1194. p. 746. ex altera uxore Margaretha Hungarica natam, dixit.

Albericus ad A. 1208. *Post mortem Regis Philippi Regina uxor ejus dolore nimio afflicta defungitur mense Decembri.*

Fragmentum Historicum ap. Urstis. ad A. 1208. *Regina vero audita ipsius morte, & sentiens unicum solatium in eo, quia peregrina erat, perdidisse, & cum esset prægnans, dolori cumulans, ad Stoup castrum deducta est cum festinatione, ubi post modicum tempus abortum fecit, & sic vitam cum foetu finivit, & ad monasterium Lorche deputatur, & ibi gloriose sepelitur.*

12.) Otto de St. Blasio c. 15. A. 1179. *Soldanus Rex Iconii, missis ad Fridericum Imp. legatis, quamvis paganis, cum suis omnibus fœdus cum eo pepigit, Filiamque ejus matrimonio sibi conjungi postulavit, ac se Christianum cum gente sua fieri, si adipisceretur Imperatoris filiam, sponte promisit. Imperator autem licet filiam tenere diligeret, vixque postulari concederet, tamen consensit, eamque sibi dare promittens, prius tamen mortuam luxit, quam petenti dedit.*

13.) Rogerius de Hoveden Part. posterior. Annal. Angl. ad An. 1184. p. 622. *Archiepiscopus Coloniensis ad petitionem Regis Angliæ concessit Richardo, Comiti Pictaviæ, Regis F. filiam Friderici, Rom. Imp. dari in uxorem, sciebat enim ipsum Imperatorem hoc velle, & plurimum desiderasse. - - Eodem anno obiit filia Friderici Imp. quæ maritanda erat Richardo, Comiti Pictaviæ.*

14.) Videantur probationes n. 7. Godefridus Coloniensis An. 1208. *Cum idem Rex Philippus in festo St. Albani filiam fratris sui Ottonis de Burgundia nuptam tradidisset Duci Meraniæ, & cum maxima gloria ad ducendam puellam processisset.*

15.) Rodericus Sanctius Ep. Palentinus in Hist. Hisp. P. III. c. 39. in Schoti Hisp. illustr. T. I. pag. 188. *Ferdinandus duxit duas uxores successive Beatricem, F. Ducis Brabantiæ, electi in Imperatorem Alemanniæ, ex qua genuit Alfonsum X. qui post eum regnavit. Genuit denique Fridericum & Emanuelem, & Santium, & Henricum - - defuncta vero Beatrice contraxit cum Johanna Filia Comitis de Pontis, ex qua genuit Ludovicum & Leonoram.*

Alfonsus a Carthagena Ep. Burgensis in Reg. Hisp. Anacephaleosi ap. 83. *Hic Fernandus duxit duas uxores, quarum prima vocata Beatrix, fuit Filia Philippi, Ducis Bacaræ, qui electus in Imperatorem Rom. obiit, antequam coronam assumeret, & post obitum ejus fuit Imperator Fredericus frater ejus, apud quem erat, hæc Beatrix domicella, ex qua Ferdinandus genuit Alphonsum, qui post regnavit, & Fredericum, & Manuelem, & Philippum, & Santium, & Enricum, & post*

post obitum hujus Beatricis reginam duxit secundam uxorem Johannam, F. Comitis de Pontis, ex qua genuit Ludovicum & Eleonoram.

Errorem, in quo hi Scriptores Hisp. ratione Patris Beatricis versantur, corrigunt sequentia aliorum ejusdem gentis historicorum loca, quæ eo magis notanda, quo aliquin sæpius peccatum est a præstantissimis viris in Beatrice hac in diagrammatibus genealogicis consignanda, vid. Wolfgangi Hungeri doctissimæ annotationes in Cuspiniani Cæsares & quidem in Alphonsum X. pag. 169. & Casp. Scioppius in Stemmate Augustæ domus Austriæ subjuncto consilio suo regio, & quidem in not. ad Stemma VII. & VIII.

Rodericus Archiep. Toletanus IX. de reb. Hisp. cap. 10. in Schotti Hisp. illustrat. T. II. p. 143. *Adversariis itaque sic a Domino judicatis, Rex Fernandus regnum* (Castellæ) *obtinuit* (post mortem Henrici I. A. 1217.) *pacifice & quiete, Regina nobili* (Berengaria ejus matre) *omnia disponente, quæ adeo sollicite filium educavit, ut regnum & patriam juxta morem avi sui nobilis Aldephonsi in pace & modestia gubernare usque ad regni sui vicesimum quintum annum. Sed quia indecens erat, ut tam magnus Princeps extraordinariis petulantiis traheretur, mater sua, quæ semper voluit eum ab illicitis custodire, procuravit ei uxorem nomine Beatricem, quæ fuit filia Regis Philippi in Romanorum Imperatorem electi & Mariæ, filiæ Corsæ Constantinopolitani Imperatoris, quæ fuit optima, pulchra, sapiens & pudica, missique pro ea nuntii, Mauricius, Burgensis Episcopus, vir laudabilis & discretus, Petrus, Abbas St. Petri de Aslantia, Rodericus Abbas de Rivo sicco, Petrus Odoarii Prior Hispitalis, ad Fridericum Romanorum Regem, sub cujus custodia erat tunc temporis domicella, in Teutonia accesserunt ab ipso rege honorabiliter sunt recepti, tumque legationis causam, ut injunctum fuerat, explicassent, prædictus Rex & sui pricipes responsionem aliquandiu suspenderunt; & fere per menses quatuor prædicti nuntii expectaverant. Tandem Rex Fridericus in Imperatorem electus consobrinam suam Beatricem, Domicellam nobilem pulchram, compositam, & prudentem Regi Fernando per dictos nuntios cum apparatu nobili destinavit. Et cum Parisios advenissent, Rex Francorum Philippus nomine, qui tunc Galliis præsidebat, eam honeste recepit, per terram suam honorifice dans ducem. Ad regnum Castellæ felici itinere pervenerunt. Et Regina nobilis Beringaria cum comitatu nobili religiosorum & secularium Magnatum & Dominarum ultra Burgum, qui Victoria dicitur, occurrit nobili domicellæ, & Burgis exinde venientes invenerunt Regem Fernandum cum magnatibus, & nobilibus, & civitatum primoribus expectantem, qui Domicellam & nuntios, honore, quo decuit, receptavit, & tertia die ante festum St. Andreæ in regali monasterio prope Burgis celebrata missa a venerabili Mauricio, Burgensi Episcopo, & armis militaribus benedictis, ipse Rex suscepto gladio ab altari manu propria se accinxit cingulo militari, & mater sua regina nobilis ensis cingulum se accinxit. Tertia die in festo scilicet Andreæ Beatricem dulcissimam domicellam duxit solenniter & legitime in uxorem, missam venerabili Mauricio in cathedrali ecclesia celebrante, & benedictionem nubentibus largiente. Et fuit ibi curia nobilissima celebrata assistentibus totius regni magnatibus, dominabus & fere omnibus regni militibus, & primoribus civitatum.* Cap. XII. p. 144. *Suscepit autem Rex Fernandus ex uxore sua gratissima Beatrice hic notatos, Aldephonsum primogenitum, Fredericum, Fernandum, Enricum, Philippum &c. Habuit alios Filios Sancium &c. Emanuelem, & duas filias, Alienor, quæ decessit parvula, & Berengariam.* Et c. 15. p. 146. *Rex oppido Ubeta acquisito ad urbem regiam est reversus, æra millesima ducentesima septuagesima secunda obiit Regina Beatrix in oppido, quod Taurum dicitur, & ducta*

ducta ad regale monasterium prope Burgis juxta Regem Enricum regaliter est sepulta.

Lucas Tudensis in Chronico mundi Era MCCLV. in Schotti Hispaniæ illustr. T. IV. p. 112. *Fernandus filius Aldefonsi Regis Legionensis duxit uxorem ex imperiali genere Romanorum Deo devotissimam feminam nomine Beatricem, ex qua genuit Aldefonsum, Fredericum, Fernandum, Philippum, Henricum, Sancium, Emanuelem, Alienor, Berengariam, & Mariam.* Et Era MCCLXXIII. pag. 115. *Regina Domina Beatrix obiit, & sepulta est Burgis in regali Coemeterio, quod b. m. fecerat Castellæ Rex Aldefonsus.*

16.) Chronicon Australe ad An. 1217. *Philippus quondam Romanorum Rex habuit quatuor filias, quarum unam duxit Rex Castiliæ & Hispaniæ, alteram Rex Boemiæ, tertiam Otto Romanorum Rex, quartam Dux Brabantiæ.*

Conradus Ursp. p. 309. *Ipse quippe Rex Philippus medio tempore, de præfata uxore sua genuerat quatuor filias, quarum unam desponsavit filio regis Boemorum, alteram filio Ducis Brabantiæ, propter quod confortatus est in regno.*

Hanc Kunigundam fuisse uxorem Wensceslai Ottocari IV. Lusci F. Premislai Ottocari I. testantur Bohemici Scriptores, Dubravius lib. XV. pag. 393. Balbinus in epitome rer. Bohem. Lib. III. c. 13. p. 250. 263.

17.) Balduinus Avennensis in Chronico pag. 29. *Dux igitur Henricus, postquam Ducatum tenuerat annis XLV. mortuus est anno Domini MCCXXXV. Cujus filius primogenitus Henricus in Ducatu succedens uxorem duxit Mariam, filiam Ducis Sueviæ Philippi, ac Regis Alemanniæ Henrici Imperatoris Germani, qui de uxore sua Imperatoris Constantinopolitani filia, tres genuerat filias, hanc scilicet Mariam, & alias duas; quarum una Regi nupsit Bohemiæ, & altera Regi Hispaniæ. Ex dicta ergo Maria Dux Henricus unum genuit filium Henricum, & quatuor filias. Quarum primogenita Maria, Comiti nupsit Atrebatensi, Roberto, Regis Francorum Ludovici germano: quo defuncto, nupsit Comiti de S. Paulo etc. Secunda filia Ducis Henrici, Beatrix nomine, primo nupsit Lantgravio Thuringiæ Henrico: quo defuncto iterum nupsit Guilelmo primogenito Flandriæ. Tertiam habuit Dux Bavariæ: Et quarta monialis facta est in Valle-Ducis. Mortuaque Ducissa Maria, Dux Henricus secundam duxit uxorem, Lantgravii Thuringiæ filiam, ex S. Elisabeth natam; ex qua filium genuit nomine Henricum etc.*

Pacta dotalia producta ex Registris chartarum Brabantiæ a Christophoro Butkens in probationibus *T. I. Lib. IV. des Tropheés de Brabant. pag. 59. Anno Dominicæ Incarnationis MCCVII. quinto Idus Februarii, indictione decima, acta fuerunt hæc apud Geilenhausen, quæ inferius sunt annotata. Dominus Philippus, gloriosissimus Romanorum Rex, semper Augustus, unam de filiabus suis dedit in martimonio filio Ducis Brabantiæ, & illa filia succedet in hæreditatem paternam, cum aliis filiabus Domini Regis secundum jus & consuetudinem Theutoniæ: & ipse Dominus Rex illam filiam assignabit Duci Brabantiæ apud Sinsich, quarto decimo die post Pentecostes, vel suis nunciis videlicet Comiti Geldriæ, Comiti Juliacensi, Comiti Hohenstaden. Et ut ipse Dominus Rex hæc omnia operis executione adimpleat data fide promisit. Illud etiam data fide promisit Conradus, Spirensis Episcopus, juraverunt quoque in animam Domini Regis Cuno de Minzimberch, Henricus, Marescalcus de Kalintin, & adhuc alii Ministeriales Domini Regis*

Regis simili modo jurabunt. Ceterum Dux Brabantiæ dabit in dotem filiam Domini Regis, redditur valentes annuatim mille marcas & si contingat filiam Domini Regis mori antequam fiat carnalis conjunctio inter eam & ipsum filium Ducis Brabantiæ, Dominus Rex loco illius dabit aliam de filiabus suis prædicto filio Ducis in matrimonio, si quam tunc habuerit liberam & absolutam: si autem contigerit mori filium Ducis Brabantiæ similiter ante carnalem commixtionem, si ipse Dux Brabantiæ alium filium habuerit prædicta filia Domini Regis, vel alia, si quam habuerit, illi filio Ducis Brabantiæ matrimonialiter copulabitar. Item si contigerit, quod inter jamdictas personas, videlicet filiam Domini Regis & filium Ducis Brabantiæ, carnale commercium intervenerit, si tunc filium Ducis mori contigerit, sine prole, ipsa filia Domini Regis, omnibus diebus suis, tenebit ad usum suum illa bona, videlicet reditus mille marcarum, quos ipse Dux Brabantiæ in dotem sibi assignaverit; postmodum cum mortua fuerit filia Domini Regis, jam dicta bona ad Ducem Brabantiæ, si tunc vixerit, vel si tunc mortuus est, ad ejus legitimos hæredes revertentur. Item si contigerit mori filium Ducis Brabantiæ ante carnis copulam, & si ipse tunc alium non habuerit, ipse Dux Brabantiæ Domino Regi filiam suam restituet, ipse etiam rehabebit illa bona, quæ in dotem filiæ Regis dederat. Si autem Deo dante contigerit, ut jam dictæ personæ, videlicet filia Domini Regis, & filius Ducis, prolem habuerint, cunctis mortuis illa proles, sicut justum est, in legitimam parentum succedet hæreditatem. Et sicut Dominus Rex data fide hæc servaturum promisit, & pro eis in animam suam juratum est: ita D. Brabantiæ pro se ipso, se hoc servaturum promisit data fide, & insuper juramento confirmavit: uxor quoque Domina Ducissa idem se servaturam promittet data fide & jurabit; jurabunt illud idem ministeriales sui & suæ civitates.

Albericus ad An. 1240. *Item mortuus est hoc anno junior Lantgravius Conradus, cujus sororem Dux Brabantiæ duxerat ante biennium, liberi fuerunt St. Elizabeth.*

18.) Conradus Ursp. ad An. 1199. pag. 310. *Philippus in Kutilimberg recipitur. Otto prope manet in castro. Ibi tandem taxata est forma compositionis, in qua statutum fuit inter cætera, quod etiam postea completum fuit, videlicet, ut Otto filiam Philippi accipiat uxorem, quæ tamen quarto gradu consanguinitatis sibi attinebat, fieretque dispensatio per sedem apostolicam, pro bono pacis; & ad An. 1209. pag. 312. Timens autem Otto, quod ministeriales spectantes ad Philippum non facile suo subderentur imperio, sed ad suos nativos dominos redirent, filiam Philippi, tanquam Dominam omnium rerum, quæ ad generationem illam spectabant, accepit uxorem.*

Innocentius III. Papa ep. 169. ad Ottonem Imp. in registro de negotio imperii Tom. I. Epp. Innocentii pag. 757. *Cum de matrimonio contrahendo inter te ac primogenitam quondam Philippi Ducis Sueviæ in nostra præsentia tractaretur, &c.* conf. ep. 153. 178. 181. & 182.

Godefridus Colonjensis ad An. 1209. *Innocentius Papa audiens principes totius Imperii Ottonem in regem elegisse, & eorum consilio Philippi Regis filiam, quamvis consanguinitate ei junctam, propter bonum pacis & concordiæ illi in matrimonio sociasse, - - - - - quod factum erat, autoritate sua confirmavit.* Et ad An. 1212. *Otto Northusii nuptias celebravit ducens filiam Regis Philippi, quæ sibi desponsata fuerat, quæ quarta die rebus excessit humanis.*

Vetus Chronicon Ducum Brunsuic. Maderianum ad An. 1213. *Otto IV, duxit uxorem Beatricem, Philippi F. qua obiit Anno Domini 1213. III. Id. Augusti. Postea duxit Mariam sororem Ducis Brabantiæ, de quarum nulla habuit successorem.*

Disputationes de prima alteraque uxore Ottonis Imp. apte inter se conciliavit γνησιολογικώτατος Fellerus in Hist. Genealogic. Domus Brunsu. & Luneb. c. XIII. §. 3. pap. 359. & 390. Conf. Meibomius in apologia pro Ottone IV. T. III. p. 154.

PROBATIONES AD TABULAM III.

FAMILIÆ AUGUSTÆ STAUFFENSIS.

1.) Godefridus Colon. ad An. 1165. *Natus est Imperutori filius nomine Henricus apud Noviomagum.*

Diploma de An. 1179. prid. Non. Maji in Lunigii Spicileg. eccles. P. III. pag. 320. *Henricus D. Gr. Rom. Rex semper Aug. Ecclesiæ dictæ in Ursin. &c. & quandam curiam - - per manus avi nostri Henrici Imp. integro jure donatam - - & quadam - - in eadem villa per manus patris nostri Friderici gloriosi Imperatoris tradita;* Et pag. 748. diploma d. An. 1192. d. 8. Kal. Apr. *Henricus VI. D. Gr. Rom. Imp. - - quod omnem traditionem, quam pater noster Fridericus R. Imp. invictissimus & frater noster Fridericus, Suevorum Dux illustriss.* Guntherus Ligurini I. 56.

Tu primum placatus ades, qui jure paterno
Virtutem regnique simul successor & hæres,
Sceptra geris, magnisque patrem virtutibus æquas,
Rex puer: & jam nunc Italis, Tuscisque timendus
Fridanum, Tyberimque premis: fortassis & ista
Indolis acta tua, quæque ipse sequentibus annis
Adjiciens virtute tua, modo vivere detur,
Et sceptris placuisse tutis, Henrice, canemus.

Chron. Reichersperg. ad An. 1169. *Imperator celebravit curiam generalem & valde celebrem apud Babenberg in diebus Pentecostes - - ubi ex consensu & collaudatione omnium Principum, qui aderant, filium suum in regem electum & coronatum post se regnare firmavit.*

Godefridus Colon. ad An. 1169. *Filius Imperatoris Henricus adhuc quinquennis unctus est in regem Aquisgrani a Philippo Coloniensi Archiep. die Assumtionis beatæ Mariæ.*

Godefredus Colon. ad An. 1191. *Henricus in Apuliam ducens exercitum Romæ in Imperatorem & Constantia ejus uxor in Imperatricem secunda feria Pascha consecrantur.*

Chro-

S

1) Henricus VI
d. 15. Aug. e | 69. Bamberga post Pentecosten, & coronatus Aquisgrani
A. 1189. co | atur Romæ A. 1191. feria II. Paschatos, REX SISILIÆ
2) U | 1181. ducta Mediolani A. 1186. d. 27. Januarii,

3) Fridericus II | ANIÆ A. 1195. denuo electus contra Imp. Ottonem IV.
A. 1212. unc | Florentino Capitanatæ A. 1250. d. 13. Dec. sep. in Fungia.
UXORES
5) II. I | 209. m. Febr. †. Catanæ A. 1222. sep. Panormi in basilica.
6) III. | A. 1225. m. Novemb. Brundrusti. †. 1228. in puerperio,
CONCU | lii, †. A. 1241. d. 1. Decembr. in partu.

1.
9) Henricus | LII NOTHI
n. An. 1213. | 1.
Rom. electus F | fredus
cofurti A. 1 | 36. Comes
coronatur A | Princeps
grani An. 1 | Rex Sici-
d. 8. Maji, Re | natus Pa-
Patri captiva | 1258.
A. 1235. & d | Aug.
nitur d. 15. | 65. d. 26.
†. A. 1242. | ii.
in carcere Sic | OR.
UXOR: | eatrix,
10) Margareth | lei C. Sa-
F. Leopoldi | A. 1247.
riosi D. Aust | ia Vatazi,
& Theodoræ | Græcia il-
cæ, ducta A. 1 | 1295.
Norimbergæ | antia.
cundo nupsit | OR.
caro R. Bohe | Arrago-
A. 1252. repu | ea Siciliæ,
ta A. 1260. | A. 1262.
†. A. 1237. se | 00. d. 9.
Lilienfelde,

2.
24) Fridericus de Antiochia,
Comes Albæ, Vicarius generalis in Tuscia,
†. An. 1249.

25) Conradus deAntiochia, qui etiam Capucius dicitur. †. A. 1269.
UXOR.
Beatrix,
F. Galvani Lanceæ, C. Principatus, & Fundorum, Mareschalli Siciliæ.

Martinus Capucius †. A. 1269.

Jacobus Capucius †. A. 1269.

22) Margaretha
captiva
R. Caroli Andegavensis.

23) Filii Anonymi
captivi
R. Caroli Andegav.

26) Fridericus,
D. Austriæ a
A. 1250. †

Chronicon Siciliæ incerti autoris in Martene T. III. thesauri anecdot. novi cap. 21. pag. 11. *Fuit Henricus a Siculis Panormo coronatus in Regem Siciliæ An. MCXCV. ultimo Novembris.*

De tempore coronationis Italicæ videatur testimonium Radulphi de Diceto in hujus tab. probat. n. 2. p. 44.

Anonymi Chronicon Siciliæ Colbertinum T. III. thesauri novi Anecdotor. Martene & Durandi c. 22. *Dictus Imp. Henricus mortuus est An. 1197. die quarto Octobr.*

Rogericus Hovedenus Ann. Anglic. Parte post ad An. 1197. pag. 773. *prædictus Rom. Imp. obiit in Sicilia ap. Messanam in vigilia S. Michaelis.*

Diem mortis Henrici in Emortuali Cassinensi a Caraciolo vulgato inscribi die V. Octobris nempe *tertio Nonas Octobris* observat Pagi in Critica Baron. ad An. 1197. n. 3. p. 716.

Godefridus Colon. ad An. 1197. *Obiit autem Imp. Henricus in festo St. Michaelis II. Calend. Octobr. & honorifice cum multis insignibus apud Neapolim sepultus est.*

Uti in die mortis Henrici VI. magnus est dissensus Scriptorum veterum; ita iidem etiam in loco sepulturæ nominando a se invicem discrepant. vid. Consultiss. Struvius in not. ad locum Godefridi T. I. Freher. p. 461.

2.) Gotfridus Viterbiensis P. XVII. p. 514.

Filius ipsius Henricus ad alta levatur,
Recte coronatur, uxoris honore beatur,
Fit Regis Siculi filia sponsa sibi,
Sponsa fuit speciosa nimis, Constantia dicta
Posthuma, post patrem materno ventre relicta
Jamque tricennalis tempore virgo fuit.

Et P. XVIII. pag. 521. *An. 1186. indictione sexta, sexto Calendas Februarii R. Henricus VI. cum regina Constantia, Filii Rogeri R. Siciliæ nuptias gloriosas celebravit Mediolani ap. S. Ambrosium, Anno autem regni sui decimo septimo.*

Otto Frising. Chron. Lib. VIII. c. ult. ad An. 1151. *His etiam diebus prædictus Imp. Fridericus Henricum filium suum regia dignitate sublimavit, eique puellam nobili genere procreatam, Rogerii scilicet, & Wilbelmi Apuliensium principum filiam copulavit, nuptiasque ipsius Mediolani regali gloria, multaque potentia perpetravit.*

Otto de Blasio c. 28. An. 1186. *Fridericus Imp. missis legatis ad Wilhelmum Siciliæ R. F. Rogerii, sororem ejus F. Henrico R. desponsari fecit, ac per hoc regnum Siciliæ cum Ducatu Apuliæ principatuque Capuæ Henrico R. dotis nomine post mortem a socero delegato recipiens Romano imperio restituit. - Igitur sexta vice - Italiam ingressus, rogantibus Mediolanensibus, ut in signum adeptæ imperialis gratiæ, nuptias filii ap. Mediolanum celebraret &c.*

Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 629. *Inter Henricum & Constantiam F. Rogeri Siculi Regis, amitam vero Guilelmi II. Regis Siculi, generi Regis Anglorum, matrimonium celebratum est. Sexta Kalend. Februarii Viennensis Archiep. Fredericum Imper. Romanum Mediolani coronavit. Eodem in die Aquilejensis Patriarcha coronavit Henricum, Regem Teutonicum, & ab ea die vocatus est Cæsar. Quidam Episcopus Teutonicus coronavit Constantiam, amitam Wilhelmi R. Siculi, generi Regis Anglorum. Hæc acta sunt in monasterio St. Ambrosii:* Nimirum Wilhelmus II. F. Wilhelmi I. fratris Constantiæ, qui obiit An. 1189. duxit uxorem An. 1177. Johannam, F. Henrici II. R. Ang.

Anonymus Casinensis ad An. 1185. ap. Pagi in Critica Bar. T. IV. p. 677. *Pax firmata inter Imp. Fridericum & R. Guillelmum facta est. - - Præfatus Rex Constantiam amitam suam transmisit in conjugem ad illustrem R. Henricum, F. Friderici Imp.*

Literæ feudales ab Innocentio III. Papa ob regnum Siciliæ & Ducatum Apuliæ in Sigonii lib. XV. de R. I. ad An. 1189. pag. 358. Constantiæ Imp. & Friderico F. datæ: *Quoniam regnum quondam pater Tuus, & Villelmus frater, & Villelmus nepos, Reges, apostolicam sedem - - summa constantia coluerunt &c.* Adjicit Sigonius Constantiam hujus beneficii fructum haud fere potuisse, siquidem morbum nactam haud ita multo post V. Kalendas Decembris vitam reliquisse.

Godefridus Colon. ad An. 1199. *Constantia Imperatrix in Apulia moritur, relicto parvulo Friderico F. Imperatoris.*

Necrologium Cassinense ap. Caracioli quatuor antiqu. Chronolog. p. 166. *XIII. Kal. Decembr. Constantia Imperatrix.*

Quoniam Constantia posthuma fuit, notandus etiam annus, quo pater illius Rogerius I. Rex Siciliæ obiit; de quo ita Albericus ad An. 1154. *Mortuus est Rex Siciliæ Rogerius, cui successit Filius ejus Guillelmus.* Et Robertus de Monte ad An. 1154. *Princeps virilis & strenuus, & actibus clarus, Rogerus, Rex Siciliæ, post insignes de Saracenis victorias, & terras eorum occupatas, obiit nec inferiorem se filium Guillelmum regem, & victoriarum successorem dereliquit.*

Anonymus Cassinensis ad An. 1154. pag. 140. *Obiit Rogerius Rex mense Februarii die ultimo.*

3.) Ut controversia de anno nativitatis Friderici II. decidatur, respiciendum ante omnia est ad ejus electionem in Romanor. Regem vivente patre factam. Quemadmodum enim hæc vel in An. 1195. aut in An. 1196. aut in An. 1197. constituitur; Ita etiam ejus natalis annus in varios annos rejicitur.

Otto de S. Blasio cap. 43. ad An. 1195. *His diebus Henricus Imper. Friderico F. infante adhuc rege post se designat.* - - Et cap. 45. An. 1197. *Henricus Imp. - - immatura morte præventus est - - filium ætatis annorum quatuor relinquens.*

Godefridus Colon. ad An. 1196. *Imperator ab omnibus Imperii Principibus summa precum instantia obtinet, ut filium suum Fridericum nomine, vix triennem, in Regem eligant.*

Conra-

Conradus Ursp. ad An. 1197. *Procurante Imperatore factum est, ut principes Alemanniæ pene omnes filium parvulum ipsius, adhuc in cunis vagientem, assumerent in Regem.*

Ante omnia Papæ Innocentio III. ejus tutori est credendum, qui in ep. 29. Registri sui de negotio Imperii de eo ita scribit: *Eligerunt enim personam non idoneam, nec non solum imperio, sed nec alicui officio congruentem, puerum videlicet vix duorum annorum, & nondum sacri baptismatis unda renatum.*

Ipse quoque Fridericus in epistola ad Ludovicum Sanctum, R. & universos regni Franciæ Barones An. 1245. ap. Schilter *de libertate Ecclesiarum German.* lib. V. c. 7. §. 4. pag. 684. eadem fere de se testatur: *Primum quidem scire vos credimus, qualiter Innocentius alius, prædecessor istius, sub cujus principes nos, nedum impuberem, sed infantem, mater nostra dimiserat, contra nos in imperio, cujus principes nos in regem elegerant, & nos in vita patris nostri assumere in imperatorem juraverant.*

Ex hisce probabiliter videtur, Fridericum natum esse An. 1194. Annum vero, diem, & locum natalem luculentius prodit Richardus de S. Germano in Chronico rer. ab excessu Wilhelmi R. Siciliæ ap. Ughell. T. X. *Ital. Sacr.* ad An. 1194. *Tunc Imperatrix Exii* (hodie Jesi) *in civitate Mascha filium peperit nomine Fredericum mense Decembri in festo St. Stephani.* Et ad An. 1282. *Imperator diem natalis sui per totum regnum suum mandat in festo B. Protomartyris Stephani magnifice celebrandum.* Et Albertus Stadensis An. 1195. *Natus est Imp. Henrico filius in valle Spoletana, in civitate Asis, nocte, quæ præcedit dormitionem Johannis Evangelistæ, XV. Episcopis & Cardinalibus præsentibus, & baptizatus dictus est Fridericus.*

Chronicon Siciliæ c. 24. p. 12. *Fridericus in ætate annorum septem coronatus est per Panormitanenses in Regem Siciliæ anno Domini MCC.*

Hugo Antissiodorensis in continuatione chronologiæ Roberti ad A. 1212. *Fredericus ap. Magontiam coronam regni Theutoniæ in festo B. Nicolai suscepit.* Et ad An. 1215. *Ottone in Saxoniam cedente, æmulus suus Fridericus Appulus, Aquisgranum revertens unde - - negotio infecto recesserat, castrum sine multa difficultate obtinuit, ubi VIII. Kal. Augusti in Regem Germaniæ sublimatus est.*

Godefridus Colon. ad An. 1215. *In ipsa vigilia Fridericus Rex Siciliæ cum quibusdam Principibus & nobilibus totius Lotharingiæ Aquisgrani veniens sequenti die, scilicet in festo St. Jacobi - in regem ungitur in regali sede collocatur.* Et ad An. 1220. *Fridericus Romam proficiscitur, ibique a Romano pontifice Honorio & omni senatu bonorifice susceptus, in festo S. Ceciliæ, in Imperatorem consecratur.*

Papa Honorius III. in ep. ad Pelagium Ep. Albanensem in Raynaldi Annal. Eccles. T. XIII. ad An. 1220. num. 21. *Tuæ fraternitati exponimus nos Dominica ante Adventum Domini proxima - - Fridericum Imperatorem - & illustrem Imperatricem, consortem ejus, in Principis Apostolorum basilica - solennissime coronasse.*

Extremum ejusdem Friderici vitæ diem & annum indicant sequentia: Nicolaus de Curbio, Episcopus Assinatensis, in vita Innocentii Papæ IV. c. 29. in

in Baluzii Miscell. lib. VII. *Demum prospectans Dominus de excelso solio sancto suo - - sæpe fatum tyrannum Fridericum, substractionis & perditionis filium An. 1250. festo B. Luciæ, pontificatus Domini Innocentii Papæ IV. anno VIII. substraxit de medio ipso Deus; qui in Apulias castro Florentini laborans gravibus dissenteriis, frendens dentibus, spumans, & se discerpens, ac rugiens immensis clamoribus, excommunicatus & depositus miserabiliter expiravit.*

Chronicon Augustense ad An. 1250. *Eodem anno - Fridericus victus in Apuliam rediit, & veneno extinctus sepultus est in Fungia, in die S. Luciæ virginis.* - - -

Quæ Matthæus Paris ad An. 1251. pag. 786. scribit: *Completis eodem anno diebus natalitiis & imminente festo Purificationis B. Mariæ, increbuit rumor per partes occidentales de morte Frederici quondam Rom. Imperatoris quod scilicet die S. Luciæ Virginis morbo percussus irremediabili, die St. Stephani obierit;* intelligenda sunt secundum ea, quæ paulo ante ad An. 1250. pag. 777. dixerat: *Obiit autem circa eadem tempora Principum mundi maximus Fredericus - - die S. Luciæ, ut non videretur ea die terræ motus sine significatione & inaniter evenisse. - - Celata autem fuit mors ejus per aliquot dies, ne hostes ejus cito exultarent. Sed die S. Stephani facta est in publico manifesta, & nunciata in populo.*

4.) Conradus Ursp. ad An. 1210. *Anselmus de Fustingen progressus venit ad sæpe dictum Fridericum regem Siciliæ, vixque obtinuit apud illum, ut iret in Alemanniam. Uxor namque F. Regis Arragonensis, quam prius uxorem habuerat Rex Ungariæ, plurimum studuit eum revocare, ne iret.*

Albericus ad An. 1141. pag. 290. *Rikissa Imperatori Castellæ Alfonso peperit Sanctiam, & hæc peperit - - Constantiam, quæ primo fuit Regina Hungariæ, & post eam duxit Fredericus, Rex Apuliæ & Imp. Rom. genuit ex ea Henricum, Regem Alemanniæ.* Et ad An. 1213. pag. 473. *Tertia soror Petri Arragonum R. dicta est Constantia, Regina Hungariæ & Imperatrix Alemanniæ.*

Indiculus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum lib. I. Æra 1246. 1208. in Hispaniæ illustr. T. III. pag. 64. *Constantia Regina Regis* (Petri) *soror, quæ Emerico viro, Hungariæ Rege vita functo, Leopoldi, Austriæ Ducis ope, principis propinquitatis uniculo Arragoniæ domini adjuncti, ad fratrem reversa fuerat, adnitente Sanctia Regina parente, Friderico Siciliæ Reg. Cæsar-Augustæ despondetur. Hæ nuptiæ ab Innocentio P. M. Friderici tutore sanciuntur, qui enixe studuit, ut Fridericus poene puer, & Siciliæ arces, a Marchoaldo, Regina Constantia Frederici matre defuncta, oppressæ in libertatem vindicarentur. Ad hac Pontifex & Regina pactionem fecerant, si Fredericus ante matrimonium initum decederet, Siciliæ regnum ab Ecclesia Ferdinando Constantiæ fratri, quem pater sacro ordini dicaverat, deferretur.* Et Æra 1247. 1209. *Alfonsus, Provinciæ Comes, Barcinone solvens, Constantiam Reginam sororem ad Fredericum maritum Siciliæ Regem magno Provincialium & Catalanorum Procerum comitatu deducens in Siciliam Februario mense appellit. Funestæ eæ nuptiæ morte Alfonsi, & plurium procerum, qui magna vi morbi ingravescente Panhormi decedunt, fuere.* Et Æra 1260. 1222. p. 72. *Constantia Augusta, Regis amita, Catanæ moritur, & in Panbormitana æde maxima sepelitur. Ex eo conjugio Fridericus Imperator Henricum F. susceperat, quem pater Romani regni successorem sufficit, & regio cognomento honestat.*

Alber-

Albertus Stadensis An. 1222. *Imperatrix obiit.*

Papa Innocentius T. II. epistolar. lib. XI. n. 134. *Ut cariſſimus in Christo filius noſter Fridericus, Siciliæ Rex illuſtris, cariſſimam in Chriſto filiam noſtram, Conſtantiam, - - quondam Reginam Hungariæ, ducat in conjugem, apoſtolicum impertimur conſenſum - datum Sacri Pontificatus noſtri anno undecimo.*

5.) Monachus Paduanus ad An. 1224. *Circa hæc tempora mortua Conſtantia imperatrice, F. Regis Arragonum, de qua regem Alemanniæ Henricum habuit Imper. Fridericus, ipſe Iſabellam F. Joannis R. Jeruſolymitani accepit uxorem: de qua genuit Conradum, quem dilexit teneriſſimè ſuper omnes: & ſic regnum Jeroſolymitanum occaſione hujus matrimonii eſt adeptus.*

Godefredus Colon. ad An. 1223. *Imp. Frederico deſponſatur filia Johannis R. Iberoſolimitani.*

Albericus ad An. 1224. *R. Johannes de voluntate ſummi pontificis Honorii dedit filiam ſuam Iſolendim* (Iſabel) *Imp. Friderico in uxorem cum regno Hieroſolymitano, quod ei competebat jure hæreditario.*

Martinus Sanutus Torſellus Lib. III. Part. XI. c. 10. *Imperator vero legatos Regis Jeruſalem - - deduxit ad ſummum Pontificem An. 1222. & cum pio auxilio Terræ ſanctæ verba hinc inde varia moverentur, tandem conveniunt, ut Imperator Iſabellam, R. Ieroſolymitani F. ac regni hæredem, uxorem accipiat, cum tempus affuerit pubertatis, uſque videlicet ad annos quatuor: & inde ad duos annos pergat in auxilium Terræ ſanctæ, & utrinque ſunt præſtita ſacramenta, & appoſita in contra facientes excommunicationis ſententia. - - Statuto prius tempore Rex Jeruſalem ad Imperatorem venit, pro filiæ ſponſalibus adimplendis: mittitque Imperator Archiepiſc. Capuanum cum galeis XIV. ad deſponſandam puellam, deinde coronatur in Tyro An. 1225. Poſtquam vero Regina ad Imperatorem Branditium perducta eſt, Imperator a Rege requirit, ut regnum ſibi cunctaque reginæ jura reſignet. - - Imperatrix vero An. 1228. enixa eſt puerum vocatum Cunradum, in quo Ieroſolymitani regni jus remanſit, eo vero hærede relicto defuncta eſt.*

Richardus de S. Germano ad An. 1225. *Menſe Novembri, Imperator apud Brunduſium Iſabellam, filiam Regis Hieroſolymitani magnifice deſponſavit.* Imp. Fridericus II. in Petri de Vineis Lib. IV. ep. 15. *Gravis admodum & moleſtus rumor nobis occurrit de obitu illuſtris Regis Joannis, quondam dilecti ſoceri noſtri noviter nunciatus.*

Chronica Auguſtenſis ad An. 1228. *Imperator defuncta Imperatrice in puerperio transfretavit.*

6.) Matthæus Paris in hiſt. Angl. ad An. 1235. p. 400. *Eodem anno menſe Febr. venerunt apud Weſtmonaſterium duo hoſpitales Theutonicorum cum militibus & aliis nuntiis ſolennibus ab Frederico Rom. Imp. ad Regem Anglorum Henricum III. miſſi, ferentes ipſius literas auro bullatas, in quibus poſtulavit Iſabellam ſororem Regis ſibi matrimonio copulandam. Venientes autem VII. Cal. Martii ad Regem: - - - Et ſic III. Cal. Martii reſpondens, matrimonium petitum conceſſit. At nuntii cum poſtulaſſent, ut ſibi liceret puellam videre. - - - Quam reverenter apud Weſtmonaſterium perducentes, in præſentia Regis puellam,*

in Baluzii Miscell. lib. VII. *Demum prospectans Dominus de excelso solio sancto suo - - sæpe fatum tyrannum Fredericum, substractionis & perditionis filium An. 1250. festo B. Luciæ, pontificatus Domini Innocentii Papæ IV. anno VIII. substraxit de medio ipso Deus; qui in Apulias castro Florentini laborans gravibus dissenteriis, frendens dentibus, spumans, & se discerpens, ac rugiens immensis clamoribus, excommunicatus & depositus miserabiliter expiravit.*

Chronicon Augustense ad An. 1250. *Eodem anno - Fridericus victus in Apuliam rediit, & veneno extinctus sepultus est in Fungia, in die S. Luciæ virginis. - - -*

Quæ Matthæus Paris ad An. 1251. pag. 786. scribit: *Completis eodem anno diebus natalitiis & imminente festo Purificationis B. Mariæ, increbuit rumor per partes occidentales de morte Frederici quondam Rom. Imperatoris quod scilicet die S. Luciæ Virginis morbo percussus irremediabili, die St. Stephani obierit*; intelligenda sunt secundum ea, quæ paulo ante ad An. 1250. pag. 777. dixerat: *Obiit autem circa eadem tempora Principum mundi maximus Fredericus - - die S. Luciæ, ut non videretur ea die terræ motus sine significatione & inaniter evenisse. - - Celata autem fuit mors ejus per aliquot dies, ne hostes ejus cito exultarent. Sed die S. Stephani facta est in publico manifesta, & nunciata in populo.*

4.) Conradus Ursp. ad An. 1210. *Anselmus de Fustingen progressus venit ad sæpe dictum Fridericum regem Siciliæ, vixque obtinuit apud illum, ut iret in Alemanniam. Uxor namque F. Regis Arragonensis, quam prius uxorem habuerat Rex Ungariæ, plurimum studuit eum revocare, ne iret.*

Albericus ad An. 1141. pag. 290. *Rikissa Imperatori Castellæ Alfonso peperit Sanctiam, & hæc peperit - - Constantiam, quæ primo fuit Regina Hungariæ, & post eam duxit Fredericus, Rex Apuliæ & Imp. Rom. genuit ex ea Henricum, Regem Alemanniæ.* Et ad An. 1213. pag. 473. *Textia soror Petri Arragonum R. dicta est Constantia, Regina Hungariæ & Imperatrix Alemanniæ.*

Indiculus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum lib. I. Æra 1246. 1208. In Hispaniæ illustr. T. III. pag. 64. *Constantia Regina Regis* (Petri) *soror, quæ Emerico viro, Hungariæ Rege vita functo, Leopoldi, Austriæ Ducis ope, principis propinquitatis uniculo Arragoniæ domini adjuncti, ad fratrem reversa fuerat, adnitente Sanctia Regina parente, Friderico Siciliæ Reg. Cæsar-Augustæ despondetur. Hæ nuptiæ ab Innocentio P. M. Friderici tutore sanciuntur, qui enixe studuit, ut Fridericus poene puer, & Siciliæ arces, a Marchoaldo, Reginæ Constantia Frederici matre defuncta, oppressæ in libertatem vindicarentur. Ad hæc Pontifex & Regina pactionem fecerant, si Fredericus ante matrimonium initum decederet, Siciliæ regnum ab Ecclesia Ferdinando Constantiæ fratri, quem pater sacro ordini dicaverat, deferretur.* Et Æra 1247. 1209. *Alfonsus, Provinciæ Comes, Barcinone solvens, Constantiam Reginam sororem ad Fredericum maritum Siciliæ Regem magno Provincialium & Catalanorum Procerum comitatu deducens in Siciliam Februario mense appellit. Funestæ eæ nuptiæ morte Alfonsi, & plurium procerum, qui magna vi morbi ingravescente Panhormi decedunt, fuere.* Et Æra 1260. 1222. p. 72. *Constantia Augusta, Regis amita, Catanæ moritur, & in Panhormitana æde maxima sepelitur. Ex eo conjugio Fridericus Imperator Henricum F. susceperat, quem pater Romani regni successorem sufficit, & regio cognomento honestat.*

Alber-

Albertus Stadensis An. 1222. *Imperatrix obiit.*

Papa Innocentius T. II. epistolar. lib. XI. n. 134. *Ut cariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus, Siciliæ Rex illuſtris, cariſſimam in Chriſto filiam noſtram, Conſtantiam, - - quondam Reginam Hungariæ, ducat in conjugem, apoſtolicum impertimur conſenſum - datum Sacri Pontificatus noſtri anno undecimo.*

5.) Monachus Paduanus ad An. 1224. *Circa hæc tempora mortua Conſtantia imperatrice, F. Regis Arragonum, de qua regem Alemanniæ Henricum habuit Imper. Fridericus, ipſe Iſabellam F. Joannis R. Jeruſolymitani accepit uxorem: de qua genuit Conradum, quem dilexit teneriſſimè ſuper omnes: & ſic regnum Jeroſolymitanum occaſione hujus matrimonii eſt adeptus.*

Godefredus Colon. ad An. 1223. *Imp. Frederico deſponſatur filia Johannis R. Iheroſolimitani.*

Albericus ad An. 1224. *R. Johannes de voluntate ſummi pontificis Honorii dedit filiam ſuam Iſolendim* (Iſabel) *Imp. Friderico in uxorem cum regno Hieroſolymitano, quod ei competebat jure hæreditario.*

Martinus Sanutus Torſellus Lib. III. Part. XI. c. 10. *Imperator vero legatos Regis Jeruſalem - - deduxit ad ſummum Pontificem An. 1222. & cum pio auxilio Terræ ſanctæ verba hinc inde varia moverentur, tandem conveniunt, ut Imperator Iſabellam, R. Ieroſolymitani F. ac regni hæredem, uxorem accipiat, cum tempus affuerit pubertatis, usque videlicet ad annos quatuor: & inde ad duos annos pergat in auxilium Terræ ſanctæ, & utrinque ſunt præſtita ſacramenta, & appoſita in contra facientes excommunicationis ſententia. - - Statuto prius tempore Rex Jeruſalem ad Imperatorem venit, pro filiæ ſponſalibus adimplendis: mittitque Imperator Archiepiſc. Capuanum cum galeis XIV. ad deſponſandam puellam, deinde coronatur in Tyro An. 1225. Poſtquam vero Regina ad Imperatorem Branditium perducta eſt, Imperator a Rege requirit, ut regnum ſibi cunctaque reginæ jura reſignet. - - Imperatrix vero An. 1228. enixa eſt puerum vocatum Cunradum, in quo Ieroſolymitani regni jus remanſit, eo vero hærede relicto defuncta eſt.*

Richardus de S. Germano ad An. 1225. *Menſe Novembri, Imperator apud Brunduſium Iſabellam, filiam Regis Hieroſolymitani magnifice deſponſavit.* Imp. Fridericus II. in Petri de Vineis Lib. IV. ep. 15. *Gravis admodum & moleſtus rumor nobis occurrit de obitu illuſtris Regis Joannis, quondam dilecti ſoceri noſtri noviter nunciatus.*

Chronica Auguſtenſis ad An. 1228. *Imperator defuncta Imperatrice in puerperio transfretavit.*

6.) Matthæus Paris in hiſt. Angl. ad An. 1235. p. 400. *Eodem anno menſe Febr. venerunt apud Weſtmonaſterium duo hoſpitales Theutonicorum cum militibus & aliis nuntiis ſolennibus ab Frederico Rom. Imp. ad Regem Anglorum Henricum III. miſſi, ferentes ipſius literas auro bullatas, in quibus poſtulavit Iſabellam ſororem Regis ſibi matrimonio copulandam. Venientes autem VII. Cal. Martii ad Regem: - - - Et ſic III. Cal. Martii reſpondens, matrimonium petitum conceſſit. At nuntii cum poſtulaſſent, ut ſibi liceret puellam videre. - - - - Quam reverenter apud Weſtmonaſterium perducentes, in præſentia Regis puellam,* vice-

vicesimum primum ætatis annum agentem, speciosam nimis - - nunciis Imperialibus exhibebant. Idem Matthæus postquam in sequentibus regium nuptialem apparatum Sponsæ Augustæ descripsit, exponit uberius, quomodo ea ex Anglia in Germaniam transiit, Coloniam pervenit, & apud Wormatiam matrimonium consummavit, & inter alia p. 401. ita loquitur: *Desponsavit ergo puellam ibidem matrimonium initiatum consummando solenniter Imperator XIII. Calend. Augusti in Dominica - - - Nocte vero prima, qua concubuit Imperator cum ea, noluit eam carnaliter cognoscere, donec competens hora ab Astrologis ei nunciaretur. Consummata autem commixtione summo mane deputavit eam quasi prægnantem diligenti custodiæ, dicens: Custodi te sapienter, quia habes in utero masculum. Et hoc idem pro certo significavit domino Regi Angliæ fratri suo. - - - Et sic contigit, peperit enim masculum, cujus nomen Henricus fuit.* Idem ad An. 1241. p. 559. *Obiit etiam eodem anno gloria & spes Angliæ Isabella Imperatrix in partus discrimine.* Subjungit postea literas Imperatoris de eadem morte ad Regem Angliæ, ex quibus diem mortis & numerum liberorum Isabellæ cognoscimus: *Die namque primo intrantis mensis Decembris præteriti - - dicta consors nostra Imperatrix, soror vestra, - - naturæ concessit. - - At ubi Rex Regum - - providit, ut nobis & vobis post fata viveret in duorum memoria filiorum - - quia tamen viget in gemina prole. - -*

Instrumentum pactorum dotalium in Thomæ Rymeri T. Actor. publicor. Anglicanor. p. 353. *Nos Henricus D. Gr. Angliæ vicesimo secundo die Februarii, indictione octava, per præsens scriptum notum fieri volumus universis - - - quod nos ad consilium & ordinationem Domini Gregorii sanctæ Romanæ ecclesiæ summi pontificis, promisimus. - - dare in uxorem legitimam Isabellam, carissimam sororem nostram, Domino Friderico D. Gr. invictissimo Rom. Imperatori.*

7.) Continuator Martini Poloni Austriacus in Eccardi T. I. script. p. 1417. *Hic Fridericus genuit V. filios. - - Tertium Manfridum, quem designavit Apuliæ Principem, quartum Euchium f. Enzium, quem super Lombardos regnare constituit. Hos duos genuit ex Blancha, Marchionissa Lanzensi, de sanguine Marchionum Montisferrati de Pedemontium.*

Ricobaldus Ferrariensis in hist. Impp. ibidem pag. 1174. *Fridericus - - ex sorore - - Marchionum Lanzonum, ejus concubina, Manfredum genuit.* Idem paulo post; *Fridericus muliebrium amplexuum amator nimius; Nam speciosarum feminarum gregem servabat.*

8.) Continuator Martini Poloni Austriacus in Eccardi T. I. script. p. 1417. *Quintum filium habuit nomine Fridericum, susceptum ex filia Regis Antiochiæ, quam duxit uxorem, dum in illis partibus moraretur.*

9.) Videantur. probationes n. 4. Conradus Ursperg. ad An. 1221. p. 321. *Filium quoque suum Henricum, jam circiter VIII. annos habentem, nutriendum & gubernandum commisit Chonrado de Tanne, pincernæ & ministeriali suo in castro Wintersteten, qui eorundem ministerialium & aliorum Principum interventu postmodum a patre suo & principibus rex constituitur, & Aquisgrani coronatur, cum patre suo imperium adepturus.*

Albertus Stadensis ad An. 1210. *Henricus Imp. Fridrrici filius, patre volente, Franckenevorde in Regem eligitur.*

Gode-

Godefridus Colon. ad An. 1222. *Henricus VII. F. Friderici Imp. adhuc puer consecratus est in Regem Aquisgrani ab Engelberto, Coloniensi Archiep. Dominica ante ascensionem Domini sc. VIII. Id. Maji.*

Fragmentum historic. ad An. 1235. *Cum Fridericus esset in Italia, & cum aliquo tempore mansisset ibidem, filius suus Henricus Rex patri se opposuit. Fridericus reversus in Alemanniam circa festum Johannis Baptistæ, filium Henricum captivavit, & cum in Apuliam transmisit vinculatum, ibique in captivitate mortuus est, & sepultus An. 1236.*

Albertus Stadensis ad An. 1235. *Medio Augusto Imperator curiam Moguntiæ celebravit. Ibi filium suum Henricum sibi oppositum regno privavit, & eum in Calabriam detinendum misit.* Godefridus Colon. ad h. a. Curiam Mogontinam *in assumtione B. Mariæ* indictam dicit.

Richardus de S. Germano ad An. 1242. *Mense Februario Henricus primogenitus Imperatoris - - - naturali morte defungitur.*

10.) Conradus Ursperg. ad An. 1223. *Henricus VII. Rex Romanorum effectus Agnetem F. Liupoldi D. Austriæ accepit in uxorem de consilio patris sui Friderici Imp.*

Chronica Augustensis ad An. 1225. *Henricus F. ejus Rex Austriæ Margaretam, cum qua præsentibus Principibus regni nuptias ap. Nurnberg solenniter celebravit.*

Margarethæ nomen tuentur etiam Austriaci Scriptores; Chronicon Mellicense ad An. 1226. *Henricus F. Imp. Friderici Margaretham F. Liupoldi Ducis Austriæ duxit in uxorem.* Et ad An. 1252. *Ottaker F. Regis Boemorum Margaretham, quondam Reginam Alemanniæ duxit uxorem.* Et ad An. 1260. *Otakkerus hæres regni Bohemorum, Margaretham, quondam Alemanniæ Reginam, repudiat.* Et ad An. 1267. *Margareta quondam Alemanniæ Regina, carni debitum solvens in Lilenvelde sepulturæ traditur.* Consentiunt Chronicon Salisburgense ad An. 1225. & Neoburgens. ad h. a.

11.) Chronica Augustens. ad An. 1225. *Imp. cum filia Johannis R. Jerosolymitani nuptias in Apulia celebravit, ex qua genuit Chunradum, postea Regem;* ad An. 1254. *Cunradus R. - - - - in vigilia Ascensionis Domini diem clausit extremum.*

Richardus de S. Germano ad An. 1228. *Mense Aprili Imperatrix apud Adriam filium parit nomine Conradum, quæ non multo post, sicut Domino placuit, ibidem in fata concessit.*

Fragmentum Historicum ad An. 1237. *Venit Imperator ad civitatem Viennæ - - ubi etiam Cunradum filium suum de uxore transmarina genitum, eligi fecit in Regem.*

Acta electionis Cunradi IV. in Leibnitii Prodromo Cod. Jur. Gent. dipl. §. XI. pag. 9. *Unanimiter vota nostra contulimus in Cunradum antedicti Domini Imp. Filium, Regni Hierosolymitani legitimum successorem.*

Matthæus Paris ad An. 1251. p. 781. *Erat autem Conradus, quia filius fuit filiæ Regis Hierusalem etc.*

Nicolaus de Jamsilla in historia de reb. gestis Frid. Imp. ejusque filiorum *in Muratorii Script. Rer. Italic. T. VIII. pag. 507. Mortuus est Rex Conradus die 21. mensis Martii Anno Domini 1254.*

11.) Chronica Augustensis ad An. 1246. *Conradus, filius Imperatoris Friderici, duxit uxorem Dominam Elisabeth, filiam Ottonis Ducis Bavariæ.*

Andreas Presbyter in Chr. Bavariæ p. 30. *Fridericus II. - terram sanctam sibi subjecit, faciens filium suum nomine Conradum Regem Jerusalem. Hic Conradus Elizabeth, filiam Ottonis, Ducis Bavariæ, cujus hic est mentio, duxit uxorem, & vocabatur Regina Jerusalem.*

Inter epistolas novem Friderici II. Imp. ad diversos a Baluzio Lib. I. Miscell. publicatas extat quidem n. IV. p. 451. una, quæ inscribitur: *Ad Ottonem Ducem Bavariæ*, adjecto in margine An. 1243. in qua circa finem p. 455. hæc verba occurrunt: *Cæterum ad tractandum & ordinandum consummationem matrimonialis fœderis inter Conradum de - - in Romanorum Regem electum, & regni Hierosolymitani heredem, & dilectam filiam nostram Isabellam, sororem vestram, venerabilem Cluniacensem Abbatem - - legatos & nuntios speciales duximus ad vestram præsentiam destinandos.* Ex quibus verbis statuendum potius videtur, Elisabetham non fuisse filiam Ottonis, D. Bav. sed sororem; Verum enim vero sequentia testimonia satis superque demonstrant, vitiosam esse epistolæ istius inscriptionem, eamque Ludovico D. Bavariæ potius vindicandam esse.

Diploma Wenceslai R. Bohemiæ Pragæ An. 1291. XVII. Kl. Maj. in Gevvoldi libr. de Septemviratu c. 9. & in Tolneri Codice dipl. Palat. n. CX. pag. 77. *Notum facimus - - quod nos confirmationem, ratihabitionem - - quas - - Ludovico Comiti Pal. Rheni, Duci Bavariæ - - fecit de bonis quondam Conradi, filii olim Regis Conradi, nati piæ memoriæ Friderici quondam Imp. Romani, - - quæ prædictus Rex Conradus pro dote & in dotem Elizabeth uxori suæ, matri videlicet Conradi, sui filii, prædicti, ac illustrium Principum prædicti Domini Ludovici & Domini Henrici, Ducum Bavar. sorori assignavit.*

Diploma Conradi, Hierusalem & Siciliæ R. Ducis Sueviæ, datum nono Kl. Nov. An. 1266. quod ex chartulario Raitenpuchensi produxit Aventinus Ann. Boj. Lib. VII. cap. 8. num. 5. pag. 671. *Conradus D. G. Hierusalem & Siciliæ Rex, Dux Sueviæ, castrum - - quæ Ottoni, regulo Bojorum, avo suo materno Conradus genitor - - oppignorarat, Ludovico Bojo avunculo suo vendit.*

Ipse Conradus Imp. in Petri de Vineis lib. IV. ep. 3. *Cum post sedatos undique turbines, quos dudum in regno nostro Siciliæ calumniosa temporis procella concreverat, subito rumor infestus & nubilus claustra nostra jucunditatis infregit, illas nobis insipidas amaritudinis propositiones interserens, quod N. Dux Bavariæ, charissimus socer, superioris ducis ductus imperio - humanitatis commune debitum - - ex inevitabili lege fatalitatis exolvit.*

Inscriptionem epistolæ Friderici II. Imp. *ad Ottonem Ducem* Bavariæ ex Baluzio supra allatæ tuetur amicissimus Georgius Christianus Joannis tam in Curis posterioribus in Parei hist. Palat. p. 260. quam in literis An. 1725. d. 24. Augusti

gusti ad me scriptis his verbis: *Quod ad illam tuam sententiam, nescio an Baluzius ex ingenio An. 1243. a Friderico literas scriptas statuerit. Ponam tamen rem ita se habere, quin illum in anno designando errare potuisse, immo, ut liberalis sim, reapse errasse; nihil tamen minus firmiter meaperstat ratio. Unanimi enim omnium, quot quidem legi, consensu, An. 1246. Vobburgo Conrado Elisabetha in manum convenit. Cum vero tum temporis Ludovicus, ad quem literas istas a Friderico datas censes, XVII. annorum adolescens fuerit, nulla sane apparet ratio, cur Ottone patre praeterito, qui tamen tum sanus & adhuc viribus, tam animi quam corporis integer erat, negotium de sorore Conrado filio in matrimonium collocanda Imperator cum eo pertractari voluerit.* Verum enim vero neque hæc in ratione temporum optime fundata argumentatio viri, uti in omni historia, ita inprimis in Stemmatographia Bavarico - Palatina versatissimi & accuratissimi, me a sententia mea dimovet. Primo enim potuit utique Fridericus Imperator ex gravi quadam causa tractare de matrimonio Elisabethæ cum filio suo contrahendo potius cum ejus fratre, quam cum ejusdem patre; fortasse illa, aut ejus pater, abhorruit a nuptiis sponsi una cum patre anathemate pontificio notati, quas tamen Imp. Fredericus persuasionibus fratris obtinere tentavit. *Deinde*, quid vetat quæso statuere, Imp. Fridericum per Ludovicum filium solicitasse connubium Elisabethæ ab Ottone. *Tertio*, cum literæ istæ Baluzianæ manifesto mendo laborent, malo illud quærere in ejusdem *accide*[illegible] ut cum Philosophis loquar, quam in *substantialibus*; nempe, cum inter du[illegible]a minimum sit eligendum, potius impugnare cupio epistolæ titulum, procul dubio adventitium, quam ejusdem argumentum, quoniam nemo sibi persuadere poterit, Imperatorem tam ignarum fuisse familiæ Bavaricæ, ut in Elisabethæ expetitæ agnatione aberraverit. Exscriptorem vero aliquem Elisabetham ex incuria quadam supina *sororem*, non vero *filiam* dixisse, uti clarissimi Viri, *Tolnerus & Joannis* autumant, incredibile mihi videtur, cum inter hæc vocabula non tam facilis detur commutatio, ne quidem apud somniantem.

Chronica Augustens. ad An. 1259. *Meinhardus Comes Gorizia duxit in uxorem Dominam Elizabeth, sororem Ludovici & Heinrici, Ducum Bavariæ, relictam Chunradi Regis, in octavo S. Michaelis apud Monacum nuptiis celebratis.*

13.) Richardus de S. Germano ad An. 1228. *Imperator Regni Prælatis & Baronibus coram se - congregatis - proponi fecit, & legi subscripta capitula in modum testamenti, ut videlicet - si deficere Imperatorem contingeret, sibi in Imperio & Regno succederet Henricus, filius ejus major. Quodsi illum absque liberis mori contingeret, Conradus, filius ejus minor, succederet illi. Quod si ambo decederent, filiis non extantibus, filiæ ipsius superstites, quas de legitima uxore suscepit, in eodem Regno suo succedant.*

14.) Epistola nunciatoria Friderici II. Imp. ad Comitem Cornubiæ Richardum, de nato sibi filio Henrico ex sorore ejusdem data Taurini III. Martii An. 1238. in Math. Parisii Hist. Angl. p. 451. *Ex Augustæ consortis nostræ, sororis tuæ foecundo gremio, datus est nobis octavo decimo die mensis Februarii novus Filius, & nepos natus est tibi.* Idem Mathæus Paris ad An. 1247. pag. 704. *Fridericus fecit omnes Apulos, Siculos & Calabres facere homagium ligium dilectissimo F. suo Henrico, quem de gremio sibi charissimæ Imperatricis Isabellæ, sororis videlicet Domini Regis Angliæ susceperat.* Et continuator ejus ad An. 1254. p. 861. *Eodem anno, mense Maji, obiit spes Anglorum & gloria Henricus, vir desideriorum, miræ speciei adolescens, F. Rom. Imp. Frederici & Imperatricis Isabellæ, sororis R. Angliæ &c.*

Imp. Fridericus in teſtamento ſuo, quod extat in Chronico Siciliæ Colbertino c. 24. *Item ſtatuimus, ut Henricus F. N. habeat regnum Jeroſolymitanum, vel regnum Arelacenſe, quorum alterum dictus Conradus, prædictum Henricum habere voluerit.*

15.) Conferantur probationes ad N. 6. Excerpta ex Chronico membranaceo Vetero-Cellenſi in Bibliotheca Paulina Lipſ. in Tenzelii curieuſer Bibliothec Repoſitorii I. faſc. XI. p. 1063. *An. 1256. XII. Kal. Apr. naſcitur Henricus, F. Alberti Thuringiæ Lantgravii de Margareta, F. Friderici Imp. An. 1257. naſcitur Fridericus F. ejusdem Alberti. An. 1270. Margaretha, nobilis Domina Landgravia Thuringiæ, F. Friderici Imp. fugit die St. Johannis Baptiſtæ, obiitque VI. Idus Auguſti eodem anno.*

Diploma in ejusdem Tentzelii ſupplemento II. Hiſtoriæ Gothanæ Sect. CCLXXII. p. 626. *Henricus D. Gr. Myſenenſis & Orientalis Marchio & Thuring. Langr. & Saxoniæ Comes Palatinus & terræ Pliſenenſis Dominus - - Cum per glorioſiſſimum Dominum noſtrum, Fridericum Rom. Imp. in obſtagio decem milliarum marcarum argenti, ratione ſponſalitii, filiæ ſuæ Margarete, filio noſtro Alberto desponſatæ, adepti ſumus dominium Pliſenenſis terre. - - Acta ſunt hæc omnia M. CC. LVI.*

16.) Fridericus Imp. conquerens de Papa in Petri de Vineis lib. 1. ep. 21. p. 160. *Niſi quod cum ipſo contrahere de nepte ſua deſponſanda Henrico naturali filio noſtro, nunc Regi Turrium & Galluri, magnificentia incongruum credidit.* Et lib. II. ep. 10. *Per dilectos filios noſtros, Henricum illuſtrem regem Sardinæ, in Italiæ partibus generalem legatum, & Fridericum de Antiochia, Tuſciæ partibus Præſidentem - regni noſtri ſtatum cum ſalubritate diſpoſitum.*

Monachus Patavinus in Chronico ad An. 1249. *In principio Junii rex Encius, filius Frederici, captus eſt a Bononienſibus cum militia copioſa.*

Memoriale Poteſtatum Regienſium *in Muratorii T. VIII. ſcript. rer. Italic. p. 1133. In MCCXXII. anno, die lunæ, quarto decimo Martii obiit Rex Henzus, filius quondam Friderici Imp. qui erat in carceribus Bononiæ, & ſepultus fuit ad eccleſiam Fratrum Prædicatorum, & fecit Commune Bononiæ eum inbalſamari, & fecerunt Commune & homines Bononiæ ad mortem ſuam ei magnum honorem.*

Matthæus Pariſ. ad An. 1249. p. 726. *Enſius F. Frederici naturalis, Rex Sardiniæ, dum comitantibus Cremonenſibus & Reginenſibus iter faceret circa partes Bononiæ vicinas, ut hoſtes ſuos damnificaret, Bononienſes præmoniti, paratis inſidiis occultis, ſubitum impetum fecerunt in ipſum incaute procedentem ad pontem S. Ambroſii, qui eſt in medio itinere inter Bononiam & Cremonam - & captus eſt ipſe Enſius.*

Conferatur epitaphium magnificum hoſti captivo a S. P. Q. Bononienſi poſt funera poſitum, quod exhibet Henninges Parte priori ſecund. & tert. regni in IV. Monarch. p. 47.

17.) Ubaldi Piſani, Gallurienſis & Turritani reguli, formula Sacramenti, qua fatetur, ſe has præfecturas ab Sede Apoſtolica jure fiduciario tenere *ex libro Cenſuum Vaticano MSS.* in Raynaldi *Annal. Eccleſ. Baron. continuat. T. XIII. ad An. 1237. n. 16. 17. p. 449. Dominus Ubaldus, Judex Gallurienſis & Turritanus* recogno-

recognovit & fuit concessus publice, & non coactus, se habere, tenere & possidere ab Ecclesia Romana judicatum Turritanum, quem habuit pro Domina Adelasia, uxore sua, & alia, quæ ad ipsam hæreditario jure pertinent, tam in Sardinia, quam in Corsica, Pisis, Marsica, Massa, & ubicunque sunt. &c.

Richardus de S. Germano ad An. 1238. *Henricus naturalis filius Imperatoris, in Sardinia duxit uxorem.*

18.) Fridericus II. Imp. in testamento suo, c. 24. *Concedimus & confirmamus Manfredo filio nostro principatum Tarenti.*

Sallas Malaspinæ lib. I. rer. Sic. 1. *Licet prædictus Manfredus, tanquam ex damnato coitu derivatus, defectum natalium patiebatur, hunc tamen adultum, persona, dotibusque personæ grandævum Fridericus ejus genitor - filiis præferens eum tandem principatu Tarentino donavit.*

Continuator Matthæi Paris ad An. 1256. p. 901. *Temporibus quoque sub iisdem Manfredus, qui filius tantum naturalis Frederici diu credebatur, jam inquisita & scita rei veritate, non tantum naturalis, id est, illegitimus, imo pro legitimo habebatur. Unde ab omnibus Siculis & Apulis, & finitimarum illarum regionum incolis, qui eidem cæperunt adhærere, amabatur & honorabatur. Contigit enim, quod jam circiter XX. annis elapsis, mater ipsius Memfredi graviter infirmata, vocavit ipsum sc. imperatorem, ut misertus illius pro Deo ipsam visitare non dedignaretur. Credebatur namque in proximo moritura; Et cum venisset Imperator, ait ei mulier junctis palmis, & obortis lacrymis cum singultibus: Domine miserere mei in proximo morituræ, & succurre perituræ. - Habes namque filium quendam naturalem Memfredum, quem tibi genui; Placeat igitur me desponsari, ut & ille Memfredus legitimetur, & anima mea a periculo liberaretur. Inclinatus est igitur precibus supplicantis, & ipsam sibi matrimonio copulavit.*

Nic. de Jamsilla in hist. de gestis Friderici II. Imperatoris & filiorum ejus in *Muratorii T. VIII. script. rer. Ital. pag. 497. Mortuus est - - ipse Imperator - superstitibus sibi Conrado - Manfredo, quem ex Italica, & Henrico minore, quem ex Anglicana consorte susceperat. - - Cum idem Conradus esset in Alemannia, dicto Manfredo, quem Imperator præ ceteris filiis dilectissimum, & in aula sua nutritum, suisque documentis instructum, Principem Tarenti constituerat, concessit comitatus Gravinæ, Tricarici, & Montis Caveosi, nec non & Honorem Montis S. Angeli, quem Imperator ipsius Principis matri, quam summe dilexerat, donatione fuerat elargitus, Generalis Balius ipsius Regni Siciliæ ageret.* - Et pag. 498. *Erat autem idem Princeps annorum decem & octo, cum defuncto Imperatore Balium, Patris sui Conradi Regis in Italia, & Regno Siciliæ paterna sibi commissum dispositione gerere cæpit.* Et p. 584. *Dum in Siciliam Princeps Manfredus iret, venit rumor in regnum, quod nepos ejus Rex Conradus, filius quondam Regis Conradi Primi, in Alamannia obiisset, quo rumore audito Comites & alii Magnates regni - ad Principes profecti sunt - unanimiter petentes ab eo, ut ipse Princeps, qui usque tunc pro parte prædicti Regis Conradi & sua regnum rexerat, & in tanta pace constituerat, ipsius Regni gubernaculum & coronam, tanquam Rex, & ipsius Regni verus hæres, acciperet: qua petitione unanimiter sibi facta - - idem Princeps per concordem omnium Comitum & Magnatum, ac etiam Prælatorum regni electionem in Regem electus, coronam Regni*

Regni Siciliæ, solenniter accepit A. D. Inc. 1258. die undecima mensis Augusti primæ indictionis.

Monachus Paduanus lib. III. ad An. 1260. *Princeps Manfredus, naturalis filius Friderici, qui regnum Siciliæ & Apuliæ usurpavit.*

Anonymi Chronicon Siciliæ Colbertinum c. 32. *prædictum R. Manfredum Comes Provinciæ, nomine Carolus, debellavit, & interfecit in prælio inter eos commisso Beneventum in campo Palentino die Veneris 26. Febr. IX. indictione A. D. 1265. & ipsum postea sepeliri fecit apud Pontem Valentinum, relicta in regno Arragonum ex dicto R. Manfredo filia superstite, nomine Constantia, uxore tunc Petri R. Arragonum.*

Guido Bernardus MSSt. in Raynaldi Annal. Eccles. Baron. cont. T. XIV. ad An. 1266. n. 14. p. 134. *Proelium factum fuit IV. Kal. Martii feria VI. in campo ante civitatem Beneventanam anno Domini prætaxato 1265. secundum illos, qui annum Dominicæ incarnationis incipiunt in annunciatione Domini computare: secundum autem illos, qui in natali Domini incipiunt computare, dicitur 1266. unde versus facti sunt subsequentes:*

Carolus athleta Christi, prout ante cometa.
Hoc præsignavit, Manfredum suppeditavit.
Plus decies centum quatuor juxta Beneventum
Victor prostravit, hinc ecclesiam relevavit,
Sunt anni Christi, victoria cum datur isti.
Mille ducentenus sexagenus quoque senus
Belli finis fit Februi lux tertia finit.

19.) Sallas Malaspinæ Lib. I. rer. Sicul. c. 1. *Fridericus tradidit Manfredo uxorem nobilem mulierem, natam Amedei Comitis Sabaudiæ, nomine Beatricem.*

Pactum dotale in Lunigii Reichs-Archiv. Part. spec. Cont. II. dritter Forts. p. 5. *Universis - præsentes literas visuris - Gualterius de Ocra, Capuanus electus, & Domini Imperatoris Notarius & Capellanus, salutem: Noverit universitas vestra, quod nos autoritate procurationis & specialis mandati a Domino Imp. nobis facti obligavimus eundem Imperatorem & Manfredum Lanceam, filium ejus, & in anima ipsorum juravimus, & juramento tenemur, Domino Amadeo, Comiti Sabaudiæ & in Italia Marchioni, infallibiliter favere & procurare, quod prædictus Manfredus Lancea, filius ejusdem Domini Imperatoris, ducet in uxorem legitimam Beatricem, Comitissam Salucienssem, filiam Comitis supra dicti, usque per totum mensem Maji proxime futurum apud Trinum, montem Calerium, Ripolas sive Cherium, ad diem certam, quam prædictus Dominus Imperator cum Imberto de Saxellis & Imberto Castellano Avillanæ, nunciis & Procuratoribus Comitis supra dicti, duxerit præfigendum, restitutione castri Ripularum facienda Comiti memorato, vel prædictis nunciis suis a Domino Imperatore, infra festum Pentecostes proximo futurum, prædicto matrimonio præcedente. Item juravimus, & obligavimus eundem Dominum Imperatorem, quod ubi melius placuerit dicto Comiti, vel nunciis suis in Imperio, idem Dominus statuet, & ordinabit, doarium mille marcharum argenti, redditus eidem dominæ futuræ uxori, prædicti filii sui, quod siquidem doarium dicta domina precipiet, toto tempore vitæ suæ, si per mortem viri*

viri matrimonium solveretur. Item juravimus & obligavimus prædictum Dominum Imperatorem, quod infra festum Pentecostes proxime futurum, restituet eidem Comiti Sabaudiæ libere castrum Rippolarum, cum omnibus juribus, justitiis & pertinentiis suis tenendum ab Imperio, & ab ipso Domino Imperatore, & hæredibus suis, sibi in imperio successoribus, & faciendum ex eo, sicut de alia terra sua ad mandatum & voluntatem ejusdem Domini Imperatoris, vel nunciorum suorum, guerram & pacem amicis & inimicis Imperii. Item obligavimus eundem Dominum Imperatorem prædicto Comiti, quod idem Dominus Imperator dabit prafato Manfredo filio in feudum & homagium totam terram a Papia usque ad montes, sicut per divisionem, & alios suos fines, usque ad Maritinum Januæ designantur. Dabit etiam ei regnum Arelatense, quando dicto Domino Imperatori, de consilio ejusdem Comitis videbitur expedire, & alibi in Imperio, & aliis terris suis, eidem filio suo, juxta voluntatem & consilium dicti Comitis, magnifice providebit. Ad hujus autem rei testimonium & perpetuam firmitatem præsentes literas eidem Comiti exinde fieri fecimus sigillo nostro munitas. Actum apud Camberiacum anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo, quadragesimo septimo die dominico 4. Aprilis, V. indictione.

20.) Idem Scriptor lib. II. c. 4. *Igitur Regina Beatrice naturæ debitum persolvente Rex Manfredus cum Vatazo, viro in Græcia magnifico & illustri, habens de parentela tractatum, tandem filiam ejusdem Vatazi, puellam jam nubilem, in annis tamen juvenilibus illustrem & prudentem, suis nuptiis adoptavit, ex qua postmodum filios suscepit & filias, ex quibus non nisi una filia supervixit.*

Monachus Paduanus Chronici Libro III. ad An. 1266. *Ibidem etiam ipse Princeps Manfredus occubuit. - Uxor autem ejus, quæ filia erat Cumani Principis Græcorum capta fuit, dum anxia disponeret, audita morte mariti cum suis filiis in Græciam transfretare. Et cum fuisset hoc R. Carolo nunciatum, fecit eam simul cum filiis in quodam castro recludi.*

21.) Sallas Malaspinæ lib. II. c. 6. *R. Manfredus filiam suam Constantiam, quam ex prima consorte sua Beatrice, filia quondam A. Comitis Sabaudiæ, Imperatore vivente, susceperat, Domino Petro primogenito dicto R. Arragonum solenni matrimonio copulavit.*

Petrus R. Arragonum in responsione ad ep. *Caroli* R. Siciliæ in Petri de Vineis Lib. 1. ep. 39. *Inflatus tenor epistolæ tuæ præfata ostendit R. Manfredi, quondam soceri nostri, nobilem potentiam in acie conclusam: ac R. Conradini, affinis nostri, floridam adolescentiam spiculatoris gladio ac injusto judicio peremtam - - justam namque causam fovemus. Namque hereditaria jura regni Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Capuæ Principatus, serenissimæ Dominæ uxoris nostræ, filiæ R. Manfredi, amitæ R. Conradi prosequimur.*

Urbanus IV. P. P. in epistola ad Jacobum R. Arrag. in Raynaldi eccles. Annal. Baron. continuat. T. XIV. ad 1261. n. 14. p. 74. *Quomodo igitur tandem cadere potuit in cor tuum, quomodo potuit animi tui sublimitas inclinari, ut de contrahendo matrimonio inter primogenitum tuum illustrem, & statim memorati Manfredi verba etiam pater eris audire? O quantum dedecus tali connubio tantam gentis dedecorare prosapiam! O quam detestabile, tam devotum Ecclesiæ filium, ipsius inimico & persecutori manifesto vinculo tantæ conjunctionis astringi.*

Chronicon Barcinonense p. 757. *V. Idus Aprilis anno Domini MCCC. Domina Constantia, uxor Domini Regis Petri decessit Barchinonæ.*

22.) Nicolaus Specialis lib. VII. rer. sicul. c. 13. *Ex Manfrido Rege superstiterunt Constantia & Margaretha.*

Continuator Martini Poloni Eccardinus p. 1423. *Una filiarum Manfredi captiva ducitur, ne per ejus nuptias adversitas Carolo suscitetur.*

23.) Vid. Monachi Patavini testimonium in præcedente numero 20.

24.) Conradus IV. Imp. in privilegio in Petri de Vineis Lib. VI. ep. 8. *Nos attendentes inviolabilem devotionis & fidei puritatem, quam Fridericus de Antiochia, Albæ, Celani, & Laureti Comes, charissimus frater & fidelis noster, erga divum Augustum Dominum patrem nostrum.*

Nicolaus de Curbio in vita Innocentii IV. c. 39. *Per Fridericum de Antiochia, filium similiter Friderici regnum Apuliæ remanserat occupatum.*

Imp. Fridericus II. in Petri de Vineis Lib. III. ep. 49. *Ex insinuatione Friderici de Antiochia, sacri Imperii in Tuscia Vicarii generalis, nostra nuper serenitas intellexit.* Et Lib. II. n. 40. *Literas Friderici, Comitis Albæ, dilecti filii nostri, recepimus.*

Continuatur Martini Poloni Eccardinus p. 1417. *Fridericus susceptus ex filia Regis Antiochiæ, Tuscorum Præfectus, apud Florentiam obiit, a patre valde dilectus, & egregiis actibus decoratus.*

25.) Sallas Malaspinæ lib. II. cap. 8. *Interea Conradus de Antiochia Comes Albæ, R. Friderici nepos, qui pro Capitaneo fuerat destinatus, ad Marchiam fuit proditione detentus. In cujus subsidium Galvanus Lancea, Comes Principatus & Fundorum, Mareschallus regni, socer ejusdem Conradi.* Et lib. IV. c. 19. *Standardus - versus castrum Conturbii - cum toto exercitu - festinat. In dicto namque castro Conradus Capucius - se reduxit. Quo quidam - angustato - Comestabuli Tuscorum & duodecim majores castri de prodendo Corrado - cagitarunt. Corradus ergo adductus non ligatus. Hujus itaque oculos statim Guillelmus Standardus absque ullo judicio mandavit evelli, evulsisque oculis Cathaniæ in altis præter morem furcis juxta littus maris solitarius alligatus dimisit in aëre vitam suam. - Martinus quoque & Jacobus Capucii milites, fratres ejusdem Corradi, pulchritudine ac statura decori, apud Neapolim via Capuana eodem supplicio per Regis sententiam perierunt.*

Filadelfo Magnos nel Theatro genealogico delle Familie nobili del regno di Sicilia Parte I. p. 69. DELLA FAMILIA ANTIOCHIA *E per tuti gl' historici assai chiaro che deriuò la nobilissima famiglia Antiochia de Federico, figlio naturale dell' Imperator Federico II. così chiamato per esser egli stato quasi na fanciullo nutrito in Antiochia, città della Soria; hebbe egli in Sicilia da suo padre la Terra di Capizzi, cò altri Castelli vicini, mà hauendosi casato con Margarita Romano n' acquistò due figlie Isolda, che fù moglie di Bertoldo Suevo Marchese d' Heremburg, e Beatrice, moglie d' Opicio Spinola, ed un figlio maschio, chiamato Corrado.*

Costut

Costui successe al padre nel Contado di Capizzi, ed bebbe oltre nel 1265. i Contadi d' Alba, di Cellano, e della Calabria Citra chiamata anticamente Brutia. Fù questo non puoco amato della Reina Costanza, moglie del Rè Pietro d' Arragona sua cugina, perilche il Rè gli diede due Castelli nella Catalogna, Albaide e Carribili, generò con sua moglie Beatrice, figlia di Galuana Lanza secondo Conte di Fundi. Federico, che successe ne' Stati paterni, Bartolomeo, che fù Arcivescovo di Palermo nel 1295. e Francesco ocbe Arcivescovo nel 1311. al Federico che morì nel 1305. gli successe il figlio chiamato pur come il patre Feder: che fù Conte di Capizza, Sig. di Mistretta, di Serravalle, della Guzetta, di Castell' amare del Golfodel Bargetto di Calatabellota, e di Calatavuturo, bebbe per moglie a Margarita Consolo, che poi fù moglie di Francesco Ventimiglia, Conte di Girace, però egli nanzi c' hauesse stato ucciso da' Francesi con suo fratello Henrico, Francesco, e Simone à Antiochia suoi cugini governò molt' anni la Sicilia con titolo di Vicerè sotto il Rè Manfredo. Restandone solamente di questa famiglia Bartolomeo figlio del già detto Simone, che dal Rè Pietro j. bebbe il governo della Città di Randazzo, e si casò con la figlia di Nicolò Cesareo cavalier Mesiinese, e dal Re Petro II. Rebbe concessi i Dice in Fazzelli che Federico d' Antio beni di Luppo Guardiola chia possede Mistretta, Capizzi, Serravalle, Guzzetta, Castell' amare del Golfo, Burgetto, Callata bellotta, Calatubbo, edaltri Castelli; ed bebbe per moglie Margarita Drosolo, Faceva anticamente questa famiglia Antiochia l' Arme Imperiali della casa Sueula, che sono un Aquila nera in campo d' argento.

Isoldam vero, uxorem Bertholdi, Marchionis de Hohenburg, tam celebris in historia Neapolitana istius temporis, filiam fuisse Gualvani Lanceæ Marchionis, non vero Friderici de Antiochia, uti tradit ille Stemmatographus Siculus, docet claris verbis Nicol. de Jamfilla in Muratorii T. VIII. p. 574. *Profectus est Marchio Bertholdus ad civitatem Trani, in cujus civitatis castro morabatur uxor ejus, Isolda, filia Marchionis Lanceæ.*

26.) Chronicon Australe ad An. 1244. *Henricus Rex Romanorum junior in captivitate patris sui obiit, relictus duobus filiis.*

Imperator Fridericus in testamento suo: *Item statuimus, quod Fridericus nepos noster habeat Ducatum Austriæ & Stiriæ, quod a prædicto Conrado teneat & recognoscat.* Et in Petri de Vineis lib. II. ep. 40. *Fridericus dilectus nepos noster, quem ad superiores partes Lombardiæ - Majestas nostra permiserat.*

Chronicon Mellicense ad 1251. *Fridericus, nepos Friderici Imp. moritur.*

Ladislaus Sunthaim in tabulis Clausto-Neoburgensibus de primis Austriæ Marchionibus & Ducibus Stirpis Babenbergicæ, eorum conjugibus & liberis p. 1041. *Fravv Margreth hette mit Künig Heinrichen jrem Gemal zvveen Sün, Fridericben, den vaarde in jr jugend vergeben in Pulen durch jren Veter Manfredum.*

27.) Chronica Augustensis ad An. 1252. *Domina Elisabeth filia Ottonis Ducis Bavariæ genuit Chunrado Regio filium in die Annunciationis St. Mariæ & vocatus est Conradus.*

Richardus Imp. in diplomate de An. 1261. in Guillimanni de rebus Helvet. lib. II. n. 11. p. 153. edit. in f. *Fideli relatione pervenit ad nostra Serenitatis auditum, quod Conradinus, olim Conradi Regis filius, qui se Ducem Sueviæ nominat.*

Conradus ipse in querimonia facta Principibus per Theutoniam in Chronic. Siciliæ Colbertino c. 34. *Conradus II. D. Gr. Jerusalem & Siciliæ Rex ac Dux. - - Cum enim magnificus Rex Conradus divæ memoriæ, cariſſimus pater noſter teſtamento ſollerter condito quondam tempore mortis ſuæ, nos tenellum & infantulum in cunabulis vagientem, & nondum nutricis ab uberibus ablactatum in manibus ſanctæ matris eccleſiæ reliquiſſet.*

Alexander IV. Papa in epiſtola ad Gerhardum Moguntinum in Leibnitii prodromo Cod. J. G. diplom. n. 13. *Ideo de Conrado puero, nato quondam Conradi, prædicti Friderici filii, eſt prævendum omnino.*

Henricus Stero ad An. 1268. *Conradus Rex - - habito conflictu cum Carolo Rege victus & captus eſt apud Neapolin, Juſſu prædicti Karoli decollatur, IV. Kalend. Novembris feria ſecunda. - - ſubſequenter in eodem menſe Novembri in die St. Chryſogoni moritur Clemens Papa, qui quoniam in Papatu nunquam Romam intraverat, in loco ubi tam diu ſteterat, videlicet in Viterbio ſepelitur.*

Chronicon MSS. ad quod provocat Laur. Pignorius in not. ad Hiſt. Alb. Muſſati p. 23. *Idem obiit An. 1268. Dominus Papa Viterbium in die Sanctorum Vitalis & Agricolæ, & infirmatur menſe Novembri juxta horam nonam die ſabbati nono exeunte. Et jacet ad eccleſiam majorem S. Laurentii & inſequenti die mortis Papæ decapitari fecerunt Cunradinum Regem, & Ducem Auſtriæ, & Gerardum Comitem Piſanorum.*

Sallas Malaſpinæ lib. IV. c. 15. *Decori artus acephali Corradini non tumulantur, ſed humantur, corpora ſic obtruncata. Lapidum cumulus objicitur loco tumuli, cujus eminentia uſque hodie ſubterratorum oſtendit cuilibet ſepulturam. Quanquam habet opinio plurimorum, quod fratres illius loci ex devotione vel pietate materna ducti ſive prece preciove commoti oſſa Corradini clandeſtino exhumaverunt, matri miſerabili deſtinarunt.*

PAPA MARTINUS
in
Excommunicationis ſententia in Petrum R. Arragoniæ prolata ap. H. Steronem ad An. 1283.

Deus - Friderici domum, quæ conſueverat - abundare perſonis, ſic pene redegit in nihilum, ſic - oppreſſit, ut de illa ipſa non ſcintilla unica remaneret.



DISSER-

DISSERTATIO XVI.

DE
PRIMIS SUEVORUM CÆSARIBUS
CONRADO III.
ET
FRIDERICO I.

Qualem in feracis culminibus Cragi
Aut in supremi montibus Algidi
Idaque vernanti jugisque
Caucaseis gelidove in Haemo

Pulcram ante lætis frondibus ilicem
Ornumque celsam sed valida Noti
Caurique ventorum procella,
Turbine præcipitante, stratam

Post Solis æstum mitis & aerem
Faustique coelum sideris ex novo
Radicis ausu germinantem
Lætius uberiusque ramis

Fastigiatis surgere cernimus
Qualemue Pindi verticibus super
Densisque Parnassi frutetis
Umbriferisque Heliconis oris

Laurum ante vernis floribus editam
Cedrumque ferri viribus, ictibus
Ac strage trunci vulneratam
Post radios iterum serenos

Fotusque terræ numine prosperos
Laurum jacentem non sine gaudiis
Ex umbilico stirpis altæ
Pulcrius explicuisse frondes

Verisque honores conspicimus novos
Longeque lateque egregium decus
Videmus & ramos superbos
Crescere in ætherium cacumen:

Talem videmus, ringite lividi,
Talem stupemus, credite posteri,
Hanc hanc paternam civitatem,
Noridos imperialis urbem

Sat ante multis casibus ignium
Ferrique acuti viribus improbis
Diroque militum furore,
Stragibus excidiisque vastis

Per fata rerum noxia tristium
Læsam ac repressam, sæpius obrutam
Longisque desertis jacentem
Perniceque gravi sepultam

Tandem auspicato Numinis optimi
Regisque Regum lumine prospero
Summoque Cæsarum bonorum
Judicio placidoque nutu

Inter piorum jubila civium
Florere sedem Teutoniæ sacram
Gratamque Musis civitatem
Lætius altius intuemur.

Quænam ista, gratus scire animus cupit,
Sunt maximorum nomina Principum,
Qui jam paternæ civitati
Noridos eximie favebant?

Est ille magni pectoris Hercules
CONRADUS aucto nomine tertius
Suevaque gente procreatus,
Martius egregiusque Cæsar

Parique summæ laudis adorea
Est alter ortus stemmate Suevico
Primusque Regum FRIDERICUS,
Strenuus intrepidusque Princeps,

Qui cum priori Fratre Patris sui
Pios fidelis Noridos incolas
Largis bonorum publicorum
Dotibus amplificare cœpit.

Huc ergo, quotquot vel patriæ salus
Vel civitatis fulgida dignitas
Splendorue delectavit auctus,
Huc alacres hilaresque promtis

Venite linguis, ceu pietas jubet,
Venite pleno pectoris impetu,
Venite cum plectris canoris
Ac meritas resonate laudes!

Sed unde vobis par meritis sonus?
Phœbus loquentes increpuit lyra:
Quid parua Germanum per æquor
Pandere carbasa num licebit!

Quid culpa vestri deterat ingeni
Tot maximorum nomina Cæsarum
Laudesque virtutum supremas
Vocibus imminuat remissis?

An inde fas est, dum tenuis lyræ
Plectrique parvi viribus impotens
Camena vulgatas per artes
Verba negat socianda chordis,

Fas est & æquum, carpere lividas
Obliviones dentibus improbis
Exempla tot benignitatis
Totque piæ monimenta famæ?

Quid ergo? surgat dicere tibia
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mavult acuta
Seu fidibus citharave Phœbi,

Aut blandus Orpheus Threiciam fidem
Ventos morantem lataque flumina
Quercusque robustas moventem
Pierio moderetur ausu.

Aut ille sumat barbiton aureum
Alcæus heros, qui mala, qui fugam,
Pugnas & exactos tyrannos
Carminibus cecinit stupendis!

Sic digna tantis vatibus emicat
CONRADIANI gloria nominis:
Sic FRIDERICIANA virtus
Per memores celebranda fastos.

Sed ut benignum conuenit omnibus
Laudare Solem: quid liceat meis
Chartis inornatos silere
Noriacæ patriæ Statores?

Dicam ergo, quantum sensu animus pio
Quantumque sancti copia pectoris
Fidesque possit, rite dicam
Simplicibus modicisque verbis.

Divina rerum facta perennium
Et splendidorum lumina munerum,
Queis Principes virtutis altæ
Fulgida nomina consecrarunt

Aeternitati. Salve igitur mihi,
CONRADE, forti Castore fortior,
Heroibus major togatis
Cæsaribusque prior sagatis:

Qui

Qui post secundi fata Lotharii,
Quum sceptra regni Teutonici lubens
Volensque fausto plurimorum
Consilio Procerum suprema

Celsique honorem susciperes throni, (a)
Ducem potentem viribus arduis
Magnoque spiritu frementem
Atque animos nimios gerentem

Henricum acerbas pectoris invidi
Minas & iras ex odio tui
Nec non simultates coquentem,
Rebus & ominibus Superbum

Fidorum aperto fulmine Principum
Larga ex ducatus, nominis, ordinis
Ac virium possessione
Jureque gnaviter expulisti (b)

Quique hinc valentem robore militum
Fretumque multo consilio Ducem
Fratrisque vindicem tumentem
Pluraque splendida comminantem

Rerumque fatis dulcibus ebrium
Welfum insolentem pectore strenuo
Justoque vicisti triumpho
Bellaque fortiter obruisti! (c)

Quid de Bohemis hostibus efferis
Ac de Moravis terrificis loquar;
Qui sorte prospera tumentes,
Ceu fera diluvies quietos

Irritat amnes & pecus & domos
Stirpesque raptas non sine montium
Clamore volvit, sic per hostes
Indomitis animis ruebant

Pragamque regni præcipuum caput
Juncto suorum robore militum
Ferroque cingebant & armis
Obsidioque gravi tenebant?

Sensere, quid mens, rite quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus,
Quid vis parentis FRIDERICI (d)
In juvenem sibi procreatum

Divina

(a) Conf. Jacob Paul von Gundling in Geschichten und Thaten Kaiser Conrad des dritten pag. 3-17. Köhlers Teutsche Reichs-Historie pag. 164. Struvii Syntagma Historiæ Germanicæ pag. 506. Hahns Reichs-Historie III. Theil pag. 205. Allgemeines Historisches Lexicon sub Conrado III. Pfeffingeri Vitriarius illustratus Tom. I. pag. 568. 569. Add. Annales Mullneriani sub Conrado III. Add. Treskovv de rebus a Conrado III. gestis. I. C. Artopoei Diss. de originibus & incrementis gentis Suevicæ.

(b) Conf. Jacob Paul von Gundling in Geschichten und Thaten Kaiser Conrad des Dritten pag. 17-34. Köhlers Teutsche Reichs-Historie pag. 166. Struvii Syntagma Historiæ Germanicæ pag. 507. Hahns Reichs-Historie III. Theil pag. 208. Allgem. Hist. Lexicon l. c. Pfeffingeri Vitriarius illustratus Tom. I. pag. 569. Herr von Bünau in dem Leben Friederichs I. pag. 17.

(c) Jacob Paul von Gundling l. c. pag. 36-40. Köhler l. c. p. 167. Struvius l. c. p. 509. Hahn l. c. p. 210. Allgem. Historisches Lexicon l. c. Pfeffingerus l. c. p. 570.

(d) Conf. Jacob Paul von Gundling in Geschichten und Thaten Kaiser Conrad des Dritten pag. 9. §. IV. Pfeffingerus in Vitriario illustrato Tom. II p. 341. Struvii Syntagma Historiæ Germanicæ pag. 454. not. †. Hahn in der Reichs-Historie III. Theil pag. 206.

Divina posset: fulmine nam tuo
Diros Bohemos implacidum genus
Magnis fatigasti ruinis
Ac superus sine clade victor

Belli secundis usque laboribus
Fractisque in imum viribus hostium
Laudes & optatum sacrato
Imperio decus arrogasti. (a)

Sed ut benignum prætercam tui
Nutus favorem, quem solida fide
Albertus Ursus bellicosi
Marchio pectoris emerebat, (b)

Tribusque verbis ut memorem sacri
Dirique belli fata miserrima,
Quæ TUTE per terras & undas
Casibus implicitus subibas, (c)

Turbas in ipso Teutoniæ sinu
Contra tuorum viscera civium
Longe diuque sævientes
Atque animos odio furentes

Viresque anhelo sanguine turgidas
Et insolentes milite spiritus
Irasue, quæ procudit enses
Ac miseras agitavit urbes,

Constanti & alto præditus & cato
Magnoque & aucto robore pectoris,
Ceu monstra succrescentis Hydræ
Fortiter obruta sopiisti

Guelphique acerbi facta minantia (d)
Plenosque saevis fraudibus impetus
Frangens & Henrici Leonis (e)
Ausa domans inimica nostro

Regno salutem, juris & ordinem
Rectum & vagantis fræna licentiæ
Bellique semoto furore
Otia publica reddidisti. (f)

Sic gens tuorum postera civium
Plenis honorum muneribus tuas,
CONRADE, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastos
Aeter-

(a) *Conf.* Jacob Paul von Gundling *l. c. pag.* 40. *Struvius in Syntagm. Historiæ Germanicæ Diss. XVII. §. VI. pag.* 512. Hahn in der Reichs-Historie *III.* Theil *pag. 213. §. III.*

(b) *Conf.* Jacob Paul von Gundling *l. c. pag.* 44. Hahn *l. c. pag. 209. §. II.* Köhler *l. c. pag. 166. & pag. 171. Struvius l. c. §. III. pag 508. & 509. Pfeffingerus in Vitriario illustrato Tom. II. p. 61. &c.* Allgem. Historisches Lexicon *sub Alberto Urso. conf. Freyeri Historia Universalis pag. 679. Sagittarii Historia Marchiæ Sottwedelensis. Koeleri Diss. de Pribezlao seu Henrico Rege Brandenburgico pag. 11.*

(c) *Conf.* Jacob Paul von Gundling *l. c. p. 48-111. Pfeffingerus in Vitriario illustrato Tom. I. p. 570.* Köhler *l. c. pag. 169. Struvius l. c. §. IX. p. 513.* Hahn *l. c. §. IV. p. 216.* Allgem. Historisches Lexicon *sub Conrado III. Molleri Diss. de expeditionibus cruciatis §. XVI - XX.*

(d) *Conf.* Jacob Paul von Gundling *l. c. pag. 105.* Hahn *l. c. pag. 212.* Köhler *l. c. pag. 168. Struvius l. c. pag. 511. & 512.* Allgem. Historisches Lexicon *sub Guelpho VI. Pfeffingeri in Vitriario illustrato Tom. II. p. 444.*

(e) *Conf.* Jacob Paul von Gundling *l. c. pag. 113. Struvius l. c. pag. 511. & 512.* Hahn *l. c. pag. 212. Pfeffingerus in Vitriario illustrato Tom. II. pag. 160. 161.* Allgemeines Historisches Lexicon *sub Henrico Leone.* Herr von Bünau in dem Leben Friederichs *I. pag. 18. Schurzfleischii Diss. de Henrico Leone; Sagittarii Historia Bardevici cap. VI. & VII. & Sagittarii Historia antiqua Lubecensis cap. III. & Historia media cap. I-III.*

(f) *Conf. Struvius l. c. pag. 519. §. XIII.* Hahn *l. c. pag. 235. Pfeffingerus in Vitriario illustrato Tom. I. pag. 571.*

Aeternat ultro, maxime Principum;
Sic, dive Caesar, consilii tui
Vim singularem vimque fortis
Pectoris intrepidique cordis

Justumque & tenacem propositi modum
Ac praemiorum splendida munera
Vitamque clericis probatam
Laudibus elogiisque mactat. (a)

At queis favorem praecipue tuum,
CONRADE clemens, nominibus vocat
Quibusque verbis TE Statorem,
TE meritum Patriae Parentem,

TE civitatis mirificum suae
Altorem & urbis strenuum Amyntora
Collaudat applaudensque honorat
Casta, fidelis & alma Noris?

Struatne celsas artifici manu
Aegyptiorum Pyramides virum,
Miras & insanas laboris
Aut operis pretiique moles?

Ponatne formas aut statuas tuo
Vultu micantes, quae referant TIBI
Post fata vitam spiritumque
Pepetuamque vigore famam?

Sumatne Regum praemia fortium,
Incisa magnis marmora litteris
Divique Trajani columnam
Ac veteris monimenta Romae?

Non illa gaudet nominibus tuis
Dicare rerum munera grandium,
Quae longa consumit vetustas;
Sed nitidis potiora signis

Exempla donat: carmina Principum
Testes bonorum, carmina nominum
Aeterna summorum tropaea
Noris amata sacrare gestit.

Sic ergo rerum, maxime Caesarum,
In posterorum saecula civium
Rerum ferent laudes tuarum
Carmine Noriades Camenae:

Qui civitatem stragibus oblitam
Vastis ruinis, excidio, situ,
Squalore tesquorum jacentem
Ruderibusque diu sepultam

Fausto bonorum lumine siderum
Ex sordidorum pulvere casuum
In tecta promotam superbi
Culminis alta resuscitasti;

Qui latiorem Noridos ambitum
Fecisti ab aucto tramite moenium
Fossisque, castellis & altis
Undique turribus extulisti;

Qui restitutam sic patriam novis
Illuminasti cultibus aedium
Fanisque templorum refectis
Aut meliore nitore sartis

Hortisque pulcro germine consitis
Gratoque campi flore virentibus
Summisque tectorum decoram
Culminibus bene reddidisti

Civesque nostros imperio datos
Priscoque semper munere liberos
In juris usum vindicasti
Tempore continuo manentem; (b)

(a) *Conf.* Jacob Paul von Gundling *l. c. pag.* 124. *Pfeffingerus in Vitriario illustrato Tom.* I. *pag.* 569. & 571. Hahn *l. c. pag.* 205. *ubi verba allegantur ex Willermo Tyrensi, qui Conradum dicit virum pium, misericordem, generositate insignem, vita & moribus per omnia commendabilem.*

(b) *Conf. Annales Mullneriani sub Conrado* III. Historische Nachricht von Nürnberg

Qui Noribergæ præterea novæ
Auxisti honores civibus additis
Largoque confluxu virorum
Nobilium decus attulisti; (a)

Qui tunc supremi indiciis fori
Arcique castroque & nemorum favis
Silvisque præfectos statuto
Munere gnaviter ordinasti;

Qui, quod benignis dux fidei sacræ
Bernhardus Abbas laudibus extulit,
Aegidianæ sedis aedem
Scotigenis monachis dicatam

Longe vocatis & specie crucis
Sanctæ nitentem largus honoribus
Celsæque dignitatis usu
Pignoribusque remunerasti; (b)

Qui civitatem denique patriam
In singularis commoda gloriæ
Vultus tui mitisque nutus,
Ceu placidus radiis Apollo,

Nitore & almo lumine gratiæ
Felicitasti quique etiam trium
Compluriumque curiarum
Ac Procerum numerosiorum

Splendore summo luceque fulgida
Clarorum avito nomine Principum
Cultuque rerum maximarum
Noriacam bene civitatem

Per cultiores imperii tui
Partes & urbes, nam voluit DEUS,
Ceu sidus inter astra magnum
Condecorare volens beasti. (c)

Post fata tanti tristia Cæsaris
Hem qualis offert sese animo meo
Virtus & alti fortitudo
Pectoris ingeniique celsi

Quantamque lucem Principis optimi
Semperque magni gloria Cæsaris
Dispergit extendens ad ortum
Solis ab Hesperio cubili?

Videtis?

berg p. 22. Des H. R. Reichs-freye Stadt Nürnberg pag. 9. *Wagenseil in Commentat. de Civitate Norimbergensi pag. 22. Sagittarius in Historia antiqua Civitat. Norimberg. Cap. IV. §. 5. Meisterlinus in Chronico Norimbergensi pag. 47. 48. 51. Tom. IIX. Reliqu. MSC. Jo. Petri de Ludewig. Add. Singularia Norimbergensia pag. 387. Historia Diplomatica Norimbergensis An. 1219.* Sect. IIII. *pag. 140. 141.*

(a) *Conf. Annales Mullneriani sub Conrado* III. *Historia Diplomatica Norimbergensis An. 1219.* Sect. IIII. *pag. 142.* Historische Nachricht von Nürnberg *pag. 25.*

(b) *Conf. Annales Mullneriani sub Conrado* III. *Meisterlinus in Chronico Norimbergensi p. 50. 51. Singularia Norimbergensia pag. 385. Historia Diplomatica Norimbergensis An. 1219.* Sect. III. *pag. 75. 108.* & Sect. IV. *pag. 143.* Historische Nachricht von Nürnberg *pag. 24. Sagittarius in Historia antiqua Norimbergæ Cap. IV. §. V. Wagenseilius in Commentatione Civitatis Norimbergensis pag. 23. 74.* &c.

(c) *Conf. Annales Mullneriani sub Conrado* III. Historische Nachricht von Nürnberg *pag. 22. Singularia Norimbergensia pag. 381. 389. 403. 409. Historia Diplomatica Norimbergensis* Sect. III. *ad An. 1219. p. 108. 109. Waldstromeri Oratio de Curiis Norimbergæ habitis p. 21. 22.*

Videtis? an me ludit amabilis
Gaudentis error? non animo vagor:
Cerno stupens Heroa cerno
Scipiadis animosiorem,

Constantiorem, creditis? Ulpio,
Augustiorem Cæsare Julio,
Ottone Magno celsiorem
Ac supero Carolo priorem. (*a*)

TE sic fidelis Teutoniæ Parens
Civesque & urbes imperii sacri
Mirantur expaventque cives
Italiæ dominæque Romæ;

TE, qui profundum Danubium bibunt,
Medusque bellax & profugus Scythes,
Te Thraces infidique Græci
Sanguineo didicere bello;

TE Danus & qui dissimulat metum
Burgundus audax, TE Bavarus ferox,
TE cæde gaudentes Poloni
Compositis venerantur armis,

O' qua supremus Sol habitabiles
Illustrat oras, maxime Principum
Regumque, FRIDERICE, primis
Nominibus titulisque major! (*b*)

TU namque Danos turbine civico
Dissentientes ac sibimet sua
Vineta cædentes quieti
Rege dato bene reddidisti. (*c*)

TU, quum per Alpes, fortis ut Hannibal,
Robusto & acri milite præditus
Multoque defunctus labore
Salvus in Italiam venires,

Prudenti & alto consilio & gravi
Dextra minaces atque animo feros
Cives & urbes bellicosas
Sub tua tunc juga subdidisti

Romæque turbas bellaque tristia
Largo malorum sanguine civium
Justaque clade sopiisti
Juraque sic tua vindicasti. (*d*)

Reversus illinc non sine gaudio
Primaque summæ laudis adorea
Victor togatus ac sagatus
Otia Teutoniæ Parenti

Inter ferorum pectora civium
Et incolarum corda rebellium
Bellique privati labores
Suppliciis gravibusque poenis

(*a*) *Conf.* Hahn in der Reichs-Historie III. Theil *pag.* 241. *Add.* Herrn Heinrichs von Bünau Probe einer genauen und umständlichen Teutschen Kaiser- und Reichs-Historie oder Leben und Thaten Friedrichs I. Römischen Kaisers *pag.* 10.

(*b*) *Conf.* Herrn Heinrichs von Bünau Leben und Thaten Friedrichs I. Römischen Kaisers. Hahns Reichs-Historie III. Theil/ *VI.* Cap *Struvii Syntagma Historiæ Germanicæ Dissert.* XVII. Köhlers Reichs-Historie *IV. Period. Cap. V. Pfeffingeri Vitriarius illustratus Tom.* I. *pag* 572. &c. *Et Riccii Repertorium in Pfeffingerum sub Friderico* I. *Barbarossa.* Allgemeines Historisches Lexicon *sub Friderico* I. *Annales Mullneriani sub Friderico* I. *Koeleri Dissertatio de familia Staufensi.* I. *H. Boecleri Dissertatio de Sacro Romano Imperio. Martius de præcipuis antiquioribus litterarnm Maecenatibus.*

(*c*) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag.* 12-14. Hahn *l. c.* §. 2. *Struvius l. c. p.* 525. Köhler *l. c. p.* 174. *Pfeffingerus l. c. Tom.* I. *p.* 126. 424. 576. Allgem. Histor. Lexicon *l. c.*

(*d*) Heinrich von Bünau *l. c. pag.* 29-51. Hahn *l. c.* §. 4. *Struvius l. c.* §. XXII. Köhler *l. c. pag.* 181. *Pfeffingerus l. c. Tom.* I, *pag.* 576, 577. Allgemeines Historisches Lexicon *l. c.*

Sanctæque legis foedere publico
Justoque pacis nobilis ordine,
Divine Cæsar, restituta
Perpetuo stabilire nosti. (a)

Nosti & Polonos dissidio gravi
Secum furentes menteque perfida
Bellum novantes commovere
Pacis ad obsequium fidemque. (b)

Jam si per Alpes montibus editas
Rursus sequemur militiam tuam,
Quum TE gravi succendit ira
Urbs opibus Ligurum superba,

TE ceu leonem pectore vivido
Fortique in ursos aut rabidos lupos
Aut in reluctantes dracones
Non sine numine præliantem

Experta vidit, TE stupuit simul
Devicta bello, dum capitis minor
Supplexque factorum suorum
Crimina flebiliter piavit.

Sic fracta virtus Italiæ manus
Viresque & arces atque animos TIBI
Submisit & cives minaces
Turpe solum tetigere mento. (c)

Non ergo laudem posteritas tuam,
Invicte Cæsar, carminibus canat:
Qui bella pacasti cruenta
Quique etiam sacra jura regni

Prudentum acuto consilio virum
Factoque legum firmius ordine
Justoque poenarum rigore
In veterem revocasti honorem? (d)

Sed aucta turbis urbs Ligurum novis,
Ut Hydra secto corpore firmior
Surrexit infandoque pacem
Rite datam violavit ausu

Fidemque fregit Cæsaris optimi
Summamque factis turpibus & malis
In se vocavit ultionem,
Ut mediis bene præparatis

Junctisque & armis celsa animi tui,
Auguste, virtus fortiter hostium,
Rebelliumque sævientes
Detereret premeretque vires

Arcesque & urbes obsidio gravi
Clausas teneret, dira etiam fame
Vexaret ac cives superbos
Milite debilitaret aucto

Tandem-

(a) Conf. Heinrich von Bünau l. c. p. 52-56. Hahn l. c. pag. 316. Struvius l. c. §. XXIII. Böhler l. c. pag. 178. Pfeffingerus Tom. I. p. 577. Allgemeines Historisches Lexicon l. c.

(b) Conf. Heinrich von Bünau l. c. pag. 61-62. 68-70. Hahn l. c. pag. 251. Struvius l. c. §. XXVI. Böhler l. c. pag. 180. Pfeffingerus l. c. Tom. I. pag. 580. 130. II. 490. Allgem. Historisches Lexicon l. c.

(c) Conf. Heinrich von Bünau l. c. p. 84-92. Hahn l. c. pag. 260. Struvius l. c. §. XXXII. Böhler l. c. pag. 182. Pfeffingerus l. c. Tom. I. pag. 580. Allgemeines Historisches Lexicon l. c.

(d) Conf. Heinrich von Bünau l. c. pag. 92-97. Hahn l. c. pag. 317. Struvius l. c. §. XXXIII. Böhler l. c. pag. 183. Pfeffingerus l. c. pag. 580. Allgem. Historisches Lexicon l. c. Add. C. G. Schwarzii Programma ad Waldstromeri Orationem de Curiis Comitiisque Norimbergæ habitis pag. 90.

Tandemque flexo poplite ſupplices
Multaret omnes exilio vago
Urbemque tot turbis patentem
Stragibus, excidiis, ruinis

Merſoque in imum pondere moenium
Inter bonorum jubila pectorum
Plauſusque victricis catervæ
Funditus obtegeret jacentem. (a)

Hinc in paternam Teutoniam redux
Quantam per urbes pectore ſedulo
Curam gerebas pro tuorum
Vita, animis, opibus, ſalute,

Benigne Cæſar; qui ſtudio gravi
Momenta belli, ſumma negotia
Rerumque jura publicarum
Imperiique decus ſacrati

Contra malignas Pontificum minas
Prudentiorum conſilio virum
Nutuque Principum bonorum
Fortiter egregioque niſu

Sic vindicaſti, ſicque viriliter
Comitiorum mirifica fide
Sanctoque conſenſu probaſti,
Ut tua laus meriti perennet. (b)

Quid plura ſcribam? Deficeret dies
Viresque & auſus deficerent mihi:
Si cuncta conſignare vellem;
Quæ ſtabili vegetoque ſenſu

Firmoque aheni pectoris impetu
Mentisque divo conſilio gravis
Per Italos hoſtes nefandis
Fraudibus inſidiisque plenos,

Per tot rebelles totque homines malos,
Per tam ſuperbas, tam varias vices
Sortemque fortunæ malignam
Herculeis humeris ferebas; (c)

Quæque ad fovendam Teutoniæ bonæ
Tranquillitatem bellaque civium
Acresque ſedandos tumultus
Conciliis habitis agebas. (d)

At quanta fati ſævities trucis
Jam ſurgit in TE, maxime Principum?
Quantæ fatigant TE procellæ
Impavidos animos gerentem?

TE militantem deſervit fides
Henrici anheli Saxoniæ ducis;
TE præliantem fors iniqua
Cladibus obruit ac repreſſit;

 TE,

(a) *Conf.* Heinrich von Bünan *l. c. p. 97-148.* Hahn *l. c. pag. 263. Struvius l. c. §. XXXV. & XXXVI.* Böhler *l. c. pag. 182. Pfeffingerus l. c. pag. 583.* Allgemeines Historiſches Lexicon *l. c.*

(b) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag. 148-186.* Hahn *l. c. pag. 269. 270. ſub not. ggg. & pag. 284. 285. Struvius l. c. §. XL. & XLII.* Böhler *l. c. pag. 184. Pfeffingerus l. c. pag. 583. & 584. itemque pag. 134. & 135.* Allgemeines Hiſtoriſches Lexicon *l. c.*

(c) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag. 186-204.* Hahn *l. c. pag. 270 & 284. Struvius l. c. §. XLIII.* Böhler *l. c. pag. 185. Pfeffingerus l. c. pag. 584. 585. itemque 153.* Allgemeines Hiſtoriſches Lexicon *l. c.*

(d) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag. 205-226.* Hahn *l. c. pag. 273. Struvius l. c. §. XLIV. pag. 556-558.* Böhler *l. c. pag. 180. Pfeffingerus l. c. pag. 135. 136. 137.* Allgemeines Hiſtoriſches Lexicon *l. c.*

TE, si vel unquam credere fas erit,
Superbientis Pontificis furor
Aut horrido vexavit ausu
Aut habuit male destitutum.

Sed alta mentis, quæ viguit tuo
In corde, virtus pulcrior extitit:
Dum TU per hanc necessitatem
Magnanimum caput extulisti. (a)

Illinc in almæ Teutoniæ sinum
Multo calentem sanguine civium
Reversus, o benigne Cæsar,
Tristia composuisse bella

Motusque facto turbine civicos
Iræque caussas & vitia & modos
Ludumque fortunæ gravesque
Principum amicitias & arma

Large profusis uncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ
Finire quæsisti per ignes
Suppositos cineri doloso (b)

Tandemque, ut alti sanguinis Hercules,
Qui mente forti, consilio & manu
Monstrum leonis aut gigantis
Sustulit exuviisque victum

Nudavit heros, sic animo & minis
Jactoque summi fulmine roboris
Firmatus Henricum Leonem
Viribus insolitisque belli

Fatis & auctis divitiis ferum
Magnisque & altis spiritibus trucem
Cristasque semper erigentem
Atque opibus nimiis frementem

Germanicorum nomine Principum
Post curiarum jussa minacia
Honore privatum supremo
Culminibusque gradus in imos

Dejectum & omni præsidio fere
Terrarum in amplis Teutoniæ locis
Faustoque cælo destitutum
Frangere, subdere gestiisti. (c)

Sic

(a) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag. 226-247.* Hahn *l. c. pag. 274. & 285. Struvius l. c. §. XLVI. & XLVII.* Böhler *l. c. pag. 185. & 186. Pfeffingerus l. c. pag. 585. & 586. itemque 137. & 138.* Allgemeines Histor. Lexicon *l. c. Add. C. A. Heumanni Dissert. Historica fabulam de Friderico I. Imp. a Pontifice Rom. pedibus conculcato refellens. Sed Wagenseilius in Diss. juris publici catalogum exhibens imperatorum, qui post Francicos regnarunt, pag. 17. affirmat. Weismannus in Introduct. Hist. Sacr. N. T. Sec. VII. pag. 810. Contra vero apologiam scripsit pro Friderico I. Ludovicus Liebbardus in Diss. Remi Diss qua ostenditur, fabulam esse, calcasse collum Friderici I. Alexandrum* III. *Pontificem Romanum. Hofmanni Diss. de tyrannica ignominia, quam Friderico* I. *intulit Alexander* III. *Add. Annales Mullneriani sub Frid. I. Ludewigii Reliqu. MSC. Diplomat. Tom. IIX. pag. 215.*

(b) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag. 247-259.* Hahn *l. c. pag. 294. 253. Struvii l. c. §. XLIIX.* Böhler *l. c. p. 176. Pfeffingerus l. c. pag. 586. itemque 139.* Allgem. Historisches Lexicon *l. c.*

(c) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag. 247-278.* Hahn *l. c. §. IX. pag. 290. Struvius l. c. §. XLIIX.* Böhler *l. c. pag. 176. 177. Pfeffingerus l. c. p. 586. itemque pag. 139. & 140. Tom. II. p. 145-187.* Allgemeines Histor. Lexicon *sub Friderico I. & Henrico Leone.*

Sic TE ſagatum, ſic adamantino
Fulgore Martem vidimus igneum:
Sic TE togatæ dignitatis
Nomine vidimus eminentem.

Jam TE ſuperbo Cæſaris omnium
Splendore ſummi, lumine maximi
Pompaque nunquam non ſtupenda
Conſpicuum licet intueri:

Dum convocatis undique Principum
Germanicorum coetibus in diem
Moguntiarum Curiarum
Jure ſtatum bene proſpereque

Lætus tot inter jubila Teutonum
Cultique & orbis gaudia Filios
Virtutis hæredes paternæ
Militiæ dederas equeſtri. (a)

Sic larga ſemper de meritis tuis,
Auguſte conſtans, Teutoniæ tuæ
Spes crevit augmentumque ſumſit
Plusque animo ſibi præparavit.

Sed fata rerum triſtia, triſtia,
Inviſa honori nobilis imperi
Spem fauſtitatis lætioris
Accelerant reſecare longam:

Quum TU ſepultis undique motibus
Largæque pacis munere civibus
Totius Europæ tributo
Foederibusque ratis ſtatuto (b)

Bellum inchoares militiæ ſacræ
Interque laurus præmia ſplendidæ
Dextrasque victrices ſecundis
Auſibus immorereris eheu! (c)

Quis tanta ſummi funera Principis
Non lacrumarum flumine lugeat
Laudemque Cæſaris probatam
Sæcula in ultima proſequatur?

Hinc grata noſtræ Teutoniæ Parens
TE conſecravit, Cæſar amabilis,
Aeternitati per ſupremos
Ac meritos titulos honorum.

Quid inde cives Noridos optimæ
Agant fideles quidue animo pio
Benignitati ſingulari
Principis egregii reponant?

Quid? tanta veſtri, ſic pietas jubet
Fidesque poſcit, nomina Cæſaris
Servate ſæclis poſterorum
Temporibusque remotiorum:

Quod

(a) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag. 278-288.* Hahn *l. c. pag. 278. Struvius l. c. §. XLIX.* Böhler *l. c. pag. 179. Pfeffingerus l. c. pag. 573. & 586.* Allgemeines Historisches Lexicon *l. c.*

(b) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag. 288-31.* Hahn *l. c. pag. 278. & 316. Struvius l. c. §. L-§. LIII.* Böhler *l. c. p. 187. & 188, Pfeffingerus l. c. p. 586.* Allgemeines Historisches Lexicon *l. c.*

(c) *Conf.* Heinrich von Bünau *l. c. pag. 316-337.* Hahn *l. c. pag. 298. &c. Struvius l. c. §. LIII.* Böhler *l. c. pag. 188. Pfeffingerus l. c. pag. 143. 587 & II. pag. 345.* Allgemeines Historisches Lexicon *l. c Add. Molleri Disput. de expeditionibus cruciatis §. XX-XXVII. & Artopoei Dissert. de Friderici I. Imperatoris expeditione in terram sanctam.*

Quod ille vestræ moenia Noridos
Totamque & urbem consiliis suis
Præsentiaque curiarum
Concelebravit & ampliavit (*a*)

Functusque ibidem rite negotiis
De publicorum nomine munerum,
De jure regali sacrorum
Deque Italo patrioque bello

Legumque cultu, pacis & otio
Rebusque longe pluribus imperi
Defunctus ille Noribergæ
Nomina splendidiora fecit

Nostramque ab ipso stamine liberam
Suaque semper, ringite lividi,
Immunitate gloriantem
Cæsaris imperiique sedem (*b*)

Largo favoris præcipui bono
Ac liberalis numine gratiæ
Promovit, auxit, prosperavit
Muneribusque beavit urbem.

Sic ergo Noris patria civitas
A FRIDERICI lumine fulgido,
Ceu Luna per stellas micantes,
Splenduit enituitque semper.

(*a*) *Conf. Annales Mullneriani sub Friderico I. Historia Diplomatica Norimbergens. ad An. 1219. Sect. III. pag. 110. Singularia Norimbergensia pag. 416. etc. Oratio Waldstromeri de Curiis Norimbergensibus pag. 24. etc. Meisterlinus in chronico Norimbergensi pag. 54. C. G. Schuuarzii Programma XV*IIII. *de Comitiis Norimbergæ religionis caussa habitis.* Heinrich von Bünau Leben und Thaten Friederichs des *I. pag. 63. 64. 186. 214. 271. 284. 316. Pfeffingerus in Vitriario illustrato Tom. I. pag. 135. 136.* Hahns Reichs-Historie *sub Friderico* I. *p. 316. Struvius in Syntagmate Hist. Germ. Dissert. XV*II. §. *L. Sagittarii Dissert. de Norimberga Cap. V.* §. I-*V*II.

(*b*) *C. G. Schuuarzii Epistola de Norimberga imperiali etc. quæ annexa est orationi Waldstromerianæ de Comitiis Norimbergæ habitis. Falkenstein in Antiquitat. Nordgaviens. Tom.* II. *Cap. XI. pag. 410. Add. Commentatio singularis de Norimberga semper libera. C. G. Schuuarzii Lemmata quædam Antiquitatum Norimbergensium. Vid. omnino Historia Diplomatica Norimb. Sect. IV. An. 1219. & Singul. Norimbergens. Sect. XIII.*



DISSER-

DISSERTATIO XVII.

DE REBUS A CONRADO III. FRANCIÆ ORIENTALIS REGE, ET DUCE SUEVIÆ GESTIS.

§. I.

De rebus a Conrado tertio gestis disserturi ab instituto nostro alienum fore haud opinamur, si, a quo initium suum ortumque duxerit Noster, brevibus indagando, Dissertationi nostræ faciamus initium. Hohenstauviorum enim quod attinet originem, certum equidem est, eos jam diu & antiquitate generis & præclaris facinoribus in Suevia floruisse, attamen hoc unicum tantum, quo antiquius nullum cui fides haberi possit, nobis suppetit de origine illorum denominationeque testimonium, quod ipse Nostri uterinus *Otto Frisingensis Episcopus* (*a*) de iis perhibet. Quod autem dignitatem, qua majores Conradi gavisi sunt, concernit; inter Nobilissimos Sueviæ comites locum eos tenuisse & relatos esse compertum habemus. Usque dum in Patrem Conradi, cui Friderici nomen fuit, una cum Sueviæ Ducatu ipsa Ducalis dignitas ad Henrico IV. *collata fuit*. (*b*) Cujus non solum filiam in matrimonio habuit, verum etiam de eo tot insignibus fortitudinis integræque fidei inprimis contra Anti-Cæsarem ejus Rudolphum *editis speciminibus* (*c*) optime meruerat.

(*a*) Ita enim de Gest. Frider. I. lib. 1. cap. scribit: *Ea tempestate comes quidam Fridericus nomine ex nobilissimis Sueviæ comitibus originem trahens in castro Stoyphe dicto coloniam posuerat.* Cujus castri nomen, (quod idem fuisse videtur, quod adhuc hodie in Brisgovia situm Austriacæ ditionis est,) ubi sedem fixerat Fridericus, postea in totius familiæ cognomen abiit, ac distinguendis iis, qui ex hac illustri gente imperio præfuerunt, ab aliis Regibus ac Imperatoribus commode olim inservivit. Hoc Ottonis Frisingensis testimonium eo plus fidei meretur, quo certius & exploratius est, eum hæc ignorare non potuisse, cum ipsius Conradi frater fuerit uterinus. Ipse enim sub initio citati libri capitis decimi annotavit, matrem Conradi Agnetem filiam Henrici quarti secundo matrimonio junctam fuisse Leopoldo Marchioni Orientali, qui ex ea cum aliis hunc Ottonem sustulit. Id quod nos docet *Conradus Urspergensis ad an. 1152. pag. m. 282.* plura de hoc Ottone legi possunt apud *Vossium de Histor. Latin. l. 2. c. 53.*

(*b*) Eximiæ sunt laudes, quibus Cæsarem Henricum fidem immutatam ac intrepidum Comitis Friderici in cujusvis generis discriminibus animum extulisse recenset Otto Fr. de Gest. F. lib. 1. c. 8. nostro scopo tantum sequentia inserviunt verba: *Neque enim priorum meritorum tuorum immemor existam* (Imperatorem ita loquentem induxit Otto) *neque futurorum ingratus ero. Filiam quippe quam habeo unicam, Tibi in matrimonio sortiendam tradam,* Duca-

Ducatumque Sueviæ, quem Bertoldus invasit, concedam. Sic itaque prædictus Fridericus Dux simul Suevorum & gener Regis factus ad propria rediit. Extincta postmodum mascula Henrici IV. progenie morte Henrici V. Patris in Imperio successoris, Conradus noster & Fridericus ambo Duces Sueviæ hujus hereditatem ex jure a matre in eos transmisso ceperunt, Ducatumque Franconiæ una cum Sueviæ Ducatu in luculentum potestatis eorum incrementum feliciter conjunxerunt.

(c) Non dubium est, quin Henrico IV. in debellando Rudolphum Sueviæ Ducem, qui Papæ dictis, quam Regis sui, cui fidem suam jure jurando obstrinxerat, plus audiens, sese caput ac Regem rebellantium in Germania procerum creari passus fuerat, omni nisu ac debita fide adstiterit, de eo enim dubitari non sinunt verba ex Ottone Frif. jam adducta. Ast an id veritati consentaneum sit, quod a Friderico Hohenstauvio factum communi ore fertur, eum Rudolpho in acie prope Ælsteram amnem commissa a Gothefrido Bouillonensi lancea prius transfixo manum gladio amputasse, fateor dubium mihi subnatum esse, cum mihi ejus testimonium e scriptoribus illius ævi quærenti id offendere nondum licuerit. Neque enim Marianus Scotus nec Sigebert. Gemblac. nec Lamberti continuator nec monachus Pegav. in vita Wigberti Gorzi. nec Conrad. Ursp. nec Helmbold. Chr. Slav. l. 1. c. 29. nec Contracti continuator hoc factum Friderico tribuunt, quamvis omnes ad an. 1080. aciei hujus mentionem faciant, imo quidam ex illis manum Rudolpho amputatam esse referant. Quorum autoritas apud me plus valet, quam Clariss. Hubneri, aliorumque, qui hoc ut verum docent scribuntque.

§. II.

Quod imperiale munus Fridericus non sine gravi lite nec non variis, quæ propterea adire coactus fuit, tutius est discriminibus: Bertholdus enim de Zeringia gener Rudolphi Anticæsaris, Dux sine ducatu dictus, Sueviæ Ducatum, socero suo devicto, ab Henrico III. sibi promissum & nunc a Principibus, qui Rudolpho adhæserant in se translatum *adserens* (d) eum omni nisu sibi vindicare contendit. Verum merito succubuit Friderico, pro quo & causæ militavit justitia, ut jus suum a vero & legitimo imperatore nacto, qui ipsi pacem expetenti hac *largitus est lege,* (e) ut titulo Ducis Sueviæ ipsoque Ducatu sese abdicans nil nisi *Turegum Sueviæ oppidum* (f) sub ditione sua retineret.

(d) Henrici Imperatoris tertii tempore Sueviæ præerat Otto Marchio de Sueinfurto, Ottonis Comitis Palatini. an. 1045. constituti, biennioque tantum elapso an. 1047. defuncti, in hoc Ducatu ex beneficio dicti Henrici successor. Vid. Hermann. Contract. ad hosce annos & ad an. 1048. cujus ad singulos tres annos verba huc spectantia ita sese habent: *Otho Palatinus Comes paschali hebdomada Dux Alemanniæ apud Goslare a Rege constituitur. - - - Interea Otho Suevorum Dux, qui Provinciam sibi traditam pie ac strenue tertio jam anno regebat, immaturo obitu diem clausit extremum. - - Imperator* (scil. Henricus III.) *Natalem domini in Saxonia moratus confestim per Wurceburgum in Alemanniam venit & Ulmæ colloquium habens, Ottonem de Suinfurto Marchionem Ducem Sueviæ constituit.* Vivente adhuc Ottone Sueinfurtensi Imperator spem fecerat Bertholdo Comiti Zeringensi, post obitum Othonis, qui improlis erat, Ducatum sibi collatum iri, dato ipsi annulo suo in majorem promissi firmitatem & de promisso explendo certitudinem. Ast infortunio erat Berchtoldo, quod imperator unius anni spatio citius e vita abiret, quam Otho Dux, hujus mors teste Hermanno Contract. an. 1057. demum contigit. Sic enim evenit, ut Agnes Henrici teneræ adhuc ætatis Regis tutrix, quæ, (testimonium perhibentibus Herman. Contr. ad an. 1057. & Lambert. Schaffn. ad eundem.) Rudolpho Comiti Rheinfeldensi Ducatum jam tum contulerat, Bertholdo annulum ei offerenti promissique implementum urgenti aures præbere benevolas refragaretur. Quibus omnibus

bus fidem facit *Abbas Urspergens. in Chr. ad an. 1057.* ipsi fidem faciente monacho Suarzenhaensi, qui Henrici IV. tempore vivens Chronicon suum condidit, quod ille integrum more illius temporis suo inseruit. Tametsi vero ad leniendum Berchtoldi ob acceptam repulsam efferatum animum ei post obitum Conradi Carinthorum Ducis Carinthia data esse videatur, quod probant *Hermannus Contract. ad an. 1050.* & *Ursperg. loc. cit.* tamen uti loquitur *Lamb. Schaff. ad 1075.* Rex Henricus IV. Natalem Domini Babenbergæ celebrans, *ibi Bertholdo Duci Carnothensium ducatum sine legitima discussione absenti abstulit & Marcuardo cuidam propinquo suo tradidit.* Id quod novam Berchtoldo irascendi Regi tumultusque excitandi præbuit materiam, siquidem ex illo tempore illorum partibus semper adjunctus fuit, qui Regi obnitebantur, & etiamsi Ducatu Carinthiæ exutus vixerit, Ducis titulum tamen nunquam deposuit, sine dubio, vel quod se illo injuste privatum censeret, vel quod semper ad Ducatum Sueviæ adspiraret. Hunc ad se rapiendi novam nanciscebatur occasionem, cum interempti Rudolphi, qui Ducatum Sueviæ tenuerat, suffragiis Principum, qui ab ejus parte steterant, successor designaretur, quod probant *Otto Fr. l. de G. Frid. c. 7. in fin.* & fragmentum Urstisianum licet corrupto calculo, uti annotavit *Obrecht. in Prod. Rer. Alsat. p. 227.* hisce verbis: *Anno Domini 1092. Principes Alemanniæ ad defensionem sanctæ Mariæ Ecclesiæ unanimiter convenerunt, sibique ad hoc negotium exequendum fratrem Gebhardi Constantiensis Episcopi Bertoldum de Zeringe Ducem totius Sueviæ constituerunt.* Ita ut ex hisce allatis tam intelligi quam corrigi possint verba *Ottonis Frising.* quæ ita in *lib. 1. de G. Fr. c. IX.* leguntur: *Bertolfus vacuum ex hinc nomen Ducis gerentis quasi hereditarium posteris reliquit. Omnes enim usque ad præsentem diem Duces dicti sunt, nullum Ducatum habentes, soloque nomine sine re participantes. Nisi quis a Ducatu Carentano, quem nunquam habuerunt, Ducis eos nomine honorandos contendat.*

(e) *Otto Fr. lib. de G. F. 1. c. 8. in fin.* id sequentibus memoriæ prodidit verbis: *Bertolfum tandem pacem petere coegit (Fridericus scil.) Conditioni autem pacis talis fuit, ut Bertolfus Ducatum exfestucaret.* (id est data Friderico festuca seu stipula in signum translati dominii Ducatui renunciaret vid. Dn. Cangium in Glossar. ad hanc vocem) *sic tamen, quod Turegum nobilissimum Sueviæ oppidum a manu imperatoris tenendum ipsi remaneret.*

(f) Sueviam illo tempore nondum tam arctis, quibus hodie continetur, inclusam fuisse limitibus, quamvis vel ex solius Ottonis verbis jamjam adductis ita patescat, ut nullo videatur indigere ulteriori testimonio, utpote qui Turegum germ. Zürch Sueviæ oppidum nobilissimum indigitavit, quod tamen consors fœderis Helvetici una cum reliquis istius fœderis sociis sese in libertatem vindicavit, nostroque tempore liberæ ac separatæ reipublicæ speciem præ se fert. Attamen & hic meminisse juvabit ingenui studii & laboris insignis, quod *Vir Celeberr. Obrechtus* eidem argumento illustrando insumpsit; Hinc enim in *Prodromo suo Rer. Alsat. ejusque cap. X.* ex optimis monumentis ac testimoniis erutum clarissime deduxit, Sueviæ terminos olim tam late patuisse, ut ipsam Alsatiam complexa sit. Quin contra *Crusium in Annal. Suev. part. 2. l. 7. c. 1.* & *lib. 8. c. 8.* aliosque autumantes eos tempore, quo Sueviam Hohenstauvii adepti sunt Alsatiam a Suevia & quidem a Berchtoldo fuisse avusam, adducto diplomate liquidissime evicit, Elisatiam seu Alsatiam adhuc nostris paruisse Hohenstauviis, hosque diplomatibus suis Alsatiæ Ducis titulum præscribere, inque sigillis appensis Duces Suevorum sese nominare consuevisse. Cui nihil addimus, nisi quod Fridericum fratrem Nostri monoculum cognominatum in diplomate, quo Conradus Corbeiensibus donationem monasteriorum Kemnadæ & Wisbecæ factam confirmavit, quodque *Schatenius in Annal. Pader. part. 1. p. 770. & 771.* in lucem produxit, sese Ducem Sueviæ & Alsatiæ subscripsisse observavimus. Verum ut Tigurum redeamus, de quo scribere occupavimus, testimonio Ottonis inde magnum sane robur accedit, quod illis temporibus, quibus Suevia per Cameræ nuncios, id est fisci Regii procuratores, *vid. Dn. Cangii Glossar. hac voc.* Regum nomine administrata est, Tiguri

Tiguri ærarium redituum, qui ex Suevia veniebant, asservatum fuisse, ostenderint Guillimannus in Habspurgiacis ex charta Ludovici Pii & Excell. Tenzelius in Vindiciis censuræ diplomatis Ludoviciani p. 317. Desiit autem Suevia per cameræ nuncios administrari cum Erchangero & Pertholdo fratribus, quibus jussu & judicio Conradi Regis Germaniæ primi & Procerum capite plexis, vid. *Contin. Reg. ad an.* 917. Suevia sub Burchardo & maxime Hermanno ducibus [vid. Idem ad an. 926.] veteris Ducatus formam recepit, cum *Obrechtus* duce *Goldasto in notis ad Ratperti casus cap. 2. in Prodrom. rer. Alsat. cap. X. p.* 220. sentiat, inter Burchardum, & qui eum antecessere, ita dictos cameræ nuncios nullam nisi nominis seu tituli intercessisse differentiam.

§. III.

Pace ita composita a duobus hisce Suevici Ducatus æmulis, Fridericus Ducatus sui quieta gavisus est possessione, eumque ea, quæ tantum Principem decuit, moderatus est ratione, usque dum ætate gravis ac maturus vita concessit, & cadaver ejus in Laureacensi monasterio terræ mandatum est. Hic ex uxore sua Agnete, quam superstitem reliquit, binos sustulerat filios, quorum natu major paterno nomine veniens jam ætatis decimum quintum ingressus erat annum, secundo genitus autem, cui nomen Conradi erat, annum agebat decimum. Agnetem viduam curæ suæ ac patrocinio commendatam habuit frater ejus Henricus V. patris in imperio successor, quousque in hoc statu perstitit, cujus vero mutatio post breve temporis secuta est spatium, ineunte ea secundum cum Leopoldo Orientali Marchione *matrimonium (g)*.

(g) Horum omnium fidus testis est *Otto Frising. de Gest. Frider. lib. 1. cap. 8. 9. &* 10. qui cap. 8. hisce finit verbis: *Fridericus autem Ducatum Alemanniæ ex hinc sine contradictione habuit, ac strenue diebus non paucis rexit* - sub initium cap. 9. ita pergit: *Suscepit vero ex nobilissima compare sua Agnete duos filios Fridericum & Conradum, & ipse post multa virtutum suarum insignia in senectute bona diem ultimum claudens in monasterio Laureacensi in proprio fundo constructo humatus est* - - ac pariter decimum caput ita inchoat: *Mortuo Alemannorum Duce Friderico, Agnetem ab ipso viduatam frater ipsius Henricus Imperatoris Henrici filius in sua suscepit, eamque Leopoldo Orientali in uxorem dedit, filiis ipsius, Friderico quindecim, Conrado duodecim annos habentibus.*

§. IV.

Fridericus primogenitus paterni, id est Sueviæ *hæres factus est (h)* Ducatus. Qui sese paternarum virtutum gloriosa *imitatione (i)* Germaniæ Proceribus adeo commendaverat, ut parum abesset, quin post obitum Henrici V. avunculi sui, *qui (k) an. 1125. contigit*, communibus principum suffragiis, qui novi Regis eligendi gratia Moguntiæ labente adhuc eodem anno convenerant, ad summam ac regalem productus fuisset dignitatem. Certo enim constat, cum ex numero fuisse illorum (*l*) quorum in consultationibus Procerum de eo, quem solio imponerent, maxima habita fuit ratio: Nisi *odium Pontificium (m)* quod omnes graviter premebat, qui ab Henrico IV. sanguinem ducebant, ei aditum ad maximum hunc honorem præclusisset. Quamobrem cernens Fridericus spem ascendendi avitum solium per machinationes & occulta Pontificis molimina penitus sibi esse interceptam, ira in novum Regem Lotharium magnopere exarsit, ac loco obedientiæ officiorumque, quam ei præbere ac offerre debuisset, arma in eum capessivit. Adeo ut cum eodem exercitu, quem Moguntiam, ubi conventus celebrabatur, secum adduxerat, in milites Lotharii, qui ibidem aderant, nilque mali suspicabantur, ex improviso irrueret, strageque

corum

eorum non exigua facta, ceteros in fugam *verteret.* (*n*) Nec adduci potuit Fridericus, ut Lotharium Regem suum agnosceret ac debite coleret, quin potius ad facessenda ei negotia negotiosissima, belloque diuturno ipsum implicandum Conradum fratrem suum una cum aliis, qui Lothario adversabantur, ejusque imperium respuebant, Regem Germaniæ (*o*) *salutavit.* De quo Fratrum conatu certior factus Papa Honorius iis etiam atque etiam succensuit, dignosque eos habuit, qui pœna exclusionis ex cœtu fidelium vulgo banni Ecclesiastici afficeretur. Ast sprevit ac ludibrio habuit hoc Papæ in eum emissum fulmen Conradus, quippe regnum hæreditario in se jure devolutum esse persuasum sibi firmiter habebat, nec non per electionem ejus a fratre aliisque factam desiderio regnandi magis magisque incensus erat: illico igitur iter in Italiam suscepit, ut Lothario anteverteret coronamque Italiam præriperet. Nec spes eum fefellit, ingressus enim Italiam plurium urbium amplissimarum Rectores incolasque sibi pronos, suæque parti ac causæ admodum offendit amicos, adeo ut Mediolani existens ab ejus civitatis tunc temporis Archiepiscopo Anshelmo dicto, applaudente cuncto Clero ac populo, corona Longobardica rite & solemniter cingeretur. Quamvis vero Conrado fortuna haud parum arridere videretur, attamen uterque fratrum tandem satis cognoverunt, fortunam sibi suis illusisse blanditiis, seque omnem perdere operam ac oleum, quam opprimendo Lothario impenderent. Ideo ne ulterius contumaces sese gerendo ineluctabile ac æternum Regis contraherent odium, sibique ipsis omnem in ejus gratiam reditum præcluderent, satius esse existimarunt, in tempore gratiam atque veniam admissæ pertinaciæ a Cæsare expetere, in quam ambo spe haud sua frustrati (*p*) *ex voco recepti sunt.*

(*h*) Id firmatur testimonio *Ottonis de G. Fr. lib. 1. cap. X.* sequentem in modum scribentis: *Porro Fridericus natu major Patri in Ducatum successerat.*

(*i*) Inutile & supervacaneum fore arbitror, si ipsa virtutis præclara specimina hic prolixius recensere vellem, quæ *Otto Fris. de G. F. l. 1. cap. 12. 13. & 14.* scripta ac annotata nobis reliquit, nobis hic adduxisse sufficiat verba ejus, quæ in alleg. cap. *14.* circa finem ita habentur. *Quid plura? Prætaxatus* (h. e. prædictus) *Dux, ut breviter dicam per omnia patrem induens tam fidus principi miles tam utilis avunculo amicus extitit, ut sua virtute honorem regni labefactatum viriliter contra hostes tam diu decertando sustentaret, donec membra a capite diffidentia ad gratiam principis veniendo, ad cor redirent.*

(*k*) Tametsi enim non pauci mortem ejus in annum sequentem referant, omnem tamen iis fidem derogant tabulæ publicæ primo Lotharii regni anno confectæ, qualem ex *Tritbemii Annal. Hirsaug.* adducit, eaque mortem Henrici anno citato evenisse contra contrarium sentientes probat *Pagi in critica ad Baron. tom. 4. ad b. an. n. 7.*

(*l*) Liquet hoc ex eo, quod ab *Ott. Fr.* memoriæ proditum in *Chron. ejus lib. 7. cap. 17.* reperitur, quod iisdem, quibus legitur, hic adscribimus verbis: *Anno ab incarnatione Domini 1125. defuncto absque herede Henrico V. Principes Moguntiæ convenerunt, ibique habito de successore consilio quatuor Regni Optimates, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorum, Leopoldus Marchio Orientalis, Carolus Comes Flandriæ ad regnum designantur.*

(*m*) Verebatur enim Pontifex, ne odium, quo par illud Henricorum Pater & filius sedem Pontificiam prosecuti fuerant, per sanguinem Henrici IV. in eos propagatum sit. Ideo Pontifex legatum in Germaniam misit, quo præsente & instigante teste *Otto. Fr. Cbr. l. 7. c. 17.* Lothario tanquam viro ecclesiastico juri devoto, uti eum deprædicat *Robert. de Monte ad an. 1126.* fasces imperii delatæ sunt. Cui accedebat, quod Fridericus Alberto Archie-

chiepiscopo Moguntino graviter invisus esset, qui memor injuriarum, quæ sibi ab eo illatæ erant, Principibus, qui suffragia sua pro eo laturi videbantur, id omni ratione dissuasit. Ita enim rem refert *Otto Fr. de G. Fr. lib. 1. c. 16.* Hic pariter imperii insignia penes se tenebat, quæ mortuo Henrico V. certo ne in Friderici manus pervenirent, a Mathilde relictæ ejus conjuge infinitis inducta promissis consecutus fuerat. *Ottonis* verba, quibus nos hoc docet in *lib. 1. de G. Fr. c. 15.* sunt sequentia. *Ac imperatrix Mathildis Henrici Regis Anglorum filia regalia in sua potestate habebat. Quam prædictus Adelbertus Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus ad se vocavit, falsisque promissis ad sibi tradenda induxit.* E vestigio hic adnotamus, falsitatis convinci, ex hoc loco id, quod *Schaten. in Annal. Paderb. ad an. 1125. pag. 708.* scripsit, Insignia imperii penes Fridericum & Conradum fratres & Henrici defuncti consobrinos fuisse.

(n) Omnibus hisce fidem facit *Ordericus lib. 12. ab Anton. Pagi in Crit. ad Baron. ad an. 1125. n. XI.* citatus, qui ea, quæ finitis gesta sunt comitiis, hisce verbis narrat: *Dissoluto conventu exercitus Friderici super Lotharium irruit, ipsumque & plurimos de parte ejus vulneravit & terga vertentes fugavit. Fridericus enim armatorum fere XXX. millia secum adduxerat, quia timore vel favore sese regem fore autumabat. Sed quia probi Pontificis ingenio præventus velle suum perpetrare nequivit, per Conradum fratrem suum maximam postmodum guerram fecit.*

(o) Hæc & sequentia ab Otton. Fr. in Chr. lib. 7. c. 17. brevibus consignata sunt verbis: *Fridericus & Conradus juvenes dum se viderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur. Ob quam causam a summo Pontifice Honorio excommunicantur. Porro Conradus a fratre ac quibusdam aliis Rex creatus Pyrenæum transcendit, ibi a Mediolanensibus honorifice suscipitur, ac ab eorum Archiepiscopo Anselmo Modorri sede Italici regni in Regem ungitur.* Qui plura de Conradi in Italiam facti itineris successu legere amat, consulat ea, quæ de his narrat *Landulphus junior cap. 39. in Monum. Basil. Ambros. n. 342.* cujus verba citat *Pagi in Critic. ad Baron. tom. 4. ad an. 1128. n. 12. et 13.*

(p) *Otto Frising. in Chr. l. 7. c. 19.* rem ita refert, ac si eodem tempore hi duo fratres in gratiam Imperatoris redierint, verba ejus ibi in hunc modum concepta leguntur: *Imperator generalem curiam Bambergæ circa mediam quadragesimam celebrans Conradum & Fridericum Duces interventu Clarevallensis Abbatis Bernhardi in gratiam recipit.* Verum distinctior ejus est relatio, quam hisce verbis fecit *Chronograph. Hildes. ad an. 1135. Dominica ante mediam quadragesimam scil. 16. Kal. April. frequens Principum fere totius regni conventus fit apud Babenberg, imperatore præsente, ubi Dei gratia adspirante Fridericus Dux Suevorum* (qui cum Fratre Conrado ad imperium adspiraverat) *comitantibus principibus in concordiam cum Imperatore* [scil Lothario] *sociatur - - In festo S. Michaelis in loco qui dicitur Mulhusen, Conradus frater Friderici Ducis Imperatori reconciliatur.*

§. V.

Mors tandem Lotharii, quam an. 1137. (q) cum vita commutavit, liti huic penitus finem imposuit. Pertigit enim sic ad scopum suum Conradus Procerum unanimi fere consensu in successorem ejus rite *electus* (r). Peracta est electio adsistente ac præsente Theoduino sedis Apostolicæ legato, qui idem Conrado Aquisgrani solemnibus adhibitis ceremoniis coronam imposuit, Arnoldo tum temporis Coloniensi Archiepiscopo fungendi hoc negotio incapace. Verum justa talionis lege Conradus potentiorem & sane pertinaciorem obtenti regni experiri necesse habuit æmulum, quam quidem ipse Lothario prædecessori suo exstiterat. Mirum enim in modum male habuit hæc electio *Henricum* (s) generum Lotharii Ducem Saxoniæ, ille enim non solum hæres odii,

odii, in quo Hohenstauvii apud Lotharium erant, gravissimi, firmiter æque persuasum sibi habuerat, se talem & imperii futurum, idque principum suffragiis sibi delatum iri, imprimis quod *Imperii insignia* (*t*) custodiæ suæ a Lothario, cujus morti adfuerat, credita secum haberet. Adeo ut quamvis omnes fere Principes ac proceres etiam Saxones ad celebranda, quæ *Babenberga* (*u*) indicta erant, comitia, gratulandumque Conrado de obtentis Imperii fascibus certatim advolarent, Henricus solus tamen jussui Regis nuncium remisit, insignibus Imperii tantum ipsi *Reginoburgum missis* (*v*) Rex ut obviam iret in tempore moliminibus, quæ sibi ab hoc Æmulo suo viribus ac animo valentissimo imminere non sine justa ratione suspicabatur, ei Augustæ Vindelicorum (*w*) *ad comparendum* diem dixit, rationem ab ipso posciturus, quare suam electionem tam indigne ferat, sibique debitum obsequium præbere detrectet? Movit eo Henricus cum exercitu ea qua potuit festinatione collecto, castra, cum eo pervenisset ad Lycum amnem statuens, ita ut arma potius cum Rege quam verba collaturus videretur. Sed metuens Rex, ne vim hostium sustinendo impar sit, ancipiti belli aleæ rem committere noluit, Herbipolim potius concessit, ibique accusata ejus contumacia hostilique, quem præ se ferat in Regem, animo, suffragantibus nonnullis, qui aderant principibus, Henricum (*x*) *proscripsit*. Quo facto conventum Principum Goslariæ coegit, & Henricum judicio eorum ut indignum utroque Ducatu Saxoniæ & Bavariæ privavit, illo Alberto Marchioni, hoc Henrico uterino suo collato.

(*q*) Baronius in Annal. Eccles. Lotharii mortem anno demum sequenti refert, quem errantem veritati quidem restituit Anton. *Pagi in Critica sua* in laudatos Annales ad *an. 1136. n. 6. seqq.* plenam ibidem pariter instituens disquisitionem de die Lotharii emortuali, atque statuens conciliatis invicem Dodechino, Alberto Stadensi ut & Chronog. Hildes. nocte inter III. & II. Nonas Decembr. vitam eum reliquisse. Ast hoc labore maxima ex parte supersedere potuisset laboriosissimus pariter ac felicissimus in erroribus quibuscunque præsertim Chronologicis detegendis corrigendisque, Vir, nec opus habuisset, quod mortem Lotharii nocte inter utramque diem intermedia contigisse statuendo dissentientes inter se scriptores ad consensum & consonantiam reduxerit, si notam tantummodo habuerit inscriptionem plumbeæ, quam in mausoleo Lotharii cum an. 1618. ab auri prædæve avidis hostibus aperiretur, repertam Henricus Meibomius præsens descripsit, ac *in tom. Rer. Germ. in notis ad Herlingsbergam tom. 1 pag. 798.* publici juris fecit. Patet enim inde clarissime ex annis regni ipsius, qui ibi notati sunt, tum an. 1137. cum II. Nonas Decembr. id est die quarto Mens. Dec. Lotharium vivere desiisse. Attamen haud penitus ullo teste caret Baronius, nec ejus opinio ex proprio sensu deprompta videtur. Otto enim Frising. ipse mortem Lotharii ad annum sequentem seu 1138. refert, eum anno regni sui decimo tertio decessisse scribens; Verba *Ottonis*, quæ in *Chron. ejus lib. 7. cap. 20.* offenduntur, ipsa subjungemus, cum uterque locus, tam ubi morbo correptus fuit Lotharius, quam ubi mortuus sepultus est in ipsis commemoretur, nec non laudatæ plumbeæ mentio fiat. *Igitur Lotharius ex Italia rediens apud Tridentinum morbo correptus est, in ipsis montibus in vitilissima casa Imperator potentissimus miseram humanæ conditionis relinquens memoriam XIII. regni imperii vero VII. anno plenus dierum obiit - - - & ipse per Augustam ac Orientalem Franciam in Saxoniam ad monasterium Lutter, quod construxerat, deportatus bonorifice sepelitur, actusque ejus, ut nulla possent aboleri oblivione, in plumbeis laminis descripti juxta eum reconduntur.* Hæc verba non attente legisse *Anton. Pagi* antea citatum, non obscure inde colligi posse mihi persuasum habeo, quod in Critica sua *in Baron tom. 4. ad an. 1139. n. 1.* contra Baronium demonstrare allaboravit, *Ottonem Frising.* qui in *Chronico suo l. 7. c. 22.* sub ejus initio ita scripsit: *Anno ab Incarnatione Domini MCXXXVIII. defuncto in autumno sine filiis Lothario conventus generalis principum &c.* supposuisse, Lotharium jam tum superiori anno finem

finem vitæ fecisse. Quam autem præsumptionem expressa Ottonis verba supra citata subito refellunt. Posito enim, Lotharium an. 1125. in Regem electum fuisse, uti refert Otto Frif. cujus verba supra lit. L. citavimus & citat ipse Pagi ad illum annum n. IX. & X. in aprico esse existimo, Frisingensem, qui in loco jamjam citato Lotharium anno regni XIII. extinctum scripserat, sibi ipsi tacite haud contradicturum fuisse, sed eum an. 1138. mortem Lotharii contigisse scribere voluisse, ut cuivis qui tredecim annos regni Lotharii anno, quo electus est, scilicet 1125. addet, calculumque subducat, clarissime patescet.

(r) Quo tempore, loco, quave ratione electio Conradi ejusque coronatio peracta sit, optime addiscere licet ex *Chr Ottonis Frif. lib. 7. c. 22.* ubi sequentibus utitur verbis: *Anno ab incarnatione Domini MCXXXVIII. conventus generalis Principum Moguntiæ indicitur. Quidam autem ex Principibus timentes, ne forte in generali curia Henricus Dux Noricorum, qui tam præcipui nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam prævaleret, circa mediam quadragesimam consilio habito in oppido Galliæ Confluentia conventum celebrant, ibique Conradum Imperatoris Henrici sororium præsente Theoduino Episcopo Cardinale ac S. Ecclesiæ legato summi Pontificis ac totius Romani populi urbiumque Italiæ assensum promittente Regem creant. Qui mox ad Palatium Aquis veniens a prædicto Cardinali (nam Coloniensis, qui id facere jure debuerat, noviter inthronisatus pallio carebat) cooperantibus Coloniensi & Trevirensi Archi-Episcopis cum ceteris Episcopis in Regem ungitur.* Idem refert *Dodechin. in Chron. ad hunc annum, Robert. vero de Monte an. 1137.* eam commemorat. *Addatur Godofred. Viterbiensf. Conrado nostro a sacris & secretis scriniis part. 17. Chron. an. 1139. & Albert. Stad. ad an. 1138.*

(s) Eo enim inconsulto & absente quasi clanculum a ceteris Proceribus ac Principibus electio peracta erat, uti ex loco Ottonis sub lit. R. citato satis liquet, cum tamen ei tanquam Bavariæ simul & Saxoniæ Duci ex duplici sane capite jus suffragium ferendi competiisset, ejusque consensus expectendus fuisset. Quamvis enim illo tempore jus eligendi nondum ad solos magnos Duces, quibus id demum labentibus annis exclusis reliquis principibus accrevit, spectaret, verum cujuslibet Ducatus Proceres adhuc juris hujus participes essent, hic tamen nec Proceres inprimis Saxoniæ, nec Ducem ad electionem Conradi vocatos vel admissos fuisse legimus. Quare nescio, numne summo jure hanc electionem Henricus Dux ejusque Proceres injustitiæ accusare, eamque illegitimam dicere potuerint, uti eos fecisse Otto Fr. sed qui simul studium suum partis Conradi prodit, testatur in Chr. l. 7. c. 22. circa finem. *At Saxones & Dux Henricus aliique, qui electioni non interfuerant, regem non legitime sed per surreptionem electum calumniabantur.*

(t) *Otto Frising. dum in Chr. l. 7. c. XX.* mortem Lotharii recenset, hoc memoriæ prodidit ita scribens; *Regalia Dux Henricus gener ejus* [scil. Lotharii] *in cujus finibus obierat, accepit.* Mos in Germania ab antiquo jam invaluerat, quod Reges imperii insignia, ubicumque locorum degerent, semper secum ut individuum Comitem una haberent ac circumferrent, sane quia in eorum diligenti custodia fulcrum imperii sui non fragile positum esse opinabantur. Quamobrem si moriebantur, ille sibi videbatur jus aliquod in imperium non exiguum, spemque succedendi non vanam nactus esse, qui ea a moriente vel aliunde consequeretur. Hanc ob rationem factum est, quod apud *Sig. Gemblac. ad an. 1002.* & *Ditm. Merseb. in Chron. part. IV. p. 358. edit. Leibnis.* legimus, Henricum eo temporis momento adhuc Bavariæ Ducem Heriberto Coloniensi Archiepiscopo, funus Ottonis III. ex Italia in Germaniam per Bavariam ducenti, imperii insignia vi extorsisse. Nec alia fuit ratio, quæ suasit Adelberto Moguntino Archiepiscopo, quod supra lit. m. ex Otton. Frif. retulimus, ut Mathildem viduam Henrici V. ad tradenda sibi insignia tot tantisque promissis permoverit, quam ad impediendum, ne Conrado cederent, hicque inde ansam arriperet, imperium ut jure successionis sibi delatum eo vehementius poscendi. Clarum hoc evadet,

det, quam quod clarissimum ex loco *Urspergens. qui est pag. m. 365.* quem merito hic addimus: *Philippus ad partes Rheni se contulit in continenti & natalem Domini in castro Hagenau celebravit. Ubi venerunt ad eum & officiales & ministeriales & quidam de principibus & baronibus terræ, cum quibus habuit mysterium consilii sui. Ubi etiam aderat Conradus Argentinensis Episcopus, qui etiam promisit favorem suum & auxilium de obtinendo imperio.* Volebat enim tenere imperium, cum in potestate sua haberet insignia imperialia, utpote coronam & crucem & alia quæ attinebant. Solebant pariter Reges morti vicini & de vita desperantes ad eos insigniamittere, quos successione præ aliis dignissimos judicabant, ut Principibus eum quasi digito monstrarent, quem in successorem regni adsciscere deberent: Exemplo nobis sit Conradi Franciæ Orientalis Regis primi factum longe prudentissimum, qui moribundus Fratrem suum Eberhardum cum insignibus imperii ad Henricum Saxoniæ Ducem perferendis ad eum ablegavit. *Vid Witekind. Corb. Ann. lib. 1. p. 636. edit. Meibom. Regino ad an. 919.* fratremque admonuit, ut electioni Henrici, in quem ut regno dignissimum ceteros Proceres conspiraturos prævidebat, amore in patriæ quietem subscriberet. Nulla pariter alia causa incitaverat Ezonem Comitem Palatinum ad repugnandum electioni Henrici Sancti, ipsumque imperium ambiendum, quam quod hic insignia, quæ Otto III. illi tradenda Heriberto commendaverat, adhibita vi interceperit, uti ex *manuscr. Broviller.* demonstravit *Tolner. in histor. Palat. cap. 9. p. 233. seqq.* Uti vero multum juris in imperium tribuere credebatur insignium imperii possessio, ita e contrario maximas sæpius ei excitavit turbas, qui Rex salutatus insignia a possessore eorum repetere volebat, utpote qui ea tanquam pignus juris cujusdam in imperium retinere omni nisu sæpius contendebat, cujus Henricus Saxoniæ Dux jam nobis exemplum præbet. Perduravit autem hic mos, de quo scribere occupavimus, usque ad Sigismundi Imperatoris tempora; ille enim cum ut plurimum in Bohemia regno suo hæreditario vitam ageret, ac Hussitico bello implicitus non raro cum iis infeliciter pugnaret, veritus est, ne & ipse hic thesaurus fatis ita jubentibus, aliquando hostium præda fieret. Quapropter de munito cogitare cœpit loco, in quo illum secure & perpetuo deponeret. Et cum Norimberga ei in primis arrideret, eo insignia perpetuo ibi custodienda transtulit, ubi & ad nostra usque tempora constanter asservata sunt. Cui plura legere libet de hac translatione insignium Norimbergam facta, adeat *Wagenseil. in Comment. de civit. Norimb. in cap. 26. p. 226. seqq.*

(u) Certior enim factus Rex, Duci Saxoniæ proceribusque ejus aliisve non probari suam in Regem electionem, eam illegitime factam esse opinantibus, dicentibusque, *illis omnibus*, uti *Otto Frif. in Chron. lib. 7. cap. 22. circ. fin.* loquitur, *in Pentecoste generalem curiam Babenbergæ indixit*, cujus eventum idem in cit. Chron. cap. seq. ita recensere pergit: *Itaque Conradus Rex in Pentecoste curiam in præfata civitate, uti condictum erat, cum maximo regni fastigio & maximo conventu principum habuit: Ubi omnes Saxones simul cum vidua Principatrice Richenza venientes ultro se suæ ditioni subdidere. Solus Henricus Dux regalia servans aberat. Vid. Dodechin. ad an. 1138. Godefrid. Viterb. part. 17. Chron. edit. Pistor. p. 511.*

(v) Non enim obtemperante Henrico jussui Regis Babenbergæ comparendo, Conradus desiderio insignia imperii tenendi flagrantissimus Ratisbonæ ipsi diem præfixit ad regalia sibi tradenda. Quo Henricum sese contulisse, insigniaque variis sed vanis ad id illectum promissis Regi tradidisse tradit *Otto Fr. in Chr. lib. 7. c. 23. Conf. Dodechin. ad an. 1138. & Viterb. l. c.*

(w) Nititur hoc cum iis, quæ sequuntur, testimonio *Conradi Urspergensis*, qui in *Chron. suo edit. Phil. Melanchth. p. 279.* ita scribit: *Sed ad cætera, quæ ulterius inter eos tractanda erant, dies ei in brevi post Augustæ præscribitur. Quo ex condicto assumptis fidelibus suis & milite non modico venit, ac super Licum ex opposito civitatis rege civitatem tenente castra posuit &c.* cœtera enim assiduitas lectoris supplebit.

(x) Sola ſane potentia Ducis, qua ipſum Regem ſuperabat, eum Regi in ſuſpicionem adduxerat. Contra quam ſeſe haud ſortius munire poſſe ratus eſt, quam ſi Henricum potentia hac exueret, ſine qua omnia illius conamina ipſi adverſa irrita forent. Quod conſilium Regi aures ita obdiderat, ut eas precibus Ducis de impetranda contra officium ſuum hactenus commiſſi remiſſione præbere, omni ratione refragaretur. Quin potius, ut iræ ſuæ inſerviret, acerbiſſimam ei infligere feſtinavit pœnam. De quibus omnibus audiamus teſtimonium *Otto Friſ.* qui ea in *Chr. lib. 7. c. 23.* hiſce verbis conſignavit: *Cumque multis modis homo præpotens & animoſus, ſed nutu Dei humiliatus miſericordiam peteret nec impetraret, tandem judicio quorundam principum apud Herbipolim proſcribitur, ac proxima nativitate Domini in Palatino Goslarienſi Ducatus ei abjudicatur.* Quibus Otto hoc Επιφώνημα ſubjungit: *Et mirum dictu Princeps ante potentiſſimus & cujus autoritas, ut ipſe gloriabatur* (quod cauſam mihi præbuiſſe videtur inimicis ipſius, quod ſuperbum eum poſtea cognominare conſuevere.) *a mari usque ad mare, id eſt a Dania usque in Siciliam extendebatur, in tantam in brevi humilitatatem venit &c.* Prætextum, quo uſus eſt Conradus, *Helmold. in Chron. Slavon. lib 1. c. 54.* indicavit, ſcilicet iniquum ipſi viſum eſſe, ut unus ſimul duos teneat Ducatus. Verum enim vero in ſpeciem tantum finxiſſe Regem hanc rationem, vel inde ſaltim elucet, quod non unum Ducatum ſed utrumque Henrico abrogavit; Bojoariam enim eum Leopoldo Marchioni orientali contuliſſe auctor eſt *Otto Friſ. Chr. lib. 7. c. 23.* Saxonia autem Albertum Marchionem donatum fuiſſe, teſtis eſt *Helmold. in loc. citat.* in præmium ſine dubio conferendæ in Henrici potentia frangenda operæ. Immo Conradus ipſe ſibi contradixit ita ſtatuendo, quippe qui ad Albertum Uſum jam antea Marchionem eumque Principem novum deferri Principatum conſtituerat, atque adeo uni duos ſubeſſe principatus voluit. Quæ eſt opinio Celeberr. *Schurtzfleiſch. in Diſſert. de Henrico Leone cap. 13. in notis.* Nec ſentio hunc Conradi obtentum quadam lege imperii expreſſa vel tacita inniti, cum potius tam antiqua quam recentior hiſtoria exemplorum in contrarium ſit fœcundiſſima. Sic Saxonia Burchardo Conradi Regis I. genero (id eſt ſororio vid. Du. Cang. in Gloſſ. hac voc.) defuncto ſeu potius ab Hungaris per Germaniam tum temporis vagantibus furentibusque necato vid. *Lamb. Schaf. ad an. 909. & Herman. Contr. 910.* Henricus Auceps Thuringia potitus eſt. Vocatur enim hic a *Luitprando* in hiſtoria ſui temporis *lib. 2. c. 7.* Saxonum & Thuringorum Dux præpotens. Otto M. generum ſuum Conradum jam Franconiæ Ducem & Lotharingiæ præfecit Ducatui, juxta *Reginonis Continuat. an. 943. & Sigebert. an. 944.* Ipſos Cæſares Henricos majores Conradi noſtri Sueviæ & Franconiæ ducatibus ſimul gaviſos fuiſſe, quem latet? Imo nil vetuiſſe, quominus duos ſimul Electoratus tenere licuerit, demonſtrat exemplum Sigismundi, qui uno eodemque temporis momento duos Electoratus Bohemicum & Brandemburgicum ſub ſua habuit ditione, cum hoc enim, quem a Patre Carolo IV. qui eum ab Ottone luxurioſo ultimo ſtirpis ſuæ Marchione emerat, nactus erat, illum a fratre Wenceslao, qui Imperio quidem ſed ſalvo regni Bohemici jure motus erat, hæreditatis jure obtentum conjunxit: *Joh Dubrav. hiſtor. Bohem. l. 22. 24. 25. Melch. Goldaſt. Reichs-Satz. part. 2. an. 1426.*

ʃ. VI.

Quæ a Cæſare ex iracundiæ ardore lata ſententia grave & funeſtum in Saxonia accendit bellum. Albertus enim, ut Ducatum Saxoniæ ſuæ faceret ditionis, ingenti eum invaſit exercitu, ac ſuffragante ei ubivis fortuna parvi temporis intervallo fortiſſimas munitiſſimasque *Saxoniæ urbes* (y) ad deditionem cogendo ſub ſuam redegit poteſtatem. His rebus feliciter geſtis arma in Nortalbinam Saxoniam vertit ac tranſtulit, nec minori uſus eſt fortuna, ſiquidem Adolphum *Holſatiæ comitem.* (z) Qui fidem Henrico Duci ſuo adhuc ſervabat

bat integram, facili negotio e terris suis *ejecit* (*a*) eamque Saxoniæ partem sui pariter juris fecit, Henricum *Badevidum* (*b*) in exturbati Comitatu suo Adolphi loco collocans. Simul ac fama de tam secunda Alberti in expeditione contra Saxones fortuna perlata est ad Henricum, qui eo tempore in Bavaria degebat, hic iter in Saxoniam maturavit paucis admodum stipatus *comitibus*. (*c*) Quo cum venisset, auxilio Saxonum & ope socrus suæ Richenzæ adjutus Alberto Saxoniam rursus feliciter *eripuit* (*d*) Adolphumque pariter in comitatum suum restituit. Saxonia hac ratione armis recuperata, Henricus castra movit in *Thuringiam* (*e*) bello Regem ipsum petiturus, sed parum aut nihil memoratu digni peregit, Conrado enim a bello ob anticipem forte ejus eventum declinante, ab utraque parte statim induciæ initæ sunt. Henricus in Saxoniam regressus est, sed redux factus, accepto nuncio Leopoldum *Austrium* (*f*) interim totam ferme sibi subjecisse Bavariam, ducendi eo exercitum cœpit *consilium*. (*g*) Ast in itinere adhuc constitutus morbo aliquo citra opinionem e vivis sublatus est.

(*y*) Quæ hæ fuerint, nos docet *Helmold. in Chr. Slav. l. 1. c. 54. n. 8.* ajens: *Bellabant ergo hi duo principes duorum suorum filii intestinis præliis, & commota est universa Saxonia. Et quidem Albertus præripiens castram Luneburg cum civitatibus Brodevick atque Brema occidentali Saxonia potitus est*, repetit hæc Albert. Stad. ad an. 1138.

(*z*) Hic filius est Adolphi, qui comitatum Holsatiæ a Lothario Saxoniæ Duce sibi donatum primus suæ intulit familiæ. Occiso enim Godefrido in infelici cum Slavis conflictu, teste *Helmold. in Chr. l. 1. c. 35. Cometiam vacantem dedit Luderus Dux nobili viro Adolfo de Scovenburg*, uti *idem cit. lib. c. 36. pergit*: in cujus genus & originem hic penitius inquirere nobis quidem incumberet, nisi otium nobis jam fecisset *Clariss. Bangertus in notis* omnis doctrinæ refertissimis ad *Helmoldi Chronicon* & quidem ad locum modo laudatum *lit. a.* quo eum ex nobili Sanderlebensium gente, quae in Archi-Episcopatu Magdeburgensi maxime antiquitate sua clara extitit, genus ducere ad liquidum ostendit.

(*a*) Helmold. in Chron. Slav. c. 54. *Sed & Nordalbingorum fines partibus ejus* (scil. Alberti) *appliciti sunt. Quamobrem comes Adolphus provincia pulsus est, eo quod fidem juratam Imperatrici Richenzæ & genero ejus* (scil. Henrico) *temerare noluisset*.

(*b*) Idem cit. loc. *Cometiam ejus* (nempe Adolfi) *urbes & servitia Henricus de Badevide beneficio Adelberti assecutus est*. Quem ex familia Comitum de Orlamunde ortum traxisse juxta *Korneri Chron. Manuscr. f. 26.* affirmat: *Bangert. in not. ad h. l.* Helmoldus eum virum otii impatientem armisque strenuum fuisse praedicat. in *Chr. Slav. p. 134. n. 3.*

(*c*) Huc facit, quod *Otto Frising. in Chr. l. 7. c. 23.* hisce verbis scripsit, *ut pene omnibus fidelibus & amicis suis in Bojoaria a se deficientibus clam inde egressus quatuor tantum comitatus sociis in Saxoniam veniret*.

(*d*) Hujus rei melior nullus est testis *Helmoldo in Chr. Slav. l. 1. c. 56. n. 5.* ita scribente: *Postquam ergo Henricus gener Lotharii auxilio socrus Richenzæ imperatricis ducatum obtinuit, & nepotem suum Adelbertum Saxonia deturbavit, Adolfus comes rediit in cometiam suam. Addatur Albert. Stad. ad an. 1139. conf. Cranzius in Saxonia lib. 6. c. 7. & lib. 6. metrop. c. 16.*

(*e*) Id. Ejusdem testimonio quod in Chr. ejus cit. loc. invenitur, probatur. *Post hæc Henricus Leo cepit armari adversus Conradum Regem, duxitque contra eum exercitum in Thuringiam ad locum, qui dicitur Cruceburg. Bello itaque per inducias protracto dux rediit in Saxoniam & post non multos dies mortuus est.* Notari

tari hic meretur, Henricum ab *Helmoldo* Leonem cognominari, uti jam tum *in eod. lib. c. 35.* fecisse legitur. Potius ideo fidei historicæ convenire puto, si ei & nostro tempore cognomen magnanimi vel hoc Leonis indatur, quam quod, uti plures fere omnes facere consuevere, superbus indigitetur, quod cognomen ei non nisi ab inimicis suis tributum esse videtur. Quæ pariter est opinio Excellentiss. Leibnizii in *Introduct. in script. hist. Brunsu. ad Chr. Veingartense.*

(f) *Otto Frising.* nos de Leopldi in Bavariam expeditione ejusque successu certiores reddidit in Chr. *l. 7. c. 25. Leopoldus Marchio suscepto a Rege Ducatu Norico, omnibus pene Baronibus ad eum pertinentibus amore seu terrore ultra ad eum confluentibus, primo metropolim ac sedem Ducatus Ratisbonam ditioni suæ subdidit &c.* Qualis hæc urbs permansit, usque dum a Friderico Nostri successore Ducatu Bavariæ exempta immunitateque ac privilegiis maximis donata, in numerum liberarum Imperii civitatum cooptaretur. Quod tunc factum esse, cum Ducatus Bavariæ in Ottonem Wittelsbachium transferretur, refert *Adelsreuter in Annal. Bojic. p. 1. l. 23. n. 2. Avent. lib. 6. Annal. in fin. Limnæus in Jure Publico tom. 2. VII. 36.* Ex quo tempore sedes Ducis Monachum pariter videtur translata.

(g) Idem in Chr. lib. cit. cap. cit. *Ea tempestate Henricus Dux dum in Saxonia Albertum Marchionem sibi rebellantem in tantum humiliasset, ut castris ejus dirutis, terris circumquaque vastatis, ad Regem auxilii gratia ire compulisset, omnibus suis ibidem rite dispositis jam in Bojoariam ire proposuisset, morbo correptus diem clausit extremum, ac in monasterio Lutter juxta socerum humatur.*

§. VII.

Fatis functo Henrico magnanimo potius quam superbo cognominando, Saxones filium ejus æquivocum, qui tenerrima adhuc erat ætate Ducem *salutant.* (*h*) Leopoldus Austrius, qui in Bavaria subjuganda adhuc occupabatur, accepto mortis Henrici nuncio eximia perfusus est lætitia, quod eum e vivis sublatum esse acciperet, cujus vitam perpetuo sibi futuram impedimento, quo minus sine turbis Bavaria frui possit, satis prævidebat. Adeo ut omnem curam cogitationemque penitus abjiceret. Ast oscitantiæ suæ magnam dedit pœnam. Welpho enim Henrici junioris patruus, cum Leopoldum ita incurium insistere animadverteret obsidioni, qua Phalejam Bavariæ urbem cinxerat, incauto ipsi atque securo cum forti militum manu de improviso insultavit, magnamque in hostibus stragem edens urbem ab obsidione *liberavit.* (*i*) Qua obtenta victoria accensus Welpho arma in ipsum Regem *tulit.* (*k*) Qui Veinsbergam urbem eodem tempore circumsidebat. Verum eventus non uti antea conatui respondit, superatus enim Welpho a Rege in acie, quam cum eo inierat, magnamque suorum cladem passus cum paucis fuga salutem quæsivit. Paulo post Leopoldus ultimum obiit *diem.* (*l*) Quem frater ejus Henricus in Austriæ marchionatu excepit. In quem tanta erat Conradi benevolentia, ut non tantum ipsi, restituto prius Ladislao Bohemo in Ducatum suum, (*m*) Bavariam rursus possidendam concederet, verum etiam, icta cum Saxonibus *pace,* (*n*) viduam Henrici, matrem junioris Ducis Saxoniæ in matrimonium daret. Quod etiam atque etiam Welphonis laceravit *animum* (*o*) de gravi conquerentis injuria, quam sibi Rex Bavariam Henrico tribuendo intulerit, quæ ad se jure meritoque spectaret. Cumque jus sibi reddi petens repulsam tulisset, armis id prosecuturus Bavariam ingressus, Rege autem Henrico suppetias ferente, re infecta inde egressus est.

(*h*) Ad quod faciendum lati sunt Saxones ingenuo amore, quo Ducem suum Henricum, cujus mortem adhuc graviter dolebant, amplexi fuerant. Alias enim

enim tantum pondus apud eos non habuissent forte preces, quibus Henricum Saxones ad parem in fide filio suo præstanda constantiam moribundum excitasse commonefacit *Otto Fris. in Chr. l. 7. c. 25. Quo mortuo saxones amore filii sui parvuli, quem eis adhuc vivens commendaverat, Regi denuo rebellant. Helmoldus in Chr. Slav. l. 1. c. 57. n. 9. Obtinuit filius ejus Henricus Leo ducatum Saxoniæ puer adhuc infantulus. Addatur Chronicon Gozecense a Madero publicatum ad an. 1139.*

(i) *Documento est Otto Fr. l. 7. c. 25. n. 4. Leopoldus vero Ducatum ex hinc Noricum potenter se habere confidens, cum in obsidione castri Phaleja duorum fratrum, qui soli ex Noricis Baronibus in parte Ducis Henrici steterant, incaute moraretur, Guelfo Ducis Henrici frater ex improviso collecto milite superveniens, fortissime pugnando, cæsis ex utraque parte pluribus, multis captivatis Ducem, cedere coegit.* Extiterunt autem hi duo fratres ex Scheirensium comitum prosapia antiquissima oriundi, quorum pater Arnulphus, in ercifcunda cum fratre suo Othone hæreditate, Dachavium consecutus fuerat, cujus castri nomen postmodum in prosapiæ ejus appellationem conversum est. Nomina autem duorum istorum fratrum, quorum non expressis nominibus meminit Frising. fuerunt Otto & Conradus, uti docet *Adelsreuter in Annal. Bojic. part. 1. lib. 21. n. 1.* qui pariter situm castri Phalejæ antiquum, quoque nomine, quæ ejus adhuc supersunt rudera, hodierno appellentur tempore, ibidem indicavit.

(k) *Idem Otto loc. & cap. cit.* hisce utitur verbis: *His elatus successibus* (scilicet Welpho) *dum Regem non multo post in obsidione castri Weinsberg morantem pugna aggredi attentat, amissis multis, cum paucis fugit e prælio: Gotfrid. Viterb. in Chron. part. 17. edit. Pistor. p. 512.* Weinsberga hæc antiqui Guelphici patrimonii pars erat, quod Welphi ad Lacum Bodamicum, ubi hodie Ravensburgum situm tenuere. *Vid. Introduct. Excell. Leibnizii ad Scriptor. Brunsuic. ad Chron. Monach. Weingart.* Hæc in divisione terrarum, quas Pater Henricus niger binis filiis suis Henrico & Welphoni reliquerat, huic cesserat. Quare mirum esse nemini potest, quod, cum Weinsberga Welphonis propria exstiterit, tam celeriter ad opem rei propriæ ferendam eamque tuendam cum exercitu approperaverit. Quæ tamen cum Welpho victus conatu suo excidisset, omni ulterioris auxilii spe destituta sese Regi dedere tandem adacta fuit. Ibique contigisse nonnulli fabulantur, mulieres istius urbis, quibus Rex in legibus deditionis pollicitus erat, tantum se a direptionibus militum ac furore salvum habituras, quantum cervicibus exportare possent, in perpetuum ac nunquam penes omnem posteritatem intermoriturum fidei conjugalis exemplum, auro mundo, omnibusque pretiosis, quibus mulieribus juxta vitam alias nihil charior cariorque esse solet, cum solis maritis humeris suis impositis ex urbe exivisse. Quemadmodum id refert *Tritbemius in Chron. Hirsaug. ad an. 1140. p. m. 409.* ex quo idem repetunt *Schaten. in Annal. Paderb. tom. 1. an. 1140. p. 755. & Adelsreuter in Annal. Boj. part. 1. lib. 21. n. 2.* Hi more catholicorum, quorum animi propensiores sunt faciliores que ad aliquid, præsertim quod miraculi alicujus vel mysterii specie sese commendat, credendum, fabulæ huic fidem habent. Id vero cum ex nullo illius ætatis scriptore doceamur, neque enim in *Otto Fris. supra allegato*, neque in *Dodechini Appendice ad Mar. Scot. qui ad an.* 1140. Weinbergæ obsidionem ejusdemque expugnationem commemoravit, neque in *Ursperg. Chronico* hujus historiæ offendere ac legere licet vestigium, merito subscribimus *Excellentiss. Leibnizio*, qui eam fabulam sapere merito sensit & scripsit in *notula ad Chr. Weingart. Monach. de Guelf. Princip.* quod publicavit in tom. Rer. Brunsuic. *pag. 789. lit. L. signata.* Nec sicco hic transire calamo aut silentio præterire possumus, a multis statui, factiones illas, quæ postmodum in Italia subortæ sunt, altera Gibellinorum dicta, Cæsarum jura, altera Guelphorum nuncupata, Papæ jura propugnante, a pugna hac Weinsbergæ obsidionali appellationis suæ repetere originem. Welphonem enim in acie tessera præliari suo nomine appellata, Regios vero quadam, cui civitatis Giblingæ germ. Weiblingen/ ubi Rex Conradus infantiæ suæ plurimos transegerat annos, nomen

impositum erat, usos fuisse, hæcque nomina Italos deinceps denominandis quæ in Italia natæ sunt, adhibuisse factionibus, opinio fert *Adelzreuteri in Annal. Bojic. loc. supra citat.* Conf. *etiam Tritbem. in Cbron. Hirsaug. tom. 1. p. m. 409.* Ego id in medio relinquo de eo certus, quod Itali appellationem, quam factioni quæ pro Cæsarum juribus militabat, dederunt, ab arce Giblinga ideo desumserint, quod urbs hæc diuturna Conradi sedes fuerit. Factioni autem eorum, qui Papæ jura contra Cæsares defendendo addicti erant, haud melius atque accommodatius indere potuerunt nomen, quam Guelphorum, cum inter hos & Gibellinos seu Hohenstauvios odium fuerit plusquam Vatinianum, cui non nisi illorum exitium perniciosissimum diu exoptatum exitum atque finem fecit.

(l) Mœror, quem Leopoldus ex accepta a Welphone clade, susceptaque postmodum adversus eum expeditione, parum ex opinione fluente concepisse videtur, mortem ejus sine dubio acceleravit. Scribit enim *Otto Fris. in Cbron. l. 7. cap. 25.* Leopoldum cladem, qua a Welphone prope Phalejam urbem affectus erat, tam indigne tulisse, ut ad vindicandum decus, quod inde sibi conciliatum credebat, copias quidem contraxerit, sed ad Licum amnem usque tantum progressus, destructis ibidem hostium suorum quibusdam munimentis, in Bavariam reversus sit. Redux factus post breve temporis spatium Ratisbonæ morbo affectus animam expiravit. *Conf. de morte ejus Ursperg. p. m. 280. & Adelzreuter in Annal. Bojic. part. 1. lib. 21. n. 3.*

(m) Antequam Rex iter in Saxoniam inivit, Ladislaum Bohemiæ Ducem, qui a Conrado Moravensium comite Ducatu suo exturbatus, ad Regis confugerat patrocinium, in Ducatum suum reduxit, & feliciter restituit, testatum hoc facit *Otto Fr. in Cbron. l. 7. c. 26.* verbis, quæ ita sese habent; *Dux Ladislaus profugus ad Regem veniens casum suum deplorat. Quem Rex misericordia motus cum exercitu in Bohemiam reduxit, ac Pentecoste in urbe Praga Provinciæ istius metropoli celebrata, Conrado fugato in Ducatum restituit.* Quod auxilium Rex Duci Bohemiæ recusare non potuit, utpote qui vasallus Regis & imperii existens id ab eo vi mutuæ obligationis, quæ inter Dominum & Vasallum ad se invicem defendendum intercedit, optimo jure exigere valebat. Ut enim brevitatis studiosus sicco transeam pede loca scriptorum antiquiorum, ex quibus Duces Bohemiæ sese vasallos imperatorum ac Regum Germaniæ gessisse, homagiumque iisdem præstitisse luce clarius apparet, mihi ad id probandum unicum *Ottonis Fris* sufficere testimonium, quod in *lib. 1. de Gest. Frid. c. 2.* sequentibus legitur verbis: *Tandem Henrico Saxoniæ Marchione, qui de sorore Ducis natus erat, mediante ad pedes imperatoris* (Lotharii scilicet) *satisfactionem offerens humiliter Dux venit, homagiumque sibi cum sacramento fidelitatis exhibens, Ducatum ab eo suscepit.* Tametsi enim aliquando quosdam ex ducibus Bohemiæ Regis titulo atque honore ab Imperatoribus donatos fuisse legamus, tamen nec illo tempore nec sequiori, quo Regis dignitas perpetua iis ac hæreditaria facta est, ipseque Ducatus Bohemiæ in Regnum fuit transformatus, a nexu illo vasallitico seu feudali, quo Regibus & imperio Germanico obstricti erant, minime soluti sunt. Verum ille illæsus ac integer ad nostra uspue tempora servatus est & durat. *Vid. Conring. de Finib. Imper. l. 2. c. 29. Thülemar. de Octovirat. cap. 14. §. 36. 37. Coccejus de jure Publ. p. 67. Schvveder. in Jur. Publ. c. 4. §. 29.* Ast quo tempore regalem dignitatem in Bohemiam invectam, Ducatumque Bohemiæ regni formam induisse statuendum sit, in id si hic paucis penitius inquiram, operæ pretium valiturum spero. Certum & indubitatum est, everso regno magno Moravico seu Slavico, quod Zuentiboldus affectabat, ab Arnolpho Rege, *Regino ad an. 890. Luidprand. bistoria sui temporis lib. 1. cap. 8.* primum ex Imperatoribus fuisse, nec hoc antiquius dari exemplum, Henricum IV. qui Udalrico Bohemorum Duci in præmium navatæ in bello adversus Anticæsarem Rudolphum operæ regium diadema regiumque honorem indulsit. Id quod ex *Cosma Pragensi ad an. 1086. & Monacho Pegaviensi ad an. 1072.* temporis istius scriptoribus addiscimus. *Conf. Æneas Sylv. in bistor. Boh. c. 22.*

&

& Dubrav. l. 9. Goldast. tom. 2. der Reichs-Satz. p. 9. Hæc dignitas autem ad solam Uladislai personam restricta mereque personalis fuit, hinc cum morte ejus rursus evanuit, nec ad successores transmissa fuit, quos Ducis titulum rursus in usum revocasse scriptores subsequentium temporum satis superque comprobant, quibus ipse *Otto Frif. in loc. jamjam citat.* accenseri potest. Friderici, qui Conradum excepit, historia secundum ejus mihi suggerit exemplum, hic enim Ladislao bene de se merito regium impertivit atque restituit Titulum, *Radevicus Ottonis Fris. Continuator lib. 1. cap. 12, Ligurinus* hujus temporis poëta *l. 6. de G. Frid. I. edit. Reuber. p. 372. n. 20.*

Hoc quoque conventu Procerum Dux ille Bohemus
Fama Ladeslaum, quem nominat ob sua gesta
Fortiter & bello nuper spectata Polono
Ex Duce Rex fieri meruit gessitque potenti hisce
Sceptra manu cinxitque novo diademate crines.

Conf. Goldast. tom. 1. der Reichs-Satz. *p. 13. Æneas Sylv. histor. Bohemiæ c. 24.* Et quamvis inficias ire non liceat, imperatorem hoc beneficium non in sola Ladeslai persona collocasse, verum etiam ad successores ejus extendisse, uti diploma ejus gratia confectum expressis hisce inculcat verbis: *Noverit posteritas qualiter nos Wladislao Duci Bohemiæ ob insignia servitii & devotionis, tam ejus quam omnium Bohemorum merita, honoris insigne, quo avus & ceteri ejus progenitores Duces Bohemiæ beneficio imperialis excellentiæ, ceteris Ducibus præeminebant circulum videlicet gestandum* (vid. *Ducangium in Gloss. ad voc. aureum circulum*, qui circulum aureum Regibus absque corona tribui exemplis uberrimis ostendit) *concessimus, & per eum omnibus successoribus suis in perpetuum decernimus &c. Datum Ratisbonæ XV. Kal. Febr. indict. V. anno MCLVIII regni nostri anno VI, imperii III.* integrum diploma insertum est a *Pessina Episcopo Samandriensi & ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis Decano Marti Moravico Pragæ an. 1677. ab ipso edito.* Attamen Imperator Fridericus alienato postmodum a se Ladislao, & cum Papa Alexandro hoste imperatoris sese socianti, hanc dignitatem rursus ademit, & Sobislao in locum ejus reposito non nisi Ducis titulum concessit, quod probat *Schaten in Annal. Paderb. ad an. 1173. pag. 837. Conf. Æneas Sylv. in histor. Bohem. c. 25.* Origo atque initium perpetui Regii Tituli usus repetendum est a turbulentis Philippi Suevi & Ottonis Saxonis, qui de imperio invicem decertabant, ut & Friderici Imperatoris secundi temporibus. Philippus enim ut Premislaum Odakerum seu Ottocarum Bohemiæ Ducem eo firmius parti suæ adjungeret ac devinciret, eum ad Regiam dignitatem rursus evexit; *Arnoldi Lub. l. 6. c. 2. n. 2.* verba huc faciunt: *Bojobemo etiam major dignitas accessit, ut cum antea Ducatum teneret, Titulo Regio a Philippo sublimatus ibi & ipse procederet coronatus & gladii Regis bajulus. Conf Galdast. tom. 2.* der Reichs-Satz. *p. 14. Æneas Sylvius in histor. Bohem. c. 20.* Papæ Innocentio tertio, qui ab Ottonis parte stabat, hoc auditu fuit valde inacceptum graviterque displicuit. Quare epistolam hanc, quæ est in *Registro Epistolar. Innocentii III. a Steph. Baluzio evulgatarum 43.* Ottokaro misit, cujus excerpta hic damus: *Etsi commendabilis in eo videaris, quod ad honoris & dignitatis tuæ profectum & augmentum intendis, reprehensibilis tamen appares ex eo, quod ab eo imponi tibi petiisti regium diadema, qui nondum legitime dignitatem regiam est adeptus. - - Volentes tamen honori tuo solicitudine paterna consulere, nobilitatem tuam monemus & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus, ut Carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo & a nobis opportuno tempore dante Domino coronando fideliter & constanter, adhæreas, & ab ipso tibi imponi postules regium diadema - - ita nos procurabimus ex collata nobis plenitudine potestatis, ut quod factum fuit etiam posterorum tuorum temporibus obtineat firmitatem &c.* Hæc epistola stimulum subdidisse videtur Ottokaro, ut a Philippo deficiendi ansam postea quæsiverit, & Ottonis partes amplexus sit, de quo dissidio ejusque causa legi potest *Arnoldus Lubec. Chron. Slav. l. 6. c. 5.* Lucem hinc conjecturæ afferet Epistola ejusdem Papæ ad eundem Ottokarum exarata, quam ex *Raynaldi Annal. Ecclesiast.* tom.

tom. XIII. & Cherubini Bullario magn. Tom. 1. sub Innocent. III. pag. 1109. desumptam inseruit Literis publicis, Regnum Bohemiæ concernentibus, *Balbin in Miscellan. Histor. Regn. Bohem. Decad. 3. lib. VIII. Volum. 1. p. 6.* Epistola ipsa hæc est: *Licet ante tuæ promotionis tempora multi fuerint in Bohemia Regio diademate insigniti, nunquam tamen potuerunt a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus obtinere, ut Reges eorum in suis literis nominarint. Nos quoque tum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, tum considerantes solicite, quod a nobili Viro, Duce Sueviæ Philippo, te feceras coronari, qui cum coronatus legitime non fuisset, nec te nec alium poterat legitime coronare, Regem te hactenus non duximus nominandum.* Verum cum ad commotionem Apostolicæ & nostrum relicto Duce Sueviæ ad clarissimum in Christo Filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum te converteris, *usus consilio saniori, & ipse habet te pro Rege* tam intuitu precum ejus, quam tuæ devotionis obtentu, Regem te de cetero reputare volumus & vocare &c. *Datum Later. decima tertia Kalendas Maji anno septimo:* Idem Ottocarus suffragio suo, quod pro Friderico secundo in Imperatorem eligendo tulerat, promeruit, ut hic expresso rursus diplomate ipsi dignitatem Regalem, qua a Philippo donatus fuerat, successoribusque ejus non solum confirmaret, verum etiam majora adhuc ulterioraque privilegia conferret: retento tamen sibi jure directi dominii. Ex diplomate, quod in *Goldasto de Regn. Bohem. in Append. Docum. f. 21. & in Deduct. Statuum Bohem. contra Ferdinand. 2. p. 30. seqq. item in Balbino cit. loc. p. 7. legi potest*, sequentia tantum libuit addere verba: *eo, quod Illustris Rex eorum Ottocarus a primo inter alios principes præ ceteris in Imperatorem nos eligit, & nostræ electionis perseverantiæ diligenter & utiliter adstiterit, sicut dilectus patruus noster piæ memoriæ Rex Philippus, omnium principum habito consilio, per suum privilegium instituit, ipsum Regem instituimus & confirmamus, & tam sanctam & dignam constitutionem approbamus, Regnumque Bohemiæ liberaliter, & absque omni pecuniæ exactione, & consueta Curiæ nostræ justitia sibi suisque successoribus in perpetuum concedimus. Volentes, ut quicunque ab iis in Regem electus fuerit, ad nos vel successores nostros accedat Regalia de debito more recepturus &c.* Atque hæc est epocha, a qua usque ad nostra tempora quin regium titulum usurpaverint olim Duces Bohemiæ, Ducatusque Bohemiæ regni formam præ se tulerit, adducta testimonia neminem dubitare sinere sentio. Aberrarunt itaque a janua aberrantque omnes, qui ejus initium alio tempore cœpisse opinionem fovere atque fovent. E quorum numero sunt: *Excellent. Coccej. de jur. publ. c. III. Sect. IV. §. 64.* & *Celeberr. Pagi in Crit. ad Baron. ad an. 1086. n. XI. circa finem. Limneus in jure Publ. 2. 9. n. 19. seqq.* qui putavit causam fuisse, quod mortuo Uratislao, qui ab Henrico IV. regio titulo affectus & donatus fuerat, successores ejus regis titulum non adhibuerint, non hanc, quod soli Uratislai personæ hæc dignitas concessa erat, sed civilitatem eorum, qua ducti ab usu ejus abstinuerint.

(n) Conradus, quem forte non fugiebat, quam diuturnum & negotiosum olim Avo suo Henrico IV. cum Saxonibus fuerit gerendum bellum, timebat, ne eos magis irritando ad simile propositum atque ferociam adduceret ac lacesseret. Sentiebat enim Rex, Saxonum populum eum esse, a quo plus pacis tempore & indulgenter eos habendo quam armis obtineri possit. Uti innuit *Otto Fr. in Chron. l. 7. c. 24. Saxones exhinc Regi rebellantes plus mansuetudine illius quam armis inclinantur.* Quamobrem Rex non animo bellum Saxonibus inferendi sed pacem cum iis pangendi, non ut hostis sed ut προξενήτις Saxoniam ingressus est, conciliata enim inter se & Saxones pace, pariter inter Henricum Austrium fratrem suum ut & Henrici defuncti Saxoniæ Ducis viduam Gertrudem conciliavit matrimonium, eique Noricum Ducatum concessit, *quem consilio matris Ducis Henrici filius* (scilicet Henricus junior seu Leo) *jam abdicaverat*, quæ sunt verba *Ott. Fr. in Chron. l. 7. c. 26.* legantur & *Helmold. in Chr. Slav. l. 1. c. 56. n. 11. & Dodechin. in Append. ad Mar. Scot. an. 1142.*

(o) Velpho enim frater Henrici defuncti erat, & ideo potius ei jus fuit in Bavariam, quam Henrico Leopoldi fratri. Posito enim, Henricum Magnani-

mum

mum dignum fuisse, cui Rex Noricum Ducatum adimeret, mortuo Leopoldo Velphonis jus utpote antiquius & diutius quæsitum prævalere omnino debuisset juri Henrici, si quod ei competere potuisset. Nec Henricus senior peccando, si ita est, nec Henricus junior renunciando juri suo, nequidem sibi ob judicii infirmitatem, multo minus Velphonis jus ulla ratione imminuere aut extinguere valuerunt. *Ottonis Frif.* verba ipsa hic libet afferre, quæ habentur in *Chron. ejus l. 7. c. 26. Guelpho enim Princeps præfatum Ducatum* (Noricum scilicet) *se jure hæreditario contigisse calumnians* (quo verbo semper utitur Otto, quoties Velphos Conrado obstitisse refert) *armata manu in præsentia Ducis Bavariam ingreditur, parteque provinciæ vastata regreditur - - Cui dum Guelpho cum copiis occurrere parat, audito quod Rex superventurus esset, cessit.*

§. VIII.

Hoc tempore contigit, quod omnes ferme Reges atque Principes, qui Christianam sectabantur religionem, unius viri suasu ac suadela sese induci passi sint ad suscipiendam conjunctis viribus in *terram sanctam* (p) expeditionem. Bernhardus ille fuit Clarevallensis *Abbas.* (q) Hic *Rege Galliarum* (r) Proceribusque ejus ad assensum permotis, nulli defuit occasioni, quæ ei in adducendo pariter Orientalis Franciæ Moderatorem Principesque ad idem propositum adjumento esse posset. Quamobrem noscens Spiræ Regem ac Proceres Germaniæ ad comitia ibidem celebranda convenisse, sese & confestim eo *contulit* (s) ac impertito ipsi ad Regem aditu, ejus & qui aderant singulorum animos præter opinionem incredibili, qua polluit suadendi vi, ita vicit, ut haud ullus ex omnibus fuerit, qui non ultro sese sacræ expeditioni obtulerit. Quin præterea illa, quam summus Pontifex ei largitus erat, e suggestu homines ad sacram illam expeditionem & militiam excitandi facultate, tam prospero usus est cum successu, ut brevi temporis intervallo in *infinitam* (t) excrescerent multitudinem, qui ardore sermonis ejus inflammati in hujus expeditionis societatem venirent. Conradus sequenti anno, habitis primum sub ejus initium in Bavaria comitiis, in quibus & Dux istius Provinciæ, & qui sunt in ea Episcopi fere omnes, nec non *Saxones* (u) sacræ militiæ nomina sua dederant, crucisque signum susceperant, Comitia Francofurti ad Mœnum agenda Episcopis Principibusque indixit. A quibus, cum Proceres admodum ibi frequentes adesse cognosceret, & Bernhardus *abesse nequivit* (v) qui principes stimulando ad cœptum semel pium propositum in effectum deducendum, variaque miracula edendo, classicum belli sacri indefessim cecinit. Cum autem ita convenisset inter Regem atque Proceres de omnibus, quæ sacro huic bello instituendo maxime opus esse videbantur, & cogitatum esset de eo, cui Conrado Rege absente vices ejus in moderandis interim patriæ gubernaculis legarent. Poscebatur autem communicatis invicem consiliis collatisque suffragiis communi ore *Henricus Filius* (w) Regis. Quem pater etiam regni socium declaravit, eumque Aquisgrani sacris adhibitis ceremoniis inaugurandum curavit. His comitiis, qui pariter interfuerat, Henricus Leo Dux Saxoniæ alta semper versans mente injuriam, quam per ablationem Ducatus Bavariæ passus sibi videbatur, in publicum de ea *conqueri* (x) haud erubuit, repetens Ducatum a Rege tanquam hæreditario jure sibi competentem, sibique nulla pœna digno ob nullum, & si pater alicujus insimuletur, ob alienum delictum injuria ablatum. Rex attonitus hac citra omnium opinionem a juvene, ætate ac viribus florentissimo, facta sibi allocutione, animum cum collegisset, dissimulans indignationem serena fronte, lenibusque ei respondit verbis: Velle se finita, cui proxime accingendus sit, sacra expeditione, petitis ejus clementer annuere.

(p) Hierosolymitani imperii fasces eo tempore tenuit Balduinus Rex, ejus nominis tertius, qui patrem Fulconem non diu mortuum in Regno exceperat, quamvis nondum ipse ob ætatis immaturitatem, sed mater ejus Melesinde decus feminarum sui temporis eas gereret, ac majori quam qua feminæ alias pollere censentur prudentia administraret. Admodum tamen inclinatæ erant res Christianorum eodem temporis momento, inque haud modicum adductæ periculum. Edissa enim urbs munitissima & Medorum metropolis sese fidei eorum committere adacta fuerat, qui fidei Christianæ, quam incolæ profitebantur, hostes erant infensissimi. Dissidium, quod inter Antiochenum Principem ejusque Comitem, cujus curæ urbs commissa erat, agitabatur intempestivum perniciosissimumque, ansam præbebat Saguino viro sceleratissimo & Turcarum, qui versus Orientem incolebant, potentissimo adoriundi urbem, eamque Christianis suis invicem jurgiis impeditis eripiendi. Recuperabatur quidem urbs deinceps solertia ejusdem comitis, cujus negligentia antea perdita erat, & sub infidelium potestatem ceciderat: Ast Noradini, qui Saguino successerat, auspiciis jugo turcico rursus vindicata fuit una cum magna Christianorum clade; Faciente enim aliquando Comite excursionem cum militibus suis præsidiariis in hostium obsidentium castra, hi a tergo reditu eos in urbem intercludebant, ita ut omnes, qui haud fuga servati sunt, misere prosternerentur. Rem ita sed amplius recensuit *Willerm. Tyrens. lib. 16. c. 4. 14. 15. 16.* ex cujus *capite 18. lib. cit.* verba, quibus miserum, in quem redacta tunc erat Palestina, statum depingit, hic apponere volo: *Capta igitur urbe Edessena rumor letalis memoriæ plenus personuit, quod impia gens Turcarum non solum urbem prædictam, sed omnem omnino Orientis tractum licentia liberiore percurrens nostrorum urbes, villas, municipia depopularentur. Conf. Dodecb. ad an. 1145. Robert. de Monte ad eundem. Otto. Fr. in Chron. l. 7. c. 30.* Qui insignem hanc jacturam, quam Christiani amittendo Edissam fecere, causam dedisse expeditioni sacræ, quam tot Reges & Principes postea instituere, claris hisce annotavit verbis: *Ob hoc mota est expeditio maxima contra paganos, & Regem Persarum a Conrado Rege Romanorum & Ludovico Rege Francorum, cum summis & pluribus utriusque regni principibus & innumerabili multitudine populi, qui absque omni effectu reversi sunt:* Legitur etiam meretur epistola Papæ Eugenii ad Regem Galliæ data, quæ habetur *in Otton, Fris. de Gest. Fr. l. l. 1. c. 35.*

(q) Papa accepto tam improsperi Christianorum status in Palestina nuncio, statim omnes figit cogitationes in excogitandis remediis, quæ medendæ rei Christianorum tam affiictæ inservire possint. Nullum autem ipsi ad id efficiendum visum est accommodatius, quam si Reges atque Principes Occidentis ad opem iis ferendam excitare posset. Qua de causa Bernhardum Abbatem Clarevallensem, quem non tantum arte persuadendi multum valere noscebat, verum etiam cujus verba ob insignis pietatis famam, qua apud omnes ferme Christianas gentes percelebris erat, magnum habitura pondus, mens ipsi facili negotio præsagire poterat, inter ceteros huic præfecit negotio. *Willer. Tyrens. lib. 16. c. 18.* id calamo suo consignavit: *Eugenius Papa tertius viros religiosos potentes in opere & sermone ad diversas Occidentis partes dirigit, qui populis Orientalium fratrum denuncient pressuras intolerabiles, & ad tantas ultum iri fraterni sanguinis injurias eos debeant animare. Inter quos vir immortalis memoriæ & honestæ conversationis speculum Dominus Bernhardus Clarevallensis Abbas præcipuus eligitur. Conf. Otto. Fr. de Gest. Frid. l. l. 1. c. 34. Robert. de Monte ad an. 1146.*

(r) Inficias equidem ire non licet, Regem Franciæ Ludovicum, utpote qui magnum sentiebat dolorem ex tam adversa Christianorum in Oriente fortuna, haud prius in animum sibi induxisse auxilio iis venire, quam a Bernhardo aditum. Uti manifeste innuit *Otto. Fris. l. 1. de Gest. Fr. 1. c. 34.* Attamen forsan non tam facile a Principibus suis ac Proceribus, quos ejus rei gratia convocaverat, assensum impetrasset, nisi Bernhardi oratione & ope adjutus. In *Gestis Ludovici Regis a P. Pithæo publicatis inter historiæ Francor. scriptores p. 138*, hujus rei offendere licet testimonium: *Rex etiam ut audivit inimicos*

micos crucis in tantam præsumptionem prorupisse, ut plenus fide & vere catholicus corde pio compatiens tantam injuriam proposuit vindicare, & ut ostenderet per effectum, quod mente conceperat eodem anno in castro Vecelaici magnum parlamentum congregavit. Ibi Archi-Episcopi & Episcopi & Abbates & magna pars Baronum Franciæ convenerunt. Nec defuit ibi sanctus Bernhardus Clarivallis Abbas de assumptione crucis prædicans. Cujus os in prædicando, opitulante sanctitate non laboravit in vacuum. Nam Rex primum prosiliens cum magno devotionis ardore signum sanctæ crucis assumpsit, & post ipsum Regina Alienordis uxor sua. Tunc videntes Prælati & Barones Regem & Reginam signum crucis assumpsisse, cum magno devotionis affectu signum crucis unanimiter assumpserunt &c. Quorum seriem ac nomina *alleg. loc.* videre licet. Cui adstipulantur *Otto Frif. l. 1. de Gest. Fr. 1. c. 36. Robert. de Monte ad an. 1146. Otto de S. Blasio in Append. c. 1.*

(*s*) *Ottoni Frising.* hujus testimonium debemus in *lib. 1. de Gest. Frid. c. 39. Igitur innumerabilibus in Occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernhardus prædicationis nomine movendum Orientale Francorum regnum aggredi disponit. Audiens hoc Princeps generalem curiam in nativitate Domini apud Spiram celebrandam indixit. Quo veniens prædictus Abbas Principi cum Friderico fratris sui filio aliisque principibus & viris illustribus crucem accipere persuasit, plurima in occulto vel publico faciendo miracula.* Observatu dignum est, hoc tempore Germaniam nostram Franciæ Orientalis regni nomine insignire adhuc usitatum valde ac familiare esse scriptoribus, cujus exemplum post Friderici Conradi in regno successoris ætatem raro, fere dixerim nunquam forte legetur. Nec intactum hic relinquere possumus ultimum fratris Conradi Regis Friderici diem, quem hoc tempore obiit, teste *Ottone Fr. alleg. loc.* magnopere irati in Patrem, quod filium suum Fridericum, in quo omnis ejus spes & gaudium positum erat, a sacra militia non arcuerat.

(*t*) Dignus est, qui hic recitetur locus *Otton. Fr. de Gest. Frid. l. 1. c. 40.* quod exinde disci & intelligi potest, ex cujus farinæ hominibus aliqua ex parte magna illa hominum colluvies fuerit composita. *Tanta etiam (mirum dictu) prædonum & latronum advolabat multitudo, ut nullus sani capitis hanc tam subitam, quam insolitam mutationem, ex dextra excelsi provenire non cognosceret, cognoscendo attonita mente non obstupesceret:* Id unicum forsan extitit commodum, quod Germania ex expeditionibus sacris percepit, quod a scelerosis & malevolis purgata & defæcata fuerit hominibus.

(*u*) Verum hi arma in Palestinam ferre renuebant, se ea Slavis, qui itidem ignari fidei Christianæ ac ejus dogmatum non raro limites eorum infestarent, illaturos esse pollicebantur. *Ottonis Frif. verba in lib. 1. de Gest. Frid. 1. c. 40. in fin.* adscribi merentur, quod eam, quæ inter crucem, quam Saxones in signum sacræ militiæ acceperе, & crucem, qua versus Orientem tendentes insigniti sunt, intercessit, produnt differentiam. *Saxones vero, qui quasdam gentes spurcitiis idolorum deditas vicinas habent ad Orientem proficisci abnuentes, cruces itidem easdem gentes bello attentaturi assumpserunt: a nostris in hoc distantes, quod non simpliciter vestibus assutæ, sed a rota subterposita, in altum protendebantur.*

(*v*) *Vid. Helmold. in Chron. Slav. lib. I. c. 49. Robert. de monte ad an. 1147.* quorum ille miracula, quibus Bernhardus præsentium oculos summæ pietatis opinione præstrinxit, prolixe descripsit.

(*w*) Otto *Frif. l. 1. de Gest. F. c. 43. At Conradus Romanorum Rex Principes convocans in Oppido Orientalis Franciæ Francofurt. generalem curiam celebrat, ibique filio suo Henrico adhuc puero per electionem principum Rege constituto, in Palatio Aquis eum Domenica medianæ Quadragesimæ Regem inungi ac coronari jubens regni participem elegit.* Quo anno natus fuerit hic Henricus, de eo mihi non constat, quin vero & uxore Conradi Gertrudis nomine in lucem editus fuerit, dubium non est, duas enim Conrado fuisse uxores nullibi legimus, imo ne hujus quidem conjugis nomen scriptores illius temporis me penes legisse recordor: Apparet autem id ex binis diplomatibus Conradi

quæ debemus *Wilhelm. Hede in historia ultrajecti. pag. 163. & 166.* in quibus Conjugem suam bis ita nominat, & *Dilectam conjugem nostram Gertrudim Reginam &c. - - - interventu etiam Dilectæ conjugis nostræ Gertrudis Reginæ &c.* Fuisse hanc Gertrudim filiam Berengarii Comitis Sulzbachensis, sororemque Conjugis Emanuelis Imperatoris Constantin. tradit *Willer. Tyrens. in hist. de bello sacro l. 16. c. 23. sub fine: Nam eorum* (scilicet Emanuelis & Conradi) *uxores sorores erant, filiæ Berengarii senioris Comitis de Sulcepach, magni & egregii principis, & in regno Theutonicorum potentissimi;* mortem hujus comitis commemorat *Otto de S. Blasio c. 20.*

(x) *Otto Fr. l. 1. de Gest. Frid. c. 43. in fin. Ad prædictam curiam Henricus Noricorum Ducis filius, qui jam adoleverat, venit Ducatum Noricum, quem patri suo non juste abjudicatum asserebat, jure hereditario reposcens. Quem princeps multa prudentia & ingenio inductum usque ad reditum suum suspendens, quiete expectare jussit:* Verum aliud Conrado resedisse propositum in mente retentum, eventus edocuit. Quare *Helmold. in c. 72.* scripsit, vivente Conrado Henricum Bavariam recuperare non valuisse. *Conf. Adelzreut. in Annal. Bojor. p. 1, l. 21. n. 12.*

§. IX.

Ordinatis omnibus, ac optime instructo ex infinita hominum multitudine composito exercitu, soluta hyeme sacræ expeditioni *initium* (y) datum est. Et quamvis de *tanto* (z) & tam forti exercitu nil nisi maxima imo totius, qua late patet Orientis subjugationem sperare, ominarique liceret, fortunaque pariter primis hujus expeditionis *initiis* (a), admodum favere videretur. Attamen paulo post adeo sævire cœpit in universum exercitum iniqua & adversa fortuna, ut integro exercitu aqua, fame, siti ac insidiis ferme in ipso adhuc itinere extincto & *consumpto* (b) vix decima tam numerosi agminis pars Palestinam & quidem ægre attigerit. Ita ut re penitus infecta Conradus Rex sequenti anno multa discrimina perpessus infelix in Germaniam *rediret* (c) omnibusque patefieret fraus pia D. Bernhardi, quam Regibus ac Principibus imposuerat, *persuadendo iis* (d) cœlitus sibi indicatum, tempus venisse illumque eluxisse diem, quo recuperandæ palestinæ opera navanda sit, nunc vero re amissa ac improspere gesta improsperi hujus expeditionis eventus causam ad ignota Dei judicia, quæ percontari homini nefas sit, eorumque, qui expeditionem susceperint, peccata referre nullus non erubescebat.

(y) Norimberga, quæ tristem casum, quem ab Henrico V. passa fuerat (*vid. Otto Fr. l. 1. Chr. c. 8.* qui vero desolationem reticet) huc usque in ruderibus suis deplorabat, nunquam forsan caput rursus extulisset, nisi Conradum nostrum nacta fuisset restauratorem, qui Norimbergam *tamquam jure hereditario possedisse* ab *Otton. Fr. l. 1. c. 16.* dicitur. Hic enim captus loci amœnitate in deliciis habebat ibi degere. Hinc urbem ab interitu revocare & pristino splendori restituere studuit, quod institutio Abbatiæ S. Ægidii, quam suasu D. Bernhardi condidisse dicitur, & reliquæ accessiones, quibus ejus auspiciis urbs aucta fuit, clarissime demonstrant, de quibus lege *Wagenseil. de Civit. Norimb. in cap. 4. p. 22. & c. 10. p. 74. seqq.* Ibi pariter hyemem exegerat Conradus, Norimberga enim Regem se commovisse ad sacrum aggrediendum iter & Ratisbonam profectum esse legimus in *Otto, Fr. l. 1. de Gest. Frid. c. 44.* ubi trajecto Danubio cum exercitu in Austriam descendit. *Willer. Tyrens. histor. lib. 16. c. 19.*

(z) *Otto. Fr. cit. loc. & cap.* scribit: *tantam fuisse multitudinem, ut & flumina ad navigandum agrorumque latitudo ad ambulandum vix sufficere videretur. Helmold. in Chron. Slav. l. 1. c. 49. Non est recognitum* incipit *vicinis temporibus, nec auditum a diebus seculi tantum convenisse exercitum, exercitum grandem nimis. Willer. Tyrens.* cataphractorum septuaginta millia, peditum vero infinitam

tam fuisse refert multitudinem *lib. 16. cap. 19. n. 20. Robert. de Monte ad an. 1147. Conradus Rex mense Majo multitudine innumerabili & virtute incomparabili peregrinationem agressus est.*

(a) Universus etenim exercitus, cui congregando Rex *juxta Burgum in Orientali Marchia, qui Ardacher vocatur*, ut verbis utar *Otton. Fris. l. 1. de Gest. Frid. c. 44.* trium dierum spatium immoratus fuerat, facto per Austriam, Hungariam & Thraciam feliciter transitu, omnibusque impedimentis & discriminibus, quæ in tam longo itinere non raro occurrere solent, feliciter superatis, ad Regiam urbem (Constantinopolim scil.) uti *idem loc. cit. c. 45.* comminiscitur, proxime accesserat. *Willer. Tyrens. cit. lib. & cap. n. 50.*

(b) Cum Græciæ fines ingressus esset exercitus, nec multum a Constantinopoli sede Regia abesset, legati missi sunt ad Regem Græciæ, qui tam liberum transitum quam commeatum ceteraque, quibus exercitus carere non potest, emendi in terris ejus ab eo expeterent libertatem. Regem, qui audierat, tot armatos homines pedes suis intulisse finibus, timor incesserat, ne hostilem forsan afferrent animum, suaque agatur res. Quamobrem fluctuabat ab initio animo, quomodo sibi optima ratione consuleret. Cum autem ipsi internunciaretur, ut amicos eos venisse, pacisque restaurandæ gratia e patriæ limitibus excessisse, subito precibus legatorum annuit, non tantum securum exercitui transitum indulgendo, verum etiam subditos suos jubendo, ut ubivis locorum, ubi castra fixuri essent, cibaria &c. venum exponerent ac offerrent. *Helmold. Chron. Slav. l. 1. c. 60.* Hucusque felicibus semper ac secundis avibus exercitus iter prosequebatur, cumque oppido Cherevach appropinquasset, ab omnibus amœnitate viridis prati ac planitiei, quæ memoratum oppidum ambibat, illectis castra ibi explicare, nec non dies quosdam stativos sumere decernebatur, tam ad vires amissas & languefactas repetendas & recreandas, quam Festi S. Beatæ Virginis celebrandi gratia. Verum non diu durabat gaudium, quod exercitus ex loci amœnitate percipiebat, siquidem in subitaneum ejulatum & tristitiam convertebatur. Vento enim & horrido, effusissimoque, qui ingruebat, imbre amnis vicinus adeo intumescebat, ut littora transcendens campum, in quo castra statuta erant, inundaret & magnam exercitus partem abreptam suffocaret. *Otto Frising.* qui ipse tragicam hanc mortem oculis suis usurpavit, eam prolixe descripsit *in l. 1. de Gest. Frid. c. 45.* li, qui hac vice mortem effugerant, progredientes alii obviam ivere morti, mortemque morte tantum mutarunt: Trajecto enim mari cum navibus, quarum copiam ipsis fecerat Rex Græciæ, alii perfidia legatorum Regis Græciæ, qui eos in viam, qua in Persiam eatur, ducere debebant, in devia & deserta loca quasi ad lanienam abducti, & ab infidelibus ex inopinato invasi misere trucidabantur. *Willer Tyrens. l. 16. c. 20. seqq.* Alii quorum dux erat Rex Franciæ Ludovicus, collatis cum Saracenis signis aperto vincebantur marte. *Willer. Tyrens. l. 16. cap. 25.* Alii in primis Germani, qui labores quidem sed inædiam tolerare nequeunt, fame ac siti confecti languidum exhalarunt spiritum. *Helmold. Chron. Slav. alleg. cap. Chron. Mont. Seren. ad an. 1147. Robert. de Monte an. 1148.* Vid. etiam *Nicetas de Manuele Comneno lib. 5.* qui inter insidias Græcorum, quas vitis Germanorum struxerant, etiam illas tam infames fuisse, ut farinæ, quam iis vendidere, calcem vel gypsum contusum miscuerint, autor est.

(c) Annus, quo rediit Conradus, fuit millesimus centesimus quadragesimus nonus, quod tot quasi testimoniis probatur, quot scriptorum reditum ejus attigere; ut *Chron. Mont. Ser. ad an. 1149. Dodechin. ad an. 1149. Robert. de Monte ad eundem Wil. Tyrens. l. 17. histor. sacræ cap. 8.* subjungere placet locum *Gaufredi Prioris Vosiensis in Chron. apud Labbeum Tom. II. Biblioth:* quem repetiit *Anton. Pagi in Critic. ad Baron. ad an. 1149. n. 1. Exercitus ille nihil omnino profecit, quia indisciplinate habuerunt, quapropter multi defecerunt, innumerabiles perierunt propter iniquitatem suam, thesauros Ecclesiarum falsa promittentes vadimonia ante iter auferebant, & infirmam plebem diris exactionibus affige-*

affligebant; pompatice secuti sunt & superbi humilem Christum, & erraverunt frustra a justo humillimo. Hi omnes vix quandam cepere civitatem cum foret numerus innumerus. Conf. Otto. F. l. 1. de Gest. Frider. c. 59. Papa Eugenius certior factus de Regis ex expeditione sacra in Germaniam reditu, epistolam ipsi misit consolatoriam, dehortans eum, ne nimium det mœrori atque tristitiæ ob tam infaustum expeditionis exitum. Habetur autem hæc epistola *in Otton. Fr. l. 1. de G. F. c. 61.*

(d) *Helmold. in Chron. Slav. l. 1. c. 59. Cœpit sanctus ille, nescio quibus oraculis edoctus, adhortari principes ceterasque fidelium plebes, ut proficiscerentur Hierusalem ad comprimendas & Christianis legibus subjugandas barbaras Orientis nationes, dicens appropinquare tempora, quo plenitudo gentium introire debeat & sic omnis populus salvus fiat.* De quo si ita certus fuisset sanctus Vir, nec res nisi optime evenire potuisset, nec ipse ob infaustum, quem habuit exitum, opus habuisset, consilium suum ac incitamentum scripta Apologia defendere, ac a fraudis suspicione & mendacii vindicare, quæ præfixa est *secundo* ejus de *Consideratione libro,* uti docet *Pagi ad an. 1152. n. 2.* Meminit & ejusdem *Otto F. de G. F. cap. 60. in fin.*

§. X.

Alter exercitus, qui navalis erat, & ad debellandos, qui Christianos in Hispania haud parum affligebant, Mauros missus erat, fine suo felicius potitus est. *Ulisiponem* (e) enim terra marique obsidione clausam ex voto expugnarunt, internecioni datis omnibus, quos transcensione facta intra urbis mœnia offenderant. Qua re feliciter gesta, iter quidem Palæstinam versus continuare debuisset exercitus, ast certior factus, tam improspere cessisse Germanorum Gallorumque eo tendentium expeditionem, destitit a proposito, consultius fore putans, deterreri illorum vestigiis, quam prosequendo eo itinere, simili sese exponere infortunio. Saxones, qui Slavis bellum inferendo sacra defungi decreverant expeditione, ob *Nicoloti* (f) Slavorum Principis tyrannidem, quam in Christianos vicinos miserandum in modum exercebat, duos pariter paraverant exercitus, quorum alteri Episcopus Magdeburgensis præerat, alteri autem moderabatur ac imperabat Henricus Leo Saxoniæ Dux. Hi in *animum* (g) sibi induxerant, populum Slavicum aut penitus exscindendi, aut eam duris forte legibus ad Christianam fidem recipiendam adigendi, quas Carolus Saxonum debellator iis olim imposuerat. Nec dubium est, quin eventus animo respondisset, si principes intempestive inter se discordes, ipsimet haud eum *impedivissent* (h) Inprimis cum eo jam Slavi redacti essent, ut baptismum reciperent & Christianos in terris suis tolerare spondrent.

(e) Classis navalis quæ in Germania adornata, & teste *Helmold. in Chron. Slav. c. 61. in Hispaniam destinata erat,* cum navigando Oceanum Angliam pervenisset, ibi Anglorum navibus aucta, vela versus Hispaniam torsit, & ad Portugallensem nobilissimam Galleciæ urbem feliciter applicuit. Alphonsus primus simul ac percepit Christianorum naves ad Galleciæ littora appulsas esse, ex adventu eorum mirificam hauriens lætitiam, opem ab iis sibi Mauris bellum illaturo ferendam expetiit, siquidem eo animo illos advenisse compertum haberet. Hi petito ejus quam libentissime calculum addidere, consiliumque initum fuit, ab utraque parte Ulisbonam, quam Mauri insidebant, conjunctis viribus obsidendi. Id ita memoriæ prodidit *Helmoldus,* qui Lubecensis erat, hocque tempore vivebat, cujus & sequentia sunt verba *in Chron. Slav. c. 61. Cujus* (scilicet Alphonsi) *petitioni faventes abierunt Lisebonam cum magna navium copia. Rex quoque terrestri accedens itinere validum adduxit exercitum, & obsessa est civitas terra marique. Multum ergo temporis effluxit in obsidione civitatis; Ad ultimum capta civitas pulsique Barbari.* Addantur *Chron. Mont. Seren. ad an. 1147. in fine. Dodechinus in Append. ad Mar.*

Mar. Scot. ad an. 1147, qui ipse expeditioni interfuit, *Robert. de Monte ad eundem:* Hi eo tempore vixere, nec non Ulisipponensis urbis obsidionem Saracenorumque ex ea expulsionem egregie descripserunt. Ex ceteris scriptoribus consuli possunt *Hovedenus part. 1. p. 489. Mariana lib. X. c. 19. Duard. Nonius de Reg. Portug. p. 1253.* Qui autem de urbis *Lacebone*, sicuti eam appellavit *Helmoldus, Ulisbone*, quo nomine eam indigitat *Dodechin*, vel *Ulisipponis*, uti *Robert. de monte* eam vocat, situ ac denominatione plura legere cupit, adire potest *Damianum a Goes in Olisipponis descriptione* & *Ludovicum Nonium de Hispania c. 35.* Qui ossendi possunt in *tom. 2. Hispaniæ Illustratæ.*

(*f*) Huic cum significaretur, decretam esse expeditionem, sibique bellum a tot hostibus imminere, legatos ad Adolphum Comitem Holsatiæ ablegavit ad eum admonendum, ne fœderi cum eo inito adjungendo se iis, qui ei bellum minitarentur, vim faciat, petendumque, ut ei secum colloquii copiam faceret. Repulsa his data alii missi sunt legati ad eum redarguendum ruptæ amicitiæ legis. Verum Comes necessitati, qua ad id faciendum urgeatur, id remittendum esse respondit, fieri enim sine gravi Principum Christianorum offensa non posse, ut cum eo hoste illorum colloquii causa congrederetur. Ex quibus non poterat non Nicolotus satis colligere, bellum quod sibi imminere cernebat, nulla ratione averti posse. Quamobrem ratus satius esse id ultro agere, ad quod se ineluctabili necessitate addactum iri prævidebat, & nonsolum muniendo castrum Dubin præmunire sese cœpit, verum etiam Vagriam armis ingressus est, ipsamque Lubecam ab incolis male custoditam intercepit. Hæc inopinata Slavorum invasio effecit, ut Christiani tanto magis copias contrahere, terrasque Slavicas adoriri festinarent. *Helmold. in Chr. Slav. c. 62. & 63.*

(*g*) *Chron. Mont. Ser. ad an. 1147. Eodem anno magna multitudo signatorum contra paganos Aquilonem versus habitantes profecta est, ut eos aut Christianæ religioni subderent, aut omnino delerent.*

(*h*) Principes enim, qui magis commodi rationem habuere, terminosque suos proferre studuerunt, quam Christianam propagare religionem, quo majori fervore bello initium dabant, eo citius sese illius intuitu inde abstrahi passi sunt. Quisque enim timebat, ne alter majus se commodum exinde perciperet, neque sibi plus damni, quam commodi conciliaret. Sicuti id *Helmoldus* clare indicat in *Chron. Slav. c. 65. Dixerunt autem satellites Ducis nostri & Alberti Marchionis ad invicem: Nonne terra, quam devastamus nostra est? Et populus, quem expugnamus, populus noster est? Quare ergo invenimur hostes nostrimet ipsi & dissipatores vectigalium nostrorum. Cœperunt ergo ea die facere in exercitu tergiversationes, & obsidionem multiplicatis induciis alleviare. Conf. cap. 68. Ejusdem Ottonis Frisf.* locus etiam subjungi meretur, qui est in *l. 1. de G. Fr. c. 44. Qualiter etiam Saxones vicinas, ut dixi, gentes aggressi. Principibus inter se discordantibus ad propria remeaverint, a memoria eorum, qui adhuc supersunt, non est alienum.*

(*i*) Testimonium *Helmoldi in Chron. Slav. c. 65.* unum ex omnibus nobis sufficiat, *Ad ultimum nostris jam pertæsis conventio talis facta est, ut Slavi fidem Christianam reciperent & laxarent Danos, quos in potestate haberent.* Verum, quamvis multi Slavorum sese baptismo fidei Christianæ initiari paterentur, in ea tamen haud diu constitere, sed metu & necessitate cessante ad idololatriam paganorumque castra rursus perverse delapsi sunt, de quo *idem loc. cit.* conqueritur.

§. XI.

Conradus ex infelici expeditione redux factus, Ratisbonæ indixit *comitia* (*k*) ubi ab advenientibus Principibus Proceribusque consolationibus potius ob tam infaustum pii conatus eventum quam gratulationibus excipiebatur. Verum

rum enim vero, quamvis mœror Conradi tantus sane esset, quantus ex re tam male & improspere gesta capi potest maximus, animus tamen eo levari citius potuisset, nisi hunc gravior excepisset dolor, quem ipsi immatura & insperata Henrici magnæ spei filii *mors* (*l*) qui jam tum in successorem ejus electus erat, infixit acerbissimum. Attamen hic luctus publicus non prævaluit curæ, quam pro Regni salute ac incolumitate saucius etsi ejus animus perquam solicite agebat, omnes enim ferme pro more Cæsarum Germaniæ peragravit provincias, ut ipse jus dicendo ac auctoritate sua lites, quæ inter *Episcopos* (*m*) atque Principes horumque *subditos* (*n*) vertebantur, eo felicius citiusque dirimeret & sopiret. Intermedio tempore Henricus Saxoniæ Dux, qui paulo antea *matrimonium* (*o*) cum Clementia Conradi Zeringensis Ducis filia iniverat, cernens se spe sua defraudatum esse, fore, ut a Rege reverso juxta promissum ejus in Ducatum Bavariæ restituatur, vi id consequi annisus est, quod precibus non obtinere posse sibi videbatur, Qua de causa, relicta conjuge in Saxonia, quæ vice ejus in gubernanda Saxonia fungeretur, in Sueviam Bavariam armis ab Henrico repetiturus *abiit*. (*p*) Hic Regis imploravit auxilium, idque ut ab Henrici hoste infensissimo facili negotio obtinuit. Videns etenim Rex animum, quem Leo præ se ferebat, non esse alium præterquam eripiendi Henrico Bavariam; ne potentiam suam rursus augeret, petito Alberti Marchionis, qui cum ad Henricum interim in Saxoniæ Ducatu evertendum excitaverat, benignas aures *præbuit* (*q*) armaque cum eo ocyus conjungere pollicitus est. Hoc ita constituto, contractis a Rege Goslariæ copiis, conjunctis viribus Brunsuigum Præsidium Henrici omnium munitissimum aggressi sunt. Henricus, statim ac ei hæc nunciabantur, depositis vestibus suis, plebejo rudique habitu indutus, cum tribus tantum aut quatuor fidis comitibus itineri se dedit, eoque quinque dierum intervallo a Bavaria in Saxoniam feliciter confecto, noctis beneficio adjutus inscíis hostibus Brunsuigo successit. Qui ejus adventus omnibus civibus reddidit animum, eosque in civitatem omni nisu fortiter defendendo confirmavit. Ita ut Conradus certior factus de Leonis occulto in Brunsuigum ingressu, subito ejus expugnationem desperare cœperit, obsidionemque ipsam ultro solverit, militibusque Goslariam, unde deduxerat, reductis atque in hyberniis collocatis, penitus de instituto in Saxoniam bello destiterit.

(*k*) Totum tempus, quod hac expeditione consumptum erat, duorum annorum haud excessit spatium. *Otto F. in l. 1. de G. F. c. 59. in Juvania (quæ nunc Salzburg dicta Bojoariæ metropolitana sedes esse noscitur) Pentecosten celebravit, expletis ab eo, quod idem festum in Pannoniæ finibus egerat, duobus annis.* Cui statim subjungit. *Inde Ratisbonæ cum magna Principum frequentia curiam celebravit :* Id autem, quod in illis comitiis ventilatum actumque sit, nemo scriptorum ejus temporis literis mandavit, utpote qui fere omnes hoc scatent vitio, quod de rebus nihili sæpius multa faciant verba, integrasque impleant paginas, res vero, quæ statui imperii illius temporis cognoscendo inservire & conducere possunt, sicco transeant pede.

(*l*) *Otto Fr. cit. lib. c. 62. Circa idem tempus filius Regis Henricus, quem ipse, ut supra dixi, per electionem principum Regem ordinaverat, diem obiit, habens adhuc alium fratrem parvulum Fridericum.*

(*m*) Trajectensis Ecclesia illo tempore magno, quod inter canonicos ejus subortum erat, agitabatur dissidio. Hi enim post obitum Hartiebæ Episcopi circa electionem novi Præsulis admodum scindebantur, inque varias abiere partes, quamvis hoc jus non nisi novissimo Conradi beneficio precibus laudati Episcopi ad id permoti deberent. Cujus concessionis diploma videre licet apud *Hedam in Hist. Ultraject. p. 163.* Alii Theodoricum Hollandiæ, alii Henricum Geldriæ comitem, alii Hermannum ex familia Comitum de Hoem oriun-

oriundum Episcopali dignitati suis admovere nitebantur suffragiis. Cives quartam constituebant classem, una cum oppidis, quibuscum se sociaverant, Fridericum de Hœvel Episcopatui præficere satagentes. Ii, qui vota pro Hermanno tulerant, primi rem ad Regem Norimbergæ morantem deferunt, aliisque confirmationem investituramque regalium præripiunt. Hac autem ratione nondum sopita erat discordia, quin potius quavis parte electum suum tueri cupiente, in dies in magis crescebat. Hermannus, qui Regalium investituram jam a Rege consecutus erat, furori tamen insanæ plebis cedere, ac ex urbe excudere cogebatur, quæ expulso Hermanno Fridericum se sustenturam, eumque contra quamlibet vim defensuram jactitabat. Rex finem ponere huic perniciosæ discordiæ, autoritatemque suam illæsam illibatamque servare cupiens, iter Noviomagum aggressus est. Quo (petitis primum ac obtentis a Rege codicillis, quibus iis secure eundi redeundique detur licentia) ultrajectenses insignis multitudinis sese pariter contulere. Quos Rex pacis studiosissimus adhibitis pacis suasionibus ad amicitiam & concordiam reducere tentavit, intelligens vero medendæ tantæ populi illius pertinaciæ tam lene miteque remedium non sufficere, se sententia juri stricto conformi litem diremptur um iisdem significavit. Quod *Otto Fr.* qui ipse Regi in hoc adfuit itinere, hisce extulit verbis *in lib. 1. de G. F. c. 62. Quos Rex causa ponens ad pacem cum adversariis sine litis contestatione revocare volens, cum hoc modo procedere non posset, tandem iis juris districtionem obtulit.* Cives autem forte verentes, ne accideret, ut Regis sententia causæ eorum minus faveret, *viaticum redeundi*, prout id ab *Ottone Fr. in alleg. loc.* appellatur, expetierunt, responderuntque, causam hanc ut ecclesiasticam judicio seculari exemptam & coram Pontifice ventilandam esse. Quod responsum Regi admodum bilem movit, qui eos non solum criminis majestatis læsæ reos damnavit, verum etiam teste *Ottone cit. cap.* ad pœnam tanto crimini statutam in continenti rapuisset, nisi cum indulto iis libero conductui, uti loqui amant, vim facere religioni sibi duxisset, tum ob excitatos in Bavaria tumultus in Germaniam regredi necesse habuisset. Sedatis iis, ac sub ordinem revocatis Ottonis Palatini filiis, qui causam turbis dederant, altero ex iis obside retento in Galliam (Belgicam nempe) rursus descendit, ac ut *Ottonis Frif.* verba, quæ habentur in *cit. lib. c. 63.* ipsa adducam, *Trajectensium negotium revocatis omnibus ad subjectionem Hermanni, cum imperii honore terminavit.* Quod pluribus commemorare volui, quod quivis inde perspiciet, Conradum etiam in Ecclesiasticis controversiis auctoritatem suam cum efficacia interposuisse, alteramque majestatis partem, quæ jura circa sacra exercet, nondum penitus abjecisse. Cui sententiæ maximum adfundent lumen sequentia *Ottonis Frif.* verba, quæ quoniam, Conradum adhuc Episcopis & Regalium & Pontificialium, uti loquuntur, investituram largitum esse, sub dubium vocari non sinunt, integra *ex alleg. c. 62.* huc transscribere volui. *Arnoldus quoque Coloniensis Archi-Episcopus vitam finivit. Igitur Conradus tam de subrogatione Coloniensis, quam super determinatione illius controversiæ (de qua supra disseruimus) examen laturus inferioris Rheni partes adiit. Cumque ad Bobardiam villam regalem venisset, legatos obvios habuit nunciantes, Arnoldum Cancellarium suum in præfata Coloniensi Ecclesia electum esse, sed eum hujus rei adsensum usque ad adventum ejus distulisse. Quod verbum grataner Rex accepit &c. - - Ibi prænominatum Coloniensem electum excipiens & cum eo inde naves ingressus, ac per Rhenum remigans, Coloniam Agrippinam venit, cum maximo cleri ac populi tripudio susceptus. Igitur finita, ut solet, processionis solennitate, Rex in principali B. P. Ecclesia sedens Arnoldum renitentem valde ac reclamantem Pontificatus simul & Ducatus regalibus investivit.* Tametsi enim Henricus IV. & V. dolo & vi Pontificum juribus imperatorum inhiantium eo addacti fuerint, (vid. hujus jusjurandum ex Urspergensi excerptum apud *Schat. in An. Pader. part. 1. p. 698.*) ut jus investituræ Episcoporum in Papam transcriberent, subsequentes tamen Reges & Imperatores nihilomnius hoc jus aliquando exercuisse leguntur, de Lothario id testatur *Dodechin in Chron. ad an. 1128.* De Conrado nil dubii reliquum esse patitur testimonium ex *Ottone* allatum.

(n) Conradus Noviomagum tendens Spiræ per aliquot dierum spatium detentus fuit. Ibi enim Vicboldus Corbeiensis Abbas ad eum accessit, conquerens de ministerialium suorum insolentia pravisque moribus, qui eo processerant, ut Episcopis & Abbatibus ea fere imponere audebant servitia, ad quæ iis præstanda ipsi vi officii adstricti erant. Conradus ut Ministerialium officiis ac potestati certas statueret leges, certosque præfigeret terminos, Principes atque Abbates frequentes adesse jussit, quod communem fuisse hanc quærelam non obscure innuit. Diploma, quo Conradus ministerialium effrænatam, quam arrogare sibi incipiebant, quicquid audendi licentiam compescuit atque cohibuit, *Schaten. in Annal. Paderb. part.* 1. *pag.* 783. in lucem produxit. Quod, eo ipso monente & annotante, vel ideo saltim legi meretur, quod alias obscuri & sæpius lecti ast non intellecti ministerialium nominis & vocabuli explicatio optime inde arcessiri possit. Erant autem Ministeriales, qui in aulis Principum vel Episcoporum aut Abbatum aulicis fungebantur officiis, seu barbare ministeriis. Ita enim legitur in laudato diplomate; *Quidam de ministerialibus ejus* (scil. Wicboldi) *Rabano, qui tunc officium Dapiferi administrabat.* Item *Ministerialis noster Conradus de Withuson Camerarius noster a thesauris &c.* Notatu dignum est, hos ministeriales in comparatione cum aliis Nobilibus, qui nulli officio aulico præerant, verum vel prædiis suis insidebant, vel militiæ vacabant, servos audivisse. Quo facit locus, quem in *Arnold. Lub. l.* 2. *c.* 2. *n.* 3. in fine legisse annotavi, sesèque ita habet: *Et alios quam plurimos tam de viris suis liberis, quam ministerialibus:* Hic enim ministeriales a viris liberis clare secernuntur, oppositorum autem opposita sit ratio. *Ejusdem* verba sunt *in lib. citat. c.* 31. *Multi enim Ministerialium Ducis, qui ab incunabulis ab eo educati erant, & quorum Patres sine dubio iis serviverant.* Duo hæc loca tantum adducere placuit, cum a *Dn. Fresnio ad hanc votem,* qui genuinæ ejus significationis eruendæ gratia innumera ferme veterum scriptorum loca collegit, ea adducta esse haud animadverti. Quo plura legendi cupidum curiosumque remitto. *Vid. etiam Celeberr. Meibom. in not. ad Chron. Levoldi in tom.* 1. *Rer. Germ. p.* 413. *in med.* nec non *Doctiss. Goldast. in not. ad Radberti casus Monast. S. Galli ad voc. Ministerial. tom.* 1. *Rer. Allemann. p.* 133. imprimis autem, qui hanc materiam plena tractavit manu *Doctiss. Hertius in dissert. de Hominibus Propriis Sect. IV. tom.* 2. *Opuscular. ejus p.* 175. *seqq. usque ad finem.*

Crescebat interea temporis potentia Pontificis Alexandri: ægre ferebant Italicæ civitates, libertatis avidæ, Præfectos Imperatoris: adjuvabat illos, studio Occidentis rursus cum Oriente conjungendi, clam Græcus Manuel pecuniis. Idcirco LXVI. anno Imp. Fridericus (præmissis magno cum exercitu Archimystis, Coloniensi Reinaldo & Moguntino Christiano) mense Novembri quartùm in Italiam per Tridentinum saltum potenter ingressus est. Ibi tanto magis roborarunt se, qui contra ipsum conspiraverant, Veronenses, Vicentini, Patavini, Taruisini, attractis etiam Cremensibus, Cremonensibus, Brixianis, Bergomatibus, Mantuanis, Ferrariensibus, Bononiensibus, Regiensibus, Parmensibus, Placentinis, atque ipsis etiam Mediolanensibus, qui urbem suam instaurarunt, novis mœnibus conditis, auro Imp. Manuelis suffulti. Fridericus vero urbem Romam occupavit, ibique a Pont. Paschale (quem profugiente Alexandro secum introduxerat) die S. Petri denuo coronam accepit, ipse & conjux Beatrix, receptusque est, transactione facta, Paschalis a Romanis.

Fœda deinde lue mense Augusto exorta, maxima pars Imperatoriarum copiarum interiit, & una Coloniensis Antistes Reinaldus, Augustanus Episcopus Conradus & alii Episcopi. Inclyti præterea Proceres, Regis Conradi filius, Dux Fridericus, Dux Guelpho junior & Comites illustres, Sultzbachensis Berengarius, Tubingensis Henricus. Eorum ossa omnium, carnibus excoctione detersis, in patriam reportata sunt, & sepulcris condita. Duce porro Friderico sine liberis defuncto, ditionis ejus Franconicæ hæres proximus extitit Imp. Fridericus, qui postea M. C. LXVIII. anno in Germaniam reversus, illam Herbipo-

bipolensi Episcopo Heroldo plene tradidit. Ideo Episcopo gladius præfertur, ut jam etiam Duci Franconiæ.

Senior autem Gelpho, filio Guelphoni superstes, cum nullum filium amplius haberet, Friderico Imp. suo e sorore Juditha nepoti, LXIX. Domini anno, aut non multo secus, Ducatum Spoletanum, Marchiam Tuscanam, Principatum Sardiniensem dedit, ditionem vero, quam in Bavaria & Suevia habebat, Bavariæ Duci Henrico Leoni, nepoti ex fratre Henrico superbo, tradidit, utrinque summa quadam pecuniæ accepta. Plerunque enim Memmingæ vivens (quod oppidum olim Grynefurtum dictum, ad ipsum pertinuisse opinor, sicut & Ravenspurgum pertinuit) genio ibi magnis sumtibus indulgens, quosvis hospites ad se invitabat, donec tandem M. C. XCI. anno diem suum obiit, & in Steingadino Augustanæ diœceseos Monasterio (ubi & filius) sepultus est.

Interim in Italia viribus violentiaque Papæ & conjuratorum invalescentibus, Archiepiscopoque Christiano (qui jamdudum eo remissus ab Imperatore fuerat) rem naviter gerente, quintam Fridericus expeditionem Italicam LXXIIII. anno suscepit, per Cinisumque montem in Italiam ingressus, multa egregie fecit, multa dura passus est. Desertus autem altero anno ab Henrico Leone, cum multis difficultatibus laboraret, per Jovis montem transcendit, nec sine metu in Burgundiam, uxoris suæ patriam, ac deinde in Alemanniam rediit. Ibi Henricum non modo proditionis, verum etiam læsæ majestatis accusavit, quod ante Augusti reditum conjurationem etiam in Suevia contra ipsum conflavisset. Damnatus est reus atque proscriptus in oppido Gamundia, atque Bavaricum ejus Ducatum Otho Palatinus Wittelspachius, Saxonicum vero nobilis vir Bernhardus Anhaltinus, occuparunt. Henricus expulsus se in urbem Brunsuigam contulit, ibique firmiter mansit. Othonis autem filius multis annis post, pro maximis beneficiis, in patrem a Friderico Augusto collatis, ingratus, optimum ejus filium, Cæsarem Philippum, nefarie interemit: quemadmodum in nostra, de miserabili Augusta Irene, oratione demonstravimus.

Sextùm deinde adversus Italos copias Fridericus duxit (jamdudum a Pont. Alexandro ex Ecclesia eliminatus) cum uxorem antea Comi reliquisset. Redintegrare enim bellum animus erat, induciis, quæ ad tempus pactæ fuerant, exactis. Proh Deum immortalem, quot labores, quot pericula, quot ærumnæ, subeunda & sustinenda sunt ei, cui summa rerum commissa est? Qui inertiam & voluptates sibi fugiendas ducit? Cui fideliter Imperii Rom. opes augere, dignitatem tueri, ideoque passim Imperii loca circumire, propositum est? Herculem quendam, laboribus & ærumnis invictum, Atlantem quendam, ceu montem maximum & altissimum sustinendo indefessum, esse necesse est. Quis igitur prudens, a tanta, tam multiplici, tam periculis & ærumnis plena, rerum negociorumque mole, non remis velisque refugiat? Quis, nisi ambitione turgens, temeritate præceps, audacia & vanitate demens ac projectus, ultro se ad illam ingerat & intrudat? Τὸ λάθε βιώσας, domi obscurum latere, longum valere sollicitæ vitæ dicere, ut longe melius, præferat. At si divinitus ad tantum pondus subeundum portandumque voceris, Deo parendum, Reipub. strenue inserviendum fuerit. Tunc ipsa conscientiæ bonitas & divini imploratio auxilii magno solatio adjumentoque erit.

Fridericus ita, uti dictum est, in Italiam reversus, prælium cum Mediolanensibus & sociis, LXXVI. anno commisit, sed infeliciter. Equo enim, qui sub eo fortissime pugnante suffossus fuit, delapsus est, & ut fama tam ficti pra-

vique

vique tenax, quam nuntia veri est, pro mortuo ab uxore, quæ Comi morabatur, deploratus est. Ad eam tamen quinto die post præter hominum spem incolumis rediit. Hoc adverso casu turbatus, pacem cum Papa Alexaudro (Anagniæ tunc versante, Antipapa Paschale jam mortuo) perpetuam fecit, Longobardis inducias sex annorum dedit, Guilielmo Siciliæ Regi pacem XV. annorum concessit, Græco denique Manueli pacem indulsit. Altero anno, ab anathemate absolutus est, ipse suique omnes, atque Venetias profectus, a Duce Sebastiano Ziano, totaque civitate, magnis honoribus exceptus & habitus est. In hanc sententiam disertissimus Italiæ Scriptor Sigonius, tempore nostro.

Ab aliis vero jam pridem literis proditum scimus, Fridericum, filio Othone pugna navali per Venetum Ducem Zianum victo & capto, pacem illam fecisse, calcante ipsum pedibus suis Pont. Alexando, & dicente: *SUPER ASPIDEM & basiliscum ambulabis.* Cumque Imperator dixisset: *NON TIBI, sed PETRO*, respondisse Papam: *ET MIHI, & Petro.* Ac tametsi Otho non putatur a Sigonio præfuisse classi, utpote ætate puer, tamen in Palatio Veneto inter alia de Friderico Epigrammata etiam hoc legitur: *ATROX UTRINQUE prælium committitur. Demum Dux fortissimus divina ope Venetaque virtute vixus, Imperatoria classe disjecta, OTHONEM cum triremibus LX. capit.*

Reversus est post hæc Fridericus in Sueviam LXXIIX. anno Archiepiscopo Christiano pro se in rerum Italicarum administratione relicto. Quem Marchio Monferratensis Conradus (a Manuele Græco, semper Friderici æmulo, pecuniis adjutus) prælio superatum cepit, qui ibi aliquanto tempore post mortuus est. A Friderico celebrata sunt LXXXI. anno Comitia Moguntiæ, ad quæ frequentissimi adfuerunt Principes Germaniæ. Venerunt etiam Legati ex urbe Constantinopoli & Hierosolymis. Actum est de pace Ecclesiæ, belloque in Saracenos movendo. Tum epulo Proceribus splendidissimo dato, Imperator filios suos Henricum & Fridericum gladiis accinctos, equestri dignitate insignivit. Sequentibus diebus Reginas eis desponsavit, Henrico Siculam Constantiam, Friderico vero Ungaram.

Eodem anno fundatum est Madelbergense cœnobium (hodie Adelbergense nominatum) singulis milliaribus inter arcem Hohenstauffam & oppidum Schorndorffium situm. Fundator fuit generosus Baro Volcknandus Eberspergensis, gratiosus apud Cæsarem Fridericum (ut genere non alienus) ob pietatem & virtutes suas. Interfuit Fridericus consecrationi summi ibi altaris cum filiis, Rege Rom. Henrico, Friderico & Philippo. Extant hæc in fano ibi picta de Volcknando in muro interiore, de Friderico in Lacunari. Monachis jam introductis, Augustus tres nobiles pueros (cum Scholæ extra cœnobia illis temporibus non essent) in Madelbergense Monasterium ad pædagogum ex illo cœtu doctum misit, erudiendosque commendavit. Qui cum fideliter officium faceret, adhibens etiam pro re nata ferulas, catuli isti rem ceu intolerandam aversati, Præceptorem quodam die, animi causa ad ambulandum egressum, in solitario prato (Tobel-wvisen dicto) nacti solum, pugnis ceciderunt, humi straverunt, oculis privaverunt, misere affectum reliquerunt, fugam ceperunt. Non mansit inultum scelus, sed ab Imperatore retracti sunt, in custodiam terram conjecti, fame diuturna macerati, deprecatione tamen propinquorum tandem emissi, verum procul ab aula relegati.

Conditum est circa idem tempus Bebenhusanum quoque Cistertiensis ordinis Monasterium, a Rudolpho Comite Palatino Tubingensi (Hugonis illius, quem

quem a Guelphone oppugnatum diximus filio) Brigantiæ & Curiensis Rhætiæ domino, atque ab uxore ejus Mechtilde, Eberstainia Comite. Confirmatum est ab Imp. Friderico, filioque ejus Rege Henrico. Dicitur tamen alicubi, jam ante Rudolphum fundamenta hujus cœnobii jacta fuisse, a nobilibus videlicet, qui de Lustnouia dicti fuere, sed a Rudolpho exornatum, reditibusque ditatum esse.

Fridericus urbem Lybecam (quæ hodie præcipua est inter Vandalicas urbes) constituit anno LXXXII. dominam Hansaticæ societatis, quam ipse societatem (pacis & mercaturæ causa institutam) multis ornatam privilegiis, primus confirmavit. Ut enim belli, ita pacis etiam, artibus ac studiis, magnus & inclytus erat hic Imperator. Sequenti anno, induciis Lombardicis ad finem currentibus, idem rogatu Regis Henrici cum Mediolanensibus, Lombardia, Marchia & Romandiola, in gratiam sinceram receptis, integram pacem firmavit. Quæ pax, quoniam in civitate Alemanniæ Constantia est facta, Constantiensis pax appellatur. De qua Baldus dicit: *PIETAS (id est, misericordia & clementia) decet Principem, per quam solam Dei servatur imitatio.* Quod consentit cum illo Ciceronis: *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare &c. hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed similimum Deo judico.*

Comitia deinde LXXXIIII. anno sunt a Friderico Moguntiæ acta, in quibus ipse filium suum, qui Rex erat declaratus, militem auratum torque donavit. Incidit autem, Augusto in templo sedente, Moguntinoque Præsule dextrum ejus latus tegente, contentio de sessione ad sinistrum latus. Contendebat de ea obtinenda Fuldensis Abbas Conradus, sibi id honoris ex vetere consuetudine deberi. Sed graviter ei contradicebatur a Coloniensi Electore Philippo. Tum fanum fuisset cæde & sanguine factum profanum, nisi precibus Imperator se interposuisset, Abbatem citra præjudicium juris sui in præsenti cedere hortans. Exclamat hoc loco Crantzius in SUPERBIAM: *quæ in cœlis nata, cum auctore suo ad cruciatus inferorum perpetuos sit demergenda.*

Septimam idem annus, & ultimam Friderici Italicam profectionem habuit. Convenerunt ipse & Pontifex Lucius III. (Alexander enim jam huic seculo valedixerat) Veronæ, ultimo die Julii. Tractatum inter alia de bello in Saracenos suscipiendo, propterea quod Saladinus Hierosolymum, ut jure hæreditario ab Abrahami Sara ad se pertinentem, eripere Christianis vellet. Tunc Henrico Regi coronam ferream Archiepiscopus Lambertus imposuit Mediolani. Altero anno jura populorum Italiæ Fridericus recognovit, & omnia, quoad potuit, ordinavit.

Obiit hoc tempore conjux ipsius, Domina Beatrix, & Spiræ humata est. Sequenti LXXXVI. anno, Imperator filiam Sophiam Marchioni Monfertatensi Guilielmo collocavit, Italiam Regi Henrico (qui cum Constantia, Siciliæ Regis Rogerii filia, nuptias Mediolani celebraverat) regendam commisit, ipse in Germaniam sese retulit. Altero anno filius ejus Fridericus, Dux Sueviæ, privilegium Cal. Jun. Indict. V. Tubingæ scripsit, quo Bebenhusanis cænobitis dedit potestatem libere utendi nemore, cui SCHAINBUCH nomen esset, & cuivis hominum aliquid huic Monasterio conferendi copiam fecit.

Eodem anno Hierosolymam Saladinus (ut & alias multas terræ sanctæ civitates) in potestatem suam armis redegit anno scil. LXXXIIX. post quam a Bilionco

Bilioneo erat capta. Ideo mox Gregorius VIII. qui tunc Pontificatum gerebat, literis omnes Principes & populos Christiani nominis, ad recuperationem S. sepulcri excitavit. Morientibus enim in ea expeditione, cunctorum peccatorum remissionem & vitam æternam pollicebatur, bona crucem assumentium, in protectionem S. R. Ecclesiæ recipiebat, cunctos a precioso vestitu, a canibus, ab accipitribus, dehortabatur, ad humilitatem pœnitentiamque adhortabatur. Simili fervore Clemens III. (ejus propere mortui successor) anno LXXXIIX. extimulabat ad crucigeram militiam. Crucis namque signum sacri milites in humeris habebant.

Imperator igitur Fridericus (ut pius erat, pro religione illorum temporum) filio Friderico, Marchione Hermanno Badensi, aliis multis illustribus viris, maximoque exercitu stipatus (pace ante per Imperium Nurinbergæ firmata, quam urbem vocat in literis castrum suum) anno M. C. LXXXIX. per Ungariam in Thraciam descendit. Nec satis amicum initio habuit Imp. Græcum ISAACIUM Angelum, Irenæ nostræ patrem. Persuaserat enim huic falsus quidam Monachus, Germanos non Hierosolymæ recuperandæ, sed Imperii Græcorum eripiendi causa adesse. Magnum malum, improba suspicio: magnum malum, inde nascens calumnia: magnum malum, ignorantia, calumniæ receptatrix. Hinc ergo natus est inter utramque gentem conflictus. Pace tamen per intercessionem prudentiorum composita, munera invicem Imperatores miserunt. Tunc Fridericus cum copiis anno sequenti tempore Paschatis juxta oppidum Calliupolin trajecit in Asiam.

Magnas ille res ibi gessit. Nam apud Philomelium filios Iconiensis Sultani, apud Iconium Turcas, cecidit. Armeniam ingressus, Melitenam cepit: ducenta Saracenorum millia, civitati opitulatum profecta, profligavit. In Comagenam per Taurum montem profectus, Saladini filium Saphadinum fudit fugavitque. Meditabatur jam fugam in Ægyptum Saladinus. Ideo terram Syriæ, ne hostibus longe progrediendi facultas esset, igne vastabat. Urbes suas, Berytum, Sidonem, Laodiceam & alias mœnibus nudari jusserat.

Ecce autem, dum omnia nostris spei sunt plenissima, repentinus accidit casus, qui vertit omnia. In flumine namque Serra vel Selephio (olim Cydno) hostem ille dum fugientem insequitur cupidius, equus ejus offendit, ipse in altas aquas, armis & ætate gravis, decidit. Extractus quidem inde est, sed exsuperare casum non valuit. Jesu igitur Christo animam suam commendans, beatum vitæ exitum adeptus est. Ad hunc modum de morte ejus reperitur. Communior tamen opinio est, eum dum post magnos in æstu labores, in fluvio rapidissimo refrigerare se voluerit, summersum esse. Factum hoc est XI. die Junii (die S. Barnabæ) anno redempti Mundi millesimo centesimo nonagesimo: cum jam prope septuagenarius esset Fridericus.

Natus fortasse Waiblingæ Imp. Fridericus. Quis tunc toties in Italiam transgressurum Alpeis putasset? Quis bis in Asiam trajecturum putasset? Semel enim, sub patruo Rege Conrado, iterum autem per se. Quis demum moriturum septuagesimo fere ætatis anno putasset? Quis 11. mensis Junii? Quis in flumine Ciliciæ Cydno? Quis tam procul patria sepultum iri? Delatum enim est corpus in urbem Phœniciæ Tyrum (Tursoch dictam) & a pio filio Friderico honorifice ibi terræ mandatum. Successit exercitui pro patre charissimo Imperator idem Fridericus. Qui rebus aliquot fortiter & feliciter gestis, ipse quoque vitam amisit, pestilente contagione multis cum aliis sublatus.

Hic

Hic fuit ortus, hic vitæ cursus, hic obitus, excellentissimi ex Stauffensi domo Augusti Rom. Friderici Barbarossæ: prolixius sane, quam initio cogitaveram, admiratione viri a me expositus. At & hæc copiosius, & alia multo plura (velut χύμα quoddam, undarum passim effusionem) in Annalibus nostris Suevicis persecuti sumus. Addam προσωπογραφίαν descriptionem ejusdem Friderici, ex Urspergensi Abbate. Eum hic armis strenuum fuisse, ait, animo acrem, bellis exercitatum, statura mediocri, longiore tamen, quam breviore, corpore robusto, pectore lato, facie satis eleganti, barba & capillo rufo affabilem mansuetis, superbis adversarium. Ingenio denique subtili, & memoria tanta, ut quorumcunque hominum faciem semel novisset, eos post longa etiam intervalla temporum agnosceret, nominatimque salutaret. Sicut scilicet Cyro, Persarum Regi, omnium suorum militum nomina erant nota. In cœnobio fane Lorchensi, picta conspicitur imago totius corporis Friderici, cum facie & barba, qualis erat ante aliquot annos reverendi Abbatis Bebenhusani, Eberhardi Bidembachii, S. Theol. Doctoris &c. quem Deus nobis amplius quam diutissime conservet, doctrina, prudentia, humanitate, senectute, venerandum patrem. Fridericum Imp. etiam Græcus illius temporis Choniata splendide celebrans: inter alia, inquit, Vir honesta fuit & perpetua memoria dignus, quod desiderio Christi flagrans, felicitate domestica posthabita, ærumnas cum Palæstinæ Christianis tolerare maluit.

Absolvi hactenus, quæ de hoc tanto, tam excellenti, Imperatore præcipua dicere volui. Venio nunc, magnifica, illustris, & eminentissima concio, ad secundam partem orationis meæ, quæ propiorem cum studiis nostris *conjunctionem* habet, & ipsa quoque copiosius explicanda est. Ideo a præcedente parte separandam, & huc trajiciendam, judicavi.

Hic enim generis antiquitate, solertia mentis, animi magnitudine, tolerantia laborum, studio Imperii augendi, belli pacisque artibus, *excellentissimus Suevus*, qui nullum diem (Radevico teste) transire otiosum finebat, quo non aliquid Reipub. utile gereret: hic tantus Heros, inter armorum etiam crepitus, tympanorum & tubarum sonitus, extra patriam in Italia, non in urbe aliqua, sed sub divo, studiosæ tamen juventutis, id est, rei scholasticæ, rationem sollicite habuit. Nam cum quinquagesimo octavo post undecimum a Christo nato seculum anno, tempore secundæ suæ in Italiam profectionis, Roncaliis conventum ageret (Germaniæ & Italiæ Principibus, Cardinalibus & Episcopis frequentem) multaque Reipub. maxime utilia (clarissimis etiam ex Bononiensi Schola Antecessoribus adhibitis) statueret: clementissimam quoque de *Scholasticis* adolescentibus & juvenibus constitutionem edidit, quam hic ad verbum subjiciam, ut appareat, ex quanto Imperatore, quantam accipiant dignitatem Scholæ, cœtusque scholastici.

„Habita super hoc, inquit, diligenti Episcoporum, Abbatum, Ducum, „omnium Judicum, & aliorum Procerum sacri nostri Palatii, examinatione, „OMNIBUS, qui causa studiorum peregrinantur, Scholaribus, & maxime divi„narum atque sacrarum legum Professoribus, hoc nostræ pietatis beneficium in„dulgemus, ut ad ea loca, in quibus literarum exercentur studia, tam ipsi, quam „eorum nuntii, veniant, & habitent in eis secure. DIGNUN namque existi„mamus, ut cum bona facientes, nostram laudem & protectionem omnes me„reantur: eos, QUORUM SCIENTIA MUNDUS ILLUMINATUR, & ad „obediendum Deo, & nobis ejus Ministris, vita subjectorum informatur, qua„dam speciali dilectione ab omni injuria defendamus. QUIS ENIM EORUM

„NON

„NON MISEREATUR, qui amore ſcientiæ facti exules, de divitibus pauperes, ſemetipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt, & a viliſſimis ſæpe hominibus (quod graviter ferendum eſt) corporales injurias ſine cauſa perferunt? Hac igitur generali, & in æternum valitura lege, decernimus: ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præſumat, nec ob alterius ejusdem provinciæ delictum, ſive debitum (quod aliquando ex perverſa conſuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat. Sciturus hujus conſtitutionis temeratoribus, & etiam ipſis locorum Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, reſtitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum, notaque infamiæ eis ipſo jure irroganda, dignitate ſua ſe carituros in perpetuum. Veruntamen ſi litem eis quispiam ſuper aliquo negotio movere voluerit, hujus rei optione data Scholaribus, eos coram Domino, aut Magiſtro ſuo, vel ipſius civitatis Epiſcopo, quibus hanc Jurisdictionem dedimus, conueniat. Qui vero ad alium Judicem eos trahere tentaverit, cauſa, etiamſi juſtiſſima fuerit, pro tali conamine cadat. Hanc autem legem inter imperiales conſtitutiones ſub titulo, NE FILIUS *pro patre* &c. inſeri juſſimus. Datum apud Roncalias, anno Domini M. C. LVIII. menſe Novembri.

Hæc nobilis conſtitutio Scholaſtica, vel Authentica, Friderici eſt: quam etſi Jure conſultus quispiam perfectius explicaret, tamen ego quoque de ipſa aliquid, fere ſcholaſtico modo conabor dicere. Cum enim in proxima Philoſophicorum Magiſtrorum ſolennitate, de Schola hac noſtra, cujus conditor illuſtriſſimus Princeps Eberhardus Barbatus fuit, dixerim, & ipſa etiam ſuis privilegiis, ſtatutis, ordinationibus (quibus haud parum gaudemus) bene munita & ornata ſit, jure optimo de Imp. quoque Friderici conſtitutione ac privilegiis (pro eo, atque ego pro tenui judicio meo intelligo) dixero: ut inde perſpicuum fiat, huius Auguſti ſenſum, & noſtri Barbati, eundem fuiſſe. Hoc proinde loco, de Studioſis & ſtudiis eſt agendum: ſicut in ſuperiore Oratione, de ipſorum ſede domicilioque egimus Schola.

Quid igitur hic primum eſt, quod cogitemus? Quod memori mente teneamus? Hoc, quis ſit hujus conſtitutionis auctor. Quis hic eſt? Fridericus, primus hujus nominis Imperator Romanus. Quis? Fridericus, Suevus illuſtriſſimus, militari & pacifica gloria clariſſimus. Quis? Fridericus, Princeps ſapientiſſimus, juſtiſſimus, fortiſſimus, commodorum & gloriæ Imperii ſemper augendorum ſtudioſiſſimus, & idcirco laboribus belli domique perpetuo occupatiſſimus. Hic tamen inter tot & tanta, & tam ardua negotia periculaque, quæ ſupra in expoſitione vitæ ipſius cognovimus, rationem cum juris, & ſalutarium ad communem felicitatem legum, tum ſcholaſticæ quoque eruditionis, perdiligentem habuit. Proh Deus! Plurimis Imperatoribus & Principibus, ne in ſomnis quidem in mentem venit, quicquam de bonis litteris, de liberalibus ſalutaribusque ſtudiis, cogitare. Voluptates potius illi quasvis perſecuti ſunt, & minime laudabilia ſtudia. Tantum abeſt, ut de ſtudioſa gente cogitationem ullam ſuſceperint. At non ſic Fridericus noſter: ſed ſpecialem quandam ſe dilectionem, hoc eſt, præcipuum quendam amorem erga Scholares gerere, ipſosque, bona facientes, Imperatoriam laudem & protectionem mereri omnes, in hac conſtitutione aperte profitetur. Cauſas ejus rei videbimus poſterius. Manifeſta hinc eſt ipſius illa ſpecialis dilectio: quod non pro ſe ſolo de Studioſorum proviſione cogitandum duxit, ſed Epiſcopos etiam, Abbates, Duces, Judices, & alios Proceres ſacri Palatii, adhibuit: horum

horum judicia (ut hominum ejus temporis, eruditione & prudentia cæteris mortalibus antestantium) exquisivit, atque hoc modo rem accurata quasi trutina examinavit. Non ergo somnolentus Princeps, non contemptor Scholarum & doctrinarum, multo minus voluptarius & imbellis Sardanapalus fuit. Quid ergo? Non solum ille armis, & bellicis laudibus, decoratam (sicut Imp. Justinianus requirit) sed etiam legibus, & honestis utilibusque disciplinis, armatam, majestatem suam esse voluit, idque inter ardua & ponderosa (ut antea dictum est) Imperii negotia. Quapropter, cum ad consilium publicum, & maximæ auctoritatis viros, de re scholastica retulerit, inde patet, eum valde serio negotium egisse. Voluit ita videlicet, dum suæ pietatis (id est, clementiæ & benignitatis) beneficium, discentibus & docentibus indulgeret, sine dubio erga Deum in primis, cujus inexhausta misericordia in celsissimo dignitatis gradu collocatus, Imperioque maximo præpositus fuisset, tum aliis benefactis, tum Scholarum curatione, gratam animi pietatem declarare. Sic nobilissimus etiam Wirtembergiæ Dominus, Comes Eberhardus Barbatus, in procemio Privilegiorum, quæ Tybingensi a se fundatæ Academiæ, anno M.CCCC.LXXVII. clementer dedit, hujus fundandæ causam, suam pro Dei beneficiis in se ponit gratitudinem, his popularis linguæ verbis:

„Dieweil er von sundern Gnaden des ewigen Allmächtigen GOt„tes/ unsers Schöpffers/ von geburt/ vnnd sonst zeitlicher Mächtigkeit/ „Lands vnnd Leut/ die zu regieren vnd zuuersehen/ hochgeborn begabt „seie.

Sic prudenter & recte, ante ipsum etiam Imp. Fridericus.



DISSER-

DISSERTATIO XXI.

DE

FRIDERICO

ÆNOBARBO

DISSERTATIO PRIOR.

§. I.

NOn ab re fuerit ſtemma proponere, atque in ſtirpem & progeniem Principis noſtri ante inquirere, quam de rebus ipſius præclare geſtis commentari aggrediar. Illud itaque pro certo conceſſoque omnes ſumunt, eum deſcendere ex ſtirpe *Hohenſtauffiorum*, qui in Suevia ab origine fuerunt. „Majores ejus *nobiles de Stauffen* (a) mediocres, non infimos nec ſupremos in„ter Sueviæ nobiles fuiſſe, memoriæ tradidit *Felix Fabri*, *monachus Ulmenſis*, *diligens rerum Suevicarum ſcriptor*; (b) Eosdemque ſucceſſu temporis in bellis adeo fortia egiſſe & magnifica, ut inter *Barones*, (c) *&* *liberos* per Cæſares declararentur. Quendam (d) autem de *Staufen* morientem tres reliquiſſe filios, *Fridericum* (e) nempe, *Ottonem* & *Conradum* non multo poſt idem commemorat, atque *Ottonem* poſtea Epiſcopum Argentinenſem fuiſſe factum, *Conradum* autem in florida juventute e vita deceſſiſſe, *Fridericum* denique militari rei intentum ſtrenue ſe geſſiſſe. At enim vero *Fridericum* hunc, quin & majores ejus, non *Barones* duntaxat, ſed *Comites* potius fuiſſe, certiorem me facit *Otto Friſingenſis*, (f) fide digniſſimus hiſtoriæ Hohenſtauffiorum ſcriptor, qui laudatum modo Fridericum non ſolum *Comitem* diſerte appellat, verum etiam ex nobiliſſimis Sueviæ *comitibus* illum originem traxiſſe affirmat. Quinam vero ex hac familia primus ſit *comes* factus, aut a quo etiam Imperatore Hohenſtauffii, novo hoc honoris gradu tituloque primum aucti ſint atque ornati, res valde ambigua eſt, eamque litem nunc non attinet expedire.

(a) *Dignus ſane tot fortiſſimorum heroum natalis locus, qui paulo majore cura atque induſtria a nobis hic inveſtigetur.* Stauffen *igitur quaſi* Steiff / *i. e.* firmum, ſtabile, *dictum fuiſſe autumat* Martinus Cruſius Annal. Suevic. lib. 4. part. 2. p. 103. *Probe autem noſtrum* Stauffen *eſt diſtinguendum a* Stauffen *Danubiana arce, cujus* Jo. Aventinus Annal. Boj. lib. 6. p. 380 381. *meminit, quæ forte eſt locus ille, qui hodie dicitur* Donaſtauff, *arx in monte Bavariæ ad Danubium, cujus in confinio eſt* Regenſtauff *in Palatinatu Neoburgico, quæ vel ex mappis Geographicis conſtare poterunt. Conf.* Cruſium, *qui l. c. plures arces* Stauffen *dictas recenſet. Sed vero illud* Stauffen, *ex quo Ænobarbus noſter originem duxit, ſitum eſt in Ducatu Würtembergico in limite ferme Ulmenſis Territorii inter Gœppingam & Gamundiam, a quibus oppidis minus uno milliari diſtat, nec etiam a celebri illo Laureacenſi Monaſterio (quod vulgo* Lorch *vocatur) ſupra milliare Germanicum longius abeſſe fertur. Certum me hujus rei fecerunt partim* Felix Fabri Hiſt. Suev. lib. 1. cap. 12. p. 100. Henricus Bebelius (*a Melch. Goldaſto inter veteres Suevicarum rerum Scriptores editus*) Epit. laudum Suevorum p. 38. *& in-*

primis Crusius *l. c. & lib. 8. part. 2. p. 253. partim testes oculati, a quibus hæc pariter accepi. Ceterum veteres a recentioribus in hujus loci denominatione nonnihil discrepant, etenim* Otto Frisingensis *de gestis Friderici I. lib. 1. cap. 8. vocat castrum* Stoyphe. Abb. Urspergensis in Lothario II. p. 287. *appellat* Stophen, *& p. 290.* Stouphen, *& sic etiam castrum hoc effert* Weingartensis Monachus de Guelfis Principibus, p. 191. *At vero* Felix Fabri, H. Bebelius ll. cc. *aliique recentiores* Staufen *vel* Stauffen *nuncupant.* Aventinus *l. c. dixit* Hohenstauff, *cum quo facit* Crusius *l. c. atque nostro quoque tempore arx illa vulgo sic vocatur, quoniam in altissimo monte sita est; (quanquam hodie rudera duntaxat hujus castri superesse perhibentur; sane* Crusius *sua jam tempestate* muros tantum tanquam ossa sine carne *ibi extare, tradidit* Annal. l. 8. part. 2. p. 253.) *cujus subjectus infra montem pagus adhuc vocatur* Stauffen, *a quo in oppositis montanis haud procul posita est* Stauffenecca, *eosdem sine dubio conditores cum* Hohenstauffen *agnoscens, quam quidem arcem nobiles de Staufen quondam ædificasse, auctores habeo, quis vero illorum primus ejus conditor speciatim fuerit, hactenus apud nullum scriptorem reperire potui. Atque hoc est castrum illud, in quo tot barones, comites, duces, imo reges etiam & Imperatores in lucem editi, ab eoque* Hohenstauffii *apud scriptores fuerunt denominati.*

(*b*) Historia Suevorum lib. 1. cap. 12. p. 100. *Fuit autem* Felix *hic Monachus Dominicanus, patria Tigurinus, ex nobili & vetustissima Schmidiorum familia oriundus, inque Prædicatorum apud Ulmenses monasterio vixit tempore Friderici III. Imper. potissimum vir eruditione pro captu illius ævi celebris, scriptor curiosus admodum ac diligens; perscripsit singulari industria studioque* Historiam Suevorum, *ac sigillatim libro II.* res Ulmenses. *Quo de vid.* Melch. Goldasti *præfatio p. 12. seqq. a quo inter* veteres Suevicarum rerum Scriptores *hic quoque fuit editus anno 1605. Francof.*

(*c*) *Seculo jam decimo ineunte* Baronem *quendam* Hohenstauffensem, *nomine* Fridericum, *clarum fuisse, eundemque sub Henrico Aucupe, & Hermanno Sueviæ duce contra Hungaros & Vandalos, præsertim ad Mersburgum, fortiter pugnasse, nec non* Hastiludio *Magdeburgi An. 935. celebrato una cum aliis Comitibus & Baronibus ex Suevia oriundis interfuisse, refert* Crusius Annal. Suev. lib. 4. Part. 2. p. 101. *& 103.* Edit. Francof. An. 1595.

(*d*) *Trium horum fratrum a* Felice *memoratorum parentes nominat* Henricum & Hiltegardem Crusius *l. 8. part. 2. p. 254. conf. part. ead. lib. 4. p. 103.*

(*e*) *Hic Fridericus addito cognomine appellatus fuit* Antiquus. Crusius *l. c.*

(*f*) de rebus gestus Friderici I. lib. 1. c. 8. *Hic Otto, Frisingæ in Bojaria Episcopus, Friderici Ænobarbi fuit patruus, & in curia ejus præclare versatus, rerumque ab eo gestarum cumprimis peritus, cujus proinde auctoritas in Principis hujus historia apud me permultum valet. Vid. de ejus genere, vita & morte,* Radevici de gestis Friderici I. totum cap. XI. lib. 2. p. 296. Edit. Basil. 1569. *& inprimis de ipsius cum Ænobarbo cognatione* Abb. Ursperg. in Conrado III. p. 295. Edit. Argent. A. 1537. *& quæ incomparabilis nostro tempore Polybistor* C. S. Schurtzfleischius, *Patronus ac Præceptor noster omni observantiæ cultu suspiciendus, annotavit* in Disp. de Henrico Leone habita An. 1682. ad §. 5. conf. §. 3.

§. II. Sequitur, ut videam, quæ porro incrementa habuerit nobilissima hæc familia, quum certiora hic atque clariora veræ antiquitatis documenta suppetant. Fridericus igitur ille, cognomento *Antiquus*, cujus mentionem plus simplici vice jam fecimus, qua ratione supra omnes suos antecessores exaltatus fuerit, paulo diligentius hic est perquirendum. Videlicet cum *Rudolfus* de *Reinfelden* post obitum *Ottonis de Suinfurt* dux Suevorum factus, (*g*) instinctu Hildebrandi P. R. adversus Henricum IV. arma sumeret, (*h*) & cum Imperatore de Imperio dimicaret, Fridericus hic *Comes de Staufen* illa tempestate in comitatu atque ministerio Cæsaris versatus, fidelem ipsi navavit operam, atque pro salute

salute domini sui nullum non discrimen subire erat promptissimus juxta & paratissimus, ac qua erat prudentia, consiliis pariter atque armis Imperatorem summa fide adjuvit. Quibus rebus Cæsaris animum adeo sibi devinxit, ut mortuo Merseburgi ex vulnere, quod in prælio acceperat, infelice Rudolfo, Ducatum Sueviæ eidem conferret, filiamque unicam, *Agnetem* nomine, in matrimonium daret. (*i*) Atque eo pacto Ducatus Suevicus a Rudolfi hæredibus abalienatus, permissu beneficioque Henrici IV. ad gentem Hohenstauffiam pervenit Anno 1080. quæ insuper illo connubio cum antiquissima *Saliquorum* (*k*) stirpe arctissimo propinquitatis vinculo fuit conjuncta, eandemque ob causam tandem in summum honoris ac potentiæ fastigium evecta, quemadmodum ex mox dicendis intelligi poterit.

(*g*) Vid. Ursperg. [*alio nomine* Conradus a Liechtenavv *appellatus, fuit Abbas Cœnobii Urspergensis, ordinis Premonstratensis, ad Mindulam, in Augustana diœcesi, ac circa an. 1230. floruit, diligens rerum Germanicarum scriptor judicio Melanchthonis in epist. dedic. præmissa.*] in Henrico IV. Chron. p. 232.

(*h*) Frising. de gestis Frider. I. lib. 1. cap. 7. Ursperg. l. c. p. 235.

(*i*) *Vid. Frising. lib. alleg. cap. 8, ubi etiam in Friderici hujus laudes effunditur.*

(*k*) *De familia Saliquorum ex medii ævi scriptoribus vid. Frising. Chron. lib. 6. cap. 28. & Ursperg. Chron. p. 286. ubi eosdem natione Francos fuisse docent, & Conradum II. Saliquum, Imper. ex parte patris a Conrado Wormaciensium duce prosapiam duxisse, ex parte matris ex antiqua Clodoveorum stirpe descendisse, insuperque uxorem Gislam de sanguine Carolorum oriundam habuisse, perhibent, atque hanc ob causam* Henr. Stero *Ænobarbum nostrum ex Clarissima Carolorum progenie natum affirmat;* Annal. pag. 229. *Hi autem Salici principes, inprimis Henrici* Cæsares, *Conradi Salici posteri, de Waiblingen quoque [oppido hodie ditionis Würtembergicæ] oriundi dicebantur, quoniam ibi nati atque educati fuerant, testibus* Ursperg. l. c. Henr. Bebelio in Epit. Laud. Suev. pag. 38. *Atque hinc etiam ob allegatam nempe in* §. *cognationem Saliquam Ænobarbus se de familia Waiblingensium ortum traxisse gloriatus est,* apud Ursperg. 296. conf. Crusium Annal. Suev. part. 2. lib. 3. pag. 91. *Adhæc omnes post Hohenstauffii generatim, utpote Saliquorum in Henrico V. proxime extinctorum cognati atque hæredes, itidem Waiblingenses appellati sunt, vel ex eo quoque capite, quod illorum quidam Waiblingæ fuerant educati, quemadmodum de rege Conrado III.* Martinus Crusius part. ead. lib. 10. p. 376. *ac de Friderico I. Imper.* Aventinus Annal. Boj. lib. 6. p. 372. *memorant, licet uterque in castro Hohenstauffen sit natus.* Conf. Felicem Fabri lib. 1. cap. 11. Hist. Suev. p. 97. *qui Fridericum (Monoculum, Ænobarbi patrem) Weiblingæ a nutrice lactatum fuisse refert.*

§. III. Ceterum primus de sanguine Hohenstauffiorum dux Sueviæ Fridericus Antiquus duobus filiis, Friderico ac Conrado & Lucia filia (*l*) ex Agnete conjuge sua procreatis, morte defunctus in monasterio *Laureacensi* (*m*) in proprio fundo suis expensis constructo, humatus est, eique in ducatu Sueviæ successit filius natu major, *Fridericus*, a nonnullis *Monoculus* (*n*) appellatus, qui *Juditha Guelfa Altdorfensi* (*o*) sibi nuptiis juncta, Fridericum ex illa Ænobarbum, postea Imperatorem, nec non Juditham (quæ Matthæo Lotharingiorum duci nupsit;) genitricis nomen referentem genuit.

(*l*) *Aliis* Luitgardis *vocata, nupta fuit Conrado, Marchioni Misniæ, & fundavit splendidum illud ad Danubium Cœnobium* Elchingense, *ab Ulma milliare unum distans, quod descripsit prolixe* Felix F. lib. 2. Hist. Suev. conf. Crusium Annal. Suev. part. 2. lib. 8. p. 254.

(*m*) *Quod*

(m) *Quod fundavit A. 1102. quo etiam obiit. Antea eo loco arx erat, ubi nunc est monasterium* Laureacense, *(quod sedulo distinguas velim ab altero ejusdem nominis monasterio* Laureacensi *in finibus Vangionum, quod etiam* Laurishamense *vocant scriptores veteres.)* Loricense *quoque, ac vulgato hodie nomine* Lorch *appellatum, ex descriptione* Felicis *super Ramasium inter Gamundiam & Schornopiam (forte* Schorndorffium) *situm, in quo solemnes Hohenstauffiorum sepulturas suo tempore visas fuisse idem tradit, atque hodienum Friderici hujus Antiqui epitaphium ibidem extare, auctores habeo satis indoneos. Fuit autem in Papatu quondam Ordinis Benedictini domicilium, nunc vero sub potestate Illustriss. ducis Würtemb. est.* Vid. Felix F. lib. 1. H. S. cap. 12. pag. 100. 101. Martinus Crusius A. S. part. 2. lib. 4. p. 103. & part. ead. lib. 8. p. 254.

(n) Ursperg. Chron. p. 287. conf. Crusium c. l. ult. *ubi illum ἑτερόφθαλμον, unioculum, & luscum appellat. de rebus ejusdem præclare gestis v.* Frising. lib. 1. de gest. Frid. I. cap. 12. 13. 14. de obitu cap. 39.

(o) *Quæ filia fuit Henrici Guelfi Noricorum (sive Bojorum) ducis, atque Henrici Superbi soror.* Otto Frising. l. c. cap. 14. Ursperg. Chron. pag. 289. conf. Crusium c. l.

§. IV. At vero Conradus Friderici Monoculi frater Ducatum Franconiæ (p) concessu beneficioque Henrici V. Imperatoris, Saliquorum masculæ stirpis ultimi, (cujus ex sorore nepos fuit Conradus Hohenstauffius) accepit, & postea extincto sine filiis Lothario *Saxone*, (q) *Confluentiæ* propter necessitudinem Saliquam potissimum Romanorum Rex consalutatus, atque Henrico superbo Lotharii Cæsaris genero, (r) vincentibus Francorum Suevorumque suffragiis, antepositus fuit. (s)

(p) *Quæ & Francia orientalis ætatis mediæ Scriptoribus appellatur,* atque *ante ditionis Salicæ fuerat, quam in potestatem Hohenstauffiorum pervenit.*

(q) *Ex familia Saxo-Supplinburgia.*

(r) *Cum Filia namque Lotharii unica* Gertrude *matrimonium contraxerat Henricus superbus.* Ursperg. Chron. in Lothario II. p. 287.

(s) Vid. Frising. Chron. lib. 6. cap. 22. Ursperg. in Conrado III. p. 292.

§. V. Atque ex dictis nunc facile intelligi potest, quomodo Hohenstauffii e mediocri conditione vitæque statu minus olim splendido temporis successu ad summum orbis terrarum culmen ac fastigium per gradus tandem ascenderint, & famam a majoribus per manus acceptam honestis rebus factisque egregiis magis magisque auxerint, & potentiam suam atque opes virtute juxta ac nobilissimarum familiarum affinitate nimium quantum firmaverint.

§. VI. Quibus ita commemoratis, & necessario quasi præmissis, propius ad Ænobarbum accedimus. Hic igitur Fridericus, (ob barbam & capillum *rufum* (t) *Barbarossa* ab Italis vocatus, Conrado III. (u) patruo vita defuncto, anno Domini 1152. Francofurti unanimi principum consensu & suffragio Romanorum Imperator est electus, & Friderico Conradi regis (x) filio adhuc parvulo de industria præpositus, non solum ob singularem ejus fortitudinem atque prudentiam, (y) quæ juvenem hunc omnibus jam dudum ultro haud vanis indiciis commendaverant, sed etiam ex eo capite, quod in hoc principe nobilissimæ conspirarent *familiæ Saliquorum* sive *Henricorum de Gueibelinga, & Guelforum de Altdorfio*, (z) quas inter hactenus graves non raro lites ortæ sunt atque æmulationes, (a) quibus cum reipublicæ, tum familiis

istis

istis multo potentissimis magna pernicies est allata, hac autem occasione diutinas illos virorum fortissimorum simultates ac dissensiones maximo reipublicæ emolumento, sopiri posse, sperabant principes, si Ænobarbum, utriusque sanguinis consortem, caput imperii constituerent.

(t) *Ænobarbum barba & capillis, imo toto corpore rufum fuisse testatur* Ursperg. Chron. Frid. I. p. 295. & 313. *eumque præterea corpore robustum, facie satis eleganti, statura mediocri, magis tamen longa quam brevi fuisse ibidem affirmat, atque formam dotesque ejusdem copiosius exponit. Quod ex eo repetit* Felix F. lib. 1. H. S. cap. 12. p. 102. de forma & moribus Friderici I. conf. omnino Radevicum lib. 2. de gestis ejusdem, cap. 76.

(u) *In serie regum Germaniæ, verum in serie regum Romanorum II. hujus nominis; cujus nepotem Ænobarbum fuisse falso asserit* Matthæus Paris. Anglus monachus, in Stephano, Angl. rege, ad an. M. C. LI. pag. 82. Edit. Tigur. An. 1589. *scriptor ceteroquin verax judicio Bœcleri* coment. de scriptoribus &c. Sec. XII. p. m. 97. & 102. *sed qui ad suæ gentis, quam exterorum historiam perscribendam fuit attentior, adeoque in* circumstantia *facile impingere potuit. De cetero Fridericum I. Conradi regis ex fratre nepotem, sive ut* Frising. *loquitur*, fratruelem *fuisse, ex domesticis scriptoribus liquido constat, atque ex supra propositis etiam innotescit.*

(x) *Rex duntaxat Romanorum, non vero Imperator, juxta curiæ diplomatumque formulam dicendus est Conradus.* Vid. Dn. Schurtzfleisch. Disp. supr. alleg. *in annot. sua ad* §. 5.

(y) *De rebus ejusdem egregie fortiterque gestis in adolescentia, patre adhuc vivente, & quomodo cum Conrado patruo una in orientem adversus Saracenos fuerit profectus, uberius persequitur* Frising. lib. 1. de gestis ejus, cap. 25. 26. & 59.

(z) *Cave hic confundas locum istum cum Altdorfio Academia nobilitato, reique publicæ Norimbergensi hodie subjecto, a quo prorsus diversum est Guelforum Altdorfium, hoc etenim in Suevia situm esse certum est, & quidem in* Algavia, *quam vocant, nec nisi milliaris dimidium Germanici distat a Ravenspurgio urbe nunc Imperiali; vicus ibi hodie num appellatur* Altorff, *sed ubi quondam in monte proximo castellum Altorffense fuerat, eo loco jam* monasterium Weingartense *est situm;* Quorsum vid. Anonymus Weingartensis Monachus (ab Henr. Canisio ex Codice MSC. Augustano editus an. 1601. Ingolstadii.) in Historia de Guelfis Principibus p. 184. *ubi Guelfonem illum designat, qui monasterium hoc antiquum fundaverit in honorem S. Martini, & nomen Wingarten imposuerit. Hinc etiam Canisius* in præfat. ad Lectorem p. 176. *Laudatum modo scriptorem, &* Altorfensem & Weingartensem *permutatim nominat. Ab hac itaque arce* Guelfi *olim appellati fuerunt* Altorfenses *nobiles sive* ab Altorff, *vel quemadmodum integer ipsorum titulus apud* Monachum Weingartensem lib. cit. p. 177. *habet:* Welfi principes de Altorff, & Domini in Ravenspurg. *Præter Ravenspurgium* Memminga *quoque, ac plures aliæ Sueviæ superioris urbes sub Guelforum ditione fuerant.* Aventinus Annal. Boj. lib. 6. p. 380. & p. 395. *Quocirca Guelfos fuisse genere Suevos, extra omnem dubitationem est positum, id quod etiam Aventinus, studiosissimus antiquitatum indagator, diserte affirmat, cujus verba* lib. 6 Annal. p. 372. *hæc sunt, quatenus ad meum institutum pertinent: Fuit in Suevia gens ab Altorff præcipua, ex qua* Welphones, *qui &* Wolfhardi, Wulfinger, *[quos Itali* Guelphones *nuncupant.] procreati sunt.* conf. lib. 5. pag. 368. *Sed postea duces Bojariæ facti sunt Guelfi, eodemque ducatu centum atque novem annos potiti.* Idem lib. 6. p. 372. *de Welfone IV. primo ejus familiæ Duce Bojariæ* vid. Weingart. lib. cit. p. 185. *Quin imo tandem Guelfi a Lothario II. Imper. duces quoque Saxoniæ sunt creati, posteaquam Henricus Superbus filiam ejus Gertrudem matrimonio secum junxerat, qui uno eodemque tempore duos ducatus Bojariæ & Saxoniæ possidebat, sicut & Henricus Leo, ejus filius.* Ibidem p. 190. *Ceterum quinam primus ab Altorff* Welphonis *cognomen tulerit, & qua occasione, item de Guelforum ultima origine, potentia & rebus gestis,* vid. ex antiquis Ursperg. in Lothario Sax. pag. 287.

287. seqq. Weingartensis Monachus supra laudatus in Hist. de Guelfis Principibus. *Ex recentioribus autem* Aventinus Annal. Boj. lib. 6. integro, Reinerus Reineck in der Chronica deß Chur- und Fürstlichen Haußes der Marggrafen zu Brandenburg [*ubi ex vetustissimo Atrani Gebulæ Chronico Guelforum originem, prosapiam, &c. eleganter investigat, & quomodo ex Guelfis per Henricum Leonem omnes Duces Brunsuicenses & Luneburgenses descendant, prolixius ostendit, imo Comites quoque Zolrenses & Marchiones Brandenburgicos ex Guelforum prosapia originem ducere, multis ibidem probatum ivit.*) Edit. Wittenberg. An. 1580. & *novissime* Gabriel Bucelinus, *itidem Weingartensis sed nostro tempore Monachus*, (*quem* magnam laudem scribendis Guelforum rebus promeritum esse, *censet Dn.* Schurtzfl. Disp. cit. §. 2.) in historia Agilolfingica, edit. An. 1662. Augustæ Vindel.

(*a*) *De capitali hoc atque hereditario inter æmulas istas in Suevia familias odio præter* Frising. de gestis Frid. I. lib. 2. cap. 2. & Ursperg. Chron. in Frid. I. p. 295. vid. omnino Aventinum Annal. Boj. lib. 6. pag. 372. *nec non quæ Vir nostra laude major* C. S. Schurtzfl. *de Guelforum atque Hohenstauffiorum* [*qui Saliquorum proxime demortuorum causam pariter & odium susceperunt.*] *sigillatim Henrici superbi & Conradi regis æmulationibus, magnisque simultatibus accurate commentatus est* in Differt. sæpe laudata de Henr. Leone, §. 6. cf. §. 5. *Atque ex iisdem dissensionibus famosæ post factiones* Guelforum *Imperatoribus rebellantium, &* Gibellinorum *Cæsaribus obsequentissimorum sunt exortæ. Hinc suo adhuc tempore Italiam fautores atque amicos Cæsaris* Gibellinos, *hostes* Guelphos *vocitasse, memoriæ tradidit* Aventinus l. c. conf. Felic. Fabri lib. 1. cap. 11. pag. 97. seq. *ubi primam invisorum horum nominum originem atque occasionem recenset, & quomodo ex Weibelinga Itali sua lingua* Gibelin, *atque ex* Welf, Guelf [*mutata pro more suo Germanica litera W. in G.*] *formaverint, curiose ostendit.*

§. VII. Prima etiam cura principis nostri fuit, ut pacem ac concordiam inter Germaniæ principes faceret ac instauraret, omnemque movit lapidem, quo tandem controversia illa atque dissensio Henricum inter Marchionem de Austria patruum suum & Henricum Leonem Saxoniæ ducem, avunculi sui filium, super ducatu Bojariæ excitata, sine sanguinis effusione terminaretur. (*b*) Etenim Conradus III. Henricum superbum Leonis patrem, quod Cæsaream concupiscens dignitatem multa in se molitus esset, proscriptum ducatu Bojariæ mulctaverat, illumque Leopoldo Austriæ Marchioni, atque eo defuncto, fratri ipsius Henrico lege beneficiaria contulerat. Exinde Germania in partes distracta, valdeque turbata fuerat, ac multum sanguinis utrinque fusum. Quocirca Fridericus pessimæ huic rerum faciei, turbulentoque patriæ statui præsentissimum allaturus remedium, aliquot celebravit Comitia Imperii, Herbipoli primum, deinde Spiræ, [irrito semper conatu, quandoquidem Henricus Austriacus Norico ducatu semel sibi collato cedere, identidem detrectabat,] denique in curia Goslariæ habita Henrico Leoni avitus Bojariæ ducatus judicio decretoque principum adjudicatur. Cæsar namque finem negotio imponere cupiebat, ut pacata prius Germania, expeditionem Italicam coronæ imperialis accipiendæ, auxiliique Apulis a Rogerio patria pulsis ferendi gratia decretam securus susciperet, cujus itineris socium Henricum Leonem, juvenem armis strenuum, habere exoptabat. Sed vero neque hac vice omne dissidium fuit sublatum, quandoquidem Henricus Austriacus in Comitiis Goslariensibus publico edicto evocatus, ne apparuit quidem, nedum juri suo in Bajoariam renunciavit.

(*b*) Frising. de gest. Frid. I. lib. 2. cap. 7. & 11. Ursperg. in Eod. p. 295.

§. IIX.

§. IIX. Tum demum consummata expeditione Italica, Princeps Roma rediens, cum patruum suum denuo ad transigendum cum duce Saxoniæ semel atque iterum esset adhortatus, in Comitiis Ratisponæ habitis totam litem ac controversiam terminavit tali compositione facta: ut Henricus Marchio Austriæ cederet & renunciaret omni juri in ducatum Bajoariæ, eundem vero Henricus Leo reciperet, excepta duntaxat Marchia Orientali (sive Austriæ) hactenus Ducatui Bojariæ lege beneficiaria obnoxia, quam Imperator consensu judicioque principum a jurisdictione Ducis Bojariæ exemptam, adjunctis ei quibusdam de Bojaria Comitatibus, in Ducatum, qui deinceps nullo interjecto ad Imperium pertineret, convertit, patruumque suum Henricum, ne Ducatus Norici (c) resignatione nomen Ducis prorsus perderet, *primum Austriæ Ducem* creavit. Acta sunt hæc anno M. CLVI. sicut patet ex diplomate Friderici I. Imperatoris, quod exhibet *Henricus Stero* (d), atque ex eodem fontes hujus rei verissimaque capita omnium certissime hauriuntur.

(c) *Ducatus* Bajoaricus *apud antiquos scriptores vocatur quoque* Noricus, *cujus metropolis olim fuerat Ratisbona, Ducumque Bojariæ sedes, at vero Guelfis Ducatu isto mulctatis atque ejectis, de potestate Ducum exempta, urbsque libera & Imperialis facta est.* Vid. Aventinum lib. 6. p. 398. & Dn. Schurzfl. in Differt. vice plus simplici a nobis allegata, & quidem §. *3. ad quam insuper annotavit scriptores qui præter Aventinum de Veteris Norici finibus docte commentati sint,* Marcum *nempe* Velserum in libris rerum Boicarum, Hier. Megiserum Chr. Corinth. lib. 3. *atque ab Noricorum populo dictum esse* castrum Noricum, *sive* Norimbergam, *ibidem docuit.*

(d) In Annalibus p. 231. seq. *Hunc Steronem Monachum, ex Codice MSC. Augustano inter alios medii ævi scriptores edidit* Henricus Canisius An. 1601. Ingolstadii. *Ceterum diploma hoc extat quoque* in Austria Cuspiniani, conf. Aventinum Annal. Boj. lib. 6. p. 390. qui p. 389. *memorabilem illam sub Friderico I. mutationem factam sic describit: Sententia principum ea portiuncula Norici atque Bo„jariæ, quæ ab ostiis Oeni, ad ostia Anasi, orientis ad oram, cum Danubio 60000. „passuum extenditur, &* supra Anassum regio *cognominari solet, divulsa occi„dentali Bojaria, orientali conjungitur: Bojariaque in duos ducatus divisa, sub „duobus legatis Cæsaris constituta est, alter* Austriacus, *h. e. orientalis, alter occidentalis simpliciter Bojarici exercitus dictus est ductor, hactenus* Aventinus. *Ex quibus proinde intelligitur, potentiam Ducum Bojariæ non parum fuisse diminutam, posteaquam* Marchia Bojariæ *(quæ alias medii ævi scriptoribus Austria, sive Marchia Orientalis dicitur) Ducatus dignitatem atque honorem suscepit,* antea enim quatuor Marchiones Austriæ, Styriæ, Istriæ, Cambensis, qui dicebatur de Vohburg, evocati ad celebrationem curiæ Ducis Bavariæ venire tenebantur, *teste iterum* Henr. Sterone l. c. *Totam vero hanc rem uberius exposuerunt* Frising. de gestis Frid. I. lib. 2. cap. 32. Güntherus *[ejus tempestatis poëta elegantissimus, cujus opus cum auctore non est confundendum, quasi Ligur fuisset]* Ligurini lib. 5. sub finem. Ursperg. p. 296. Chron. Weingartense *(itidem a Canisio editum)* p. 221. Joh. Trithemius Chronico Ducum Bavariæ p. 109. Edit. Francof. An. 1601. & supra allegati.

§. IX. Præterea Ænobarbus avunculo suo Guelfoni, ut favorem ejus plene obtineret, Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, principatum Sardiniæ, & totam terram Mathildis *comitissæ*, sub clientelari tamen beneficiarioque nexu contulit. Et Cunradum fratrem suum Comitem Palatinum Rheni effecit (e).

(e) Vid Ursperg. in Frid. I. p. 296. Chron. Weingart. p. 221.

§. X. De cetero corona Romana Fridericus ab Hadriano IV. P. R. fuit redimitus Romæ An. M. CLV. destructisque aliquot rebellibus Italiæ urbibus, ac firmata in illis regionibus auctoritate sua, in Germaniam rediit. (f) Quia vero

vero se absente Arnoldus Moguntinus Archiepiscopus & Hermannus Rheni Palatinus Comes totam pene Rheni provinciam ferro, flamma, publicisque congressibus perturbarant, Archiepiscopo quidem ob senii morumque gravitatem & sacri ordinis reverentiam pepercit, atvero Palatinum, magnum imperii principem, probroso supplicii genere mulctavit, illumque una cum sociis decem comitibus ejusdem criminis reis canes per milliare Germanicum portare coëgit. (g) Qua laudabili sane severitate tantam sibi apud omnes comparavit auctoritatem, ut in posterum nemo tumultuari, pacemque publicam turbare facile præsumeret, sed universi quieti studere mallent.

(f) Frising. de gest. Frid. I. lib. 2. cap. 22. sqq. conf. Joh. Trithemium in Chron. Hirsaug. ad An. MCLIV. p. 137.

(g) Frising. lib. eod. cap. 28. Trithemius in Chron. Hirsaug. l. c. *ubi nomina illorum comitum, simul canes portantium recenset*, nec non Chron. Sponheim. pag. 253. *Frisingensis autem verba*, de gestione canum *apud priscos Germanos usu recepta*, ex cap. alleg. *subtexere operæ pretium esse duximus*: vetus, *ait*, consuetudo pro lege apud Francos & Suevos inolevit, ut si quis nobilis, ministerialis vel colonus coram suo judice pro hujusmodi excessibus [*pacis publicæ violationem absente Cæsare subintelligit.*] reus inventus fuerit, antequam mortis sententia puniatur, ad confusionis suæ ignominiam nobilis canem, ministerialis sellam de comitatu in primum comitatum gestare cogatur. *Quem morem* Güntherus *quoque* poëta, Ligurini lib. 5. pag. 70. Edit. Basil. An. 1569. *eleganter bisce expressit versibus*:

- - vetus mos est, ubi si quis Rege remoto,
Sanguine, vel flamma, vel seditionis apertæ
Turbine, seu crebris regnum vexare rapinis
Audeat, ante gravem quam fuso sanguine pœnam
Excipiat, si liber erit, de more vetusto
Impositum scapulis ad contigui Comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre,
Sin alius, sellam. - - - -

Quo de legi quoque meretur Georgii Sabini *tetrastichon, quod exhibet* Cl. Henr. Meibomius ad Sleidan. de IV. Summis Imperiis lib. 3. in Frid. I. *ubi plures hac de materia scriptores invenies allegatos.*

§. XI. Contracto circa idem tempus novo matrimonio Imperator potentiam opesque domus suæ non parum auxit atque firmavit; repudiata namque ob vinculum consanguinitatis conjuge priori Adila, Marchionis *Diepoldi* de Hochburg filia, (*h*) Beatricem Reinaldi comitis Bisuntini, de antiqua illustrique Burgundionum prosapia originem trahentis, filiam unicam, celebratis Herbipoli regio apparatu nuptiis, duxit uxorem, quæ non tantum Burgundiam propemodum universam, sed & Provinciam marito suo dotis titulo attulit, adeoque hoc pacto regnum Arelatense Imperio jamdiu alienatum postliminio restituit Cæsar, episcopis ac proceribus terræ illius fidelitatis sacramento sibi obstrictis, ipsis vicissim *beneficia* sua de manu Imperatoris more recepto suscipientibus. (*i*) Cetera res quemadmodum acta fuerit apud Burgundiones, monumentis sedulo prolixeque commendavit *Radevicus*, (*k*) candidus atque probus ejus tempestatis scriptor.

(*h*) *Divortium hoc in Synodo Constantiensi per Apostolicæ, ut loquuntur, sedis legatos est factum; Adilam postea Dietho de Ravensburg, Cæsaris minister, duxit uxorem.* Frising.

Frising. lib. 2. cap. 11. de gest. Frid. I. Ursperg. Chron. p. 297. *graviſſimum exinde in Eccleſia ſcandalum exortum fuiſſe teſtatur* Trithemius Chron. Hirsaug. ad An. MCLVI. p. 137.

(*i*) *Friſing. lib. eod. cap. 29.*

(*k*) *De rebus geſtis Frid. I. lib. 1. cap. 8. & 11. erat Radevicus Friſingenſis Eccleſiæ Canonicus; Hiſtoriam de geſtis Frid. I. ab Ottone, Epiſcopo Friſingenſi, cœptam ipſe continuavit.*



DISSERTATIO XXII.

DE FRIDERICO ÆNOBARBO DISSERTATIO POSTERIOR.

§. I.

Noſtri ratio inſtituti, imo & promiſſi fides requirunt omnino, ut reliquas etiam res a FRIDERICO I. Imperatore Auguſto præclare geſtas perſequamur; Nimirum poſteaquam in Germania Imperator magna ſeveritatis ac juſtitiæ cura imperium ordinaverat, univerſa illa terra fruebatur optima jam pace, ac diu deſiderata tranquillitate; ille vero tanta quiete ad otium voluptatumque illecebras noluit abuti, ſed belli ſtrepitum ac præliorum diſcrimen lenociniis cupiditatum & deliciis domeſticis longe prætulit; quocirca magno cum exercitu Poloniam ingreſſus, Bolezlaum Polonorum ducem, (quod fratrem ſuum Lolizlaum, Gertrudis cognatæ Friderici maritum, patria pulſum recipere nollet, interceſſione Imperatoris ſusque deque habita, inſuperque ſolitum quingentarum *marcarum* tributum publico inferre ærario detrectaret,) in ordinem redegit, & tandem duris conditionibus pacis propoſitis in gratiam recepit. (*a*)

(*a*) Radevicus de geſtis Friderici I. lib. 1. cap. 1. usque ad c. 6. Guntherus Ligurini lib. 6.

§. II. Quo bello feliciter ad finem perducto, dux Bohemorum Labezlaus (*b*) ob egregia facinora, fidemque erga Cæſarem, ac magnam virtutem, quæ in Polonica expeditione potiſſimum eluxerat, a Friderico I. Imp. Rex Bohemiæ creatus eſt Ratiſponæ anno M.CLVIII. (*c*)

(*b*) Sic Otto Friſing. de geſt. Frider. lib. 2. cap. 27. *eum vocat, &* Radevicus *ejusdem continuator l. c. conf.* Gunther. Ligurini lib. 6. pag. 89. Steroni *autem* Waditzlaus *dicitur in* Annal. pag. 232. *aliis* Uladislaus.

 (*c*) Ra-

(c) Radevicus lib. alleg. cap. 13. Ursperg. Chron. p. 297. Atque Henr. Stero *ex illis est corrigendus, qui anno 1156. hoc contigisse affirmat. Probe autem ex* Aventino *hic observandum venit, creationem illam regis Bohemorum hac lege tum temporis fuisse factam,* ne ea dignitas ad posteros transiret, sed ei honori successor exhæres foret. *lib. VI. Annalium Bojorum pag. 390. quemadmodum etiam ante Ænobarbum Henricus IV. Uratislaum Bohemum diademate exornaverat, cujus tamen successoribus eadem dignitate regia gaudere minime erat integrum. Postea vero Philippus Suevus Ænobarbi filius* Primislaum, *cognomine* Ottocarum, *Moguntiæ in conventu principum A. C. 1199. creavit regem cum perpetua dignitate, ad successores etiam continuanda. v.* Trithem. Chron. Hirsaug. ad dictum annum p. 162.

§. III. Postea Imperator *Mediolanum* toties sibi rebellans difficili obsidione cepit, diripuit, incendit, ac funditus eversum solo æquavit, sale etiam inspersο, atque aratro per medium urbis tracto. (*d*)

(*d*) *Mediolanum a Friderico I. destructum fuit anno 1162.* Ursperg. Chron. pag. 306. *ubi eversionem hujus urbis prolixe diligenterque descripsit, nec non primam Ænobarbi contra Mediolanenses expeditionem* p. 298. *& secundam* p. 300. *conf.* Guntherem in Ligurini libris X. *passim.* Henr. Steronem in Annal. p. 229. 231. 233. seqq. Chron. Weingart. pap. 221. Felicem Fabri in Hist. Suev. *lib. 1. c. 12. p. 103.*

§. IV. Ceterum Fridericus, Imperator Augustus, libertatem imperii, auctoritatemque Cæsarei nominis sicuti contra omnes omnino hostes, ita inprimis adversus Romanos Pontifices mascule & constanter defendit, istorumque ambitioni eo usque restitit, ut irarum pleni fulmen anathematis in ipsum semel atque iterum contorquerent. Id quod uberius aliquanto & fusius ex fide dignis illorum temporum monumentis jam confectum dare non pigrabor.

§. V. Hadrianns itaque P. R. etiamsi ab initio in Cæsarem studio benevoloque affectu inclinare videretur, postea tamen ejusdem in Italia potentiam majora subinde incrementa capientem ægre ferens, ad frangendas principis nostri vires nihil non tentavit, eandemque ob causam Mediolanensibus toties ob perfidiam ab Imperatore mulctatis, ut denuo adversus Fridericum arma sumerent, auctor suasorque fuit.

§. VI. Illud vero inprimis Hadrianum male habuit, quod Imperator in epistolis nomen suum Pontificis nomini præponeret, insuperque ab episcopis fidelitatis sacramentum exigeret, nec non Cardinalibus a latere, ut loqui amant, missis non solum Ecclesias, verum etiam civitates regni, ditionisque suæ clauderet. (*e*)

(*e*) *Epistola Hadriani Papæ ad Fridericum, & hujus ad Pontificem extant* in appendice ad Radevicum, pag. 345. *quæ ex Chronicis Naucleri (qui eas in Hirsaugiensi cœnobio Spirensis diœcesis reperisse se testatus est.) ibidem sunt adjectæ. Nequeo mihi temperare, quo minus in gratiam curiosi Lectoris præcipua verba ex Imperatoris epistola, quam Hadriano rescripsit, subtexam, ut eximia animi magnitudo, laudabilisque adversus fastum Pontificium constantia principis nostri clarius innotescat omnibus. Ita vero paucis præmissis respondet Pontifici* : Quicquid Papatus vester *Regalia* habere dignoscitur, largitione principum obtinet. Unde cum Romano Pontifici scribimus, jure antiquo nomen præponimus, &c. Revolvite Annales, & si lectum non legistis, quod asserimus, illic invenitur. Ab iis autem, qui dei sunt per adoptionem, & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus? Cum ille noster & vester institutor, ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona

bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persolvit, & exemplum vobis dedit, ut ita faciatis, doceat vos, dicens: *discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Aut igitur regalia nostra nobis dimittant, aut, si hæc utilia judicaverint, quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari persolvant. Cardinalibus utique vestris clausæ sunt Ecclesiæ, & non patent civitates, quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores; non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores; non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores. *Et paucis interjectis:* Humilitati autem, quæ est custos virtutum, & mansuetudini vestræ non minimam notam inuritis, cum hujusmodi quæstiones religioni non multum conferentes, secularibus personis proponitis. Non enim non possumus respondere auditis, cum superbiæ detestabilem bestiam usque ad sedem Petri reptasse videmus, &c. *Illud etiam Hadrianum male urebat, quod Cæsar Notario suo præceperat, ut in scribendis chartis Papam dictionibus singularis numeri nomine suo alloqueretur.* Radevicus lib. 2. cap. 18.

§. VII. Verum ex eo quoque capite major postea graviorque Cæsarem inter atque Pontificem lis ac dissensio est exorta, quod Hadrianus in literis ad principem datis inter cetera scripserat: *dignitatis & honoris plenitudinem Imperatori a Romano Pontifice fuisse collatam, & insigne imperialis coronæ eundem de manu sua suscepisse, adeoque imperium suum esse beneficium (f)* verbis haud obscuris affirmaverat. Etenim epistola ista tam arrogante perlecta, magna principes qui aderant commoti fuere indignatione, cumque super insolita hac legatione invalescente inter optimates imperii strepitu & turba, unus Cardinalium legatorum, qui literas illas tradiderant, dixisset: *a quo ergo habet, si a domino papa non habet imperium?* tanta ob hoc dictum accensus ira *Otto palatinus Comes de Bajoaria*, ut illius jugulo strictum admovens gladium intentaret mortem. Atenim vero auctoritate sua interposita, Imperator tumultum quidem compescuit, ipsis vero legatis, ut primo mane aula relicta abirent, neque hac vel illac, in episcoporum, abbatumve territoriis vagarentur, sed recta via Romam reverterentur, severe injunxit. Interim quæ acta erant, circummissis per totum imperium literis, (g) significavit omnibus, atque imperium a solo Deo per principum electionem accepisse se adseveravit, quocirca cum Petrus apostolus mundum hac doctrina informaverit; *Deum timete, regem honorate;* omnes illos, qui imperialem coronam pro beneficio a papa suscepisse se dicant, divinæ institutioni, atque Petri doctrinæ contrarios, mendaciique reos esse affirmavit; quin imo mortis periculum malle se incurrere, quam pati, ut honor auctoritasque imperii tam inaudita novitate suis temporibus imminuatur, aut ignominia tanta afficiatur.

(f) Radevicus lib. 1. c. 10. *auctor est, de Imperatore Lothario II. in palatio Lateranensi super picturam ejusdem acta repræsentantem, versus sequentes suo tempore scriptos extitisse: Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores; Post homo fit papæ, sumit quo dante coronam. Hinc illa quoque tempestate a non paucis Romanis,* imperium Urbis, & regnum Italicum reges Germaniæ hactenus donatione Pontificum possedisse, *temere affirmabatur, quamobrem cum aliquando pictura ista cum inscriptione tam ignominiosa Friderico Ænobarbo Romæ per ministros suos ostenderetur, vehementer ipsi displicuit, atque ut scriptura pariter ac pictura talis de medio tolleretur, Hadriano injunxit serio, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi præbere posset materiam. conf. cap. 16.* & Joh. Trithem. Chron. Hirsaug. ad An. 1157. p. 140. *conf. quæ* Aventinus *ex epistola Hadriani papæ ad Hillinum Trevirorum, Arnulphum Mogontinum, Fridericum Agrippinensem archimystam data exscripsit, ubi de simili prorsus argumento verba nil nisi fastum papalem, arrogantemque superbiam spirantia deprehendes.* Annal. Bojorum lib. 6. p. 390.

(g) *Imperatoris epistolam ad imperium exhibet* Radev. c. I.

 §. VIII.

§. VIII. Contra vero Hadrianus de his rebus omnibus certior factus, ad archiepiscopos atque episcopos Germaniæ dedit literas, ac de injuria Legatis suis illata, ut & de edicto ab Imperatore publicato, quo Germani religionis causa Romam adire prohibebantur, vehementer est conquestus, eosque ut principem ad rectam viam reducerent, sedulo admonuit. Sed vero tantum aberat, ut Episcopi Germani partes Cæsaris propterea desererent, ut maxime etiam Papæ in hoc capite repugnarent, imperiique libertatem multis verbis vindicarent in epistola ad Hadrianum exarata. (*b*)

(*b*) Hæc epistola extat apud *Radevicum lib. 1. cap. 16.*

§. IX. Quamobrem Pontifex adventu insuper principis (*i*) perterritus, consilium mutavit, nunciosque prioribus majorem præ se ferentes humanitatem ad leniendum ejus animum misit; qui Augustæ Vindelicorum ab Imperatore admissi, orationem humillimam ad mitigandum principem accommodatam habent, nova insuper epistola Pontificis oblata, in qua ille suam erga Cæsarem reverentiam prædicat, præterea prioris epistolæ verba, quæ Cæsaris animum contra se adeo commovissent, explicatione commodiori excusat, per *beneficium* se non *feudum*, sed *bonum factum* juxta nativam hujus vocabuli significationem, intellexisse callide asserens, jam vero *bonum factum* omnino esse judicandum, quod coronam Romanam capiti ipsius honorifice imposuisset. (*k*) Qua subdola epistolæ interpretatione Imperator mitigatus, atque Hadriano fuit reconciliatus.

(*i*) *Cæsar namque Reinaldum Cancellarium & Ottonem Palatinum Comitem cum exercitu in Italiam jam præmiserat, per eosque certa Sacramenti forma præscripta, Italiæ episcopos civitatesque jurejurando sibi devinxerat.* Radev. c. 17. l. 1.

(*k*) *Præter* Radev. l. 1. c. 22. *vid. etiam* Trithem. Chron. Hirsaug. ad an. 1157. pag. 140. seq.

§. X. Sic & contra ceteros suæ ætatis Pontifices imperii majestatem pro virili defendit; Etenim quum extincto Hadriano dissidium in electione Papæ inter Cardinales esset obortum, adeo ut duo Pontifices simul eligerenter, Octavianus nempe, qui Victoris nomen sumpsit, ac Rolandus, Alexander III. postea vocatus, Imperator auctoritatem potestatemque congregandorum Conciliorum exemplo Constantini M. Theodosii, Justiniani, Caroli M. atque Ottonis M. ad se quoque ex officio ac dignitate imperii pertinere asseverans, Synodum Papiæ, ut schisma tolleretur, convocavit, in qua Alexander legitimum defugiens judicium ab Ecclesiæ præsulibus ibi congregatis damnatus est: *Victor* qui Synodi se potestati submisit, confirmatus, atque Cæsare missis per Europæ regna literis contra Alexandrum III. defensus. Ex adverso Alexander in Galliam fuga elapsus, in Victorem pariter & Fridericum fulmen excommunicationis evibravit, & Venetos, Mediolanenses atque vicinos omnes in Imperatorem concitavit. Regressus igitur cum valido exercitu in Italiam, Romam cepit, ac seditiosos cives severe mulctavit, fugatoque Alexandro, Paschalem in locum Victoris morte defuncti Papam constituit, & multa fortiter in Italia adversus rebelles gessit. (*l*) Alexandrum fuga Venetias petentem filius Cæsaris Otto cum instructissima classe persecutus, à Venetis capitur. Quo tristi nuncio perculsus, insuperque molestiarum & dissidiorum pertæsus Imperator jam vergens in senium, pacem cum Alexandro fecit, eumque legitimum Pontificem tandem agnovit (*m*).

(*l*) Vid.

(*l*) Vid. Radevicus *lib.* 2. *c.* 54. & 64. Abb. Ursperg. in Frid. I. *pag.* 303.

(*m*) Ursperg. l. c. pag 301. conf. Matthæus Paris in Henrico II. Angliæ rege pag. 128. *aliique æquales illorum temporum Scriptores.*

§. XI. Narrant Itali & recentiores quidam Scriptores, Friderici Ænobarbi collum ab Alexandro Papa Venetiis ad januas ædis D. Marci fuisse calcatum, etiam contumeliose dicente, *super aspidem & basiliscum ambulabis, & calcabis leonem atque draconem.* Cum responderet Pontifici: *Non tibi, sed Petro, cujus es successor, pareo;* regessisse illum consueta superbia: *Et mibi & Petro.* Verum enim vero hanc narrationem non pauci viri doctrina pariter & dignitate illustres etiam ex nostratibus in dubium vocarunt, imo prorius fabulosam, atque ab Italis, Guelficæ præsertim factionis hominibus, in Germanorum contumeliam fuisse confictam judicarunt, quod non modo magnanimi illius fortissimique Imperatoris ingenio & rebus gestis repugnet, verum etiam monumentorum fide dignorum, Scriptorumque illorum, qui ævo isto vixerunt, testimonio prorsus destituatur. (*n*)

(*n*) *Actum agerem, si controversiam hanc copiosissime a viris eruditione clarissimis dudum pertractatam & ego in præsens ab ovo arcesserem, ac sententiam hujus rei sive* affirmativam, *sive* negativam *multis argumentis operosius demonstrare, auctorumque testimoniis prolixe fuseque adductis tueri aggrederer, præsertim quum id nec ratio instituti, nec chartæ spatium facile concedant, quondoquidem ut reliqua etiam Friderici facta nunc attingam, vi promissi teneor. Ceterum* negativam *acerrime propugnavit.* Christ. Adamus Rupertus in observ. ad Synopsin Historiæ Universalis Besoldianam pag. 663. seq. Edit. Norib. An, 1659. *atque ante illum eandem proposuere* negativam *Aventinus, Conradus Rittersbusius, Matthias Berneggerus, Georgius Remus, [quem* ab hac ignominia Fridericum non perfunctorie liberasse *censent viri eruditi, qui Compendium H. E. in usum Gymnasii Gothani adornarunt,* pag. 618] *Georgius Richterus, Thomas Reinesius, Dilherrus, &c. quos ibidem pro se allegavit Rupertus, atque nostro tempore huic sententiæ subscribit summus quidam Polyhistor, cujus auctoritas apud me permagnum momentum habet, ut alios nunc brevitatis ergo silentio tegam. Haudquaquam vero viri hi doctissimi narrationem istam* de collo Friderici Imper. ab Alexandro pedibus calcato *cum* Baronio Cardinali *ex eo capite inficiantur, quasi* abhorruerit a tanti vicarii Christi mansuetudine turgens fastu facinus, *siquidem arrogans Romanorum Pontificum superbia, Antichristica tyrannis, injustumque imperium, quod in maximos etiam principes insolentissime exercuerunt neminem facile fugiat, qui historiarum medii ævi obiter saltem gnarus est; sed ideo potissimum, quod de tam ignominioso actu probatissimi quique præsertim illius ætatis scriptores prorsus tacent; ut alia in præsenti transeam. Auctores vero illos, qui narrationem hanc pro historia primi venditarunt, allegatos invenies apud laudatos supra viros; Ceterum ex recentioribus* affirmativam *publice defendendam susceperunt viri doctissimi magno numero, inprimis Celeberrimus* Wagenseilius *de Impp. XI. & XII. seculi,* Reiserus *in Roma Non Gloriosa; quibus adstipulatur* Joh. Henr. Heideggerus in Historia Papatus pag. 106. *ac plures alii, quibus nunc enumerandis ob chartæ angustiam supersedeo, atque ad allegatos modo, cum brevitati studendum sit, B. L. remitto.*

§. XII. Præterea inter res imperante Friderico I. gestas omnino est memorabilis Henrici Leonis proscriptio, quæ insignium in Germania mutationum causa fuit. Ut autem altius repetam: Quum Imperator Alexandriam (*o*) instinctu Papæ sibi rebellantem circumsideret, Henricus Leo ab Alexandro III. P. R. corruptus, ab excommunicatione Cæsaris arrepta occasione, perfide ab eo recessit, Cæsareumque exercitum magno exposuit periculo; quocirca Imperator eundem secutus, demisse admodum rogitavit, ne se desereret, sed memor beneficiorum copiis suis adversus hostes sibi subveniret, auxiliumque ferret.

Hinc

Hinc etiam cum se exorari non pateretur, in maximum Cæsaris odium incurrit.

(o) *Alexandria dicta erat hæc Italiæ urbs, in honorem papæ Alexandri III. a Mediolanensibus ædificata, quorum civitas ab Imperatore prius destructa fuerat.* vid. Ursperg. Chron. pag. 309.

§. XIII. Etenim Fridericus multis tunc magnisque defunctus periculis, feliciter tandem in Germaniam rediit, Henricumque Leonem (qui interea cum comitibus Zolrensibus & Veringensibus, aliisque contra Imperatorem conjurationem fecerat) criminis læsæ majestatis accusavit, ac principum consensu proscriptum Ducatibus Bojariæ pariter & Saxoniæ privavit, insuperque triennii exilio affecit. (p)

(p) Ursperg. *pag.* 310. Henr. Steronis Annales *pag.* 230. 236. & 237. Chronicon Weingart. *pag.* 221. *seq.* Trithem. Chron. Ducum Bavariæ, *p.* 109. & Chron. Hirsaug, *p.* 154. *conf. inprimis* Aventinus in Annal. Bojorum *lib.* 6. *p.* 397.

§. XIV. Ducatum post Bojariæ contulit *Ottoni* (q) *Comiti Palatino Witelsbachio*, origine *Schirensi*, (r) utpote legitimo, proximoque hæredi; a quo principe laudatissimo omnes Bojariæ Duces & Comites Palatini Rheni ad nostra usque tempora descenderunt. (s) Hac igitur ratione Ducatus Noricus Guelfis ademptus beneficio Friderici Ænobarbi ad familiam *Schirensem* postliminio rediit anno MCLXXX. (t)

(q) *Otto hic, cujus supra* §. 7. & 9. *lit. l. mentionem fecimus, fuit vir fortissimus, singulari virtute, constantia, raraque in Fridericum I. fide præditus, atque inprimis in expeditionibus Italicis adversus rebelles civitates & Romanos Pontifices susceptis de Cæsare omnium optime meritus, adeoque ipsi apprime carus, quem magnis effert laudibus* Radevicus lib. 1. cap. 18. *conf.* Trithem. Chron. Bavar. *p.* 109. Aventin. l. 7. Annal. Boj. *pag.* 400.

(r) Schiren, Schyren, (*quemadmodum* Stero l. c. *permutatim scribit,*) *vel secundum* Trithemium Scheyeren, *aut etiam* Scheurn, (*ut habet* Aventinus,) *castellum superioris Bojariæ quondam fuerat fortissimum (nunc vero templum) quod Arnolphus Imperator seculo IX. construxerat, cujus filius Arnoldus fuit dux Bojariæ, alter autem Bernhardus, Arnoldi frater, comitatum* Scheyeren *accepit, duosque genuit filios, Echardum nempe, post obitum parentis comitem Scheyrensem, & Ottonem, qui in Witelspach oppido superioris Bojariæ habitavit, unde & soboles ejus cognomen sortita est. Atque ex ejusdem stirpe originem traxit* Otto hic Witelsbachius, *qui Henrico Leone proscripto, Bojariam, unde majores ipsius ante annos ducentos atque triginta unum, ab Imperatore Ottone I. submoti fuerant, in fidem virtutis ergo ab Imperatore Friderico I. accepit. Idem Otto dux una cum reliquis ejus temporis Comitibus Schirensibus ex castro* Scheyeren, *quod antiquitate nimia pene corruerat, monasterium ædificarunt, atque in sepulchrum generis sui perpetuum elegerunt. Hinc* Aventinus *templum magnifice extructum,* D. Benedicto *a Schiris principibus dedicatum suo adhuc tempore extitisse, ibique Mausolea eorundem visa fuisse auctor est. Fuit ergo Schira gens præcipua semper nobilissimaque apud Bojos, utpote a Carolo M. per Arnolphum oriunda.* Trithem. in Chron. Bavarico l. c. & p. 103. Aventinus *lib.* 6. Ann. Boj. *p.* 398. & *lib.* 7. *p.* 400.

(s) *Quomodo a Comitibus Schirensibus a Witelspach Bojariæ Duces ac Palatini Comites genus deducant, per ordinem ad sua usque tempora prolixe sedulogue commonstravit doctissimus ille Abbas,* Johannes Trithemius *in sæpe laudato* Chronico successionis Ducum Bavariæ & Comitum Palatinorum: ad Philippum Palatinum Comitem, principem Electorem, *nec non de Schirensium stemmate, atque genere, eorumque posteris conferri meretur omnino* Aventini lib. VII. integer Annal. Boj.

(t) *Tertia*

(*t*) *Tertio Idus Julii,* Aventin. l. 7. pag. 400. conf. *supra allegatos* Ursperg. & H. Steronem, *atque ex recentioribus inprimis* Dn. Schurtzfleisch. in Disput. de Henr. Leone §. 3.

§. XV. Eodemque tempore Ducatum Saxoniæ Bernhardo Asconio (*u*) (sive Anhaldino) Alberti Ursi filio, ac Westphaliam Philippo Coloniensi Archiepiscopo beneficiario nexu donavit, ceterasque Leonis ditiones (*x*) variis distribuit, exceptis duntaxat possessionibus & provinciis, agro Brunsuicensi & Luneburgensi comprehensis, quas intercessione regis Angliæ, soceri (*y*) pro se ac posteris suis Henricus retinuit. (*z*) Quo pacto magna illa, ceterisque Germaniæ principibus pertimescenda Guelforum potentia valde labefactata atque imminuta fuit.

(*u*) *Ursperg. l. c.* Trithem. Chron. Hirsaug. pag. 154. *Preterea Bernhardo Archimareschallatus a Friderico I. jure perpetuo ac hereditario fuit attributus, quæ dignitas una cum Ducatu Saxonico penes Ascanios fuit usque ad Sigismundum Imperatorem, qui Electoratum Saxoniæ cum omnibus juribus ad eum spectantibus transtulit ad* Fridericum Bellicosum, *Saxo Wetinensem, Marchionem Misniæ & Landgravium Thuringiæ pro navata fortiter opera in bellis Bohemicis. Quo de evolvendi sunt scriptores Saxonici,* Fabricius Peccensteinius & P. Albinus. *Qua Electorali dignitate Serenissima hæc familia, & quidem nunc in linea* Albertina *per Dei gratiam etiamnum gaudet.*

(*x*) *Reliquas Henrici Leonis possessiones Ænobarbus Welphoni avunculo suo, ac Leonis patruo tradidit, verum extincto Welphone totum Guelforum patrimonium in Algavia & superiore Suevia ad Fridericum I. Imper. atque Hohenstauffios fuit delatum.* vid. Ursperg. pag. 310.

(*y*) *Duxerat namque* Mathildem, *sive ut* Trithem. *vocat* Mechtildem, *Henrici II. Anglorum regis filiam, Richardi regis sororem.* Chron. Bavar. p. 108.

(*z*) *Brunsuicensem & Luneburgensem tractum in Ducatum postea evexit, non, ut quidam volunt, Otto IV. Imp. sed Fridericus II. Hohenstauffius, id quod ex Abb. Stadensi, & tabulis publicis apud H. Meibomium extantibus probatum ivit* Excell. Dn. Schurtzfl. Disp. alleg. §. 5. *ubi insuper Guelforum præcipue Henrici Superbi, ut & Leonis, potentiam non paucis formidabilem nervose descripsit; confer omnino de Guelforum potentia atque ultima origine laudatos a nobis* Differt. priori ad §. VI. a. *Scriptores, ubi Duces Brunsuicenses & Luneburgenses originem suam ad Henricum Leonem, ac antiquos Guelfos referre est indicatum; cum quibus nunc jungas* Trithem. Chron. Bavar. l. c. *ubi duces hos a tempore Lotharii II. ad suam ætatem usque recenset.* conf. Aventin. Ann. Boj. lib. 6. p. 397.

§. XVI. Rebus ita constitutis, Italiaque ac Germania pacatis, Fridericus suasu hortatuque Clementis III. P. R. (*a*) signum crucis sumsit, & contractis magno virium apparatu copiis, contra Saladinum (qui capta Hierosolymorum urbe parvis Christianorum in Oriente reliquiis exitium minitabatur,) expeditionem in Asiam suscepit, & Saracenis feliciter repressis, Iconio,aliisque urbibus occupatis, Saladinum ad pacem suppliciter petendam coegit, tantumque hostibus terrorem incussit, ut haud dubie barbaros illos sub jugum prorsus misisset, nisi subita atque inexpectata morte fuisset correptus. Cum enim æstu maximo defatigatus refrigerandi sui lavandique gratia in flumen *Saphet* descendisset, in morbum delapsus exstinguitur A. C. M. CXC. Imperii XXXVIII. (*b*) princeps pietate pariter & fortitudine supra Reges omnes adversariorum etiam suffragiis inclytus, (*c*) atque in vindicanda Imperii libertate nulli secundus. Etenim pro bono Rei publicæ promovendo nihil prorsus omisit, eumque in finem permulta celebravit Comitia Imperii, Moguntiæ, Coloniæ, Augustæ Vindel. Ratisponæ, Ulmæ, (*d*) Spiræ &c. non paucas insuper Germaniæ urbes privilegiis auctas ad majorem præ aliis libertatem evexit.

(*a*) *Henricus Albanensis episcopus a Clemente missus ad Imperatorem fuerat, qui etiam A. C. 1188. expeditionem Hierosolymitanam, quam in eo omnes fermè Scriptores tantopere laudant, suscepit, teste* Matth. Paris in Henr. II. Angl. R. p. 140. conf. Trithem. Chron. Hirsaug. ad dictum annum. p. 157.

(*b*) *Mirum in modum variant de morte ejus auctores, quidam in hepatis morbum eum incidisse, eoque extinctum fuisse commemorant; alii ab equo improvide flumen ingresso illum præcipitatum, & extractum paulo post mortuum fuisse tradunt; alii eum lavandi causa flumen ingressum, in eoque submersum fuisse perhibent. Sic neque in fluminis denominatione omnes consentiunt,* Urspergensis Serram, Matthæus Paris Saphet *nominat; aliis* Saphar, *aliis denique* Saleph *dicitur, & recentiores plerique* Cydnum *Ciliciæ flumen esse autumant.* v. Ursperg. in Frid. I. p. 295. 313. 316. Matth. Paris in Richardo I. Angl. rege p. 153. *inprimis vero* conf. narratio de Friderici expeditione in Asiam a quodam ipsius comite conscripta, quæ in appendice ad Radevicum extat. p. 345. Stero Annal. p. 231. & 239. Chron. Weingart. p. 222. Felix Fabri H. S. lib. 1. cap. 12. p. 104. Trithem. Chron. Hirsaug. p. 159. *Nos in §. potissimum secuti sumus Urspergensem, & narrationem illam in append. Radev. Fridericum Tyri humatum scribit* F. Fabri l. c. *& versus in ejusdem sepulchro sculptos ibidem exhibet.*

(*c*) *De principe nostro adversariorum ejus testimonia aliquot collegit* Rupertus in obs. ad Besold. p. 660.

(*d*) Fel. Fabri l. 1. H. S. c. 12. p. 102. *Præter Comitia, alio etiam tempore Fridericus principum Germaniæ conventum Ulmæ habuit, ob novam expeditionem adversus Mediolanenses parandam, atque ibidem quoque numerum copiarum, quas in Italiam erat ducturus, iniit;* v. Frising. l. 2. c. 30. & Guntherus Ligur. l. 5. p. 77. *ubi Imperatorem ita loquentem introducit:* *Totus apud* nostram *coiens exercitus* Ulmam, *Me duce per rigidam securus & integer Alpem transeat, &c. Atque ex dictis facile intelligitur patriam meam carissimam ex ruinis ac dira vastatione superioribus temporibus facta imperante Friderico I. denuo emersisse; etenim Ulma Hohenstauffiis semper addictior in bellis illis inter æmulas Guelforum & Hohenstauffiorum in Suevia familias gestis, multis damnis fuit affecta, inprimis ab Henr. Superbo;* v. Chron. Weingart. p. 191. Aventin. l. 6. Ann. Boj. p. 380. *imo tandem a Lothario II. Imper. Conradi Hohenstauffii æmulo, funditus eversa fuit. At vero Conradus Lothario defuncto rex creatus, Ulmam ob summam civium erga se fidem reædificari jussit, eandemque a Conrado rege multis privilegiis auctam simili Ænobarbus affectu fovit,* v. Fel. Fabri l. 2. c. 3. p. 240. seq. *Atque ex eo tempore civitas hæc, excusso post monachorum jugo, in libertatem se vindicavit, ac contra quasvis hostium molitiones sarta tectaque per Dei gratiam stetit ac floruit.*

§. XVII. Ceterum Friderico I. in imperio suffectus filius Henricus VI. ex Constantia Rogerii Siculorum regis filia quinquagenaria filium, itidem nomine Fridericum, post Philippum patruum Imperatorem R. procreavit. Omnes autem illi principes, ab Ænobarbo originem trahentes, Pontificibus R. familiam Hohenstauffiam accessione regnorum Siciliæ atque Apuliæ auctam ægre ferentibus, summopere fuere invisi, & exinde anathematis fulmine toties petiti; etenim Pontifices Hohenstauffiorum vires labefactare & potentiæ ex propinqua Apulia formidabilis nervum incidere anxie allaborarunt, imo non quieverunt, donec familiam hanc potentia pariter & fortitudine nobilissimam radicitus extirparent, quo liberiorem posthac in Ecclesia dominatum exercere ipsis liceret. Quem etiam scopum diu multumque sibi præfixum seculo XIII. ex voto sunt assecuti, quando infelix ille Conradinus, Friderici II. ex Conrado IV. nepos a Carolo Andegavensi regno Neopolitano exutus, & instinctu Papæ Clementis IV. securi percussus misere periit, atque Hohenstauffiorum familia in hoc principe defecit. *v. Paralipomena Ursperg. pag. 355. Trith. Chron. Hirsaug. pag. 193.*

DISSER-

DISSERTATIO XXIII.

DE

FRIDERICI I.

IMPERATORIS, COGNOMENTO ÆNOBARBI EXPEDITIONE IN TERRAM SANCTAM.

PROOEMIUM.

Multos illuſtres Heroas Germania tulit noſtra, qui magnitudine animi, & rebus bello paceque geſtis, præterque hæc inculpatæ vitæ ſanctitate, omnique vitiorum labe vacua, æternam ſui apud poſteros memoriam promeruerunt, qui, ſi Homerum quendam præconem nacti fuiſſent, neque Hectores amplius nec Ajaces æſtimare juxta illos quiſquam vellet, adeo ſorderent illæ minutæ flammulæ, quibus niſi verba lucem affudiſſent, per ſe ipſæ parum ſplendoris, in comparatione virtutum, quibus effulſerunt hi noſtri, fuiſſent habituræ. In his ipſi etiam ſummi orbis Principes Carolus atque Otto Magni cognomen aſſecuti ſunt: non minor tamen his videtur extitiſſe Fridericus Ahenobarbus, qui ſuum ſibi Homerum proprium licet haberet, Guntherum, obtinere tamen meritam gloriam non potuit, quod poſtremis Ejus & maximis rebus ſuperſtes ille non fuit. Taceo invidiam temporum, quæ vetuit, quo minus & ipſe Magni cognomentum a grata poſteritate referret: quanquam hoc illi cognomentum *Belgicum Chronicon* tributum fuiſſe memorat pag. 179. ſuppreſſum deinde per factionem Guelphorum. Sunt autem poſtrema Friderici geſta, quæ ad expeditionem cruciatam, quam ſuſcepit in auxilium Terræ ſanctæ, pertinent. De quibus ut hoc tempore ſcriberem, & per modum Diſputationis Academicæ quædam commentarer, permovit me pietas Reſpondentis mei erga patriam gentemque ſuam, Suevicam videlicet, cujus ille vetuſta decora atque ornamenta revocare in memoriam hominum, ne hac quidem prætermiſſa occaſione voluit. Cum alioquin

res ipsæ dignissimæ sint, quarum plenior notitia, scriptoribus ejus temporis sub obtutum quasi unum convocatis, ob oculos ponatur.

CAPUT PRIMUM.

§. I.

ERat Fridericus Vir supra sui seculi genium magnanimus cordatusque, neque patienter id jugum, quod suis quibusdam prædecessoribus imposuerant Romani Pontifices, quodque illi inviti ac diu reluctantes tandem admiserant, in se suscepit, cum præsertim eo jam tempore in ipsa Ecclesia occidentali, etsi alioquin in Ecclesiasticis dogmatibus subjicerent se Romanis, cordati quidam viri consurrexissent, qui nihil ad Pontificem spectare Principum jura, inprimis ea, quæ hodie regalia novo nomine invento vocant, sed sola Pontificibus sacra curæ esse debere, publice prædicabant; exorti tunc, cum magnis bellorum motibus propter Henrici IV. & Gregorii VII. dissidia Germania inprimis concuteretur, Henriciani, hæretici dicti propterea, quod Henrici Cæsaris causam contra Gregorium defendebant. Et hanc quidem sententiam plerique Germaniæ Principes seculares, ipseque Fridericus penitus imbiberant: quare cum audivissent a Legato Adriani, Imperium Romanum beneficium Papæ appellari, indignationem suam non sine minis prodiderunt. Nec dubitavit Ipse jura Imperatorum per Italiam exercere, nondum a Pontifice Romæ coronatus, punitisque civitatibus, agnoscere ea recusantibus, cum multos sibi concitavit hostes, tum Pontificis Adriani, mox & Alexandri III. cui in dissidio electo Victorem prætulerat, graves iras promeruit. Unde series infinita bellorum, post quæ cum pax esset constituta, inter conditiones illa etiam fuit, ut expeditione in Asiam suscepta rebus Christianorum illic graviter laborantibus Fridericus succurreret, *pro EMENDA*, ut loquitur *Joh. Kraws Canonicus Argentinensis*. Et hæc quidem prima passagii illius, de quo dicere suscepimus, causa fuit.

§. II. Altera vero & præcipua fuit status ille periculosus regni Hierosolymitani, quod jam pridem deficere, & Europæorum auxilia circumspicere cœpit. Postquam enim Godefridus anno post, quam regnum illud conderet, vivendi finem fecit, Frater quidem illius Balduinus, pridem Flandriæ comes, in amplificando eo nulli pepercit operæ, capta Ascalone & multis millibus Saracenorum cæsis, subinde copiis ex Europa supervenientibus, quas vel Danorum classis vel civitates Italiæ navibus advexerunt, cum successores etiam Balduini Ptolomaida, Sidonem, Tyrum, Acon, Tripolin, Joppen, suæ paulatim fecerent potestatis, qui & ultra Euphratem in Mesopotamiam usque transferentes arma Edessam caperent: (Antiochiam namque prima statim expeditione Godefridus adhuc ceperat, Syriæ totius metropolin) earumque urbium circumjectas regiones in provinciarum formam redactas, comitum titulo præfecti regerent; ita enim comes Edessanus, Antiochenus, Tripolitanus, Ptolemaidis, Sidonis &c. passim a Scriptoribus ævi illius nominantur, regum plerumque propinqui aut affinitate sociati. Non diu tamen post, cum Asiatica vitia Europæos invasissent, pessum ire res cœperunt; cum Edessa a Soldano Babylonico erepta Christianis est, capto etiam comite Edessano, ut habet *Otto Frising. Chronic. l. 7. c. 33.* quo tempore repagulo isto remoto Soldanus Babylonicus totis

totis viribus adversus Hierosolymitanos incumbere cœpit; & quamvis in auxilium properaret Conradus Imperator, adductis ingentibus copiis e Germanis, & Ludovicus Rex Galliæ classe eodem contenderet, appulsa in mari Ægeo; uterque tamen exercitus fraude & perfidia Emanuelis Comneni Imperatoris Constantinopolitani, fame, morbis & Græcorum pariter Turcarumque insidiis ita diminutus est, ut cum vix in Syriam pervenissent, infecta re domum redire cogeretur, cum & forum his copiis non præberetur, uti promiserat Comnenus; & si quando subvectio commeatus procuraretur, gypso farina permista morborum variorum causa existeret, palam professis Græcis, ideo sic excipi à se copias occidentales, ut eorum posteri perpetuis monumentis ab invadendis Romanis deterrerentur. Operæ pretium est referre hîc verba ipsa *Nicetæ Choniatæ lib. I. Annal.* fol. m. 139. de injuriis, quibus post Bosphorum superatum occidentales exercitus affecti sunt, ex Interpretatione Wolffii sic scribentis: *Cæterum Imperator in locis opportunis & angustis tramitibus insidias collocandas censuit, quibus non pauci ex illis exercitibus perierunt. Quin & cives portis clausis forum Alemannis non præbebant, sed funibus de muris suspensis, pecuniam prius attrahebant, iisque rursum quantum vel panis vel aliarum rerum libebat, demittebant; quibus injuriis Alemanni exacerbati, oculum inspectorem omnium rerum contra eos, qui injustis ponderibus uterentur, nec advenarum & eidem religioni addictorum miserti, adeo nihil de suo conferrent, ut cibos etiam de faucibus eriperent, ultorem invocabant. Verum pessimi incolarum & inhumanitate singulari præditi, ne minimum quidem dimittebant, sed auro argentoque attracto, atque in finibus recondito, ex mœnibus se subducebant; quidam etiam calce farina mista, cibum pestiferum reddebant. Id utrum jussu Imperatoris factum fuerit, ut ferebatur, compertum non habeo. Utut sit, iniquum & nefarium facinus fuit. Illud certe constat, ejus jussu ex improbo argento monetam esse cusam, quæ illis daretur, qui ex occidentali exercitu aliquid vendituri essent. Breviter ut dicam, nullum mali genus fuit, quod Imperator non vel ipse in eos machinaretur, vel aliis machinandi author esset, ut scil. eorum posteri perpetuis monumentis ab invadendis Romanis deterrerentur. Idem & Turci imitati sunt, Manuelis literis ad bellum Alemannis faciendum concitati.* Hæc Nicetas. Cum igitur utriusque exercitus tertia duntaxat pars superesset, ne in reditu difficultatibus majoribus conflictarentur, nullo operæ pretio perfecto, nisi quod in transitu Mæandri fluminis Turcas ingenti strage profligarunt, in Europam reversi sunt, cum interim Regnum Hierosolymitanum nullis auxiliis sublevaretur, quod paulo post diffidiis Regum fere ad incitas est redactum. Nam cum post Fulconem Andegavensem generum Balduini II. duo illius filii regnassent, Almericus prior, post Balduinus tertius, *atque is lepra infectus, uxorem nullam duxisset, moriturus* (verba refero *Matthæi Palmerii* ex ejus Chronico ad annum 1184.) *Sibyllæ sororis sua filium puerum, Balduinum & ipsum nomine, post sui mortem, sub tutela Tripolitani comitis regnare jussit. Mortuo ergo seniore Balduino, & non multo post, juniore viam universæ carnis ingresso, Sibylla ejus mater, quæ ad secundas nuptias transierat, Guidonem (Lusignanum) virum suum, regnare procuravit. Guidone igitur regnum adepto, inter eum Tripolitanumque comitem perniciosissima oritur dissensio, in qua comes Saladino adhærens maximum detrimentum nostris comparavit.* Quid detrimenti hoc fuerit, Author *Chronicæ*, ut vocat, *Augustensis* ad annum 1187. his verbis significat: *Saladinus Babylonicus* (errat author, nisi Babylonem Ægyptiam intelligat, i. e. Memphim.) *terram Jerusalem intravit, Tiberiadem, Cæsaream, Nazareth, Accaron, plerasque alias civitates invasit, Principes & populum in prælio cepit & occidit (ut ajunt) fere ad triginta millia, circa Idus Julii.* Hæc igitur tanta calamitas post ipsam Hierosolymam Christianis ereptam, coëgit

git Fridericum Imperatorem, ut expeditionem maturaret. Nam jam ante plures annos Hierosolymitani ad ipsum in Italiam legatos miserant cum muneribus auxilia petituros occidentalium Christianorum. Qua de re *Godefridus Monachus S. Pantaleonis*, in annalibus suis ad annum 1174. *Imperator, inquit, cum ad Alpium Apenninarum aditum venisset, Legati Regis Hierosolymorum ei occurrerunt, dona plurima & poma aurea musco impleta ei offerentes, & literas ejusdem Regis, in quibus gratias Imperatori retulit, dicens se jamdudum de regno expulsum, si non terrore Imperatoris Reges paganorum restringerentur.* Potissima igitur hæc atque urgentissima accelerandorum auxiliorum causa fuit, illud rerum Christianarum in Oriente periculum. Confer *Urspergensem* ad annum 1187. & *Godefr.* ad ann. 1187.

§. III. Accessit verò his etiam causa tertia, generosus æque ac religiosus ipsius Principis animus. Fuisse enim Fridericum, de quo agimus, ingenti præditum animo, & ardua quæque aggredi solitum, tantoque id libentius, quod fiducia virtutis sapientiæque suæ noverat perficere se posse, quæ destinaret, nec temeritate vana efferretur; testantur totuplices ejus victoriæ, quibus Polonos ad tributa hactenus omissa pendenda coëgit, Henricum Leonem rebellem sibi fugere in Britanniam compulit, civitatem Mediolanensem toties rebellantem delevit funditus, eoque bello, quo septies cum exercitu Italiam ingressus fuit, classem etiam comparavit, Germanosque suos primus omnium Germaniæ Principum terrestrem populum mari docuit bellare, magnumque terrorem Venetis incusserat, nisi filii Ottonis temerarium prælium res ejus perdidisset. Quanto vero potentior, animoque & cogitationum sublimitate generosior erat, tanto infensiores hostes habuit eos, quibus premere tales, iisque toto orbe inimicos concitare, jam dudum disciplina fuit. Ipsi barbari reges ad nomen ejus & famam torpebant, manusque continebant ab injuriis Christianorum in Oriente, uti paulo ante diximus. Quid quod Sultanus Babylonius ipsius filiam suo filio uxorem petiit, de qua re audiemus eundem *Godefridum Monachum*, quem supra. *Illis*, inquit, *diebus* (anno 1175.) *Legati regis Babyloniæ ad Imperatorem venerunt, rara & pretiosa munera deferentes. Legatio talis erat, quod idem Rex peteret, ut filio suo filia Regis matrimonio jungeretur, ea conditione, uti ipse Rex cum filio & omni regno suo Christianitatem susciperet, & omnes captivos Christianos relaxaret. Imperator vero eosdem legatos honorifice secum per dimidium ferè annum detinuit, singulas civitates & ritus notare & inspicere concessit.* Quod ipsum magnanimitatis ejus character haberi potest. Est enim nihil timentis indicium, non nimis cautum esse adversus eos, quos nocere non posse confidimus; cum è contrtrio suspiciosi ac diffidentes timiditatem imbecillioris animi prodant.

§. IV. Dixi vero religiosum æque ac generosum Friderici animum inter causas impulsivas Passagii, de quo nobis sermo futurus est, fuisse. Religionis enim titulo suscipi tales Expeditiones consuevisse vulgo notum est, indignum factum existimantibus Christianis Occidentalibus (Græcis enim hæc res non valde curæ erat, quanquam propioribus & quorum jurisdictioni tota Palæstina quondam suberat) terras istas, in quibus vestigia posuit Salvator, ubi incunabula habuit, ubi crucifixionis, ubi sepulturæ ejus locus est, ubi tot edidit miracula, in possessione infidelium teneri: propter quas causas ea loca visitari à Christianis, non pium duntaxat, sed & apud Deum sive meritorium opus habebatur, sive quo pro peccatis satisfieri possit, his igitur ut commorationes atque itinera præstarentur tutiora, in ditionem Christianorum redigi, consultum videbatur. Professi hoc sunt ipsi exercitus Duces ap. *Nicetam Choniatem*

tem l. 7. *de rebus Emanuelis Comneni*, *Expeditiones*, inquit, *causa prætendebatur* (à Conrado Suevo Imperatore, cui hæc communis cum Friderico cæterisque talium Expeditionum sociis fuit) *Dominicum sepulchrum*, *& præparatio viæ recta & non insidiosæ popularibus suis Hierosolymam ituris*, *neque se quicquam supervacuum advehere*, *sed ea duntaxat*, *quæ ad viam complanandam necessaria essent*, *profitebantur*: *per quæ non ventilabra*, *non celtes*, *non ligones*, *sed galeas*, *thoraces*, *gladios*, *& quæ alia bello apta sunt*, *innuebant*. *Hanc sibi itineris esse causam jurati affirmabant*, *neque id falso*, *ut postea cognitum est*, *ac per legatos ab Imperatore petebant*; *sibi per ejus provincias pacatum transitum dari*, *& forum præberi*, *quo commeatum pro hominibus & jumentis comparare possent*. Idem Nicetas Friderico speciatim, quanquam hostis Alemannorum, uti omnes tum Græci erant, acerrimus, generosæ hujus pietatis ac religiositatis egregum præbet testimonium, quod subjicere non pigebit ex l. 2. *de rebus Isacii Angeli Imp*. *Fridericus*, inquit, *Vir ultra omnes omnium gentium Christianarum Principes Christi desiderio flagrans*, *patria*, *deliciis regiis*, *tranquillitate beata domi*, *superbaque cum charissimis vita despectis cum Christianis Palestinæ incolis ærumnas tolerare maluit*, *& propter Christi nomen*, *& vitalis sepulchri venerationem*, *exteras terras patriæ prætulit*, *ab eo instituto non tot parasanguis*, *non tam longinquo*, *& ubique difficili itinere*, *non periculis*, *quæ a gentibus*, *per quarum provincias transeundum erat*, *imminebant*, *deterritus*: *Non aquæ penuria*, *non præfinitus*, *isque emptitius panis*, *& alicubi insidiosus*, *eum ab instituto dimovit*. *Non liberum amplexus cum lacbrymis*, *& extremæ salutationes animum ejus commoverunt aut effœminarunt*, *sed potius instar Pauli Apostoli*, *vitam parvi æstimans abiit*, *non modo ut vinciretur*, *sed etiam ut pro Christi nomine moreretur*. *Adeo Apostolicus fuit illius viri fervor*, *& religiosum institutum*, *nihil eorum sanctimonia inferius*, *qui extra communem sortem positi*, *tota contentione animorum ad vitæ rationem*, *Evangelicæ celsitudini respondentem feruntur*, *& totius ætatis cursu eò directo res humanas pro stercoribus despexerunt*. Hæc talia Nicetas. Objiciet hic nobis aliquis vel ex Theologorum placitis, vel ex Juris naturalis & Gentium disciplina, quod neque vera pietas hæc fuerit, sed superstitio; neque justa bellandi causa sit religionis propagandæ studium, etiamsi vera illa sit, ad quam videlicet armis & bello nemo cogi debeat; præsertim si sint quietæ tranquillæque gentes quas impugnamus. Quamvis ergo haberemus in promptu, quod ad utramque objectionem responderi posset, atque adeo in hypothesi Fridericus tam à prava superstitione, quam ab ignorantia juris universalis excusari, & quodammodo etiam defendi, malumus tamen nihil hic dicere, decidendamque quæstionem utramque illis relinquere, ad quorum id forum pertinet, ne in alienam messem falcem immisisse videamur.

CAPUT SECUNDUM

§. I.

ANtequam igitur Imperator ipsam Expeditionem susciperet, nihil habuit antiquius, quam ut quieti Imperii, dum abesset ipse, consuleret. Ideoque filium suum Henricum Regem designavit, successorem sibi futurum, si quid sibi humanitus accidat, nominis hujus sextum Imperatorem, si Auceps connumeretur, quem alioquin Itali in Catalogo Imperatorum omittere solent, quod in Italiam non venisset, quæ interim Pseudo-Imperatores ex Longobardis & Tuscis habuit, jure Imperii nihilominus apud Francos manente. Disposuit hæc Fridericus biennio ante Expeditionem in Asiam, ut videtur posse colligi

ligi ex Urspergensi p. m. 232. Designatum vero successorem filium de consensu Principnm Aquisgrani coronari fecit. Talem enim Principum consensum requisitum fuisse, etiam in hæreditario Imperio, cum Francica vetustior, tum Germanica Historia ejus, de quo dicimus, temporis, pluribus exemplis docet.

§. II. Alterum, quod Fridericus sibi curæ habuit, priusquam Asiaticam susciperet Expeditionem, Legislatio fuit, de servanda pace publica, facta Norimbergæ, ubi celebrem Curiam habuit (ut stilo ejus seculi utar) anno, qui profectionem antegressus est, post Christum natum 1188. Quia enim tempestate illa diffidationes inter nobiles visque publica usitata erat in Germania; isque mos, quanquam olim sub Conrado Salico gravissimis repressus pœnis, & capitis supplicio etiam Proceribus Imperii irrogato (vid. *Theodoricus Engelhusius in vitis Imper. Brunsuicensium*) nihilominus tamen per bella civilia sub Henrico IV. Quintoque, ista violentia rursus in consuetudinem venerat, incendiisque ut contra se invicem grassarentur, insolitus mos fuit, in tam inquieta & ad vim prompta gente: remederi huic malo Fridericus voluit, & ex consilio Principum legem istam, cui titulum fecit der Friedbrieff/ quam Pacem Constantiæ Latini scriptores vocant, publicavit, & ad omnes Imperii Ordines misit, exhibeturque illa in Chronico Abbatis Urspergensis ad verbum, cum hoc ipsius Conradi Abbatis elogio: *Eo anno Fridericus Imperator jam crucesignatus* (i. e. voto jam obstrictus ad militiam illam sacram obeundam; signabantur enim cruce vestibus assuta, quicunque votum tale apud Sacerdotem nuncupassent,) *conventum Principum apud Nürenberg coadunat, ubi de pace terræ disposuit, & in literas redigi jussit: Quas literas Alemanni usque in præsens* Friedbrieff/ *id est, literas pacis vocant, nec aliis legibus utuntur, tanquam gens agrestis & indomita, quarum tenorem huic operi duximus inserendum, quatenus saltem lex tam decurtata non pereat de hominum memoria.* Augustus Idem pridem in Italia, Curia Roncaliæ habita, Feudales leges, atque insuper alias de servanda cum in Italia tum Alemannia pace dederat, sed eas non hac causa, quas exhibet *Radevicus l. c. de gestis Frid. I.* cum alteris non confundendas. Ipsam Crucem sumpserat Fridericus Moguntiæ. Sic enim de hac re *Godefridus Monachus Colon.* apud *Freherum* Tom. I. pag. 251. & seq. *In Lætare Jerusalem curia celeberrima apud Mogontiacum celebratur a totius Teutonici regni Capitaneis, tam de Clero, quam de ordine Laicali, præsente Henrico Cardinale, quæ a Serenissimo Imperatore & filio ejus Rege, Curia Jesu Christi antea fuit intitulata. Ad eandem Curiam Imperator interrogavit in propria persona, Quid potissimum judicaretur; An in continenti crucem sumeret, an differret, quod post annum iturus erat? cumque omnes acclamarent, ne differret; Crucem ab Herbipolensi Episcopo Godofredo suscepit, cum summo tripudio & laudibus & præ gaudio fletu cunctorum. Ante eum Filius ejus Dux Sueviæ Fridericus hanc susceperat.*

§. III. Ad apparatum belli pertinent etiam Legationes quaquaversum ab Imperatore Friderico in eam rem missæ. Bellum gerebant inter se Philippus Galliæ & Richardus Angliæ Reges, postquam jam crucem sumsissent, quos paulo ante Fridericus cum Patre Richardi conciliaverat. Hos, abruptis crucibus inter se belligerantes, Idem literis nunciisque ad suscipiendam pariter secum expeditionem hortatus est, effecitque ut composita inter se pace, eodem anno, quo ipse, in Orientem classibus ire contenderet, quanquam id sequenti demum anno perfectum est, *vid. Godef. Monachus ad annum 1188.* & *appendicem Radevici.* adde *Chron. Belg. magnum.* Eodem anno Moguntinus Archiepiscopus missus est ab Imperatore in Hungariam (verba refero *Godefridi Monachi* sæpius laudati) *pro exaquanda Bulgaria & stratis, & pro victualibus providendis exerci-*

exercitibus signatorum, qui remandat, ita de his ordinasse, quod centum equorum pabula marca emantur; similiter quatuor boves præstantes marca una, & cætera in hunc modum. Misit idem Imperator (iterum hæc *Godofridi* verba sunt) *militem probum Godefridum de Wisenbach, cum non multis xeniis ad Soldanum de Iconio confœderatum suum de antiquo, pro negotio tanti itineris. Ille visis literis & nunciis Imperatoris, plus quam dici potest, gavisus est, dicens, sibi nunquam rem jucundiorem obvenisse, quod Imperatorem Romanorum, quem semper optaverat videre, in proximo per terram suam transiturum, audiret; se suaque omnia illius voluntati & Imperio fore exposita. Sed hoc eum in dolo egisse rei exitus comprobavit.* Idem Soldanus Iconiensis ad Fridericum eodem anno festo nativitatis Christi suos quoque misit legatos, numero mille cum quingentis equis, xenia afferentes Imperatori, qui habebant in mandatis, ut subsidia itineris ipsi exercituique ejus promitterent. Cum quibus etiam Despota Serviorum suos misit, qui in magna parte felicitatis ponere Regem suum dicebant, quod Augustum Romanorum specie peregrini per terras suas iturum audiret. Et hi quidem postremi bona fide egerunt. Constantinopolitanus vero Imperator Alexius Angelus, qui per Legatos Friderici ad Iconiensem Sultanum ituros, literas ipsius acceperat, hos ipsos (ut loquitur *Godefridus*) *nec bene tenuit, nec bene dimisit, solito more veneni malitia repletus:* cujus Legationem vicissim ipse cum Sultani Legatis ad se venientem, *modice tractari fecit, nec eorum fictis legationibus fidem præbuit.*

§. IV. Cum interim Conradus Marchio Tripolitanus (is ipse qui adscito in auxilium Saladino contra Guidonem Lusignanum, administrationem regni tutorio nomine affectans, amissæ Hierosolymæ causa extitit.) sub finem anni 1188. ex urbe Tyro ad Fridericum literas misisset, quibus rogavit, ut festinaret venire, quod Saladinus Hierosolyma muris ac turribus firmet, Acram reædificet, sepulchrum Domini claudat, cum præter Tyrum, Tripolin & Antiochiam, & castella in montanis posita, Christiani amplius nihil obtineant; Tum Fridericus ante natalem Domini illius anni duobus comitibus suis (i. e. Philippo Galliæ, & Richardo Angliæ regibus) scripsit, ut & cunctis Imperii principibus, qui signati erant, ut se expectent parati, quippe qui ultra S. Georgii diem moraturus non esset, quod se jurejurando confirmaturum, si credere sibi nollent; imo illa die jam Ratisbonæ futurum, quare qui cruciati sint, eo sibi occurrant. Percrebescente igitur hac fama *a natali Domini in mediam quadragesimam* (verba *Godefridi* refero) *ut arena maris atque cæli sidera incomputabiles signatorum catervæ, euntium & equitantium omnes stratas regias & per ascensum Rheni loca omnia repleverunt.*

§. V. Cæterum qui qualesque hi milites, qui Duces, quot Exercitus fuerint, paucis dispiciendum est. Et Imperator quidem ipse Ratisbonæ festo S. Georgii comparens, celebrem ibi Curiam habuit, occurrentibus illic comitibus omnibus cruce signatis, qui terra profecturi erant. Nam illa prior multitudo, de qua prædiximus, in Apuliam contenderat, navibus trajecturi, nisi ex Imperatoris jussu Rex Siciliæ eos inhibuisset, ne ante se, Regesque socios in Asiam trajicientes, pauciores essent, quam qui hostibus possent resistere, aut commeatus inopia premerentur, quos Friderico se conjunxisse postea, cum is in Macedoniam venisset, Adriatico mari trajecto, probabile est: quanquam id nuspiam legisse memini. Ipse secum duxit secundo Danubio triginta militum millia, interque hos quindecim millia electissimorum virorum, qualium haud dubie is fuit, de quo *Nicetas* meminit loco supra citato, his verbis: *In hac expeditione ferunt Alemannum quendam, corpore ingenti & robore invicto præditum,* popu-

populares suos longo intervallo secutum pedetentim incessisse, equum trahentem ex itinere fatigatum: Ismaelitas vero circiter 50. viros fortissimos, suis stationibus evagatos, illum undique sagittis petiisse, caterum eum lato scuto tectum, & firmitate thoracis fretum, alacrem perrexisse, nihilo magis barbarorum telis permotum, quam si rupes esset. Unum autem cateris jactantiorem, abjecto inutili arcu, longum ensem strinxisse, & concitato equo comminus illum, ut promontorium aut aneam columnam gladio percussisse: Alemannum vero gladio, qui Heroicam dextram deceret, ambos anteriores pedes hostilis equi tanquam fœnum amputasse, qui cum in genua prolapsus nihilominus sessorem in sella sustineret, ensem in medium Persa caput ita impegisse, ut equite in duas partes dissecto, etiam jumenti tergum, sella quoque dissecta, vulneraret; eoque spectaculo Persas attonitos, non amplius esse ausos unum eum lacessere, qui nihil accelerato itinere pedetentim vesperi in castra suorum pervenerit. In his fortasse etiam fuerunt, quos Philadelphenses perfide, cum jam urbem prætergressi essent, adorti, latronum more a tergo invaserunt, minime convenienter suo nomini, postquam vero sibi visi sunt *ferreas statuas, aut Gigantes oppugnare*, terga statim dederunt, ut idem *Nicetas* refert l. c. Quin & illi quinque, qui sociati Friderico Imperatoris Filio, dum Pater cum reliquis copiis adversus ducenta Turcarum millia, ante muros Iconii pugnaret, muros interim conscenderunt, urbemque captam occisis defensoribus diripuerunt: quid quod non dubitandum est, animosas etiam Viragines exercitui adfuisse, quales in Germanorum militia ex antiquo fuisse semper, a *Tacito* proditum est. lib. de mor. Germ. deque hac ipsa sacra militia & passagio Conradi Imper. sæpe laudatus *Nicetas* commemorat. *Inter hos*, inquit, (Alemannos) *& mulieres erant, non conjunctis pedibus, sed virorum istar, divisis, super palliis equitantes, hastatæ, atque armatæ, ac virili habitu ornatæ, Martio vultu, Amazonibus audaciores. Inter quas una excelluit, quasi altera Penthesilea, quæ ob fastigia & limbum vestium auro intertextum, Auripes vocabatur.* Quanquam vero hi Electi & quodammodo Evocati Friderici milites, qui dudum antea Italicis bellis stipendia sub ipso fecerant, præ ceteris singularem laudem merebantur, in universum tamen has omnes Germanorum copias terribiles Græcis pariter & Asiaticis populis fuisse, & sub Duce tali, qualis Fridericus fuit, milites egregios, non illi solum testantur, qui passagium hoc descripserunt, nostrares: sed & Græcus Nicetas, non uno loco. Alioqui judicium Urspergensis ad annum 1191. de his ipsis loquentis militibus, non abs re est, *Alemanni*, inquit, *bellicosi, crudeles, expensarum prodigi sunt, rationis expertes, voluntatem pro jure habentes, ensibus invicti, in nullis nisi hominibus suæ gentis confidentes, ducibus suis fidelissimi, & quibus vitam potius, quam fidem possis auferre.* Cæterum Ducis prudentia, ac disciplinæ severitas, quicquid in tali milite vitii erat, facile correxit. Nam & ferocitatem repressit Fridericus; duos enim nobiles de Alsatia decollari jussit apud Belgradum, cum stativa ibi haberet, quod pacem castrorum violassent, & ab injuria omni amicis inferenda milites prohibuit. Cum enim quidam suorum Philippopoli forum spoliassent, eodem supplicii genere eos punivit, effecitque hac severitate, ut negociatores Armenii (nam Græci incolæ diffugerant) abundantissime forum exercitui præberent. Sciebat enim Fridericus, bonis nocere eum, qui malis parcit: quod epiphonema est Godefridi Monachi, hæc referentis.

§. VI. Ut vero ad Expeditionem ipsam tandem veniamus, gemina illa fuit, terrestris navalisque; hæc auspiciis Friderici, ista vero etiam ductu ejus; paulo prior navalis, sed eodem quo terrestris anno suscepta. Jusserat enim Fridericus in omnibus Imperii maritimis urbibus naves fabricari, quarum quatuor, ut habet sæpe laudatus Godefridus, Colonia misit, in quibus *quindecim centum*

(intel-

(intelligo quindecies centum, seu mille quingenti) *milites fuere.* Istæ naves omnes 60. numero, in quibus armatorum militum 10000. cum Compostellam venissent, exscensione facta S. Jacobi reliquias venerari vectores, in suspicionem venerunt apud incolas, ac si caput ejus auferre vi vellent, quare post aliquam pugnam, re per prudentiores composita, in Africam pervecti, urbem aliquam populosam nomine *Albur* cæsis incolis diripuerunt. Inde multi, ac si voto suo jam soluti essent, spoliis urbis ejus onusti redierunt, reliquis in Palæstinam pervectis, quo etiam ex Italicis urbibus multi suis auspiciis, navibus pervenerunt. Germanicam classem Jacobus de Avesnis, vir in servitio Dei probatissimus, sicut laudatur a *Jacobo de Vitriaco*, ante copiarum terrestrium adventum Acon præduxerat, a Christianis in Palæstina tunc obsessam.

§. VII. Terrestri vero itinere exercitus, qui cum Imperatore ierat Ratisbona profectus in Pentecoste Posonium pervenerat, exceptusque a Rege Bela, liberaliter per totam Hungariam habitus est. Nam dum ibi esset, Fridericus Sueviæ Dux Filius Imperatoris cum Regis filia nuptias celebravit, pridem Legatione Moguntini Præsulis conciliatas, perrexit tamen hic Dux una cum Patre, nec rediit, morbo absumptus. In Bulgariam cum venissent, quæ jam Græcis parebat, per totas septem hebdomadas summis cum difficultatibus conflictati cruciatorum exercitus & prorsus hostiliter excepti, in Macedoniam tandem devenerunt. Atque illic quidem hybernatum est, cum Constantinopolitanus Imperator Isacius Angelus, quanquam pacatum transitum & venalium rerum copiam pactus, utrumque perfide denegasset, omnique qua potuit ratione Germanis noceret, ipsis etiam Græcis non bona fide præbentibus forum, & passim diffugientibus. Quod quidem Nicetas excusare conatus culpam omnem a popularibus suis amovet, & in solum Imperatorem Græcum confert, qui Monachum quendam Engastrimythum audire & sequi solitus, ab hoc sibi persuaderi passus sit, Friderico curæ non esse Palæstinam adire, sed occupare Constantinopolin, monstrante etiam portam, per quam ingressurus esset: quare portam istam obstrui Isacius jussit, & hostiliter adversus Germanos agi, detensis etiam Legatis Friderici, nec non iis, quos Iconiensis Soldanus ad hunc mittebat, quare vicissim hostiliter agere Fridericus & vastare Græciam cœpit, urbesque expugnare ac diripere, ut ad servanda pacta Isaaicum adigeret. Qua de re in Epistola Anonymi Appendici *Radevici* subjuncta hunc in modum scribitur: *Ab amantissimo Rege Ungariæ Bela honorifice suscepti & benigne ab ipso & humaniter tractati, statim cum regnum Græciæ intravimus, in manus furum & latronum incidimus, nulla in Græcis fide reperta: nam contra omnem non violandorum Legatorum legem, Episcopum Monasteriensem & comitem Rupertum ceperant. Unde cum magno labore per partes Bulgariæ procedentes, post longam viæ nostræ moram, capta prius civitate Philippoli & destructa, & famoso castro Verm destructo, & tota circumjacente regione gladio devastata, capta etiam nobili civitate Adrianopoli & circumjacentibus civitatibus, captaque inexpugnabili civitate Timotico a Duce Suevia, & infinitis de habitatoribus villæ occisis, destructo etiam quodam castro, nomine Maniceta a militibus nostris & paucis de exercitu, ubi circiter sex millia Græcorum perierunt igne & gladio, captis quoque compluribus castris, & facta magna strage Græcorum, cum etiam fame perirent. Acceptis igitur a Constantinopolitano Imperatore idoneis obsidibus, redditis etiam nobis nunciis Soldani & filii ejus, quos ad nos missos antea ceperant, in festo Paschæ cum omni prosperitate rerum & Personarum Brachium S. Georgii* (Bosphorum Thracium intelligit) *transivimus. Sed postmodum quæ a prædicto Imperatore nobis jurata & promissa sunt, nequaquam sunt observata.* Hactenus ille. Godefridus his adjicit Legationis insolentiam, venientis a Constantinopolitano Imp. *Responsales*, inquit,

Regis Graeciæ ad eum venerunt, per quos ei demandavit, se salvum esse, & nihil aliud. Iterato per alios ei demandavit, se post DEUM esse Dominum dominantium. Tertio ei demandavit, quod si regnum Romanorum dare vellet in manus ejus, & ab eo loco hominii recipere, conductum ei daret per terram suam, & mercatum sufficiens. Ad hoc Imperator respondit: Eam ego in Christo & fratribus, qui pro ejus crucis liberatione mihi adhærent, habeo fiduciam, quod ejusmodi compositionem cum eo facere opus nobis non erit. Veruntamen cum de talibus Legationibus neque Conradus Urspergensis Abbas, neque paulo ante laudatus Anonymus, neque Nicetas Choniates, quicquam meminerit, & præterea Isacius Fridericum contemnendum minime esse, probe sciret; hæc quidem tumoribus vanis adscribo, quibus Godefridus, qui expeditioni non interfuit, nimis facilem fidem præbuerit.

§. VIII. Post superatum igitur fretum, perfidiam Græcorum nihilominus, atque insuper etiam hostilem Turcarum vim experti cruciati sunt. Quos tamen tribus ingentibus præliis superatos egregie Alemanni vicerunt. De hac re sic loquitur *Choniates. Neque vero ex his duobus duntaxat præliis Rex formidabilis evasit, & apud Orientales gentes celebris, sed ex eo etiam, quod Turcas ad ipsum Iconium iisdem cladibus affecit. Nam ipse quidem Soldanus ad Taxara profugus ignorationem excusabat eorum, quæ filii sui fecissent, utpote ab uno ex iis Copatino regno pulsus.* Et post pauca. *Ut autem occisorum apud Iconium multitudinem hostium testimonio confirmemus, Ismaelita quidam, qui ei pugnæ interfuerat, ad Imperatorem profugus, per suam religionem juravit, se 200. argenti stateras pollinctoribus numerasse, ut cadavera ex suo duntaxat horto efferrent. Alemanni vero Iconio potiti, urbem ingredi noluerunt, sed in tectis suburbii fixis tabernaculis, nec ulla re alia, nisi ad vitam tuendam necessaria, inde ablata, cæptum inter sunt prosecuti.* Progressi igitur Iconio, (magnitudine Coloniam æquante, ut habet *Anonymus* supra laudatus) Cruciati milites, jam nullo ab hostibus impedimento, & sola difficultate viæ & victus inopia laborantes; (Turcas enim eo adegerant victricibus suis armis, ut datis obsidibus Procerum filiis, ducibusque itineris, nihil magis optarent, quam ut finibus suis cito discederent) in fatalem Friderico Armeniam devenerunt: *ubi is honorifice susceptus, & dies complures ibi commoratus, Antiochiam ire in animo habuit, augescente indies ejus gloria & nomine illustrato, tum ob prudentiam, tum propter invictum exercitum, nullo hoste occurrente. Cum autem ad fluvium quendam pervenisset, vorticibus aquarum suffocatur, Vir honesta & perpetua memoria dignus, & judicio prudentum vel in tali obitu felix.* Hæc Nicetæ verba sunt. Fluvii in quo periit, nomen exprimitur in Chronica Australi, ut cum Chronicographo loquar, ad annum 1191. Qui *Veniens*, inquit, *ad fluvium Caleph, se refrigerare volens cum sexaginta quinque submersus est.* Reliqui scriptores omnes, quantum scio, de solo Imperatore suffocato mentionem faciunt. Godefridus diem Dominicum ait fuisse, & contra omnium voluntatem in fluvium descendisse Imperatorem. Urspergensis fluvium, in quo submersus est, *Serram* ab incolis vocari scribit, quod ut concilietur cum Austriæ Chronico, suppeditat nobis occasionem Anonymi Epistola, in qua locus, ubi periit Imperator, *Caleph* vocatur, quod non fluvii, sed urbis nomen interpretor, verba ista sunt: *Vix pervenimus Caleph in Dominica die, quæ fuit vigilia Barnabæ Apostoli. Eodem die cum Dominus Imperator per quoddam compendium transiret in convallibus montium quandam rapidissimam aquam, salvumque eum recepit in aliam partem. Facto autem ibi prandio, post infinitos & intolerabiles labores, quos per mensem jam erat passus, & vellet balneari in eadem aqua, & ita se refrigerare vellet natando, Dei judicio, casu lacrimabili submersus est.* Cur vero *Aventinus* l. 7. *Annal Bojorum* dicat, Fri-

deri-

dericum Seleuciæ in Syria repentina morte obiisse, rationem non invenio, nisi quod ibi Tagenonem Theobaldi Batavensis Episcopi Decurionem laudat, qui hanc expeditionem jussu Theobaldi, qui comes itineris fuit, descripserit, quam descriptionem Reichersbergii ipse invenisse se, eamque Cunrado Adelmanno Mystæ Augustensi misisse refert, typis edendam, qui editionem hactenus distulerit. Errat idem, cum a Friderico Acconem Turcorum regiam primo impetu captam scribit, pro quo *Iconium* scribendum erat. An ex Tagenonis relatione hæc scripserit Aventinus ii judicent, qui Tagenonem inspexerunt: constanter alii scriptores aquis esse suffocatum referunt, nisi quod *Marinus Sanutus* l. 3. part. 10. extractum Fridericum adhuc spirantem Sacri Dominici corporis participem factum scribit, ac deinde mortuum. Alius, triduo elinguem jacuisse antequam moreretur, quos inter nonnulli disputant, an Serra fluvius idem sit, qui Cydnus Ciliciæi, in quo olim periclitatus sit Alexander Magnus. Nos publico colloquio reservamus hanc disquisitionem, parati defendere negativam. Claudimus hoc caput elogio, quod *Theodoricus Engelbusius* Canonicus Hildesianus suo tempore subjunxit narrationi de morte Friderici, *sic*, inquiens, *Princeps tam nobilis, jubar mundi, Imperator providus, miles strenuus & vir prudentia præcipuus, cui parem natura vix inter mundi principes dedit, diem clausit extremum, mense Augusto, die Dominica. Quis explicare valebit fletum nobilium, dolorem omnium de tanto Principe, qui fuit in suis quasi unus ex illis, qui etiam humiles de plebe fratres appellavit, & si in via rota carri fracta jacebat, omnes subsistere fecit, donec ille damno reparato procederet.* Adstipulatur *Urspergensis*, cujus hæc verba sunt: *Fuit autem Fridericus Imperator Vir Christianissimus, bellorum omnium Triumphator, animosus, mansuetus, familiaris, quibuslibet victis clementissimus, obliviosus injuriæ*; secundum illud Nasonis videlicet: *Quo quisque est major, magis est placabilis ira, & faciles motus mens generosa capit.*

CAPUT TERTIUM.

Quæ enim post mortem Friderici gesta sunt, nec ductu amplius ejus, nec auspicio processere. Habuit secum Fridericum Filium Sueviæ Ducem, prætereaque Bertoldum Ducem Meraniæ seu Moraviæ, Hermannum Marchionem Badensem, Landgravium item Thuringiæ Ludovicum, Episcopos Imperii plures, Herbipolensem, Tarantasianum, Monasteriensem, Osnabrugensem, Misnensem, Pataviensem, nec non Comites Baronesque magno numero. An Imperatoris filius Otto, quem pridem Veneti captivum duxerant, interfuerit eidem expeditioni Hierosolymitanæ, ideo dubitatur, quod a scriptoribus hactenus a nobis laudatis, nusquam memoratur: unus vero paulo inferioris ævi scriptor *Theod. Engelbusius* pro Friderico Ottonem substituit, Barbarossæ filium, qui Ducatum exercitus post mortem Parentis susceperit, & postea in obsidione urbis Acco decesserit, quod non facile asseruerim contra consensum coævorum, qui Friderico Sueviæ Duci hoc tribuunt, proximum a Parente locum in exercitu, etiam vivo adhuc Patre habenti, & quoties dividendus exercitus fuit, alteri parti cum summo Imperio præesse solito, quem fuisse egregium bello virum, vel inde constat, quod ipse solus cum quinque aliis Iconii muris superatis, Soldanum Iconiensem, a patre etiam prælio victum, ad pacem & conditiones adegit: sed & virum pientissimum; quippe qui cum post triduum quam ad obsidium Acconis venisset, familiari lue correptus esset, & a Medicis audiret, convalescere posse, si venere uti vellet, mori malle respondit,

 quam

quam corpus per libidinem polluere in sacra illa militia, teste *Godofredo* sæpius jam laudato. Infinita autem hominum millia morbo periere, cum fames etiam multos consumeret, & ne quidem ullo precio cibi idonei haberi possent. Convenerant enim ad 100000. ad obsidionem Acconis, quam urbem alii Ptolemaida, alii Ascalonem, alii Accaronem antiquam fuisse scribunt. Præter enim Genuenses, Pisanos, Venetos, aliosque Italicos populos, Germanosque classiarios, navibus isthuc advectos, Philippus Galliæ & Richardus Angliæ Reges classibus suis eodem advenerant. Debuerant ex condicto, eodem anno, quo Imperator terra, illi navibus proficisci, sed impediti tempestatibus & adversis fulminibus, Angliæ Rex Messanæ in Sicilia, Galliæ Rex Genuæ hybernare coacti sunt: unde factum, ut sequenti anno appulerint in Palæstina, Friderico jam extincto. Videatur *Chron. Belg. Magnum* p. m. 197. & *Nicetas Choniates* l. c. Cum post arduum laborem fame & peste confiictantes Acconem tandem hæ omnes copiæ ad deditionem compulissent, his conditionibus, sicut *Urspergensis* loquitur, *ut redderent civitatem & crucem Dominicam, & captivos Christianos, si ipsis tantummodo vita salvaretur;* reddita quidem civitas est & captivi: cum vero crux dominica nullo modo posset inveniri, Saraceni omnes in urbe deprehensi quotquot Angliæ Regi cessere, decollati sunt. Post expugnationem Acconis Rex Galliæ clam domum discessit, relicta parte copiarum sub Duce Burgundiæ, timens sibi a ferocia Richardi Regis Angliæ, qui adhuc aliquantisper manens reædificavit Joppen & Ascalonem, Saladinumque bello fregit. Cum vero audivisset bellum suis terris illatum a Philippo Rege Galliæ, paulo ante socio, rediit & ipse, cumque per Austriam faceret iter, a duce Austriæ captus & Henrico Imperatori traditus est, ideo quod Conradum Marchionem, de quo supra diximus, qui Tyri residens se pro Hierosolymitano Rege ferebat, per assassinium diceretur interfici curasse. Ex tot millibus vero, quot Fridericus Imperator secum duxerat, vix 6000. in Germaniam rediisse scribit Author Chronici Belgici Magni ex *Gobelino*. Præcipui Scriptores de hac Expeditione consulendi, sunt inter Græcos Nicetas Choniates, ex Latinis Conradus Abbas Urspergensis & Godefridus Monachus cum Anonymi Epistola in Appendicibus Radevici. Tanta igitur tamque operosa Expeditio, qua tota Europa pariter atque Asia commota fuit, in irritum recidit, manifesto documento, nullam terram alterâ apud Deum esse gratiosiorem, ibique Dei sanctitatem habitare, ubi Ipse habitat, in mentibus videlicet piorum, ubi ubi terrarum reperiantur.



DISSER-

DISSERTATIO XXIV.

FRIDERICI I. IMP. JUDICIUM DE HENRICO LEONE

SAX. ET BAV. DUCE.

CAPUT PRIMUM.

Potentissimum haud dubie omnium Europæ post Cæsarem & Reges Princeps fuit Henricus Dux Saxoniæ & Bavariæ, Henrici superbi ex Gertrudi, filia Lotharii Imperatoris, filius, Henrici Nigri nepos, Guelfi pronepos, Azonis Estensis abnepos, pater Principum, qui nunc se nominant Brunsuicenses & Lunæburgenses Duces. Hic enim Princeps, cui ingens animus & plusquam immania facta nobile magnanimi nomen peperere Leonis, (*Meibom. in Orat. Paneg. de Henrico Leone*) parentis unicus hæres, adhuc puer defuncto parenti in Ducatu Saxoniæ successit, defendentibus eum viriliter Saxonibus contra Conradum Imperatorem & Adelbertum Marchionem Soltvvedelensem: mox etiam Bavariæ Ducatum repetebat ab Henrico Austriæ Marchione, injuste eum ademptum parenti a Conrado III. Imperatore asserens: & licet tunc eum obtinere non posset, Conrado Imp. ex odio Guelforum Principum in semel lata sententia (injustum scilicet esse quenquam Principum duos habere Ducatus) persistente, tamen mortuo anno 1152. Conrado Imperatore & suffecto in ejus locum a principibus Friderico Sueviæ Duce, & hic ei concessus est. Fridericus enim magno Procerum consensu electus Imperator, quod Justitia & virtus ejus esset perspecta; præterea sperare liceret per eum, qui nobilissimas Germaniæ gentes, Henricorum Gueiblingensium & Guelforum Altdorffensium, sanguine complexus esset, contentiones inter has familias, quæ Germaniæ quietem sæpius turbabant, extinctas fore, votis Principum satisfacturus tranquillitati Germaniæ a primis Imperii diebus sedulo incubuit, tandemque, instanter urgente jus suum Saxone, anno 1156. in Comitiis Ratisbonensibus authoritate sua controversiam de Ducatu Bavariæ ita composuit, ut Henrico Leoni Bavariæ Ducatum cederet Henricus Austriæ Marchio; Henricus Leo vero Austriam cum Comitatibus ad eam spectantibus, solutam nexu feudali, quo Bavariæ Ducibus obstricta erat, pleno jure Henrico Austriæ relinqueret, quam Imperator etiam liberi Ducatus titulo & honoribus auxit. vid. *Otto Frisingensis* Episcopus *de gestis Friderici Lib. II. cap. 2.* & præcipue *cap. 32. Guntherus in Ligurini Lib I. & Lib. V. in fine. pag. 360. in Collect. Reuberi. Helmoldus Chronic. Slav. cap. 84. Otto a S. Blasio Append. ad Chronic. Lib. VII. Ottonis Fris. cap. 6. Abbas Ur-*

sperg

sperg. Chronic. in vita Friderici pag. 216. Abbas Stadensis pag. 288. in Collectione Kulpisii. Gemino sic Ducatu Saxoniæ & Bavariæ insignis Henricus & cum his ex hæreditate majorum paterna & materna Brunsuicensis & Lunæburgensis aliarumque ditionum Dominus, virtute, prudentia & rerum gestarum gloria quoque inter cœteros excelluit. Nam celebre nomen suum reddidit maximis rebus pro Cæsare in Italia gestis, cum & ad Terdonæ deditionem præcipuum momentum attulerit, & conciliaverit Imperatorem Hadriano Pontifici, coronationem, quod Cæsar imperitus sit artis tenendæ strepæ, detrectanti, & Cæsarem summis periculis eripuerit, cum Romani, coronationem absque suo consensu peractam esse indignati, Cæsarianos ex improviso essent adorti; cum porro Hadriano Papæ intolerando fastu Imperium beneficium suum esse glorianti, ut Cæsarem, haud secus, quam par erat, ob id motum mitigaret, author cum quibusdam Episcopis extiterit, & Cæsari anno 1158. perfidos Italos Mediolanenses præcipue aggresso validum exercitum adduxerit, & ut Cremenses Cæsaris imperio se subjicerent suo & Aquilejensis Patriarchæ interventu effecerit. Vide fuse hæc narrantem *Radevicum Ottonis Frising. Continuatorem in Lib. I. & II. de Gestis Friderici Imp. apud Urstisium script. Germanic. Tom. I. qui in Lib. II. cap. 38.* de rara ejus indole notatu digna habet. *Henricus*, inquit, *a primis cunabulis patre & matre orbatus, ubi primum adolevit pollens viribus, decora facie, sed multo maxime ingenio validus, non se luxui neque inertiæ corrumpendum, sed (uti mos est Saxonum) equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare: & cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esset, ejus studium (ut de quodam dicitur) modestiæ, decoris, sed maxime severitatis erat, cum strenua virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. Esse quam videri bonus malebat. Ita quo minus appetebat gloriam, eo magis illam assequebatur. In omnibus gloriosis plurimum facere, & minimum ipse de se loqui. Is recepto ab Imperatore Ducatu Bavariæ, ubi naturam & mores hominum cognovit, multa cura, multo consilio, in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut treuga per totam Germaniam firmata, bonis vehementer charus, malis maximo terrori esset, adeo ut absentem velut præsentem timendo, leges pacis, quas sanxerat, nemo sine pœna capitis auderet infringere.* Adde Authores antea citatos & *Othonis & filii ejus Acerbi Morenæ Res Laudenses in Tom. II. Rerum Brunsuicensium scriptorum ab Illustri Leibnizio editorum.* Ubi etiam *pag. 848.* statura & vultus Leonis describitur.

Nec Italiam solum sed Germaniam etiam fortium suorum factorum spectatricem esse voluit, in qua id præstitit quod ante eum nullus. Scilicet, assuetam rapinis & excursionibus Slavorum gentem Albi & Balthico mari interstitam, maxime Wagrios, Polabos & Obotritos, bello fractos suæ subjecit *ditioni &* ferocem nationem Christiana religione imbui jussit; ad quam feliciter apud eos propagandam optimum remedium visum est, si Episcopatus in illis tractibus conderentur, aut olim conditi restaurarentur. Inde Aldenburgensis, Raceburgensis, Megapolensis Episcopatus Henricum Leonem fundatorem agnoscunt, data ei vel confirmata ab Imperatore potestate erigendi Episcopatus, dandi Antistites, eosque stabiliendi & confirmandi in omni terra Slavorum, quam vel ipse vel ejus progenitores jure belli acquisivissent; quod jus, solius Imperatoriæ Majestatis proprium habitum, teste *Helmoldo Chron. Slav. cap. 69.* etiam strenue exercuit Leo, & Episcopos per virgam investituram a se suscipere coëgit, frendentibus licet Episcopis & Archi-Episcopis. Etsi vero Slavi, ingenii inquieti & proni in bellum populus, aliquoties cum a cladibus respirassent, armis amissam libertatem recuperare tentarent, victi tamen semper insigne Leonis potentiæ attulere incrementum; quæ tunc plurimis accessionibus aucta ad summum

mum fortunæ fastigium evecta erat; præter enim jam enumeratas, peramplas quotidie consecutus est ditiones, Hermanni Winzenburgici, Sigfridi Homburgici, Ottonis Aslensis, accepit etiam ab Hartvvico Archi-Episcopo Bremensi Comitatum Stadensem; Waldemarus Daniæ Rex quoque pro defensione regni sui magnas pecuniæ summas ei pendebat, insuper id pactum fecerat, ut quas gentes subjugaret Danus, earum prædam ex æquo divideret cum Leone. Tantas denique provincias erat complexus imperio suo, ut a sinu pene Adriatico ad sinum Codanum & Oceanum Germanicum imperaret. vid. *Helmold. Chron. Slavor. Lib. II. cap.* 6. & 7.

Sed tantam fortunam etiam secuti sunt individui ejus comites, & quantamcunque felicitatem habebat Henricus, invidiam tamen cum malis inde provenientibus sensit majorem. Vicini enim Proceres veteri principum morbo ægri, quem alienæ potentiæ aspectus creat, & insidias strui suæ libertati tot opum accessione suspicantes, Leonis potentiam omnino convulsam cupiebant, hinc ad eum communibus viribus opprimendum conspiravere Wichmannus Magdeburgensis, Hermannus Hildesemensis, Episcopi; Albertus Marchio Brandenburgensis, Otto Marchio Camburgius & fratres, Albertus Comes Palatinus Sommersburgius, Otto Comes Aslensis, Christianus Comes Oldenburgicus, Widekindus Comes Dasenburgius & alii; hos animabat consiliis & opera Reinoldus Coloniensis Præsul, omnem dignitatem ex Leonis oppressione sibi quærens. Nihil jam deerat quam opportunum tempus, quia Cæsaris authoritas & præsentia iis obstabat, tandem maturam explendæ invidiæ occasionem obvenisse rati, cum Cæsar in reducendis ad obsequium Italis occupatus esset, quod & nimis ab iis remotus esset, & Reinoldus Coloniensis, qui apud Cæsarem plurimum poterat, cum eo in Italia militaret, qui omnia eorum facta apud Cæsarem in meliorem partem sit expositurus, undique eum aggrediuntur. Aliis alias Leonis arces tentantibus Ludovicus Thuringus cum sociis Aldeslebium obsidet, Christianus Oldenburgius Bremam occupat. Tantis petitus turbis Henricus Leo virtuti suæ & fortunæ confisus ad resistendum summo studio se parat, ne ulli spem aut causam armorum det, observat; Holsatiæ, Wagriæ, Stormariæ, ne hostibus accedat, Henricum Orlemundum præficit, qui Adolfi Comitis pueritiam universamque ditionem regeret. Pribislao Slavorum Obotritorum Principi omnem pene regionem, quam pater ejus habuerat, reddit; & hoc beneficio, ut sibi fidus permaneat, obstringit; inde collecto quanta potuit celeritate exercitu adversus æmulos hosce movet, nec fortuna, quod ipsum perpetua felicitate hactenus protexerat, illum hac vice deseruit; quamprimum enim ejus adventus cognitus fuit hostibus, tantus eos invasit metus, ut nullibi consistere ausi fugerent, terrasque suas igne ferroque vastandas Leoni relinquerent. Ipse quocunque se vertebat victor erat, recepit brevi Bremam, soloque terrore & fama debellavit hostes, fugam in Frisiæ paludes pro armis capessentes, frendente Coloniensi & continuo novos Leoni hostes excitante, ut, si qua posset, perpetuum illi victoriarum cursum abrumperet, sed irrito conatu; Dux enim se fortiter defendit contra quosvis inimicos, donec per Imperatorem ab iis fuit liberatus, hic enim extirpandis seditiosis Italis intentus cum comperisset de turbis in Saxonia ortis, per inducias eas componere studuit usque in suum reditum, & reversus anno 1168. omnes Saxoniæ Proceres Bambergæ (Francofurtum substituit *Godefridus Coloniensis*) comparere jussit, ubi postquam iis simultates, quibus maximo reipublicæ detrimento & Italorum rebellium commodo contendissent, graviter exprobrasset, pacem inter eos authoritate sua conciliavit his conditionibus, ut Dux Henricus omnes suas regiones quiete possideret, Hartvicus Archi-Episcopus Bremensis suæ sedi restitueretur, Conrado Lubecensi Episcopo, quem

quem Dux, quod recusaret sibi homagium præstare, expulerat, pristina dignitas permitteretur, eo tamen lege, ut se Duci observantiorem quam antea exhiberet, & ut Dominum suum honoraret. *Helmoldus Presbyter Bosoviensis in Chronic. Slavor. Lib. II. cap. 7. usque 11. Appendix Anonymi ad Radevicum in Tom. I. Scriptor, German. Urstisii pag. 559. Godefridus Coloniensis Monachus S. Pantaleonis in Tom. I. Scriptorum Rerum German. Freberi pag. 242. & 243. Abbas Stadensis pag. 291. Albertus Cranzius Saxon. Lib. VI. cap. 20. seq.* Atque ita omnes inimicorum conatus virtute sua & interventu Imperatoris hoc tempore elusit Henricus, qui quamdiu faventem habuit Imperatorem, (quem, præter id quod suus amitinus esset, officiorum magnitudine sibi devinxerat,) tutus erat ab omnibus hostium insultibus, & florebat felicitate ejus imperium, at hujus postquam gratia excidit, ne insidiæ hostium sortirentur effectum, neve magnæ suæ opes inimicorum præda essent, impedire non potuit, ad quod post aliquod tempus occasio se aperuit. Redacto enim ad obsequium Witekindo Dasenburgio (qui unicus discedentibus ab armis cœteris, pacem respuerat) & quiete se reficiente Saxonia Henricus Dux tritum tunc Christianis Principibus votum de honorandis in Terra Sancta Christi monumentis persolvere decrevit, quod etiam feliciter implevit, fuitque ab Imperatore Græco & Soldano raro exemplo humanissime exceptus, & magnificis donis ab utroque honoratus. Soldanus illum etiam propinquum & consanguineum suum appellabat, quod ipse matre Teutone & Russorum Regis filia prognatus esset. Vid. hæc apud *Arnoldum Lubecensem Abbatem ab initio supplementorum suorum ad Helmoldi Chronicon Slavorum usque ad cap. 12. & ex eo Cranzium Saxon. Lib. 6. cap. 29. seq.* Imperator vero, qui instaurare in Italia dignitatem pristinam, auctoritatem regiam confirmare, reducere jura, quæ per temporum injurias neglecta aut imminuta videbantur, totis viribus nitebatur, Italiam iterum ingredi seditione Italorum, præcipue Mediolanensium, coactus est. Hic enim impatiens Cæsarei Imperii populus, qui perfidiam suam insulso hoc responso excusare consueverat: Juravimus quidem sed juramentum attendere non promisimus. (*Radevicus de gest. Frid. L. II. cap. 25. pag. 523.*) Licet jam aliquoties a Cæsare graviter punitus esset, ita quidem, ut urbe ejus validissima ad solum diruta, nihilque nisi vasta solitudine & sterili solo relicto, omnes illi ad rebellandum vires ademtæ viderentur, domitus tamen non erat, sed discedente Cæsare fides ejus etiam discedebat. Quo vero Cæsari se magis molestum exhiberet, novam nunc ex veteris urbis ruinis excitavit urbem, eique de fautore & instigatore suo Alexandro III. (infensissimo Cæsaris hoste, quod illum nollet legitimum agnoscere Pontificem) Alexandriæ nomen indidit. Itaque ad hanc audaciam castigandam Cæsar coactis copiis anno 1171. obsidione cinxit novam urbem, sed cum munitior esset, quam ut ulla vi vel arte expugnari posset, Cæsar infecto negotio se Papiam recepit, inde in Germaniam; in qua anno sequente Wormatiæ Conventum Principum habuit, multasque de seditione Italorum querelas movit, qui discessu Cæsaris animosiores facti Imperium omnino contemnebant. In iis Comitiis decisum fuit, ut post duos annos expeditio adversus Italos susciperetur, quam Imperator etiam anno 1174. aggressus est, & exercitum denuo infestæ sibi urbi admovit, nihilo tamen meliori successu quam antea, quod validissimis munimentis firmasset urbem colluvio incolarum, & a Pontifice atque sociis omnibus ad tolerandam obsidionem necessariis esset instructa. *Godefridus Monachus Coloniensis apud Freber. Tom. I. script. Germ. rer. ad annum 1172. 1174. 1175. p. 243. & 245. Chronicon Augustanum apud Freber ad annum 1174. pag. 361. Otto de S. Blasio Append. ad Ottonis Frising. Lib. VII. Chron. cap. 23. apud Urstis. Tom. I. pag. 208. Mutius in Chron. Germ. Lib. 18. pag. 155.* & quoniam Cæsar se illorum viribus imparem esse sentiebat, quod vel partem exercitus, cum

cum cœteri Itali obsequia se præstituros polliciti essent, sponte dimisisset, ut refert *Godefridus Coloniensis loc. cit. p. 246.* vel Henricus Leo qui obsidioni interfuerat, cum copiis suis, præcipua exercitus parte, ex obsidione invito Imperatore discessisset, ut tradit *Abbas Urspergensis pag. 226.* & ex eo *Aventinus Annal. Bojor. L. VI. pag. 645. Mutius Chron. Germ. Lib. 18. p. 155.* desperata urbis expugnatione recessit; & pro reparandis majoribus viribus Legatos ad Germaniæ proceres misit, præcipue ad Henricum Leonem Bavariæ Saxoniæque Ducem, eumque Clavennam in Rhætis ad colloquium vocavit. Quem ubi adventare cognovit, obviam illi progressus est, arctissimeque complexus eum ad jungenda arma exquisitissimis verbis invitat: neminem eo Principum plus auxiliorum conferre posse, nam & strenuum ipsum militem, formidandum Lombardis nomen, & expertam jam olim dextram allaturum, & Bavariæ Saxoniæque potentem non auxilia sed justos exercitus ex utraque gente cogendi habere facultatem, succurrat ergo laborantibus, defendat ab inimicis imperii dignitatem, quæ per ipsum hactenus se stetisse fatetur. Verum Dux Henricus multa allegare cœpit, ob quæ vacationem militiæ sibi dari æquum crederet; eundem sibi quidem adhuc animum esse qui semper fuit, ire quo voluerit Imperator, pugnare, periclitari, sed ætate & continuo labore itineris & militiæ se fatigatum belli munia sustinere non posse, affuturum tamen Cæsari auro, argento, milite, omnique apparatu bellico, sibi ipsi duntaxat concedat quietem. Cum vero nullam ejus excusationem admitteret Imperator, postulare vicissim institit Goslariam opulentam Imperii urbem sibi in feudum concederet velut authoramentum militiæ; ad quod Fridericus Imperator, dignitatis suæ etiam in arduis tenax, indignatus a se invito tale quid extorqueri, beneficiorum eum veterum meminisse, nova sperare iussit non exigere, exponit illi, quod suo potissimum studio & labore res ejus in tam florentem statum sint evectæ, & ab inimicis in eo conservatæ; quod illius commoda quibusvis aliis necessitatibus ubique habuerit potiora; quod honori & dignitati ejus ipse semper faverit & adjutor fuerit; æquum itaque esse, ut ejus existimationem & dignitatem ab inimicis vindicet, a quo in omnibus petitionibus sublevatus fuerit; addit, fidem Imperio promissam & sacramentum, quo obstrictus teneatur, exposcere, ut subveniat Imperio, eo magis, quo cæteris opibus & potentia præstaret, omneque & robur & auxilium in eo solo consisteret; & si hæc omnia non essent, familiaritatis tamen & necessitudinis, quibus illi conjunctus sit, jura omnino exigere, ut in necessitate constituto amico & consanguineo omni ope succurrat. Hæc cum allegasset, & tamen in eadam sententia eum persistere intelligeret, omnesque offerentem contrahendo valido exercitui necessarias impensas, semetipsum tamen a militiæ muniis excipere; Imperator obstinatum animum lenitate sibi conciliaturus, status sui oblitus solio se proripit, & flexis genibus auxilium a Leone impetrare tentat. Habet hæc *Arnoldus Lubecensis Abbas*, cujus opus ex maxima parte ad Henricum Leonem pertinet, in *supplem. ad Helmold. Lib. II. cap. 15. in Tom. II. Leibnizii. Otto Sanblasianus cap. 23. pag. 209. Tom. I. Urstis. Abbas Urspergensis pag. 226. Albertus Abbas Stadensis pag. 293.*

Quis sensus Henrici fuerit projiciente se ad pedes ejus Imperatore, in dissidio authorum vix intelligitur. Si ei habenda fides, qui scriptor verax & probus proxime accedit ad tempora, quibus hæc gesta, & Henrici Leonis res accuratius quam cœteri omnes exsequitur, scilicet Arnoldo Lubecensi Abbati, Dux vehementer perturbatus est, cum Imperator ad ejus pedes se inclinaret, eumque amplexus ad terram concidere non est passus. Quod etiam confirmat *Conradus a Lichtenau Urspergensis Abbas in vita Friderici I. pag. 226.* qui dicit, ut homines referunt, voluisse Imperatorem ad pedes ejus se demittere, sed Ducem

hoc discrete recusasse. Addit hoc amplius, ex narratione vulgi, ut ipse fatetur, Leonem hoc aversantem jussum a quodam officiali Jordano (Dapifero ut vult *Lerbeckius in Chron. Schauenb.*) omen accipere, sponte coronam Imperii ad ejus pedes nunc deponi, quantillum superesse, ut etiam capiti imponatur. Hanc traditionem, quam *Abbas Urspergensis* affirmare non sustinet, *Abbas Stadensis* deinde l. c. & post eum plures recentiorum, *Hermannus Lerbeck. in Chron. Comit. Schauenburg. in Tom. I. Meibomii pag. 505. Henric. Bodo in Syntagm. in T. II. Meibom. pag. 505.* fama omnia majora vero tradente variis circumstantiis augent, Imperatorem cum Henricus precibus ejus locum dare nollet, ad pedes Ducis procidisse, Ducem vero ante se prostratum Imperatorem contempsisse, nec levasse, sed Imperatricem dedecoris impatientem conjugi porrexisse manus, addito monito: Surge mi Domine, memor esto hujus casus, memineritque Deus. Sed fabulam olere *Abbatis Stadensis* & hunc sequentium narrationem & refutari auctoritate *Arnoldi Lubecensis* coævi scriptoris, jam agnovit *Cranzius Saxon. Lib. VI. cap. 35.* qui optime etiam notat, non convenire tale factum Leonis continentiæ, cujus animo reverentia non ita excesserat, ut Imperatoris, Domini, amici, cognatique sui adeo contemnens fuerit, eique ne eum quidem honorem habuerit, quem impudentissimus vix omittet. Verisimiliora sunt quæ *Abbas Urspergensis* habet, Ducem discrete recusasse hunc petendi modum. Sane vix credibile est, quod Imperator, cum mutata paulo post rerum facie Henricus Leo pedibus ejus advolutus esset supplex (ut postea dicemus) tam clementer excepturus fuisset illum, ut etiam amplecteretur & erigeret, qui ad se flexis genibus supplicantem manus extendere detrectaverat. Cæterum id omnium scriptorum fide certo constat, Henricum Ducem surdis ultimas Cæsaris obtestationes auribus accepisse. vid. præter jam allegatos *Gobelinum Personam Cosmodromii ætat. VI. cap. 60. pag. 272. Tom. I. Meibomii Fragmentum Duc. Brunsuic. & Luneb. in Tom. II. Illustris Leibnizii pag. 19. Fragmentum Chronici Bardevic. in Tom. III. Leibniz. pag. 217. Chronicon. Rhythmicum Duc. Brunsuic. in Tom. III. Leibniz. pag. 55. Chronicon. Brunsuic. picturatum Bothonis Tom. III. Leibniz. pag. 349. Cranzius Saxon. Lib. VI. cap. 35. Mutius Chron. Germ. Lib. XVIII. pag. 155. Aventinus Annal. Boic. Lib. VI. pag. 645.*

Causa vero cur Imperatori auxilium tunc denegaverit, a variis iterum varia profertur, & plures profecto concurrisse probabile est. Durabat adhuc maximo Ecclesiæ scandalo Schisma, & licet summo studio Cæsar reniteretur Pontifici Alexandro, in dies tamen crescebat factio Alexandri, qui jam a plerisque etiam Germaniæ Episcopis fovebatur. Hujus Schismatis & Excommunicationis fulminum, quibus Imperator ab Alexandro percussus erat, intuitu, Henricum Leonem fulmina Pontificum nimis reverentem (quod patuit cum ab Udalrico Halberstadiensi Episcopo anathemate perstrictus esset) arma cum Cæsare sociare noluisse multi arbitrantur, quibus nec ego refragabor; certe eum occasionem deserendi Cæsarem sumpsisse ex illius excommunicatione, testatur *Abbas Urspergensis pag. 226.* & ex eo *Mutius l. c.* quanquam si Cæsar Principi, qui quo plura habebat eo majora cupiebat, Goslariam nobilem urbem ut donativum obtulisset, vix mihi videtur, tanti eum æstimaturum fuisse diras Pontificis, ut Cæsari suppetias denegaturus fuisset; repulsam enim quam passus est Leo, cum Goslariam peteret, ut causam denegati auxilii expresse nominat *Continuator Ottonis Frisingensis Otto de S. Blasio* (non Continuator Ottonis a S. Blasio, ut est *apud Meibom. Tom. I. in notis ad Gobelinum pag. 364.*) *cap. 23. pag. 209.* his verbis: *Dux Henricus, utpote solus ad subveniendum Imperio hoc tempore potentia & opulentia idoneus, Goslariam ditissimam Saxoniæ civitatem jure beneficii pro donativo ad hoc expetiit. Cæsar autem tale beneficium sibi invito extorqueri ignominiosum*

niosum existimans, minime consentit. Pro quo Henricus iratus ipsum in periculo constitutum recedens reliquit. Accedebat ad hoc, quod jam dudum inter eos obortæ erant dissensiones. *Cum* enim anno 1173. ut *Gobelinus* habet, (alii anno 1172.) *Dux terram sanctam adiret, interim Imperator existens in partibus Saxoniæ, potentiores quosdam provinciæ, quibus Dux urbes suas commiserat, terroribus vel promissionibus secreto circumvenit, & juramento constrinxit, ut si forte Dux non rediret, urbes cum terra sibi contraderent. Et post hoc Duce reverso propter hæc facta est dissensio inter Imperatorem & Ducem.* verba sunt *Gobelini Cosmod. æt. VI. cap. 60, pag. 271.* apud *Meibom. Tom. I.* harum insidiarum memor Dux Henricus noluit cum eo, qui tam prava erga se mente esset, militare, eo minus, quo magis præcepta Welfonis hæreditate jam offensus erat ab Imperatore, quod hoc modo accidit: Welfo patruus Henrici Leonis, Princeps multarum regionum, amisso anno 1166. per pestilentiam Romæ tunc plurimos de exercitu Cæsaris consumentem, unico filio cognomine, subtrahere se curis & in otio ac voluptatibus vitæ reliquum transigere constituerat. Cum vero reditus non sufficerent immodicis, quos faciebat, sumptibus, Henrico Leoni ex fratre nepoti hæreditatem omnium bonorum detulit, pactus certam pecuniæ summam stato tempore sibi numerandam; accepit conditionem Henricus, sed solutionem de industria ex quorundam consilio distulit, sperans Welfone, utpote grandævo, propediem morituro, gratis ad se proximum hæredem omnia reditura. At suis captus est artibus. Welfo enim ubi hoc sensit ira accensus e tabulis nomen ejus erasit, & Friderico Cæsari sororis filio hanc conditionem obtulit, qui eam ambabus est amplexus, & Welfoni numeravit pecuniam quantam poscebat, & in Leonis locum substitutus omnium bonorum hæres. Feudali etiam bona statim ab eo recepit. (*Otto Sanblas. cap. 20. & 21. pag. 207. Chronicon. Monachi Weingart. apud Leibniz. Tom. III. p. 654. Aventinus Annal. Bojic. Lib. VI. pag. 644.*) Qua erepta hæreditate Leonem congerendis opibus maxime intentum non parum ab Imperatore alienatum fuisse verosimile est. Seditiosa etiam Saxoniæ Procerum consilia præsentia sua ut a se averteret, Italiam eum petere noluisse suspicari licet. Equidem in præjudicium Ducis afferunt aliqui, ictum Ducem fuisse ex Mediolano phalarica, quæ auri pondus projecisset, & per pecuniam illum abactum fuisse, quem arma abigere non poterant: sed quoniam id ex nullo coætaneorum vel proximi ævi scriptorum constat, quam unico *Urspergensi Abbate*, qui tamen veritatem rei non spondet, sed incertitudinis notam *Forte* apponit; *Arnoldus Lubecensis Abbas* e contrario pro certo tradit, Ducem aurum, argentum cœteraque colligendo adversus Mediolanenses exercitui necessaria obtulisse, hinc recentiorum authoritatem *Bothonis* in *Chronic. Brunsuic. pict. Tom. III. Leibniz. pag. 349. Aventini Annal. Boj. Lib. VI. pag. 645. Mutii in Chron. Germ. Lib. XVIII. p. 155.* sequi non possum.

Sed exponenda nunc sunt, quæ post discessum Ducis accidere; frustratus sic auxiliorum spe Imperator anno 1176. reversus est in Italiam cum exercitu, quem tunc contrahere poterat, adjutus potissimum Coloniensis Philippi & Christiani Moguntini viribus, qui *Episcopus etiam usque ad finem vitæ suæ Longobardiam vastabat, subjiciens eam Imperio, plus placere cupiens Imperatori terreno quam cælesti, & neglectis ovibus sibi commissis magis tributa Cæsarum quam lucra Christi colligebat*, ceu inquit *Arnoldus Lubec. Lib. II. Chronic. Slavor. cap. 16.* de quo etiam Episcopo *Abbas Stadensis pag. 292.* refert, quod *asini sui exercitus majores haberent expensas quam omnis familia Imperatoris, quæ tamen opulentissima videbatur.* Et hujus ope ut sæpissime, ita & tunc, ab initio prospere depugnatum est, sed ad extremum acri prælio victus Imperator & in fugam actus

 ægre

ægre vitam habitu servi equos curantis servavit. Post quam acceptam cladem Anno 1177. cum Alexandro III. Pontifice transegit. *Arnold. Lubec. Chron. Slav. Lib. II. cap. 16. & 17. Otto Sanblas. cap. 23. pag. 209. Abbas Ursperg. pag. 226.*

Jam tum enim Imperator, quod ipsum deseruerat, maximo odio prosequi cœperat Ducem Henricum, & consilia agitabat illius potentiam evertendi. Quod cum durantibus dissidiis cum Pontifice difficile esse cerneret, hujus amicitiam mediante Philippo Coloniensi sibi comparavit, ut undique firmata parte sua facilior esset ejus oppressio, & quoniam plerosque Principes anhelare Ducis eversionem jam diu noverat, convocavit eos & multa questus est de intolerando Henrici fastu, quo inflatus patriam, summum imperium, Principes vilipendat, preces & vota supplicis contemnat, Cæsarem periclitantem deserat, perfide denique cum hostibus conspiret. Has Cæsaris querimonias ubi Proceres, qui invidi florentibus ejus rebus eum jam ante oderant, audivere, nunc tandem aptissimam, quam diu expetierant, premendi inimici occasionem adesse rati, majores stimulos addidere iræ, & libera voce accusantes Ducem, & asserentes, vergere non tantum in Cæsaris sed omnium Principum ignominiam, quod imperia Cæsaris neglexerit, & nullas ei pro ingentibus meritis retulerit grates, eum ut reum læsæ Majestatis, proscribendum esse, omnique honore privandum, clamitant. Alii insuper proprias injurias ab illo perpessas commemorant, Episcopi præcipue avaritiæ & direptionum bonorum Ecclesiæ eum arguunt, omnes denique Imperatoris auxilium implorant, & conjurationem adversus Leonem faciunt. Imperator etiam sentiens Principes omnes esse allaturos opes, ad deprimendum Henricum consilia init, variaque calliditate omnes admovet artes, quibus fortunam Ducis destrui posse putabat. (*Arnold. Lubec. Lib. II. cap. 16. Otto de S. Blas. cap. 24. pag. 209. Bodo Syntag. apud Meibom. Tom. II. p. 505.*) Oppressionis hujus mox initium fecerunt Philippus Coloniensis Episcopus & Udalricus Halberstadiensis Præsul, vix sedi suæ, (a qua premente Ecclesiam schismate deturbatus erat) restitutus. Qui Episcopi turbinum more omnes Saxoniæ Proceres in Henricum concitarunt, bellumque adversus eum impigre pararunt. Diminam, Slavorum arcem, oppugnabat Dux, cum de hostili Udalrici in Saxoniam ingressu factus esset certior; unde versus ad amicos veluti futuri præscius, Bella mihi video, bella parantur, ait, itaque hoc tridui spatio ad deditionem compulsa inde se itinere quanto maximo potuit adversus Udalcicum Halberstadiensem Episcpum in Hoppelberga monte muniendo occupatum vertit, incautum aggressus loco depulit, affecta munimenta solo æquavit. Sed cum deinde spatium reparandi vires firmandæque majori studio arcis ei dedisset, dum ad disturbandas operas postea regressus esset, conjectus est in fugam, capti multi a suis, amissa impedimenta. Quo infelici prœlio ita territus Henricus fuit, ut Philippo Coloniensi, sponte sua vel stimulante Imperatore ad Visurgim usque incendiis & rapinis grassanti, occurrere non sit ausus. *Arnold. Lubec. Chron. Slav. Suppl. Lib. II. cap. 17. seq. usque 24. Godefridus Coloniensis apud Freher. pag. 247. Gobelinus Persona apud Meibom. Tom. I. pag. 272. Chronicon. Præpositi Stederburg. apud Leibniz. Tom. I.*

Et quoniam eadem tempestate redierat ex Italia Imperator, id suis rebus saluti fore arbitratus Dux, si in eo auxilium quæreret, cujus auctoritate interposita jam aliquoties ab inimicorum injuriis fuerat defensus, Imperatorem Spiræ adit, illi omnium temporum injurias Coloniensis in se commemorat, litium inter se & illum judicem postulat. Aderat tunc Coloniensis Antistes, sed Imperator, quem ira & dolor exhibiti contemptus ad vindictam stimulabant, de oprimen-

primendo, non defendendo Duce, jam cogitabat. Itaque cum Spiræ statim potuissent causæ certaminum tolli, præsente actore Henrico & reo Philippo, rejecta fuit causæ cognitio Wormatiam, & qui ut actor illuc debuisset citari, ut reus comparere jubetur, responsurus querimoniis Principum. At Henricus qui ex primo congressu, in quo omnia aliter agebat Cæsar, quam superioribus temporibus consueverat, de Cæsaris in se animo tristem conjecturam fecerat & nunc se non vana conjectasse ex modo citationis didicerat, judicium fugit. Unde paulo post Magdeburgum ad causam dicendam vocatus est, quo etiam Theodoricus Landspergius Lusatiæ Marchio ad singulare certamen eum provocabat, postulans proditionis reum, cujus veritatem duello probare paratus sit. Vera tamen provocationis causa credebatur, quod Slavi a Leone exciti Lusatiam Marchionis terram ad ingentem solitudinem atque inopiam vastationibus suis redegerant. Sed Dux duellum, quod ad rei, de qua agebatur, summam nihil pertinebat, detrectavit, nec provocationi paruit. Absentia vero sua inimicis nova obruendi ipsum invidia occasionem dedit, qui variis eum exagitavere criminationibus, præterea contumaciam absentis, diffidentiam respondendi ad objecta & desperationem patrocinii in immensum exaggerarunt. Ut tamen se Cæsari purgaret, privatum colloquium cum Cæsare solo expetiit, posse fortasse per id omnem controversiam tolli sperans. Adnuit Imperator, & se contulit ad locum conventum, ubi Dux blanda oratione sibi Cæsarem conciliare studuit, Cæsar etiam amice cum eo colloquutus, testatus est discessisse iram mente, servet modo hunc Imperatoriæ Majestati honorem, & redimat quinque marcarum millibus pristinam gratiam, reversurum eum mediante se etiam in Principum, quos offenderat, gratiam asserens. At Dux Henricus jure, non ære, innocentiam suam tueri cupiens, ne videretur mulctam solvendo profiteri noxam, nimium ab innocente exigi causatus est, & re infecta ab Imperatore discessit, laudando constantiæ exemplo, nisi in ea tempora incidisset, quibus aut salutis aut opum jactura facienda necessario fuerat. Ergo Goslariæ judicio se sistere jubetur, sed nec hic præsens fuit, nunquam compariturus ut reus, qui ut actor non fuit auditus. In hoc Principum conventu Imperator de ejus pervicacia retulit, & Principes, qui frequentes aderant, quid jus fasque esset, quod ter legitime citatus semper contumax fuerit, pronuntiare jussit, qui magno consensu hanc dixere sententiam: proscribendum esse Leonem, privandum omni honore, Ducatibus, omnibusque feudis: quam quidem Imperator suo suffragio confirmavit, nihilominus tamen rogatu Principum (illorum ut suspicor, qui Ducem condemnari non posse nisi per sententiam in ejus terris latam statuebant, ut deinde dicemus,) quartum ei dicta dies, quam cum ut priores aspernatus esset, anno 1180. ut plurimi fide digni asserunt non 1178. ut scribit *Otto Sanblasianus*, in Conventu Principum Herbipoli celebrato in Natali Domini, teste *Abbate Stadensi Ottone, Sanblasiano* & aliis (malunt tamen *Godefridus Monachus*, *Gobelinus Persona* & plures alii Geilenhusii mediis Esurialibus habitam fuisse Curiam) denuo confirmata proscriptio, & abjudicata illi sunt sententia Cæsaris & cunctorum Principum omnia feudalia bona, quæ ab Imperio & Episcopis possidebat. Ducatus Saxoniæ Bernhardo Comiti Anhaldino, Ducatus Angriæ & Westphaliæ Philippo Coloniensi Archi-Episcopo attributus, in Ducatum Bavariæ vero Otto Palatinus Witlinspachius evectus. Episcopis feuda, quæ tenuerat Henricus, ut a se trahant indictum, cœtera ejus bona publicata. vid. *Arnold. Lubecens. Abbas in Supplem. ad Chronic. Slavor. Helmoldi Lib. II. cap. 24. Otto de S. Blas. Append. ad Chron. Ott. Frising. cap. 24. pag. 209. Abbas Ursperg. in Chron. pag. 227. Abbas Stadensis pag. 294. Godefridus Monachus S. Pantaleonis pag. 247. Chronicon Monachi Weingartensis de Guelfis Principibus apud Dn. Leibniz. Tom. III. pag. 793. Ladislai Sundhemii Familia Guelforum apud eundem.* Roge-

Rogerius Hovedenus ex quo Excerpta exhibet Leibnizius Tom. I. pag. 877. Fragmenta Duc. Brunsu. & Luneb. Tom. II. Leibniz. pag. 19. Fragmenta Chronici Bardev. apud eundem Tom. III. p. 217. Arenpeck de Guelfis Princip. Tom. III. pag. 673. ibid. Chronicon Engelhuf. Tom. II. pag. 1105. apud eundem Chronicon Rhythmicum Duc. Brunsuic. Tom. III. Leibn. Chronic. Luneburg. Tom. III. apud eundem pag. 174. Botbonis Chronic. Brunsuic. picturatum ibid. Tom. III. pag. 349. Chronicon Augustanum S. Udalrici & Afræ apud Freberum Tom. I. pag. 359. & 362. Lerbeckii Chronic. Comit. Schauenburg. Tom. I. Meibomii pag. 505. Gobelinus Persona Cosmodrom. Aet. VI. cap. 60. in Meibomii Tom. I. pag. 272. & 273. Chronicon. Rastedense in Tom. II. Meibom. pag. 99. Wolteri Chronicon Bremense apud eundem Tom. II. pag. 52. seq. Chronicon Oldenburg. tomo eod. p. 145. Bodonis Syntag. Tom. eod. pag. 505. Albertus Cranzius Lib. VI. Saxon. cap. 38. Aventinus Annal. Boj. Lib. VI. pag. 647. Mutius Chron. German. Lib. XVIII. in Tom. II. Pistorii pag. 155.

In aliquo ex conventibus, in quibus causa Henrici tractata fuit, quidam Principes & Barones fautores Ducis contendebant, ab Imperatore Ducem condemnari non posse vel terras illi abjudicari, nisi judicium habeatur in Terra Ducis patria, acriterque de hoc jure disputatum fuit, donec Nobilis quidam duello se probaturum dicebat, quod Imperator quemlibet Principem posset vocare in jus ad locum quemcunque vellet, modo sit intra Imperii fines; cum quo cum nemo congredi auderet, Imperator Nobilis sententiam ut legem observari præcepit, teste *Urspergensi pag. 227.* & qui id inde repetit, *Mutio loc. cit. pag. 115.* Sed licet tunc ita sancitum fuerit, Dux tamen contra proscriptionis sententiam excepit, injuriam sibi fieri per eam, quod oriundus sit Suevia & non possit condemnari, nisi convictus in terra qua natus est. *Arnoldus Lubec. loc. cit. cap. 24. fin. Cranzius loc. cit.*

Cæterum proscripto sic Duce nihil Cæsari potius fuit, quam ut prostrati Leonis exuviis quam ocyssime potiretur, easque in alios distribueret, priusquam illi novas vires colligendi facultas daretur. Quod etiam ex voto obtinuit, fuitque fortunato hactenus Principi Bavarica tellus cum Sueviæ prædiis, quod nimis ab iis esset remotus & Præfecti ejus deficerent, mox detracta; Saxoniam quoque Episcopi, infensissimi ejus hostes, illi eripere tentarunt, Philippus Coloniensis Præsul, contracto rursus ex sceleratissimis quibusvis exercitu, ad asserendum sibi Westphaliæ & Bernhardo Saxoniæ Ducatum progressus, plus quam barbara feritate sævire cœpit. Wichmannus Magdeburgensis Archi-Episcopus cum suis copiis Haldeslebium obsidione pressit, tandemque post maximos labores ad deditionem compulit. Udalricus Halberstadiensis Antistes omnibus modis oppressurus Ducem Henricum, ne quid malorum ei deesset, excommunicationis fulmine (maximo in istis seculis terrore) eum percussit. Tantas adversus calamitates cum contendendum esset, de Suevicis & Bavaricis quidem terris mox desperavit, Saxoniam vero acrius defendere conatus est, in qua ut a se averteret mala, quæ cœteris graviora ducebat, Udalricum Ep. Halberstadii adiit, & humi procumbens, ut absolveretur petiit, quod & ab Episcopo impetravit, liberque ab excommunicationis vinculis pronunciatus est cum omnibus, quos obsequentes habebat; inde in Westphaliam cum exercitu movit, inhibiturus Westphalorum irruptiones, & commisso ad Osnabrugam acri prœlio, victi fugatique sunt Westphali a Leonis copiis, multi quoque capti, quorum præcipuus erat Simon Comes Tecklenburgius, qui non multo post solutus vinculis ex inimico factus est Ducis amicissimus; sed uti fidelem amicum hæc victoria conciliavit, ita similem huic in Adolfo Holsatiæ Comite ut amitteret occasionem præ-

præbuit, cum Comes captivos, quod nulla caperet stipendia, retinere vellet, de quo postea. Deleto sic Westphalorum exercitu Dux ad arcendas Udalrici Halberstadiensis crebras excursiones victorem exercitum proficisci jubet. Hic Episcopus belli & turbarum cupidine flagrans, cum vix Duci promisisset pacem, arma iterum arripuerat. Continuerat tamen se Dux aliquandiu, sed cum Episcopus non cessaret a depopulationibus, tandem exercitum suum illi immisit, a quo Episcopi infestæ irruptiones pensatæ sunt. Nam vastata Episcopi ditione, non procul Halberstadio commissum est prælium, in quo victi sunt Halberstadienses, dumque fuga vitam servare tentant, Leonis milites instant fugientibus, Halberstadium cum ipsis intrant, capiunt, diripiunt; cumque discurrens ad prædam miles nusquam ardentem videret focum, subducto a civibus consulto igne, ne eo quoque post ferrum victor uteretur, unus denique fortuito repertum ignem casæ subjecit, unde maximum ortum incendium totam civitatem cum templis in cineres redegit; magna etiam pars Cleri & civium una periit, Episcopus ipse in sua domo deprehensus, ægre flammis ereptus est cum reliquiis B. Stephani, quas ad præsidium secum habuerat. Lætus tam memorabili victoria Leo, qua præcipuum hostem contritum censebat, ubi tamen conspexit captivum Episcopum, cygneo capite grandævum, præterea reliquias B. Stephani Martyris semiustas & incendii squalore fuscatas, & comperit incendio corrupta templa multosque concrematos homines, lacrymas præ dolore inhibere non potuit, multa in bellis accidere testatus, quæ victoribus ipsis non placeant; quare etiam Episcopum in custodia liberaliter habuit, & haud diu post ex ea dimisit, qui ne amplius nocere posset a morte mox secuta fuit impeditus. Refert hæc *Arnoldus Lubec. supplem. Lib. II. cap. 25. usque 29.* qui simul graviter in belligerantes Episcopos invehitur. *Godefridus Monachus Colon. apud Freher T. I. p. 247. Chronicon Stederburg. Bodonis Syntag. Tom. II. Meibom. pag. 506. Cranzius Saxon. Lib. VI. cap. 40.*

Thuringos posthæc petiit Henricus, & Northusio exusto felici cum iis decertavit prœlio, in quo captus Ludovicus Landgravius cum fratre Hermanno; reversusque est Dux victor præda onustus Brunsuicum. Aderat ibi inter congratulantes de victoria Adolfus Holsatiæ Comes ob eximiam virtutem pernotus, hujus gloriæ invidus Guncelinus Suerinensium Comes increpabat eum contumeliosis vocibus, & iniquum in Ducem animum illi exprobans, allegabat inter alia, quod obstinate recuset tradere Duci captivos, quos fecerat in prœlio cum Westphalis. Haud dubie ex composito Guncelinum hæc dixisse visum est, cum Dux Henricus, criminationes Guncelini dissimulans, postulare cœpit, ut Adolfus captivos, quorum LXXII. & Comitem Aslensem habebat, sibi det, ne ejus exemplo moti cæteri captivos etiam distrahant. Ad hæc Comes, ægre ferens insimulatum se falso a Guncelino & captivos a se exigi, multa de fide sua in Ducem memorare cœpit, quibus etiam objecta sibi crimina diluit, captivos vero se concedere non posse, quod bona sua in bellis pro Duce susceptis consumserit, sibique nihil reliquum sit præter captivos, prædam suam, unde se sustentare possit, respondit. Cum vero instanter adhuc Dux exigeret captivos, Comes manantibus lacrymis conquestus est amicis injuriam sibi fieri, & ideo partes Ducis deseruit. Hac comperta defectione Dux, antequam vires colligere posset Comes, Holsatiam ingressus est, & imparatum adortus præcipua munimenta expugnavit, Plunam vi, Sigebergam siti ad deditionem coëgit. *Arnold. Lubec. Lib. II. cap. 30.*

Videbantur hi tam felices successus Leonis fortunæ reflorescentis indicia, cum repente divulgata fama de Adolfi Comitis defectione ingens rerum con-

versio, & nutantibus amicis ruina secuta est. Odiosum reddebant Leonem mores austeri & ex longo dominatu justo imperiosiores, quibus factum, ut præter eos, qui tempore proscriptionis ab eo defecerant, multi præfectorum quotidie ab eo alienarentur, inter quos eminebat hic Adolfus Holsatus. Labantibus hoc modo partibus summa etiam turbata est. Imperator enim nuncio de alieno in Ducem Henricum Saxonem animo accepto, celeritate quantam exercitus capere poterat, in Saxoniam cum Abbatibus & Episcopis contendit, confirmare sibi eorum animos, antequam vires reparare posset, festinans. Progredienti passim auxilia magna se junxere, Prætores Ducis partim sponte partim necessitate compulsi, cum omni manu & castellis munitissimis se dederunt; ii quoque qui ipsius authoritatem & accepta ab eo beneficia ab ipsis incunabulis respexerant, se ad motum fortunæ movere cœperunt; occupata sine negotio ab Imperatore munimenta firmissima præfectis ultro se subjicientibus; nulla urbs ante Lubecam resistere ausa fuit, sed nec hæc diu Imperatoris & qui se ei adjunxerant, Danorum, Slavorum, Holsatorum impetus sustinere potuit, itaque oppidani inducias pacti, mittunt ad Ducem audituros, an deditionem facere, an vero auxilia expectare debeant; cum nihil præsidii mittere posset, consentiente Duce permisere se Imperatori, qui illis libertatem & privilegia a Duce concessa confirmavit & auxit. Sic cum omnia cederent Imperatori, qui totis Imperii viribus imminebat Duci, hic interea, paucis eum sequentibus, relictis locis cæteris in Stadam recessit, quod tutissimum receptaculum putabat, jamque & fuga ut hinc evadere posset providerat, cum tot defessus malis, nulli confisus loco, fulmini vel sero cedere & saluti suæ mitigatione Cæsaris consulere decrevit. Itaque misit ad Cæsarem nuncios, indicantes velle se, si sibi fiat id faciendi potestas, illum convenire. Facta veniendi potestate Cæsarem Lunæburgi adit, ejus gratiam omni modo occupare studet, dimittit ultro Ludovicum Landgravium & ejus fratrem, sibi ut parcat obsecrat, veteris amicitiæ & officiorum paucis etiam mentionem facit. Sed erat gravior ira Cæsaris, altiusque descenderat in pectus indignatio, quam ut hæ preces eas morari, & hoc obsequio amissa dignitas repeti posset, hinc prætexuit absentiam Principum, quorum consensus necessario sit exquirendus, & eum Quedlinburgi adesse jussit; sed nec ibi de causa Henrici actum est, Bernhardo recens creato Saxoniæ Duce refragante. Erfordia deinde ad hoc destinata; quo antequam veniret, Episcopus Bremensis ope Coloniensis Comitatum Stadensem, Bernhardus Raceburgensis & Adolfus Holsatus suos Comitatus a Duce illis ereptos iterum occupaverunt. Tandem in conventu Principum Erfordiæ indicto, formidandus Germaniæ Italiæque Leo, humi procumbens Cæsarem veneratus est, & precibus suppliciter admotis gratiam petiit. Quem ubi Imperator, simulandi artifex, tam insolito venerationis genere ad suas prostratum pedes conspexit, amplexus est jacentem & erexit, miserabilemque esse ipsius, & suum statum pronunciavit, quod sanguine animisque conjunctissimi tam tristi spectaculo totius Germaniæ oculis expositi, haud quaquam eo quo par erat habitu, in mutuos complexus venirent; bonum deinde animum habere jussit, defuturum se illi nullo modo, sed quantum valeret operam daturum, ut dignitas pristini status ei concedatur, lacrymas etiam misericordiæ indices profudit. Blanda ea oratione Leo hactenus confirmatus fuit, ut crederet Fridericum Imp. non esse in se pervicacioris iræ, & utique post hæc nubila sperare se solem posse. Sed hæc spes mox iterum diminuta est, quando ea tantum dicta fuisse in speciem, & veterem iram ac æmulorum invidiam prævalere, patuit ex juramento adfirmata Cæsaris ad congregatos Principes voce: Amicum se Leoni nunquam fore, quamdiu Proceres (quos tamen plerosque noverat hostili esse in Leonem animo) habiturus esset inimicos, neque de eo restituendo inpristinum locum, donec ita omnibus visum esset, cogitaturum. Hoc

solum

ſolum ſive ſanguini, ſive meritis ſuperiorum temporum conceſſit, ut Dux Henricus patrimonium ſuum tractum circa Brunſuicum & Lunæburgum, quem poſteri ejus etiam hodie tenent, ubicunque terrarum degeret, quiete poſſidere poſſet, ut conſtat ex *Arnoldo Lubecenſi Lib. II. cap. 36.* ſive, ut *Rogerio Hovedeno* perhibetur, precibus Regis Angliæ indulſit, ut conjux Mathildis dote ſua, quam Lunæburgum cum vicino agro fuiſſe *Helmold. cap. 77. Lib. I. & Arnold. Lib. II. cap. 24.* tradit, libere & ſine turbis frueretur, & cum iis qui ei aſſiſtebant, a proſcriptione liber pronuntiaretur; plura impetrare non potuit. Imo ad id præterea fuit adſtrictus, ut jurato promitteret, ſe intra triennii lapſum pedem Germaniæ, niſi a Cæſare vocatus ſit, non illaturum. Itaque ad ſocerum Angliæ Regem cum conjuge & liberis exulatum abiit, qui generi fortunæ miſertus eum humaniſſime recepit, effuſa non in ipſum modo, ſed omnes etiam exilii Comites, magnificentia & liberalitate. vid. *Arnold. Lubec. Lib. II. Chron. Slav. a cap. 31.* usque 36. *Chronicon Stederburg. Rogerius Hovedenus, ex quo excerpta habet Leibniz. Tom. I. p. 877. Godefridus Colonienſis apud Freberum. Tom. I. pag. 248. Abbas Stadenſis pag. 295. Gobelinus Perſonia Coſmod. æt. VI. cap. 60. in Tom. I. Meibom. pag. 273. Chronicon Schauenb. Lerbeckii loc. eod. pag. 505. Bodon. Syntag. Tom. II. Meibom. pag. 506. Cranzius Saxon. Lib. VI. cap. 42. 43. 44. Aventinus Annal. Boji. pag. 647.* Acta hæc fuere Anno 1181.

Cum ſic finibus Imperii exceſſiſſet optimus cuſtos, Saxonia obortis inter novum Ducem Bernhardum, qui neque authoritate neque animi vigore Leonem æquabat, & cæteros Saxoniæ Dominos diſſidiis, fœde concuſſa eſt. Exulans autem Henricus de priſtina dignitate recuperanda unice cogitabat, cumque forte Archi-Epiſcopus Colonienſis Philippus peregrinationem inſtituiſſet in Angliam ad ſepulchrum D. Thomæ Cantuarienſis, Angliæ Rex generi vicem dolens benigne Epiſcopum excepit, & Leoni amicum reddidit, cujus deinde conſilio a Rege Angliæ legati ſunt Nobiles viri ad Lucium Pontificem, ut Pontifex ſua interceſſione Henricum Imperatoris odio eximeret; quod munus Papa etiam in ſe ſuſcepit, & cum Friderico, qui finitis Moguntinenſibus Comitiis in Italiam profectus erat, Veronæ collocutus, eum ad abſolvendum & revocandum ab exilio Leonem induxit, ſi vera ſunt, quæ *Rogerius Hovedenus loc. cit. pag. 877.* aſſerit, cum quo conſentit *Bodo Syntagm. Tom. II. Meibom. pag. 506.* Tradit ſimul *Hovedenus* ſeptenne fuiſſe indictum exilium, & rediiſſe Leonem interceſſione Pontificis nondum elapſo exilii tempore, ſed hoc ignorant ſcriptores cæteri & uno ore teſtantur, transacto præſtituto tempore eum revertiſſe. vid. *Godefridus Monachus apud Freber. pag. 248. & 249. Arnold. Lubec. Lib. III. cap. 12.* Rediens ex Anglia anno 1185. Henricus Brunſuicum ſe contulit, Dominus laceratæ patrimonii partis, quæ ſævitiæ hoſtium ſupererat; lactabatur quidem a Cæſare ſubinde per literas ſpe melioris fortunæ, ſed verba ei dabantur, revera enim eum in recipiendis regionibus non juvabat, quod cum etiam proſtratum timeret, quæcunque ſibi adverſa inciderent ſive ab Urbano Pontifice, ſive a Colonienſi Præſule (qui mentem ſidemque in Cæſarem mutaverat, & Pontifici favebat) ſive a Rege Danorum Canuto genero Henrici, ei referret accepta, per eum vel propter eum talia fieri ſuſpicans. *Arnold. Lub. L. III. cap. 12. Cranz. L. VI. Sax. c. 49.* Tales ſuſpiciones cum excitarent Imperatoris ingenium pavidum, ut Leo altera vice exilium patria ſede mutaret, factum eſt. Pulſis fugatisque e Terra Sancta a Saladino Chriſtianis & amiſſa Hieroſolyma, plurimi Europæ Principes ad eam recuperandam expeditionem parabant, Imperator ipſe ejus belli Ducem ſe profeſſus eſt, ne igitur per abſentiam ſuam Germania inteſtinis motibus concuteretur, in Conventu Norimbergenſi anno 1187. promulgavit pacem publicam, & anno ſequente Goslariæ Principes quosdam reconciliavit,

Henrico vero illuc vocato ad tollendam de Ducatu Saxoniæ controversiam, ne cupiditate pristinæ dignitatis adductus res novas moliretur, tres proponit conditiones data optione legendi, ut videlicet vel lubens pateretur dignitatis, quam repetebat, imminutionem, vel in Palæstina apud Cæsarem militaret, accepturus stipendia & finita militia pristinam dignitatem, vel triennio patriam se & filium Henricum deserturum jurejurando adfirmaret. Sic a Cæsare pressus Henricus exilium elegit, libertatem suam per id minus diminui existimans quam si iret quo non vellet, vel amittere aliquid de dignitate quam poscebat cogeretur. Eodemque tempore magni isti Principes nunquam postea congressuri patria excesserunt, Imperator adversus Saladinum, Henricus exulatum in Angliam. *Arnold. Lubec. Lib. III. cap. 26. Chronic. Stederburg. Roger. Hovedenus T. I. Leibniz. pag. 877. Godefridus Colon. pag. 252.* In qua tamen non diu permansit, nam inimici Leonis, dum abessent qui eorum libidinem coërcerent, reliquias fortunarum ejus, quas sartas tectas retenturum illum esse ab injuriis hostium promiserat Imperator, fracta pace invaserunt. Igitur vindicaturus terras suas ab hostium maleficiis, instigantibus simul eum Canuto Daniæ, & Richardo Angliæ Regibus, & cupidine potiundi regionibus quondam possessis, præmisso filio Henrico ante præfixum tempus revertitur, recipitur ab Hartvico Archi-Episcopo Bremensi amice, qui illi Comitatum Stadensem decreto Cæsaris ademptum & Ecclesiæ Bremensi traditum libere resignat. Holsati, Stormari, Polabi sponte ditioni ejus se permittunt; adjungunt se ei Wolpenses, Suerinenses, Raceburgenses Comites, multique de Nobilitate. Tantis confirmatus auxiliis adit infesta sibi loca, Adolfum Holsatiæ Comitem, qui in Asiatica expeditione occupatus erat, ditionibus exuit, Hamburgum, Plœnam, Jzehoam occupat, Bardevicum supra modum ferox & insolens expugnat, diripit atque evertit; Lubecenses hujus casus exemplo ne eadem in se patienda essent territos, sibi subjicit; Lauenburgum quoque Ducis Bernhardi oppidum capit, tantisque viribus & victoriis erectus in spem obtinendi Ducatum Saxonicum assurgit. *Arnold. Lubec. Lib. IV. cap. 1. & 2. Chron. Rhythmicum in Tom. III. Leibniz. Godefridus Coloniensis pag. 254. Gerhardi Præpositi Stederburgensis Historia de Henrici Leonis postremis rebus gestis apud Meibom. Tom. I. pag. 431. & apud Leibniz. Tom. I. pag. 862. Excerpta ex historia Godeschalchi apud Leibniz. Tom. I. pag. 870. Excepta ex Rogerio Hovedeno apud eund. Tom. I. pag. 877. Fragment. Chron. Bardevic. Tom. III. Leibniz. pag. 217. Chronicon. Brunsuic. picturatum Bothonis tomo eod. pag. 439. Albert. Crantzius Lib. VII. cap. 2.* Sed hos conatus infregit filii Imperatoris, Henrici Regis, & suffocato in aquis Friderico Imp. successoris tam in regno quam odio adversus Henricum Leonem, in Saxoniam adventus. Hic enim vehementer exacerbatus præmaturo exulis in patriam regressu, suspicans contemptu ætatis suæ insolescere veteranum militem & æmulum paternæ gloriæ multo minus filio pariturum, ad reprimendam hanc audaciam celeriter Saxoniam intrat, & habito Conventu Principum Goslariæ, in quo de modo destruendi Ducem tractatum, Ducem aggreditur, copiasque Brunsuico admovet, sed infecta re discedere coactus est, bruma jam castris infesta sæviente, nihilo meliori successu alia tentata loca; ne tamen nihil egisse videretur, Hartvicum Bremensem Episcopum Leonis adjutorem sede depulit, inde cum Archi-Episcopo Moguntino Conrado Witelspachio, Duce Saxoniæ & Hildesemensi Episcopo se vertit non ad obsidionem sed ad vastandam regionem, quod Moguntinus ita efficaciter exsequebatur, ut non jam Episcopus (verba sunt *Stederburgensis Præpositi*) sed magister militum videretur, nam non pacem sed facem, non infulam sed galeam ostendebat &c. Post hæc Henricus Dux per Coloniensem & Moguntinum Episcopum gratiam Cæsaris ambivit, spe perveniendi ad amissos honores, & receptus est in gratiam Fuldæ quatuor his con-

conditionibus illi impositis: nudet mœnibus Brunsvicum, Lauvenburgi munitiones disiiciat, Lubecam æquo jure ex liberalitate Cæsaris cum Adolfo Holsatiæ Comite quiete possideat; ut hæc omnia exequantur, Ludgerum & Henricum filios obsides det; sed Dux contra ac convenerat nec Adolfum in communem Lubecæ portionem admisit, nec ab eo infestando cessavit, nec Lauvenburgum destruxit, nec Brunsvici muros subruit, Hartvicum præterea Bremensem protexit, Ludgerum tantum Cæsari pacis obsidem tradidit, quem non multo post Augustæ Vindelicorum mors oppressit, & Henricum filium natu majorem militare Cæsari jussit, qui cum Romæ per Cœlestinum Pontificem coronato omni obsequio astitisset, & ad res Apuliæ componendas magno usui fuisset, sive desiderio ulciscendi patrem, sive perosus Cæsaris multa pollicentis & pauca servantis imperium, sive ut morbos in exercitu Cæsaris ingruentes evitaret, Neapolim oppugnanti se subduxit. Ægre hanc secessionem tulit Imperator, Henricus & majoris motus principium esse veritus, omnes aditus illi præcludere conatus est, sed frustra, elapsus enim per medias hostium custodias, Neapolin pervenit ad Tancredum, cum quo eum conspirasse perhibet *Abbas Stadensis*, ibique conscendit navem, & per Græciam, Ungariam & Bohemiam sub specie monoculi evasit ad patrem, qui quod filius deliquit luere est coactus. Absumpta enim maxima exercitus Cæsariani parte in obsidione Neapolitana cœli atque æstivi caloris sævitia, Imperator ipse etiam tam graviter decumbens, ut jam falsus de ejus morte rumor in Germaniam perlatus esset, re infecta discessit Neapoli & Germaniam suam iterum petiit, in qua comperto Henricum juniorem esse Brunsvici, pessima quæque minari patri Henrico cœpit, & licet ille iram Cæsaris Legatione mitigare & se purgare tentaret, omniaque obsequia supplicis offerret, attamen Legatio non nisi tanquam ludibrium & insipidum quid habita est a Cæsare, Ducis interitum unice meditanti, & instinctu Ducis quondam Vasallorum nunc desertorum, certissimum Leonis exitium spondentium, invasio illius decreta est, & conjunxere se contra eum Hildesemensis & Halberstadiensis Episcopi, Abbas Corbejensis multique Nobiles. Sed cum Imperator, cujus exspectabant adventum & imperium, non veniret, otio suas magis quam hostis attrivere copias, & de pace cogitaverunt, unde industria Gerhardi Stederburgensis Præpositi factæ induciæ (simiam pacis eas appellat *Gerhardus præpositus* in sua Historia de *Henrici Leonis postremis rebus gestis apud Meibom. Tom. I. pag. 433.*) quæ cum ab Henrici hostibus essent violatæ, Henricus sentiens ereptas provincias & honores, quamdiu Cæsarem haberet infensum, se recipere non posse, hujus gratiam redimere studuit, & quoniam Cæsar parabat in Apulos & Siculos expeditionem, filium Henricum Cæsarem sequi, & se fortem fidelemque illi ostendere jussit, quo hoc officii genere Transalbinas provincias, quarum plerasque Adolfus Holsatiæ Comes occupaverat, recuperaret. *Gerhardus Staderburg.* Præpositus, qui ipse legatione functus est pro facienda pace, in Historia *de Henrici Leonis postremis rebus gestis apud Meibom. pag. 433. & 434. & Leibniz. Tom. I. Albertus Stadensis pag. 297. Arnold. Lubec. Lib. IV. cap. 3. 4. 5. Gobelin. Person. at. VI. cap. 61. pag. 275. Chronic. Brunsvic. pictur. Tom. III. Leib. pag. 349.* Insinuavit se quidem adolescens, qua erat amœnitate morum, in Cæsaris amicitiam, non sine spe recuperandi fortunas parenti detractas, verum cum omnia Cæsaris promissa tantum intra verba starent, deserta Cæsaris aula aliam viam iniit, qua paterntis voto se satisfacturum confidebat; scilicet ad Conradum Rheni Palatinum Cæsaris patruum abiit, & præcellente sua indole formæque elegantia obtinuit, ut ei filia & heres Palatini unica Agnes desponderetur; licet vero Imperator ingratiis suis nuptias esse contractas graviter ferret, attamen precibus Palatini, se inscio, calliditate matris clam sponsum vocantis, celebratas nuptias affirmantis,

mantis, id concessit, ut cum nuptiæ dissolvi nequirent, æquior Henrico genero fieret. Nec contentus Palatinus generum suum odio Cæsaris esse exemtum, ab Henrico Leone quoque iram Cæsaris avertere studuit, quem in finem Leonem Brunsvici adiit, utque se Cæsari submittat suasit, patere ei per se ad Cæsaris gratiam aditum. Accepit consilium Leo & per difficile iter ad locum constitutum venit, in quo a Cæsare in gratiam & amicitiam est receptus, & filius Henricus junior de feudis, quæ Palatinus tenebat a Cæsare, solenniter investitus eo pacto, ut Cæsari contra Apulos assisteret. Henricus Leo vero cum cerneret Imperatorem sibi de pristinis honoribus plura non esse concessurum, quiete deinde maximis laboribus fatigatum corpus reficere sibi proposuit, vitamque deinde Principe dignissimis oblectationibus traduxit, delectatus instauratione & exornatione templorum, & rebus gestis antiquorum Regum, quem in finem Chronica diligenter colligi, describi, conscribi, sibique recitari jussit, integrasque sæpe noctes his consumsit. Tandem celeberrimus hic Princeps omnia pene, quæ homini adversa accidere possunt expertus, duorum Cæsarum iram implacabilem, Principum Imperii invidiam & æmulationes, clientum & domesticorum perfidiam, cum regia conjuge liberisque intempestivum exilium, ditionum vastationem & distractionem supergressus vivendo adversarios suos violentissimos, in aula sua hæreditaria virtute sua conservata, Brunsvici inter crebra pietatis exercitia incurabili morbo correptus, diem clausit supremum idibus Augusti anni 1195. sepultus Brunsvici in templo S. Blasii ad latus dilectissimæ conjugis. Epitaphium exhibet *Meibom. Tom. I. pag. 436. Gerhard. præpos. Stederburg. loc. cit. pag. 435. seq. Abbas Stadensis pag. 297. Chronic. Luneburg. Tom. III. Leibniz. pag. 174. Arnold. Lubec. Lib. IV. cap. 20. & 24.* Mortem maximi Principis apud æmulos primum quidem lætitia, at paulo post notæ ejus virtutis desiderium consecutum est; valuitque apud eos illud *Horatii Lib. III. Carm. od. 24.*

Virtutem incolumen odimus
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

CAPUT II.

PRopofuimus hactenus Historiam e tenebris, in quantum per scriptorum dissensum licuit, erutam. Superest ut nostrum etiam de proscriptione, quæ Germaniæ faciem maxime immutavit, judicium subjungamus. Quod ut fiat, primo in causarum, deinde in modi Proscriptionis justitiam *inquiremus*, adjuncturi denique Quæstiones quasdam incidentes.

SECTIO I.

Causas proscriptionis examinat.

PRoscribi posse & sæpius proscriptos esse Principes Imperii, compluribus ex antiqua & recenti Historia exemplis constat. vid. collecta à *Conringio dissert. de judiciis §. 49. Struve Syntag. Jur. Publ. dissert. XXIV. §. 6. seq.* Nec id ab ullo quod memini in controversiam vocatum, sed ab acerrimis etiam Jurium Principum defensoribus, celeberrimis illis triumviris, Hippolyto a Lapide, Severino Monzambano, ac Cæsarino Furstenerio concessum, nisi

nisi quod iidem contra Libertatis Principum insultores demonstraverint. Proscribere Principem Imperii esse potius hostem judicare, quod etiam in liberos plane Principes licet, quam velut subditum condemnare, de proscriptionis vero justitia sæpissime dubitatum fuisse, scripta passim in lucem edita docent. Cumque non alia gravior fuerit ea, qua Henricus Leo damnatus fuit, quod & potentissimus fuerit Princeps, & maxima Germaniæ pars per eam aliam acceperit formam, hanc nunc sub examen revocabimus, quoniam autem sat confuse accusatio fuit instituta contra eum, ut aliquem ordinem servemus de causis, ob quas Proscriptionem meruisse judicatus fuit, primo agendum erit. Eæ haud melius cognosci possunt, quam si quas ipse Imperator allegavit proferamus causas ex diplomate, quo Philippo Coloniensi Archi-Episcopo Westphaliam & Angriam Leoni ademtam contulit, quod ex *Ægidii Gelenii de Magnitud. Coloniæ Lib. I. Syntagm. 7. pag. 73. seq.* exhibet *Fridericus Luca* in **Des Heil. Römischen Reichs Uhralten Fürstensaal** *pag. 17. & 18.* huc conferentia hæc sunt: *Tam præsentium quam futurorum Imperii fidelium noverit universitas, qualiter Henricus quondam Dux Bavariæ & Westphaliæ, eo quod Ecclesiam Dei & Nobilium Imperii libertatem, possessiones eorum occupando, & jura eorum imminuendo graviter oppresserit. Ex instanti Principum querimonia & Nobilium plurimorum, quia citatione vocatus Majestati nostræ præsentari contempserit, & pro hac contumacia proscriptionis nostræ inciderit sententiam. Deinde quoniam in Ecclesias Dei & Principum & Nobilium jura & libertatem grassari non destiterit, tam pro illorum injuria, quam pro multiplici contemptu Nobis exhibito, ac præcipue pro evidenti reatu Majestatis & sub Fœdali jure legitimo, trino edicto ad Nostram citatus audientiam, eo quod se absentasset, nec aliquem pro se misisset responsalem, contumax judicatus est, ac proinde tam Ducatus Bavariæ, quam Westphaliæ & Angariæ, quam etiam universa quæ ab Imperio tenuerit beneficia per unanimem Principum sententiam in solenni curia Wirzeburg celebrata, & abjudicata sunt. Nostroque juri addicta & potestati &c.* Patet hinc crimina, quæ ut Proscriptionis causæ adducuntur, ad tria potissimum capita referri, Læsionem Majestatis Imperatoriæ, turbatam quietem Imperii oppressione membrorum Imperii, & contumaciam; consideremus singula. Primum & præcipuum crimen, cujus insimulatus, est læsio Majestatis Imperatoriæ. Ob crimen læsæ Majestatis suis facultatibus feudisque exui posse Principes Imperii dubio caret, & uti in plerorumque Principum condemnatione fuit allegatum, ita & Henrico Leoni intentatus evidens reatus Majestatis, ut verba diplomatis habent, nec tamen modus, quo incurrerit hoc crimen, exprimitur, itaque *Arnoldi Lubecensis* locum ex Lib. II. cap. 16. qui distincte satis hæc profert, apponere juvabit, ita autem ille: Imperator convocatis Principibus, multa contra Henricum Ducem, allegare cœpit, quod propter nimium fastum superbiæ suæ tantum Imperio contemptum exhibuerit, ut eo ante pedes ejus humiliato, nullo eum miserationis intuitu in tanta necessitate constitutum attendere dignatus fuerit, & despecta Republica, & authoritate Imperatoriæ Majestatis neglecta, omne auxilium obstinato animo ei negaverit. His auditis Principes, qui eum prius oderant, accepta occasione contra eum, multa conqueri cœperunt, & cooperantes verbis Imperatoris, omni honore eum privandum judicabant, & reum Imperatoriæ Majestatis proclamabant, non solum quia præcepta, vel merita ipsius despexisset, sed quod ad ignominiam omnium Principum in propria eum persona humiliatum confudisset. Triplici ergo modo Imperatoriam Majestatem violasse culpatur, negligendo 1. Præcepta, 2. Merita, 3. Personam Imperatoris. Ad primum modum maxime referenda est quæstio de Felonia, cum & crimine læsæ Majestatis & Felonia se obstringant Principes delinquendo in Imperatorem, (vid. Myler. de Princip. & stat. Imp. part.

part. 3. cap. 93. §. 3.) Hæc a multis tanquam unica proscriptionis causa profertur, & feudali pœna mulctatum Ducem asserit *Otto Sanblasianus* cap. 24. Licet autem manifesto imponant, ut capite I. ostensum, qui contra coævos scriptores produnt gravissimam Feloniæ speciem & summam ingratitudinem atque infidelitatem commisisse Ducem, & conspirasse in Imperatorem, illumque deseruisse in acie periclitantem, quod & *Itterus* arbitratur de *Feudis Imperii* cap. 24. §. 3. p. m. 1005. quia tamen ipse servitia noluit præstare requisitus, non negligenda quæstio, an Feloniam commiserit Henricus Leo recusando ministerium personale? in qua quæstione ante omnia inquirendum in obligationem Principum Imperii ratione servitiorum. Equidem quicunque monumenta primorum Imperii Romano Germanici temporum perlegit, deprehendet arctissimum vinculum, quo Principes e Carolingica familia Imperatoribus erant subjecti: tunc enim si quod bellum movebatur, vasallum ipsum copias adducere Domino necesse erat, ejusque vitam, famam, ditionem proprii corporis objectu tueri, nec per substitutum tunc servire licebat, aut æstimationem servitiorum ærario solvere, nisi speciali Domini indultu. Extincta vero Carolina stirpe cum Principes, quibus parva dominia periculosa videbantur, magnæ se iterum reipublicæ innecterent, & fidem Imperatori atque Imperio jurantes regiones suas tanquam feuda ab eodem recognoscerent, videtur paulatim a rigidioribus Feudorum legibus recessum; (nisi quod in expeditione ad capessendam Imperii coronam ipsi adesse cogebantur, vid. constitutio sub Caroli Crassi nomine celebris, quam præter alios *Lehmannus in Chronic. Spir. Lib. II. cap. 42. pag. m. 152.* exhibet. *Gunther. in Ligur. Lib. II. Jus Feudale Alemannicum cap. 8.* & ibi *Schilterus in Commentario.* ac remissa Principibus personalia servitia sub conditione, ut vel alium suo loco mitterent, vel certa pecunia pro quantitate feudi servitium redimerent. Quod *Guntherus in Ligurino Lib. 8. vers. 608. seq.* carmine in hunc modum complexus est.

Publica militiæ vasallus munera justæ
Non renuat, Dominique libens in castra vocatus
Aut eat, aut alium pro se submittat iturum
Arbitrio Domini, vel quem laudaverit ille
Compenset redimatque sua mercede laborem.

vid. *Itterus de Feudis Imperii cap. XXI. §. 1. pag. 884. Alteserra de Origine Feudorum cap. 9.* Ex quibus locis, accedentibus exemplis missorum, qui vasallorum loco ministeria vasallitica in Expeditionibus præstarent, elucet, jam tum Henrici Leonis temporibus licuisse per substitutum aut solutione *heribanni* se ab expeditione bellica liberare. Itaque Dux etiam cum Imperator denuo servitia ab eo exigeret, numerato stipendio sive hostenditiis ac substitutis militibus servitium militare redimere se posse putabat, eo magis quod difficillimis expeditionibus jam adfuisset. Et profecto non est ut fidem Imperio & Imperatori datam violasse, Feloniamque commisisse dicatur, qui Imperii ac Imperatoris salutem omni tempore maximis vitæ periculis sumptibusque tuitus est, tandem vero militiam, nec sine gravi causa, ut deinceps dicemus, detrectat, paratus tamen omni ope & apparatu juvare Imperii causam. Hac autem recusatione eum meruisse, ut omnibus, quæ ab Imperio recognoscebat, feudis mulctaretur, sensu assequi non possum. Nec multum huc confert, quod Imperator eum ut validissimum & unicum Italorum terrorum inducat, in quo spes ultima defendendi Imperii honorem hæreat; nam ut validissimus valida etiam obtulit auxilia, Italos vero coërceri potuisse non militante licet Henrico Duce, nec quicquam detrimenti

ab

ab illius absentia sensisse Cæsarem, atque sic non fuisse eum unicum auxilium, sine quo Imperio lapsus immineret, victoria parta argumento est, quam *Arnoldus Lubec.* loco allegato his verbis describit: *Imperator*, finito colloquio scilicet, *reversus est in Italiam cum exercitu, quem tunc contrahere poterat, adjuvante partes ejus omni instantia, Christiano Moguntino, qui etiam usque ad finem vitæ suæ Logobardiam vastabat, subjiciens eam Imperio, plus placere cupiens Imperatori terreno quam Cælesti, & neglectis ovibus sibi commissis magis tributa Cæsarum, quam lucra Christi colligebat. Imperator itaque prosperatus, victoriam adeptus est, & ad voluntatem abusus est terra illa, incendiis & deprædationibus devastans omnem civitatem munitam; & contritum est cornu adversariorum & siluerunt in conspectu ejus.* Hunc locum qui probe considerat, ei facile erit ad *Mutii*, *Aventini* aliorumque, qui cognitionem harum rerum nonnisi lectione assequi potuere, traditiones respondere. Ad alterum itaque caput, ex quo criminis læsæ Majestatis reus actus est, nos vertimus, scilicet quod merita Imperatoris despexisset, ut *Arnoldus* ait; Usus erat Imperator cum aliis, quibus adsensum ejus obtinere conabatur argumentis, & hoc, quod ipse sit felicitatis illius & sator & conservator; quod sibi nihil unquam magis quam ejus salus curæ fuerit; quod quia familiaritate & sanguine junctus etiam in bellum ipsi se jungere debeat; nunc igitur ut ingratum & e societate humana proscribendum incusant Ducem, qui ne beneficiis quidem moveri possit ad concipiendum humanitatis sensum. Et est etiam ingratitudo crimen humanæ societati eo inimicius, quo acrius ad gratias referendas nos invitat Jus Naturæ, quod sine ea omnis inter homines tolleretur beneficentia & fiducia; quare etiam qui occasione data & gratiam referre negligit, & pro beneficiis malefacta reponit, bello peti vel actione pulsari posse, optimi Juris Naturalis interpretes docent. confer. *Pufendorff. Jus Nat. & Gent. Lib. III. cap. 3. §. 16. & 17. Baecleri dissertatio* quæ inscribitur *Actio ingrati.* Sed an hæc in causa Ducis locum inveniant merito dubites, præterquam enim quod beneficium contulisse aut meritum adversus Ducem acquisivisse Imperator dici nequeat, Ducatum Bavariæ illi restituendo, & ab inimicorum injuriis defendendo, (quæ præcipua sunt quæ sub meriti nomine efferunt proscribentes) sed debitum tantum suum explevisse, ad quod perfecte obligabatur; paria quoque Imperatori Dux retulit, cum & voto suo ad Imperium eum promoverit, (*Chronicon Stadwegii in Tom. III. Leibniz. pag. 231.*) & in expeditionibus, Italicis præcipue, tantum præstiterit quantum alius nemo, sic ut gloria servati Cæsaris magno Historicorum consensu ei tribuatur. Et si concederemus, exercuisse eum ingratitudinem, simplex tamen ea fuisset, minime talis, quæ beneficium rependit maleficio; at ob simplicem, qua quis gratiam tantum non refert, punire quem beneficiorum naturæ repugnat. Sanguinis vero amicitiæque jura læsisse Leonem probatu difficile erit. Sunt homines ad humanitatis officia exhibenda promovendamque utilitatem cæterorum mutuo obligati, arctior quoque est colligatio societatis propinquorum & familiaritate conjunctorum, sed cum ut perfecte quis adhæc obligetur, certa sint constituenda requisita, vid. *Thomasii Jurisprud. Div. Lib. II. cap. 6. §. 2.* hæc autem hic defuerint, jus perfectum inde Cæsarem habuisse dicere non ausim; accedit quod in his officiis, quæ cum labore nostro aut detrimento sunt conjuncta, non opus sit propriam utilitatem postponere alienæ, sed valeat regula, quod recta charitas incipiat a se ipsa. Tertium, quo crimen læsæ Majestatis incurrisse culpatur, est, quod Imperatoris, in genua licet procumbentis, petitis non adnuerit. Conclamant hic Principes, violasse Ducem augustissimam Imperatoris dignitatem & eminentiam, nec Imperatorem tantum, sed & Imperium despexisse, qui non erubuerit supplici voce & habitu roganti Imperatori axilium suum denegare; cumque ipsi sint Imperii membra, ad se etiam redundare ignominiam, vindi-

vindicandam ademtione dignitatis & ditionum superbissimi Ducis. Justitiæ speciem hæc præ se ferunt, cum summa summis potestatibus debeatur veneratio, Regumque eximia Majestas in omnium animis esse debeat, sed omnia ut gesta sunt qui ponderat, crimen, quod Leoni objectum est, facile diluet. Neque enim tantum admisit facinus Dux, qui manu adlevavit Cæsarem, ut capite I. dictum, nec sustinuit humi prosternere eum, quem in solio venerari adsuetus erat. Quod vero tam pertinaciter recusaverit comitari Cæsarem, id parum ad rem facit, aut enim ad id erat obstrictus, & tunc commisit Feloniam; aut non fuit obstrictus, & nec Cæsaris submissio valuit producere obligationem ejus, quod antea non debebat. Si vero hac Ducis duritia vehementer se offensum sensit Imperator, imputet sibi, quod modo Majestatem Cæsaream minime decenti nihil obtinuerit. Principes porro si contemptum inde in se derivari putant, incusent ob hoc Imperatorem fastigii sui & ipsorum immemorem. Attulimus hactenus quæ ad acres adversariorum criminationes regeri possunt, miretur tamen forsitan quis, quod tam obstinati animi fuerit Dux, ut nec preces nec auctoritas Cæsaris quidquam apud eum valuerint, itaque jungenda hic superius allata de causis denegati auxilii; faciunt hæ, ut, etiamsi obligati illa tempestate adhuc fuissent Principes, ut evocati ab Imperatore ipsi in hostem venirent, satis tamen causæ habuisse videatur Henricus recusandi militiam. Jam enim discordiarum semina inter eos sparsa erant, tum prærepta à Cæsare hereditate Welfi, Leonis patrui, tum præcipue pravo Cæsaris conatu, quo peragrantis Terram Sanctam Ducis potentiores præfectos, quibus urbes commissæ erant, ad defectionem terroribus & promissionibus solicitavit, uti locus ex *Gobelini Personæ Cosmodrom. ætat. VI. cap. 60. pag. 271. in Tom. I. Meibomii* supra adductus demonstrat. Ecquis increpet Ducem negligentem imperia illius, qui omni voto interitum ipsius expetit, qui dum Dux, relictis, quæ quisque charissima habere solet, pio zelo difficillimum ingreditur iter, ministros illius, quos in fide continere decebat, a fide abstrahit, regiones, quas conservare debebat, illi auferre conatur? Dissimulavit tamen hæc omnia Dux pro summa, qua pollebat prudentia, & contentus elusisse se felici ex itinere reditu impia Cæsaris molimina, terræ suæ defensioni modo incubuit; nunc vero cum Imperator, ut ipsi præsens expeditioni pondus adderet, postularet, Dux, qui jam didicerat quam periculorum plena sit Principis a regionibus suis absentia, noluit suscepta expeditione insidiis Cæsaris & Principum sibi absenti strui solitis locum rursus facere, ne tamen & sic Cæsari iniquum in se animum exprobraret, multis laboribus defatigatum se prætexuit. vid. *Arnold. Lubec. Lib. II. cap. 15.* Schisma porro, quo Ecclesia eo tempore premebatur, partes Victoris ejusque successorum tuente Cæsare, Alexandro vero Pontifici adhærente Duce cum maximis Europæ Principibus, non parum aluit discordias, & quoniam Alexander anathemate innodaverat Cæsarem omnesque ejus socios, fulmina autem Pontificum pro ratione illius seculi maximam tunc habebant vim in plerorumque animis, ut historia illius ævi demonstrat, quo & Jus Canonicum & Feudale circa hæc fere tempora collecta faciunt, inde & hoc fulmen deterruisse Leonem, nimis reverenter de eo sentientem, ab armorum conjunctione credere licet; quod dum exprimere vellet *Arenpeck in Historia de Guelfis Tom. III. Leibniz. pag. 673. religiose* potius quam *perfide*, quo posteriori verbo *Abbas Ursperg.* (quem exscribit,) usus erat, recessisse a Cæsare Ducem scribit. Si vero, quod Goslariam in auctoramentum militiæ ei concedere recusaret Imperator, Dux se illi socium addere noluit, ut *Otto Sanblasianus* perhibet, Cæsari imputandum fuisset, si infeliciter res cessissent, quod salutem totius Imperii traditioni unius oppidi postposuerit, ut enim Dux assidue pro defensione Imperii sit in armis, omnia incommoda fere solus ferat sine ulla remuneratione, viresque exhauriat, juste ab eo nec Imperator nec

Prin-

Principes exigunt. Præterea non fine omni specie juris in Goslariam quæsiti, illam Urbem sibi cedi Dux postulabat, quia & condita erat a Saxoniæ Ducibus, fueratque urbs Ducatus Saxonici; poterat itaque quæri, quis Cæsarum Libertate illam donaverit, nec minus dubitare licebat, an sine injuria Ducum Saxoniæ inter civitates immediatas referri potuerit ab ullo Imperatorum. Et hisce reum Majestatis dici non posse Principem nostrum demonstrasse sufficiat. Properandum nunc est ad alteram, ob quam Saxonia, Bavaria, omnibusque beneficiis privandum Ducem sententias pronuntiavere, causam. Ea est, quod in Ecclesias Dei & Principum & Nobilium jura & libertatem grassari non destiterit, sed eos possessiones eorum occupando & jura eorum imminuendo graviter oppresserit, ut Imperator in diplomate allegato loquitur. Erat ante id tempus, quo Maximilianus I. Imperator Wormatiæ anno 1495. Constitutionem de Pace publica perpetua lege sancivit (constitutiones enim quæ ante eum Cæsares promulgavere vel ad certum tantum tempus erant directæ, vel parum roboris habebant. Vid. *Furstener. de Suprematu cap. 21.* & *Datius de Pace publ.* passim) & jus belli inter ordines gerendi sustulit, misera Germaniæ facies; cum & privatis liceret controversias ferro dirimere, ut ille plus juris habuisse videretur qui vicisset, & Principibus bello non tantum exteros sed & se mutuo impetere; unde omnis Germanica Historia plena intestinorum bellorum; nec Cæsares facile in partes ibant, si tamen alterutri favebant, vel rerum Imperii summa verti posse videbatur, sibi finiendas sumpsere lites, & vel banno vel aliis pœnis notavere reos; Fridericus I. Imp. præcipue cum ipse gubernaculis reipublicæ admotus quietem Germaniæ omni studio fulcire laboraret, & constitutione de pace tenenda, quæ in Collectione *Feudorum Lib. II. cap. 27. & 53.* extat, securitati publicæ consuluit, & acri pœna animadvertit in pacis turbatores, Hermanno Palatino Comite, quod se absente Germaniam turbasset, per contumeliam canem in publico conventu suis humeris portare coacto. *Otto Frising. de Gest. Frid. I. cap. 28.* sic ut iis tamen temporibus, quibus diffidationes vigebant, Principes turbatores reipublicæ proscribi & ditionibus exui consuetudo tulerit; neque inique aut præter observantiam secum actum queri posset Dux, si insimulati criminis reus esset; tantum itaque an fuerit oppressor libertatis Principum tam secularium quam Ecclesiasticorum, imo & Ecclesiarum quæritur? Asserunt quidem hoc Imperator & Principes, & id ut præcipua ad Ducem proscribendum causa ab iis adducitur, dum iisdem fere verbis in allegato diplomate idem repetunt; satis accurate etiam ut proposuere suas querimonias exponit *Arnoldus Lubecensis* loco cohærente ei, quem paulo ante attulimus *Lib. II. cap. XVI.* his verbis: *Et alii atque alii se ingerentes illas vel illas ab eo illatas sibi injurias conquesti fuerunt, & justitiam sibi fieri, judicio Imperatoris expostulaverunt. Pontifices ante omnes Ecclesiarum oppressiones clamabant, nullam fere Ecclesiam esse dicentes, quæ ejus direptioni non subjaceret.* At minime hoc probat, neque enim exprimunt quem, quomodo aut quo in loco invaserit, sed tantum oppressas ab eo Ecclesias libertatem & jura sua clamant, nec scriptores fide digni hoc affirmare aut exemplis confirmare sustinent, sed questos tantum Principes de injuria illata referunt, quod ipsum malæ ipsorum causæ indicium est. Ut tamen speciem conciliemus illorum accusationi, trahamus huc, quæ hinc inde e diversis authoribus colligi possunt. Et *Albertus Stadensis* quidem in *Chronic. ad ann. 1166. pag. 290. edit. Kulpis.* dicit: *Henricus Dux, quia potens & dives erat, contra Imperium se erexit, unde eum Imperator humiliare proposuit, & ex hoc surrexerunt multæ contentiones Principum contra Ducem.* At uti *Albertus* in historia hac sæpius hallucinatur, ita & hoc haud dubie in odium Principes evomuit. vid. *Reineri Reineccii Notæ* ad hunc locum. Etsi verum id fuisset, quod tamen *Helmoldus* credere nobis prohibet, nihil huc faceret, cum

quemadmodum ipse *Albertus ad annum 1168. pag. 291.* tradit, Imperator pacem inter eos firmaverit. Quæ vero *Rogerius Hovedenus* profert de reditibus Coloniensis Archi-Episcopi occupatis a Leone, ea attendi non merentur, quod omnia fere, exceptis iis quæ in Anglia contigere, in hac historia male narret. Simile judicium ferendum est de *Aventino*, cujus, præterquam quod recentior, tota narratio hic vitiosa est. Adde lites, quæ Duci cum quibusdam Episcopis intercessere, dubii juris fuisse; sic cui hæreditas Aslensis Comitis obvenire deberet, definiendum adhuc erat, quod præter Philippum Coloniensem & alii eam repeterent. Confer. *notas Meibomii ad Hermanni Lerbeckii Chron. Comit. Schauerburg. in Tom. I. Meibom. pag. 529.* & unde derivet Dux jus in Comitatum Stadensem contra Archi-Episcopum Bremensem, exponit *Abbas Stadensis in Chron. pag. 271. seq.* Falsum insuper esse, quod nulla fere Ecclesia fuerit, quæ ejus direptioni non subjacebat, ut criminantur adversarii, celebrata ab *Arnoldo Lubecensi & Gerbardo Stederburgensi* ejus liberalitas in Ecclesias & instauratio plurium Episcopatuum evincunt; memorabilis hic locus est præter alia *Arnoldi Lib. II. cap. 21.* Cæterum natæ hæ querelæ ex eo, quod magna inter Ducem cœterosque opum esset inæqualitas; hinc enim, ut *Monzambani* verba huc applicem, vitio humani generis potentioribus oritur contemptus adversus imbecilliores; his contra in suspiciones & querelas pronis, ac libertatis æqualitatem importunius crepantibus. At posito arrogantiam, quam invidi ei objiciunt, ejus insedisse pectus, quem tamen æquiores coævi a modestia commendant, non ideo statim pro crimine habenda illa est, quod tantam mulctam mereatur; male enim livor id damnat, de quo nec Leges nec observantia Imperii aliquid definiunt.

Ad tertiam nos vertimus inflicti banni causam, scilicet Contumaciam; quoniam vero hæc instituto demum judicio accessit reliquis, nec de ea cognosci potest, nisi perspecta prius judicii forma, incipiat nunc

SECTIO II.

Sistit examen Judicii.

Gravis circa judicium institutum & Proscriptionis modum, sepositâ justitia causæ, est dissensio inter Judices & proscriptum, pendetque & inde proscriptionis justitia. Ut itaque, quid statuendum sit, de procedendi modo pateat, operæ pretium erit, quæ fuerit illa tempestate Judiciorum in Causis Principum ratio, breviter exponere. Constat autem indubitata Historicorum fide, a Carolo Magno inde ad Maximilianum I. Imperatorem, Causas Procerum magni momenti, quæ bona, honorem aut vitam eorum concernebant, in Concilio Primorum, quales tunc fuere Duces, Episcopi, Comitum præcipui, fuisse agitatas & decisas, nec unquam solius Imperatoris arbitrio permissas; Exempla complura ex omni ævo adduxit *Hermannus Conringius in dissert. de Judiciis Reipubl. Germ. §. 49.* cui nonnulla adhuc addit *Hertius in Notitia Regni Franc. Vet. cap. V. §. 36.* confer & *Schottelium de singularibus quibusdam & antiquis in Germania juribus cap. V.* sic ut in pleno vigore illis temporibus fuerit celebratum Judicium Principum seu Parium Curiæ, das Fürsten-Recht/ a proxime elapsorum seculorum Cæsaribus Carolo V. & Ferdinando II. præcipue, qui sibi soli sumpsere potestatem judicandi circa personas & feuda Principum, oppressum, per capitulationem tamen Leopoldi, Josephi & præcipue Caroli VI. novis-

novissimam, iterum aliquo modo stabilitum, certe restricta Cæsaribus ea licentia. Qualis in judiciario illo Processu observata fuerit figura noscere qui cupit, adeat *Hippolitum a Lapide de Ratione status part. I. cap. X. Sect. 2. Schottelium dict. lib. cap. 4. & 5. Jus Feudale Alemannicum cap. 116.* & ibi *Schilterum in Commentario.* Continebat ille Processus singularia multa; ita reus haud raro per alium Imperii Principem ad judicium vocabatur, Cæsar ipse in persona, ut loquuntur, curiæ præsidebat, & in causa etiam propria suffragia Parium colligebat, comparebant illi inermes, celebrabatur judicium sub dio, inchoandum erat ante meridiem, & plerumque circa præcipuas anni festivitates habebatur, alia ut omittam. Tantum de contumacia, quæ hic sub examen venit, notandum, quod per tres distinctos terminos procedebatur contra contumacem, & tunc demum contumaciæ pœnam incurrebat reus, si ter citatus nec comparuisset, nec se excusasset, idque contingebat hoc modo: cum judicium esset inchoandnm fiebat vocatio citati; si se non præsentabat, alius ei terminus præfigebatur; si nec in eo se sistebat, facto proclamate, tertius ei dabatur terminus, & in hoc non comparente citato condemnabatur contumaciæ reus, quam damnationem feudi privatio sequebatur. Hunc procedendi ordinem quoad contumaciam, observavit Fridericus Imperator in causa Henrici Ducis, uti prolixe indicat *Arnoldus Lubecensis Lib. II. cap. 24.* cujus verba, quod omnia plana faciant, hic apponere non pœnitebit; ita autem de Curiis pergit: *Circa dies illos reversus Imperator de Italia, cui occurrit Dux apud Spiram, & illatas sibi injurias a Domino Coloniensi, conquestus est in præsentia ipsius. Quod Imperator tunc quidem dissimulans, eis curiam indixit apud Wormaciam; Ducem tamen præcipue ad audientiam illuc citavit, responsurum querimoniis Principum. Quod intelligens Dux eo venire dissimulavit. Imperator autem aliam Ei curiam indixit in Magdeburg, ubi Theodoricus, Marchio de Landsperg, duellum contra eum expetiit, imponens ei quasdam traditiones contra Imperium factas;* &c. & paucis ad Duellum & Colloquium facientibus interjectis: *Exinde Imperator tertiam ei curiam Goslariæ præfixit, nec minus illam supersedendo neglexit. Imperator itaque procedens in concionem, sententiam adversus eum proposuit, quærens: Quid super hoc justitia decernat, quod tertio legitime vocatus judicium declinaverit, & per contemptum ad Audientiam suam venire noluerit? Cui, ex sententia Principum, responsum est: quod, justitia dictante, omni sit honore destituendus, ita, ut proscriptione publica dijudicatus, & Ducatu, & omnibus beneficiis careat, & alter in locum ejus consurgat. Confirmata itaque sententia, Imperator id adjudicavit fieri. Quartam tamen curiam adhuc rogatu Principum ei indixit, ad quam cum non venisset, fecit, ut superius ex sententia Principum instructus erat, & Bernhardum, Comitem de Anhald, pro eo Ducem constituit, & Episcopis, ut sua reciperent, quæ in Beneficio habuerant, mandat, & bona ejus publicari præcepit. Unde accepta occasione quidam de suis alienati sunt ab eo &c.* Idem fere habet *Otto de S. Blasio cap. 24.* & *Abbas Ursperg. in vit. Friderici I. pag. 226.* Hinc etiam Imperator in diplomate, cujus partem sectione I. hujus capitis exhibuimus, dicit: *quod sub fædali jure legitimo trino Edicto citatus sit ad audientiam, & quod sit contumax judicatus, & omnia beneficia, quæ ab Imperio tenebat, ei abjudicata, eo quod se absentasset, nec aliquem pro se misisset responsalem.* Perhibet itaque Imperator secundum observantiam Imperii processum contra Ducem Henricum se instituisse, & summo jure ut contumacem eum condemnasse, (*Arnold. Lubec. Lib. II. cap. 35.*) Licebit tamen, cum examen hujus Judicii susceperimus, disquirere, an legitime & recte contra Ducem fuerit sententia publicata in contumaciam? Tantum autem abest, si omnia, quemadmodum gesta sunt, considero, ut procedendi modum Imperatoris probem, ut potius iniquitatis eum arguere cogar, quod talia hic commissa sint, quæ judicis officio mi-

nime congruunt; sic, ut non tam justo judicio, quam prava conspiratione damnatum Ducem dici possit. Nam reversus ex Italia Imperator non statim in jus vocavit Principem, ob ea quæ Clavennæ acciderant, sed prius exploravit, quo essent in Ducem animo Principes, multa iis narrando de contumeliis, quibus ab eo esset affectus; jamdiu exoptabant Principes, quorum inveteratum jam erat odium in Leonem, (authoritate *Arnoldi* hæc dico) commodam occasionem solicitandi Cæsarem ad perniciem Ducis; igitur cum ex oratione illius abunde cognoscerent, esse eum Leoni infestum, stimulos admovent, exaggerant quæ Imperator erat conquestus, novas querimonias cumulant, omnique honore & feudis mulctandum Ducem proponunt. Grata erat Principum propositio Imperatori, & quod utrique, Imperator & Principes, pari essent in Ducem animo, in exitium ejus facile conjurant, eumque in finem omnes excogitant dolos; (*Arnoldus Lubec. Lib. II. cap. 16. fin.*) unica restabat cura, ut tegerent, quæ moliebantur, donec opportunum ad exsequendum daretur tempus, nec multo post hoc se obtulit, erupitque conjuratio, cum Dux Spiræ occurreret Imperatori, ut Philippum Coloniensem Archi-Episcopum, familiæ Heinsbergicæ, ob injurias sibi regionum vastatione illatas accusaret. Tunc enim Barbarossa proposito suo non conducere ratus, sententiam contra Coloniensem Præsulem ferri, judicium, quod quia Philippus præsens erat, & processus contra eum, qui ex alia causa aderat, institui poterat, statim exercere potuisset, callide in aliud tempus distulit. Excusari adhuc posset hæc dilatio, si modo postea, ut læso satisfiat, serio se procuraturum, Imperator ostendisset; at vide quam inique posthæc cum Duce actum sit; postulabat Dux judicium in Coloniensem Pontificem, debuisset ergo citari Episcopus ut se purgaret, vel satisfaceret Henrico Duci, sed modo plane inverso hic processum; Dux vocatur Wormatiam, ut respondeat querimoniis illius, quem ipse paulo ante accusaverat; qui actor erat, nunc ut reus comparere jubetur; qui sibi satisfieri petebat, nunc satisfacere; qui judicium postulat, nunc judicium ferre cogitur. Valde hoc male habuit Ducem, quapropter nec comparuit. Citatur mox altera vice, sed quod idem quod prima intendebat, nec tunc adfuit, eo minus, quod Marchio de Landsperg duellum obtulisset, culpam Ducis probaturus; hoc autem ut dignitate sua interius merito respuebat, cum & jura Heraldica concederent ei excusationem, qui ab inferiore esset provocatus; nam quemadmodum Eques nonnisi Equiti, ita Princeps nonnisi Principi **Fürsten-genossen** obligabatur, verbis utor Illustris auctoris *de Supprematu Principum Imperii cap. 23. pag. 89.* Sudervenit deinde & tertia citatio, sed quod ex ipso citationis modo augurari posset, qualem sit experturus judicem, & hanc Curiam Imperialem declinavit. In hoc itaque solenni Conventu ut contumax condemnatur, omnibusque exauctorandum eum esse Beneficiis decernitur; quod etiam in quarta Curia, quæ adhuc indicta fuit, cum nunquam, etiamsi centies vocatus foret, venturum sciebant, executi sunt. Sic habuit se processus contra eum ut contumacem institutus; jam perpende, qua æquitate contumaciam incurrisse statuatur; contumax judicatur, quod noluerit sistere se ut reus, qui non erat auditus ut actor, legitime & rite citatum dicunt, cum ante citationem jam illegitime de eo esset judicatum, scilicet citationibus hisce colorem tantum obducere voluerunt injusto judicio, quo eum jam antea damnaverant. At perspexit hoc Dux, itaque optimo jure venire recusavit. Ut tamen innocentiam suam probaret, & saniora persuaderet Imperatori, in privatum cum eo colloquium descendit, in quo utinam Dux cessisset Cæsari, & quod cerneret, illius favorem se alio modo obtinere non posse, dispendio quinque marcarum millium gravius infortunium evasisset; sed noluit Dux admittere nisi quod justitia posceret, & quod solvendo mulctam labem sibi aspergi ex rei veritate existi-

existimabat, tantam in illis temporibus minime pecuniosis argenti summam solvere omisit, eventu plane infelici.

Consideravimus hactenus causas quæ allegatæ fuere, ut Proscriptioni justitiæ speciem conciliarent; examinandum nunc etiam venit Judicium ipsum. Ut vero causa damnationis ita & constitutum judicium ad justitiam sese habuit. In hoc enim tribunali & Imperator & Principes actoris personam sustinebant; Imperator Ducem Majestatis reum agebat, Principes ut oppressorem libertatis suæ eum incusabant, Imperator Principes, Principes in sua causa Imperatorem judicem posuere; quenquam rationem habiturum eorum, quæ jam antea decreverat de opprimendo Duce, & observaturum ne quid respondeat, quod commodis propriis adversetur, cum actores hic judicis officium obirent, divinando assequi non ita arduum erat; itaque Dux non abs re subterfugiebat judicium haud inique suspectum, ubi judex & actores communem causam agunt. Et profecto ex ipsius sententiæ atrocitate perspici potest qualitas judicis, fuit illa gravissima (sed aliam dicere non poterant, nisi seipsos increpare vellent) qua Duci non solum omnis ditio in universo Imperio, sed & nomen & officium Principis ademptum, ut *Godefridus Coloniensis Monachus ad annum 1181. pag. 248. Collect. Freber.* annotat. *Wolterus in Chron. Bremensi Tom. II. Meibom. pag. 52.* & *Schiphower in Chron. Archi-Comitum Oldenburg. Tom. II. Meibom. pag. 145.* Clypeo, gladio, & castris & obedientia suorum privatum dicunt. Scilicet jucundum erat tam atrocem ferre sententiam, cum illa in emolumentum Judicis cederet; hac enim sententia Saxoniæ Ducatus Bernhardo Anhaltino, Alberti Ursi filio, Palatinatus Saxoniæ Hermanno, Thuringiæ Landgravio, obvenit; Bavariæ Ducatus pristinis iterum Dominis Comitibus Schirensibus cessit; Westphaliæ & Angariæ plurima Coloniensis Antistes sibi asseruit, Episcopi quoque istarum regionum Monasteriensis, Mindensis, Osnabrugensis, Paderbornensis, Hildesemensis, Bremensis, Magdeburgensis, Moguntinus, in hoc quasi familiæ herciscundæ judicio pomœria ditionis protulere; Holsatia aliæque transalbinæ regiones nexu beneficiario, quo addicti fuerat Saxoniæ Ducibus, fuere solutæ; alii quid acceperint edisserere nimis longum foret. Certe ita ex his spoliis se locupletarunt, ut *Giovanni*, sub quo nomine *Joh. Petrus Ludovici* latere voluit, in *Germania Principe Lib. VI. cap. I. pag. 20.* ubi de hac mulcta agit, haud inconcinne hic applicet, quod de Romanis Augustinus dixerat: *Si multi Germaniæ Principes reddere deberent, quæ per latrocinia Henrico Leoni tum erepta sunt, fore ut ad infimas casas redirent, qui nunc magnis Dominiis præsunt.* Sed non ita acquievit exauctoratus Princeps, quin publice testatus sit injuriam sibi fieri, & quod etiam privilegio fori se tueri posse putabat, injuste de se judicatum esse affirmabat, dicens: se de Suevia oriundum, & nullum proscriptione damnari posse non convictum in Terra Nativitatis suæ, ut loquitur *Arnoldus Lubec. Lib. II. cap. 24. in fine.* Est hic locus plane singularis & consideratione dignus, optandumque esset, ut quid indigitet solide possit explicari; licet enim jam eo seculo specialia quædam circa judicis & fori competentiam obtinuerint, fatendum tamen est, certum quid de ea re nos afferre non posse, & conjecturas tantum hic sibi vindicare locum, quod qui Historiam illorum temporum nobis reliquere Ecclesiastici Ordinis homines, quæ in Monasteriis suis accidere memorasse contenti, res ad Imperii statum spectantes parum curabant, & vix notissima annotabant; Unde & plurimi nec hodie observavere, subesse in hoc loco singulare quid, pauci vix verbo attigere, nemo denique, ut sese habuit, exposuit, nisi id præstiterit Johannes Gröningius in tractatu *de Jure Principum*, quem *Struve in Syntagm. Jur. Publ. cap. XXIV.* §. 7. eo nomine allegat, mihi tamen inspicere nondum fuit concessum. Tantum itaque quæ conjectura assequi possum

possum hic proponam. Ubi primo observare licet Historiam illius ævi paulo accuratius perlustranti, Causas Principum disceptatas & condemnatos esse Principes non semper in universalibus Procerum conventibus, ad quos omnes indistincte convocabantur, sed etiam in particularibus, ubi selecti saltem Principes aderant vota proferentes; ita Henricus III. Imperator Conradum Bavariæ Ducem, qui jam prius infensus erat, incusatum quorundam Principum judicio Merseburgi Ducatu privavit, ut traditur ab *Hermanno Contracto in anno 1053. pag. 334. Tom. I. Urstis.* Et Conradus III. Henricum ab inimicis superbum dictum, Henrici Leonis patrem judicio quorundam Principum proscribit. *Otto Frisingensis Chron. Lib. VII. cap. 23.* Porro & moris fuit, ut illorum tantum Principum sententia condemnarentur Principes, ex quorum sanguine ipsi erant oriundi. Exemplum hujus consuetudinis præbet *Lambertus Schaffnaburgensis ad annum 1070.* in Ottone Bavariæ Duce ab Henrico IV. ex Principum Saxoniæ sententia reo Majestatis judicato; merentur ejus verba ut apponantur: *Rex,* inquit, *Principes Saxoniæ, quod ex his oriundus esset, & hi propter privatas inimicitias maxime invisum eum haberent, sententiam super eo rogavit; qui eum, tanquam manifesti criminis deprehensum, reum Majestatis judicaverunt, & si caperetur capitali in eum sententia animadvertendum fore decreverunt.* Vides referri hic inter causas Judicii Principibus Saxonicis constituti, quod ex iis oriundus esset. Quemadmodum itaque de Ottone Bavaro nonnisi certi Principes judicabant, ita se nonnisi certo in loco damnari posse Henricus Leo prætendebat, scilicet in loco Originis, Suevia, unde Gibellini & Guelfi ortum trahunt, ideoque contra judicium Herbipoli & Geilenhusii institutum, tanquam non competens forum excepit. Nec vane hoc privilegium jactasse Ducem argumento est, quod non tantum ipse Dux ad hoc provocaverit, sed & (ut recte observat *Hippolithus a Lapide part. I. cap. XI. sect. 2.*) quidam Principes, quibus expresse *Abbas Urspergensis* exceptionem fori assignat *pag. 226.* in vit. Friderici I. ubi postquam retulisset citatum ab Imperatore Ducem subjungit: *In solenni conventu quidam Principes & Barones, fautores Ducis, more Germanorum qui sine lege & ratione voluntatem suam pro jure statuentes, contra Imperatorem hoc jus tenere volebant, ut Imperator Ducem non posset condemnare vel terras suas abjudicare, nisi infra terras Ducis placitum statueret; porro quidam Nobilis exurgens in medium proposuit, quod lege Duellionum, quod & lege & ratione firmatur, hoc vellet obtinere contra quemlibet secum pugnare volentem, quod Imperator quemlibet Principem posset evocare pro justitia ad locum quemcunque vellet infra terminos sui Imperii existentem. Cumque nullus isti se offerret ad pugnam, edicto Imperatoris præfata sententia pro jure perpetuo statuta est.* Hactenus *Urspergensis.* Dissensere ergo quidam Principes, fortassis illi, quorum rogatu quartam Curiam præfixit Duci apud *Arnoldum loc. cit.* in modo sententiæ ferendæ; scilicet æquiores illi erant, quibus alii ut injuste obloquebantur, ita & iniquum probandi modum obtulerint certamen singulare, toleratum quidem a Christianis etiam Germaniæ Principibus, ut certis solennitatibus exhibitis defectum legitimarum probationum suppleret; sed quod ut incertum, temerarium & pietati Christianæ valde contrarium, merito mitiores mores abrogarunt, vid. *S. Agobardum Archi-Episcopum Lugd. de Judiciis Dei, & ad Legem Gundebadam,* ut & Celeb. *Schilterum in Manuduct. Philos. Pract. ad Jurisprud. cap. IIX. §. 2. & 3. pag. 295. seq.* Quanquam autem in Concilio Procerum, maxima ex parte Ducis adversariorum, vicerit sententia, ubique locorum de eo judicari posse defendens, nihilominus contra jus fasque de se statuisse Imperatorem & Proceres, constanter affirmavit Princeps noster, ideoque & titulum Saxoniæ Ducis retinuit, & pro restitutione sua continuo solicitando Cæsarem effecit, ut de eo in integrum restituendo se cogitaturum significaret Imperator; Ut maxime autem

signi-

significationem dederit restituendi in pristinam dignitatem & regiones Henrici, tamen simulavit tantum Ahenobarbus, cujus pectus aheneum erat; serio id noluit, dum & protraheret negotium, & cum tandem a Principibus rursus causa Ducis cognosci deberet, juratus assereret Principibus, se eum pristino gradui nunquam redditurum, nisi id omnes probarent, at hos nequaquam consensuros in restitutionem certo sciebat, quod omnes fere ex hac præda captassent lucrum simul cum dignitate restituendum. Itaque Dux cum regiones violenter ereptas jure repetendo nihil proficeret, immeritum se tam acerbas luere pœnas omnibus innotuisse contentus, recuperandi spem posteris commendavit. Qui etiam titulo memoriam jurium renovarunt, Saxoniæque Duces, quamvis de vetere amplissimo Ducatu nihil fere præter Brunsuicensis & Lunæburgensis tractus eis superesset, salutati sunt, usque dum Henrici Leonis eo Filio Wilhelmo nepos Otto, cognomine Puer, titulum cum Brunsuicensis & Lunæburgensis Ducis nominibus commutaret, reliquiis hisce veteris Saxoniæ in novum Ducatum anno 1235. a Friderico II. Cæsare evectis. Literas investituræ exhibet *Meibomius Tom. III. pag. 206. seq.* Spem recuperandi vi ablatas provincias nunquam abjecerunt, qui neque vires, neque occasionem unquam habuere perdita recuperandi; Vox hinc Johannis Friderici notissimi in elapso proxime seculo ex hac familia Principis fuit: Utinum pro Henrico Leone Henricum agnum habuissemus. **Wolte GOtt! wir hätten vor Heinrich den Löwen / Heinrich das Schaaf /** ut auctor est *Giovanni in Germania Principe Lib. VI. cap. 3. pag. 79.* Et inter causas occupati a Georgio Wilhelmo Cellensi Principe Ducatus Saxo-Lauenburgici, mortuo anno 1689. ultimo Duce Julio Francisco relatas, quod regiones istæ omnes de patrimonio Henrici Leonis, sine causa iis mulctati, essent, quotquot, quid circa successionem illam acciderit, memorant, consignarunt. vid. **Europäischer Herold**, pag. 311.

Quæ hactens prolata abunde indicabunt injuriam Saxoniæ Bavariæque Principi per tam acerbam sententiam inflictam, tantumque titulos & prætextus fuisse, quæ contra eum allegata, eosque probe distinguendos esse a veris causis. Superest igitur ut veras etiam proscribendi Ducis causas aperiamus. Derivamus autem eas ab odio Cæsaris & Invidia Principum, quæ duo conflavere Leoni infortunium. Odium Cæsaris unde promanet, indagatu non difficile erit secum reputanti, ortum Ænobarbum & Leonem ex gentibus Germaniæ multo potentissimis, sed æmulatione potentiæ, & cupiditate augustæ dignitatis familiis suis asserendæ sibi infestis, Gibellinos & Guelfos intelligo, celebrata in Historia Germanica, ob maximam quibus dissidiis suis reipublicæ attulere perniciem, nomina. Quanquam autem quod Fridericus Imperator utrosque sanguine contingeret, & Guelfica matre Juditha genitus, eundem cm Henrico Duce agnosceret avum, vetera sublata fore odia spes esset, eam etiam primis imperii annis sincera amicitia contracta impleret Cæsar, diu tamen non duravit hæc animorum conjunctio. In memoriam enim revocabat Fridericus Gibellinorm caput, ortum esse Ducem e domo Imperii æmula, (quod imperium Lotharius Saxo ad Guelfos, a se Saxoniæ Duces creatos, & connubio amicitiaque sibi junctos delatum ibat, genero ejus Henrico Leone I. Principis nostri parente ipsi inhiante) Itaque quoniam filius parenti potentia, opibus, spiritu nequaquam erat inferior, difficile sibi futurum sentiebat Imperator dignitatem Imperii in posteris suis continuare, tam præpotente existente æmulo; cujus potentia quæ ad summum nunc pervenerat, eo acrius torquebat Barbarossam, quo infestior erat nimiæ potestati Ducum, quam sibi Domuique suæ haud conducere satis perspiciebat. vid. *Schurtzfleischii dissertatio de nostro Principe §. 5. & 6.* est ea in *Operibus* illius *Historico Politicis* uno volumine conjunctis *dissert. XLV. Hertii*

differt. de origine & & Progreffu Special. Rom. Germ. Imp. Rerumpubl. §. 18. quæ reperitur in *Volum. II. Differt. Tom. II. pag. 40.* Hoc ex fonte proveniunt odia, hinc confilia deprimendæ Ducis potentiæ; itaque ut vires Ducum labefactaret, & potentiæ ex propinqua inprimis Bavaria formidabilis nervum incideret, fe contra & Sueviam, in qua Hohenftauffiorum opes nitebant, magis firmaret, & poffeffionem imperii pofteris fuis confervaret, acerbiffima profcriptione damnavit Ducem Bavariæ & Saxoniæ imperitantem. Prætextus arripiebatur repulfa, quam in Clavennatenfi colloquio a Duce tulit Cæfar, principium autem fuit congregatio Principum, quibufcum in exitium Ducis confpiravit. Veram hanc profcriptionis caufam fuiffe confirmat non folum, quod *Chronicon Auguftenfe parte altera ad annum 1152. pag. 358. in collectione Freberiana*, & *Andreas Presbyter Ratisb. in Chron. Bavar. p. 27. edit. Kulpif.* jam ceu caufam exempti ab imperio & ditione Bavariæ Ducis Marchionatus Auftriæ ponant, ut Duces Bavariæ minus deinceps contra Imperium fuperbire valerent, ut verba *Chronici* habent; fed & ipfe eventus, quem, utpote ex quo tutiffime judicari poteft de confiliis & propofitis hominum & caufis impellentibus, inter cautiones in veris conjiciendis caufis adhibendas commendat Illuftris *Bœclerus ad Taciti Lib. I. Annal. cap. 10. p. m. 186.* declarat malo confilio fufceptum, quod tam fpeciofis nominibus tegebatur. Hinc enim eft, quod Barbaroffa Duci reftitutionem urgenti benigne quidem fit pollicitus, fed nihilominus mitigari non potuerit, ut gratiam fuam propinquo Principi vere redderet. vid. *Arnold. Lubecenf. Lib. III. cap. 36.* & *Gerhardus Stederburgenfis*, confiliorum Henrici confcius & actorum peritus, ex cujus Hiftoria de Henrico Leone quilibet intelligit malignum Ænobarbi in Ducem animum; hinc etiam tot Procerum & duarum adhuc hodie celebrium Imperii Civitatum a Ducatibus Bavariæ & Saxoniæ exemtio & cooptatio in numerum Imperii Statuum, ut Epifcoporum Salisburgenfis, Frifingenfis, Ratisbonenfis, Paffavienfis, Auguftani, item Ducum Auftriæ & Meraniæ, Marchionis Stiriæ, Comitis Holfatiæ, Lubecæ & Ratisbonæ. *Hertius in alleg. differtat.* Non confeciffet tamen hæc Imperator, nifi par in Leonem animus fuiffet potiffimorum Imperii ordinum, quorum invidens animus altera eft oppreffi Ducis caufa. Scilicet ut *Forftnerus ad Taciti Lib. XI. Annal. p. 37.* habet, quod auctu Imperii augeatur metus & invidia minus valentium, a metu & invidia tranfeatur ad coitiones & fœdera, & haud raro ad bella, id hic accidit. Invidis enim oculis quemadmodum Cæfar ita & Proceres Germaniæ afpiciebant potentiam Ducis, & nifi hac deminuta fecuros de falute & libertate fua fe effe non poffe, fibi imaginabantur, & profecto ad pertimefcendam potentiam (fed tamen metus ex crefcente alterius potentia non eft jufta belli vel profcriptionis caufa. *Grotius de Jure Belli & Pacis Lib. II. cap. I. §. 17. & Lib. II. cap. 22. §. 5.*) eum fortuna evexerat; fuperavit enim omnes Germaniæ Principes, quotquot olim fuerunt vel hodienum florent multis gradibus potentia & amplitudine regionum; nec opes tantum fed & rerum geftarum gloria fuper cæteros Leonem evehebant; ut merito Magni cognomen ei tribuatur in *Chronico Riddagesbuf. Tom. II. Leibniz. pag. 78. ad annum 1194.* Augebat adhuc invidiam metumque Procerum, quod tenax & rigidus effet Leo, nec de fuo facile quid largiretur; unde dum quibufdam gloria, aliis potentia, nonnullis etiam meriti memoria effet invifa, omnes denique in eum confpiravere; fpeciofos infuper malis cupiditatibus præfigentes titulos, quafi libertatem & jura eorum oppreffiffet. Inprimis vero Epifcopi, quos Leoni infortunium fuum conflaffe difertis verbis affirmat *Continuator Sigeberti Gemblacenfis Robertus de Monte*, tefte *Meibomio Tom. I. Script. Rer. Germ. pag. 363.* non tantum variam calliditatem, fed & ipfi ferrum ac flammas adhibuere ad fubvertendam Henricianam potentiam, modo Epifcopali mitræ non adeo convenienti, vid. *Ziegleri*

Epifco-

Episcopus Miles. Cur vero Episcopi tam ægro animo tulerint magnitudinem Guelficam, præterquam quod invidia fortunæ ac gloriæ comes sit, causa erat potestas, quam in sacri ordinis homines sibi asserebat Saxoniæ Princeps; exercebat enim adhuc in Episcopatibus a se vel erectis vel restauratis Jus constituendi Episcopos, quod Imperatoribus jam dubium reddiderant Pontifices, & per baculum & annulum, vel virgam, Investituræ signa, Episcopatus conferebat, hocque jus studiose observabat, rejectis & expulsis sæpius Episcopis, qui se illi submittere recusabant. Exemplum insigne hujus exerciti juris suppeditat *Helmoldus in Chron. Slav. Lib. I. cap. 69*, ubi Dux Vicelinum Aldenburgensium Præsulem increpitum, prius quod se inscio Episcopalem ordinationem ab Hartvico Bremensi Archi-Episcopo recepisset, coëgit a se suscipere investituram per virgam, dicitque ibi unus ex hominibus Ducis, quod nec Cæsar nec Archi-Episcopus possit juvare causam Episcopi obnitente Duce, cum terram hanc a solo Deo recognoscat; quare & *Helmoldus cap. sequenti 73.* testatur, in terra illa solius Ducis autoritatem attendi, quod firmant ea, quæ amplius ille profert *cap. 79. 80. 87. & Lib. II. cap. 9. & ejus Continuator Lib. II. cap. 21. 22. 23. &c. Prout autem hoc hominum genus*, utor verbis *Monzambani cap. III. §. 8. cæterorum in se potestatem ægerrime fueverat ferre*, ita hoc unum ad perfectam felicitatem deesse videbatur, quod in Ducis manu foret tam luculenta beneficia distribuere, cui eam ob causam peculiariter obstricti cogebantur vivere. Ringebantur ideo illi & memorabilis in hunc finem est elata illa Capituli Bremensis vox in oratione, qua Episcopo potestatem Ducis agnoscere nolenti istam recognitionem amplius dissuasit, apud *Helmold. cap. citat. 69. Ubi Dux vel Marchio, ubi in regno Principatus etsi magni qui Pontificibus manus non offerant. Certatim currunt ut fiant homines Ecclesiæ: Vis ut Episcopi incipiant fieri Principum servi, qui hactenus fuerunt eorum Domini?* Itaque ut sese penitus subducerent imperio Ducis, & florentem Saxoniæ statum immutarent, nihil non egere illi, solius deinde sedis Romanæ autoritatem veneraturi, & ii ipsi quos ad fastigia rerum extulerat Henricus, cum aliis fabricati sunt ei perniciem, tandemque machinationibus suis & falsis clamoribus, quibus Cæsaris pronum Leonis exitio pectus vehementius inflammarunt, maximum Principem, quo vix visus potentior aut rebus gestis illustrior Principatibus suis detrusere, ipsi vero ad opimam hanc ex illius fortunis prædam catervatim advolarunt, ut de his exuviis Leonis dici possit, quod Scythæ apud *Curtium Lib. VII. cap. 8. v. 15.* Alexandri recordari jubent; *Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit.* Hinc (ut bene canit *Meibomius in Orat. de Henr. Leone.*)

Discite, qui rerum fastigia summa tenetis,
Discite fortunæ diffidere, tunc ubi miti
Blanda niter vultu: nec longe exempla petantur:
Hic erit exemplo qui rem velut obside firmet.

SECTIO III.

Quæstiones aliquot incidentes delibans.

Restat ut ad incidentium quarundam Quæstionum examen nos etiam convertamus. Ubi primo loco se offert insignis illa disceptatio inter Ducem Henricum & Adolphum Comitem de Schauenburg, qui pro illo bellum gesserat cum Westphalis, fusoque hostium exercitu & plurimis eorum captis

captis victor domum redierat, habita, & ab *Arnoldo Lubecensi Lib. II. cap. 27. & 30.* descripta, nimirum quæritur, an potuerit Comes captivos, quos fecerat, retinere Duce invito? Contra Adolphum pro negativa afferri potest, fuisse eum Vasallitico vinculo Henrico Leoni, ut Duci Saxoniæ, adstrictum; servitia & operas debuisse ei, militasse illius auspicio; eum autem quicquid milites capiunt capiant Principi, cujus authoritate armantur, & Comes pro Duce arma sumpserit, teneri eum Duci ad exhibitionem captivorum, quare & statuit Dux apud *Arnoldum cap. 27.* sui juris esse, ut omnes sibi captivi redderentur; cui consentiebat Guncelinus Comes, Conradus de Rothe, redditis captivis suis, & alii de domo Ducis familiariores. Videtur tamen Comitis Adolphi causa firmioribus inniti rationibus: Equidem Juri Naturali consentaneum est, emolumenta ex hostibus omnia militum opera acquiri illi, cujus auspiciis bellum geritur, optimoque jure ea sibi imperantes vindicant, nisi aliud introduxerint, nec possunt subditi vel mercenarii milites, qui pro stipendiis operam Principi addixere suam, plus petere ex præda, quam Princeps permittit; aliter tamen se res habet in hoc casu; non enim subditus aut stipendiarius Ducis miles Adolphus erat; & licet per vinculum clientelæ, quo Ducatui Saxoniæ annectebatur Holsatia, Stormaria, Vagria, Schauenburgici Comitis beneficia, vid. *Celeb. Schurtzfleischii dissert. de Antiqua Saxonum dignitate §. VIII. in notis p. m. 413.* Duci ad fidem & auxilia obligatus esset, non tenebatur tamen sine stipendio suis impendiis militare, quod vix a subdito exigitur, multo minus a Vasallo conditionem subditi longe exsuperante. Si itaque Henricus Leo omnino captivos suæ mancipare custodiæ voluisset, debuisset Comiti aut stipendia solvere, aut damna, quæ passus erat, alio modo resarcire; ut enim sine stipendio suo sumptu suoque periculo tueretur Comes Ducem, nec ob hoc remunerationem acciperet, æquitati contrarium est. Imo considerandus hic Schauenburgius venit, ut Leonis socius; socio autem tenetur socius ad reparationem damnorum; quæ si aliunde non compensantur, iniquum non est si pro impensis bello operibus, sumptibus atque retributione damnorum socii sua faciant quæ ceperunt, cum opera gratis vix præstari soleat. vid. *Hugo Grotius in aureo de Jure belli & Pacis opere Lib. III. cap. VI. §. 22. seq. Hertius in celebri dissertatione de Lytro sect. II. §. 3. in Vol. I. Tom. I. Dissert. pag. 256.* ubi hanc ipsam controversiam recitat. Nihil injusti itaque inest orationi Comitis, dum dicit *loc. cit.* se de propriis stipendiis militare, & ideo justum esse, ut de captis sua reciperet, nec omnino stipem militiæ se habere posse, si captivi in alienos usus tollerentur, cum omnia in expeditione consumpserit & perdiderit. Non est tamen ut, dum defendimus licuisse Comiti retinere captivos, simul probemus defectionem Schauenburgii per exactionem hancce captivorum, accedentibus æmulorum criminationibus maturatam; quum utique sine perfidiæ labe deficere a Duce non potuisse Comitem, in quæstione, num licuerit Vasallis & Præfectis Ducis deserta parte illius ad Cæsarem transire? pronuntiemus. Licet enim nimium poposcerit Dux sibi asserendo captivos, non tamen hoc ipso jus nactus est Comes deserendi eum, cui fidem & obsequium obstrinxerat, præcipue cum Dux tentaverit tantum suæ custodiæ tradere captivos, reluctante autem Comite eosdem illi reliquerit. Nec obstat, quod pro excusanda Adolphi Comitis cœterorumque a Duce discessione afferri posset, debuisse eos non Duci tantum sed & Imperatori fidelitatem & obsequium, proscriptionem autem & Bannum Imperii sensisse Henricum, quo ipso qui feuda ab eo recognoscebant, juramento, quo fideles se ei fore promiserant, soluti fuerint, cumque Imperator sit Dominus superior, juste eos Imperatori contra Ducem socias addidisse manus; respondeo enim valere hoc, si Feloniæ crimine se maculat Princeps, & perfide Imperatorem aggreditur, ob quod justissime banno notatur, non vero si insontem Felonia Principem mera

ex

ex invidia proscriptio & ejus persecutio acerbissime decernitur a Cæsare; quo in casu potius Vasallus Principem, cui arctius quam Imperatori devinctus est, adjuvare debet contra quoscunque; quid autem de proscriptione, qua Henricus Leo ab Ænobarbo damnatus est, sentiendum sit, ex superius dictis abunde, ut spero, constabit. Aliam, quæ incidenter hic tractari potest, quæstionem suppeditat reditus Henrici Leonis in Saxoniam ex Anglia ante tempus, quo in exilio se futurum juraverat, finitum. Unde oritur quæstio, *potueritne sine perjurii crimine reverti ex Anglia Henricus non impleto triennali exilio?* Negantes dicunt jurato se obstrinxisse Ducem ad perferendum exilium, cum autem non expectaverit determinatum reversioni tempus, juramentum, cujus apud omnes populos, & ab omni ævo maxima semper vis fuit & sanctimonia, eum violasse. Sed non est ut hisce movear, certo potius persuasum habeo, reditum huncce nec juramenti religioni esse contrarium, nec culpationem mereri; quod ipsum ex juramenti natura constat; superadditur promissis juramentum ad majorem firmitatem illis conciliandam, & tamdiu ligat, quamdiu promissum durat; sicut autem promissum expirat, si cesset qualitas & conditio sub qua promissum est, ita & juramentum quod conditionem supponit, cum conditione stat caditque. Atqui cessavit hoc in loco promissum & conditio; nam habebat jurata exilii promissio aperte respectum alterius promissionis, quæ ei fuit implicita, scilicet ut Cæsar & Proceres intactas relinquerent reliquias patrimonii Henriciani, hoc autem non præstitere, sed laceratas ejus provincias penitus deglutire tentarunt vulturii vicini; itaque & evanuit simul juramentum, quo ad exilium se obligaverat Henricus Leo, neque quod si reversus nondum finito triennali exilio perjurii accusari potest. Quis enim exigeret a Duce, ut stet pactis, quæ cæteri jam violaverant ante. Caverat ei Cæsar, ne quid de parvis avitæ possessionis reliquiis eriperetur ulterius, hoc autem cum non fuisset servatum, imo contrarium impune & inverecunde factum esset, nec ille ad servandum promissum & huic superveniens jusjurandum fuit amplius obligatus, siquidem ejus vis expiravit per iniquissimam invasorum rapinam; quam ut coërceret, & suis suorumque rebus tempestive consuleret, omnino necesse habuit reverti ex Anglia; quod ipsum si vel Principes alios vel Cæsarem offendit, imputent sibi, qui pacta conventa ut servarentur segnius procurantes paci publicæ perturbandæ occasionem præbuere, non Leoni, cujus magnanimitati non conveniebat, otiosum domesticæ miseriæ esse spectatorem.

Et hæc sunt, quæ in modum Dissertationis de insigni hac Proscriptione ex Historia Germanica, cui vix ulla par reperitur, proferre placuit. Possent adhuc plura inprimis de Anathemate, quo constrictus fuit Henricus Leo apponi, sed scopum nostrum nos & sic attigisse contenti, hic vela contrahimus, alii occasioni ea servantes.



DISSERTATIO XXV.

QUA

COMMENTUM ESSE PUTIDUM,

CALCASSE COLLUM IMPERATORIS FRIDERICI I. AHENOBARBÆ ALEXANDRUM TERTIUM, PONTIFICEM ROM.

OTSENDITUR.

QUod Athenis Atticis olim in Aveiopago causas dicturis coram Judicibus relligiose observandum fuerat, ut ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν accusaturi defensurique perorarent: Idem etiam mihi in hac Academica panegyri impositum imperatumque putabo; Magnifici, Nobiliss. Ampliss. Excellentiss. Clariss. Viri, DN. CURATORES. DN. RECTOR. Antecessores, Professores, Hospites exoptatiss. Tuque studiorum corona florentiss. itaque recta ad id, quod propitio NUMINE hoc hodie agendum ac peragendum esse video, sine ambagibus contendam: ac brevitati studebo, quantum materies & dubia valetudo mea patientur. Caveboque cum primis, ne vestra abusus videar patientia. Producitur autem en in poscenium, JURIS utriusque Candidatus, qui eruditionis suæ δείγματα qua publice qua privatim supra expectationem Ordinis Juridici & cum applausu omnium edidit: sed & mores probissimos abunde Collegio probavit: Hinc dignissimus ὁμοψήφως judicatus, cujus timpora lauru Themisteia cingantur: quod ut rite recteque fiat, nos honestis actionibus DEO favente operam dabimus, ad quos ea res spectat: Vos autem, spectatores benignos auditoresque experiri, omnibus modis percupimus. Antequam vero Candidatum ipsum Cæsarei ac canonici Juris Doctorem certatim consalutemus, nil me hoc loco & tempore indignum alienumve ab officio facturum arbitror, ubi prius de sacratissimo Imperatore, acerrimo Imperatoriæ dignitatis ac potestatis αὐτοκρατορικῆς per Germaniam Italiamque VINDICE apud vos verba fecero: eum denique a luculenta injuria (quam atrocissimam vere dixerim,) quæ Nomini majestatique ejus multorum injustis calamis præter opinionem illata fuit, strenue vindicaro. Nostra quippe refert, quotquot Germani γνήσιοι sumus, & qui post nos futuri sunt, si qua tamen erit posteritas, ut decus nostræ Nationis invictissimæ optimo maximo jure propugnemus, atque priscos Imperatores, Heroas incomparabiles ludibriis a rerum imperitis hominibus expositos, contra inique scriptos dicas, atque (honor sit auribus) mendacia putida mascule defendamus. Refert nostra plurimum fortissimorum Cæsarum nostrorum, a DEO coronatorum, famam illibatam honoremque ἀμειώτως conservari: adeo ut ne sanguinem pro iis, ubi opus fiet, profundere dubitemus. Quod nuper sanctiss. memoriæ IMP. OTTONI IV. Cæsari optimum officium adprime necessarium Clariss. & Eruditiss. Vir. Historiarum ACADEMIÆ ad Elmum Professor bene merentissimus, Dn. Henricus Meibomius amicus vetus, adversus Conradum Abbatem Ursperg. & Jo. Cuspinianum ac sequaces, scripto editoque

toque Apologetico, uti in manibus est hominum, æterna cum laude præstitit. Ejus ego viri exemplo probo inductus edoctusque facio nunc, faciamque quod facio; quando quæ exemplo fiunt, recte fieri non vulgus solum verum etiam magni viri existiment. ORO autem & obsecro, vos AUDITORES splendidiss. ubi me placide dicentem, placidius auscultetis, dum in veterem & inveteratam fabulam, quæ multis e Togatorum censu (quid dicam de proletariis hominibus, ac plebejis ingeniis?) eruditis, verum nimis pol credulis viris nequiter imposuit, inquiram, eamque dignis modis habeam. Ea fabella non per cunctas tantum cænas (quod Satyricus canit) abiit, sed & libris quam plurimis ac commentariis sacris profanisque ad instar emblematis vermiculati in serta circum fertur, & pusionibus in scholis inculcatur; taceo cætera, quæ consulto consilio indicta volo. Hoc ipsum dum patro, faxo equidem & omni enitar opere, ut QUOTQUOT turpi fabulæ fidem commodavere, & præconceptam opinionem Auditorio huic intulere, antequam pedem moveant, in melius mentem mutent, veritatem facti ex ipsis fontibus vetustatis illius ævi addiscant, ceu manibus apprehendant, amplectanturque non inviti.

VERITATIS enim studio indagandæ hoc in me, quidquid est, suscepi, neque temere ad hoc prosiliisse me argumentum, quisquis candidus putet, Quippe cum Sarsinate profiteor: EGO VERUM AMO: VERUM VOLO MIHI DICI: MENDACEM ODI. Quod dum in medium offero, cum salis grano capi verbum volo. Firmiora enim proferentibus, herbas porrigere actis maxumis gratiis paratissimus ero.

ELABORARUNT ac prope dicam desudarunt, AUDITORES optumi, non rari scriptores qua prisci qua recentes in tramittenda posteritati rerum gestarum augustissimæ memoriæ IMP. FRICERICI I. Cæsaris, Ahenobarbæ cognomine dicti principis fortissimi historia: ac illi quidem (Guntherus præ omnibus) ὁμοθυμαδὸν dulcissimaque harmonia MITISSIMI INGENII heroem fuisse collaudant erga cives bonos & morem gerentes subditos; liberalem, placabilemque maxime vero Pietatis, justitiæ, invictique animi ac temperantis, principem concelebrant.

In compescendis autem perduellibus laboriosissimum, vigilantissimumque commemorant. Ita ut quæ Virtus maxime in hoc AUGUSTO eluxerit, nostri sæculi hominibus dubium, ambiguumque relinquat judicatu: LEGUM denique rationem summam habuisse, ut perpetuo tenore Germania & Italia JUSTITIÆ æquitatisque administratione florerent. Hic, non ἀπροσδιονύσως quis ominetur, factum τῇ ἀγαθῇ τύχῃ, ut hoc heroe ad clavum Reip. sedente Feudorum consuetudines, quas indigetant, a duobus Insubrum metropoleωs Consulib. Gerardo Nigro & Oberto de Horto compilatæ seu malit quis dicere comportatæ, hodiernum usque in diem manibus nostrorum terantur hominum, & in Scholis Jurisconsultorum enucleentur, ac commentationibus illustrentur.

Adcedit porro laudibus promeritis nostri AHENOBARBÆ, quod studiis litterarum cum egregie perpolitus fuerit, eruditos viros adamarit, alueritque & familiæ augustalis non minimam portionem sago togaque esse voluerit. Namque uti senior ille SCIPIO Rhudium Poëtam, ut Scipio junior Polybium Historicum ad Karthaginem, in castris secum habuere circumque duxere: Non secus FRIDERICUS Imp. GUNTHERUM Ligurini Poematis venustissimi auctorem, gravem felicis & politæ venæ vatem aulæ suæ ἀκόλουθον sive asse clam fovit: Neque vero hunc unum, sed etiam Otthonem Fruxinensem (sive Frisingensem)

gensem) Episcopum, historicum & factorum suorum præconem veridicum, qui nil odio, nil gratiæ dedit: item Radevvicum Canonicum secum habuit. Quin plures ex Tagenone Bathavensi Præposito licet nobis in dias luminis auras producere Nestoras, sive Consiliarios Cæsaris, HERmannum Badanum Marchionem, Bertholdum Meraniæ ducem, quæ laudatissima & antiquissima Ducum Germanicorum prosapia olim fuit: præterea Præsules sat multos, Herbipolensem, Monasteriensem, Bathaviensem, nomine Diethpoldum (qui & Theodovalda **Gottwaldt** hodie) a Berga oriundum, Ossenbrugensem, Misenensem atque Henricum Viridoburgensem, nec non multos Regni comites, quorum adjutus consiliis, tot illustria ἀνδραγαθήματα edidit: quos & Achatas expeditionum Italicarum Asiaticarumque sociosque fidos sortitus est.

Unde meritissimo Elogio Agamemnonio ex Iliade condecorandus sit CÆSAR: Ἀμφότερον βασιλεύς ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής: & ex Marone: Parcere subjectis & debellare superbos Gnarurus. Verum Friderici res fortiter bello paceque gestas si nunc recenseam, actum agam. Neque id consilii est mei, annus me citius deficiat.

ADTINGAM ergo, si diis placet, historiam ut mitissimo utar verbo, sed quæ pura puta fabula, quam vulgus neque non doctorum turba veriorem esse, quam quæ ex Tripode vel Dodona ipsa proferebantur, putavit: sed edocta melius plebecula, & cohors eruditorum una aliter posthac sentiet. Quam pro virili evellam ex animis eorum, quibus penitius insedit, ac fibris inhæsit, ut nemo vestrum frustra ingressus sit hoc acroaterion, ut exeat rursus cum Catone: Vacivas modo aurcis, mentem Veritati obnoxiam prebæte.

ERGO Imp. FRIDERICUS Cæs. nobis semper cum honoris præfatione nominandus, PP. AUG. Germano sanguine Illustrissimorum Sueviæ Ducum, eorum denique SICILIÆ Regum procreatus, cum natura & institutione præclara ad artes Togæ & Belli natus factusque toto Imperio Germano-Romano crederetur, cujus divinæ incredibilesque virtutes, indoles in primis Imperatoria, animus excelsissimus, studiumque Justitiæ universo orbi non urbi uni perspectum cognitumque esset; mortuo CONRADO III. Imp. ad Imperii Rom. fastigium legitima electione omnibus Imperii Proceribus συμφώνως adstipulantibus electus & evectus fuit, & id, Conradi Filio in electione præterito. Viderat humeris suis FRIDERICUS recens designatus consecratusque Imperator, incumbere sarcinam haut quaquam levem aut contemnendam. Itaque navam naviter navandam sibi operam putavit, ut labescentem Imperialem majestatem restauraret, atque ideo in ordinem redigerentur ii, qui mite jugum Cæsarum per Italiam excutere palmarium ducebant; e quibus Germaniæ vicinissimi, ad pedes Alpium incolentes, Veronenses, erant qui agnoscere fasces Imperatoris renuebant, foresque adventanti præfracte claudebant. Hos Fridericus vi parere coëgit subjugatos, senfereque primi iras vindictamque Cæsaream suo magno malo. Exin fuere Mediolanenses inter rebelles, quos reiterantes perduellionis crimen gravissime castigavit Fridericus, urbe eorum evastata, soloque sale consperso aratroque inducto, cum quidem cives palantes in vicinis locis hospitia quærerent, templis cætera aliisque locis sacris parceret pro pietate sua sacratissimus Cæsar.

Sensere porro & Derthonenses, Cremenses atque Spoletini, ac plures alii Italiæ populi urbesque ejusdem Cæsaris arma, sicque omnes officium facere coegit, cum sponte sua cristas submittere recusassent. Qui enim paulo post con-

conculcare se suamque majestatem pedibus æquo animo passus fuisset, qui sibi subjecerat Italiam universam victor, ac triumphator magnificentissimus ὁ ὄζος ἄρεος, flos & decus Martis FRIDERICUS invictissimus? Germanam virtutem ostendit, quid posset, Italis, Italiamque lascivientem sibique blandientem, capistro cohercuit. In Imperatores ab olim Lege Regia collata derivataque ac translata fuit omnis illa potestas, quam Rom. populus prisco ævo habuerat, a Cæsare Julio, Augustoque usque in Cæsares Germanos absoluta successione, idque ad usque Fridericum nostrum, & is transmisit in suos successores, qui eadem invictissimi animi virtute potestatem eam propugnare ac conservare debuerant.

Cæsar Fridericus dari sibi quod suum erat, DEO, quæ DEI sunt, ex ore SOTERIS, jure contra Romanos cives, Italiæque populos contumaces contendit. Et ut hoc (scopum unicum) adsequeretur, nullis lucubrationibus, nullis vigiliis, Herculanis laboribus nullis ac sudoribus pepercit. Quo jure optimo de Friderico usurpare fas erit, quod Aur. Prudentius de sui temporis Imperatore cecinit:

- Labor impiger, aspera Virtus,
Vis animi excellens, ardor, vigilantia, cura:
- Et durum tractandis robur in armis.

Et ut in nulla re quisquam ἀγχίνοιαν Cæsaris desideret, prudentiam inquio politicam sive civilem, caute omnia aggressus est. Ni pax consiliumque simul domi sit, foris nulla sunt arma, inutiliaque penitus, monet Romanæ scriptor Historiæ facile princeps, T. Livius. Hoc intellexit noster. In Germania itaque pacem fecit primum inter Henricum LEONEM Saxon. Ducem, & Henricum Austriacum, hostiliter invicem agentes. Fecit & pacem inter Suconem Canutum & Woldemarum Daniæ sive Cimbricæ regionis Reges, adeoque inter Danos, LUBECAMque florentissimam ac æterna laude dignissimam ad Balthici sinus littus sitam urbem amplissimam, quæ a retro tot seculis DECUS æternante cum Fama septentionalium urbium sustinuit fortissimis animis; Halcyonia Germaniæ a Friderico, ut dixi, reddita restitutaque ubi fuere, OENOTRIÆ pedem intulit sagatus. Octavianum quendam contra Alexandrum III. Senensem natione, quem exauctoraverat, Pontificem Rom. nominarat Fridericus, cujus erat dare Urbi præsulem. At quid fit? Postquam Fridericum auspiciis omnibusque felicissimis in Italiam venisse cum copiis instructissimis Alex. III. audiisset, saluti consulens suæ Urbe profugit. Beneficium fugæ non paucis saluberrimum pharmacum exstitit sæpissime. Hoc capiebat & sapiebat Alex. Senensis, conscius ipse sibi, vimque majorem metuens, & quia sine suffragio Cæsaris sedem equidem tenere voluerat Romanam, nec tamen poterat, omnium maxime tutum securumque petebat asylon. Populus vero Rom. solemnia insaniens, καὶ πρὸς κέντρα λακτίζων, eo delapsus est, ut legatione ad Cæsarem missa, ei leges præfigere adventus ad Urbem auderet. Non idoneum erat id tempus Cæsarem proritandi victricibus aquilis Italiam subigentem. Conditiones (historiæ nucleum refero) non nisi cum ingenti dedecore Cæsaris gloriæ vindicis Imperatoriæ conjunctæ fuerant, quas Legati proposuerant: Voluere, Cæsarem Populo Rom. auri magnam vim dependere, privilegia, immunitates omnes ac singulas confirmare, & idiographo corroborate, quæ unquam adepti essent cives Rom. uno verbo, ut essent ἀνυπεύθυνοι, ἀλόγιστοι, αὐτοκαίσαρες. Quid ad hanc Legationem Cæsar responderit, operæ pretium fuerit audire, & fortiusne

prudentiusve repulerit impudentissimas Legatorum conditiones, oratione divinum quiddam spirante Cæsar, addubito. Populi Romani typhum urbanatim ac rusticatim tetigit. In pauca contraham: Cæsaris, ajebat, esse, leges dare civibus Romanis, ab iisdem accipere Censum. Redeunt illi ad suos dedolati probe. Cæsar supervenit imprudentibus Romanis, suburbio, (Neronis Urbem vocarunt) Vaticano armis occupato: Castigatis Romanis discessit: Hæc dum aguntur, Alexander post longas variasque oberrationes (alterum æmulans Ithacensem) Venetias dissimulata venit persona, ibidemque plebeii sacerdotis habitu incedit, donec indicio facto a Petro Ciano Venetiarum duce agnosceretur exciperetur que, ignotus huc usque hospes Romanæ sedis præsul. Ita uno ore Sabellicus, Platina: illis antiquiores Radevicus & qui Radevicum supplevit, nec diffitentur recentiores, neque aliter recitat Cæsar Baronius Soranus, Cardinalis. Nec lis est, neque quisquam aliter rem habere pronunciavit. Cæsar durante schismate Ticinum Insubrum, hodie Acad. & Francisci Gall. Regis I. captura, olim sede Regum Gothorum, nobilissimam urbem, Papam Alexan. III. citatione emanata evocarat, ut de causa Antipaparum cognosceret, at non comparuit Alexander. Itaque FRIDERICUS ex auctoritate sua esse non obscure vidit, copiam sibi fieri darique Papæ profugi, eum denique in potestatem redigere discupiebat. In hoc ipsum Cæsar Parens Otthonem, natum, cum classe instructissima Venetias oppugnatum (ubi latitare norat Alexandrum) Ravenna mittit, verum ea lege, ne se nescio inconsultove cum Venetis Marte periclitaretur, pugnamve iniret. Ea lex & a Manlio Torquato patre quondam præscripta erat filio, sed ut iste minus audientem dicto se præbuerat, & ideo capite luerat, sic Ottho, oblivionem mandati paterni, nepenthe gustato, sibi induci passus, juvenis ut assolet, præfervido ingenio, Gloriæque quam cupidissimus & tantum non triumphans πρὸ νίκης temerario ausu conflixit adversis satis ventisque. Inductus eo facillime, quod longe majore triremium numero Cianum vinceret, in multitudine navium certam victoræ spem ponens. Infestis itaque mari Adriatico concursum hinc inde animis, velis remisque. Mon longa mora est. Rei navalis peritissimus, arte agilitateque supplens quod deesset viribus ac numero navium, post acrem pugnam mari victor evadit Petrus, profligata Classis Otthonis, Ottho captivus in potestatem devenit Veneti ducis. Rem non solum male filius gessit, verum etiam Patrem Imperatorem ingentissimum in animi dolorem conjecit. Venetias deductus, per triumphum, ibi Alexandrum Ottho salutat, attamen βασιλικῶς ac liberaliter habitus (quod ab Alexandro Macedone magnus Persarum Rex captus, petiisse quondam fertur, ad Arbela) a Venetis Ottho, cum Alexandro hospite exule, captivus commodum contrahit amicitiam. Filium clariss. ac dulciss. in potestate hostium diu esse, ὁ φιλοστοργότατος genitor ægerrime ferebat, at liberandi ejus rationes vix ullas sibi superesse videbat. Quid igitur fit? ἀπροσδόκητον audietis, AUDITORES præstantissimi casum. Sic enim Tragico comœdiis ὡς τὸ πλεῖον transigitur vita mortalium, fitque sæpe sæpius, quod non speremus, nec cogitemus, non certe somniemus. Itaque totus animi anxius Pater insomneis egerat noctes, desiderio insolabili ardens absentis nati; Classis jacturam parum moratus, de recuperando filio volvebat consilia perdius & pernox. Sunt enim liberi pars viscerum, sunt pars animæ parentum, quibus omnia posthabent vel exemplo sit Jessæus qui Abissalonem natum perduellionis licet reum, cæsum indoluit animitus cum ejulatu. Cæsennæ seu Ravennæ Cæsar agebat, cum ecce Cianius senatusque Venetus id consilii tractant, conscio Alexandro, hancque viam ineunt. A Venetis Ottho ad Fridericum Patrem ea lege, pacto convento atque omine, ut peracta Legatione (sive exoraret Patrem, seu minus) Venetias denuo rediret, (non aliter atque M. Attilius Regulus Karthagine olim Romam missus, ut Pœnos liberaret captivos) cum fidis homi-

hominibus ablegatus fuit. Is ubi in conspectum Parentis, nati reditum omnibus votis liberationemque a nexu, quo Veneris obstrictus fuerat, discupientis, venerat, postquam osculis a Patre nec sine lacrumis exceptus esset, filius Ottho causam orat, quid venerit exponit, qua lege dimitti possit, patri enunciat: Exorat denique Cæsarem, uti Venetias se conferat, Papam Alexandrum Urbis Romæ Antistitem legitimum agnoscat, Rom. Ecclesiæ restituat, & pro tanto hoc beneficio, se filium libertati plenariæ restitutum recipiat. Dictum, factum. Navim conscendit Fridericus cum natu ocyus, appellit Venetiis, honoris causa obviam itur Imperatori, & quo decet apparatu pompaque a Duce ac Senatu excipitur. Cæsar Alexandrum per occasionem ad colloquium admittir, dextram porrigit, paaem facit, conditionem probans. Horrida tempestas momento velut uno conticescit: sic iras demittit Cæsar gravissimas oculi nictu, Pace facta, colloquentes post mutuum publico loco spectaculum amœnissimum Senatui Populoque Veneto præbuere Fridericus & Alexander. Uterque Venetiis discessit, suam repetiit Ecclesiam lætabundus Cæsari reconciliatus Papa; & Cæsar quo voluit, perrexit. Hæc ita peracta fuisse, produnt ἀναμφισβήτως Historici, at quod jam referam, monstri habet instar, commentum est putidum ac putridum. Male feriati homines addidere ex suo cerebro, Collo Cæsaris pedem imposuisse Alexandrum in æde D. Marci, & calcasse, super indicto τοῦ ἱεροψάλτου versiculo ex Oda XCI. SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULABIS, regessisse Cæsarem: NON TIBI, SED PETRO. Papam retorsisse: ET MIHI ET PETRO.

In controversiam venit, vere ne hoc factum & dialogismus hic contigerit? Dignus est vindice nodus. Rem gestam omnia personant compita. AT, rem secus habere tam diu pertendo, dum sole meridiano clarioribus probationibus, indubitatis Historicorum συγχρόνων monumentis demonstretur, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Prima autem acie phalangem invictam oppono assertoribus Fabulæ, longissimum & simul altissimum silentium Historicorum omnium, qui Friderici tempora attigerunt & post trecentis annis secuti sunt, quos nullus nec μῦ neque γρῦ hoc de negotio memorabili. Tacere hanc rem dico Otthonem Fruxinensem Episcopum, Fridericum, Radevici supplementi auctorem, Guntherum, Tagenonem, & Romualdum Salernitanum mystarcham, cujus postremum a me nominati commentariorum historicorum duo exemplaria manu scripta diversa se vidisse attestatur Baronius; qui neque Rogerium, scriptorem Anglum, coævum Friderico, tale quid habere affirmat. Silet Francisc. Petrarcha factum: Silet Nicetas Choniates, qui de Friderico multa; neque silentio involvisset, si quid ei horum innotuisset. Diligenter & ex fide historica, quos nominavi, auctores vitam, mores, expeditiones, itinera, eventus, mortemque FRIDERICI Cæs. tradidere.

Et non apparere addo legitimam causam, cur tacuerint, cur os sibi obstrui passi sint in tanti ponderis facto, quod inhumanitate, impietate, tyrannide, plusquam barbarica scateret, quomodo enim in Dominum Cæsarem insurrexisset servus? Omnis anima subjecta esto Potestatibus, ait sacer codex. Ista non ejus generis sunt, quæ cælari poterant, sed ad memoriam posteritatis consecrari omnimodis debebant. Revera boni & fidi est Historici facta omnia, quibus inest momentum, in lucem proferre: Judicium Posteritati relinquere: nil comminisci: nil supprimere, virtutes æque ac vitia referre, liberrime, quorum vitas describit. Sic Moses, liber Josuæ, libri Samuelis & Regum, sic Josephus, Eu-

sebius, Socrates, Sozomenus, Zonaras; sic Herodotus, Thucydides, Polybius, Dion Coccejus; sic Livius, Tacitus, Suetonius, Vopiscus, Herodianus, & singillatim observavit Marcellinus ille Ammianus; cæteri, ne pertexam historicorum catalogum. Observarunt idem Phil. Cominæus, Francisc. Guicciardinus Jo. Sleidanus, Jac. August. Thuanus. Sed ad propositum ex hoc diverticulo ut redeam, cum sileat Platina, non hoc supplevit Onuphr. Pamvinius Veronens. Silent supplementa Historiæ Cæsareæ ævi posterioris. Silent duo Chronica Misnensia, vetustissima a Georgio Fabricio edita, fide candida, quorum quod Suffridi est, Dieterici, sive Theodorici Marchionis, (qui Papæ se opposuisse cum pedem collo Cæsaris imponeret, fertur) mentionem facit, at facti hujus nusquam meminit. Et habuisset occasionem Suffridus laudibus Theodoricum efferendi, si se Papæ in Cæsaris gratiam adversarium & Domini πρόμαχον præstitisset. Incidit vero congressus Pacificatorius inter Alexandrum III. PP. R. & Fridericum nostrum Ahenobarbam in SALUTIS annum clↃ. C. LXXVII. a quo tempore, usque ad Angelum Politianum, gratulantem Alexandro VI. Papæ Sabellicum & Nauclerum, quod sciam, nemo commemorat facinus hoc atrocissimum. Verum enim vero, unde expiscati sint illi tres scriptores, dicere non habeo: hoc magis est ut dicam, ovium in morem secutos posteriores antecedentium male exceptam, pejus sparsam, pessime creditam opinionem seu commentum, & auxisse. Coævi, diversis locis vixere tres coryphæi isti; nullum tamen idoneum laudant scriptorem, qui fidem mereatur, quove suis concilient dictis. Sabellicum Anno DN. clↃ IↃ VI. Romæ ad plureis abiisse prodit Petrus Card. Bembus lib. VII. Histor. Venet. cui succinit Paulus Jovius in Elogiis. Ex fama, quæ tam falsi quam veri nuncia imo ex antro Trophonii prodiit & ortum habet fabula: eodem remittenda ablegandaque est. Arripuere alii, quos si enumerem, diem perdam. Nam si quærat quis, unde Sabellicus in Decadibus relatum hoc somnium habeat, præmunivit Catus homo se adversus hoc telum, & lib. VII. ait: Addunt QUIDAM Pontificem collo Cæsaris prostrati pedem imposuisse, cæpisseque interim Davidicum illud canere: SUPER ASPIDEM & Basiliscum ambulabis. Notum est carmen. Tunc Fridericum ingentes alentem spiritus dixisse: Non tibi, sed Petro, cui Alexander irato similis impressa fortius planta: Et mihi & Petro, respondérit. Ferunt Dominicæ Ascensionis die id factum. Hactenus verba Sabellici. AUDIISTIS, Auditores spectatissimi, Sabellicum dicere: ADDUNT QUIDAM. Audite jam & Paulum Jovium trepidantem (in ELOGIO Friderici, quod ante hos XXX. annos præter propter notis notavit & obelis merito confixit CONR. Rittershusius JC. & polypistor, ὁ μακαρίτης, hujus Academiæ φωςὴρ dum vitali vescebatur aura) audite, inquam Jovium: TRADUNT, ait, QUIDAM. Uterque ergo culpam mendacii, si id pelluceat, in anonymos bello strata gemate rejecit. Cur enim auctores suos non laudarunt? cur nomina non expressere? Dicant adhuc, quinam sint illi QUIDAM, si possunt. Dicant illorum loco alii, qui hac suos pascunt animos fabula. Non poterunt, opinor. Neuter ergo sibi fidem haberi voluit hac narratiuncula putida, dum testes nullos nominant, neque sua fide dictum scriptum volunt. Nos testes αὐτόπτας, qui memoriæ hoc reliquerint, omni majores exceptione expetiscimus, exposcimus, efflagitamus, ni fecerint, Thomæ sumus. Quæ vero in talibus requirantur Testibus, explicant nostri Jureconsulti (& post omnes Prosper Farinacius) fusissime. TESTIBUS se, non testimoniis, crediturum Divus Hadrianus Junio Rufino Proconsuli Macedoniæ rescripsit. In nostra autem causa quia Testes antiqui, de re & facto ante quatuor secula desunt, recentiorum vacillat testium auctoritas, nullaque est probatio, nulla fides. Fortean ex angulo prodeat aliquis, qui occinat, verecundia factum esse nimia, ut scriptores ὁμόληκες Friderico pudendum hoc facinus de industriæ

dustria omiserint, neque posteris tradiderint. Cui hoc responsum esto: Publicè in Marciana æde perpetratum dici, ideoque cælari non potuisse, atque Venetiis, ut ut Itali suppressum cupierint, Græcorum est templum & satis magna frequentia gentis Latinorum æmulæ, (hodie ad sex millia animarum Venetiis esse à mercatore Græco, cum in id inquirerem, ante XL annos Venetiis accepi) quorum Græcorum unus vel alter vidisset Papam calcare armos AUGUSTI, ex his præsules Græcorum intellexissent, qui factum, ut Pontificibus ægre facerent, invulgassent, & typhum Romani antistitis ex hoc facinore ad orbis fines traduxissent. At nihil apud Græcæ Ecclesiæ scriptores historicosque quod sciam tale videre aut me legere memini.

Neque vero stolidius quidquam facere potuisset Alexander, tanto opere Ducis & Senatus Veneti intercessione Cæsari reconciliatus, quam offendere tam enormiter amicum & Dominum urbis sibi recens factum. Metuisse debuit ac potuit longè graviores Imperatoris iras ex post facto furas, pœnasque sibi luendas videbat præ oculis. Omnium autem maximè facit pro mea sententia sæculi illius conditio, quæ nil tale ferre potuit. Roma enim Urbs Cæsaribus paruerat, non Papis: nulla fuit Constantini M. donatio, quæ tota ementita, nusquam cohærentibus temporis loci personarum circumstantiis. Nondum sublimis ad adorationem ferebatur succollantibus Helvetiis stipatoribus pompa Persica Romanus præsul, tricoronatum caput. Nondum servi servorum fuerant domini dominorum. Unde obsecro vos Auditores, fieri poterat, ut tantam insaniam insaniret, & eo superbia sese efferret Alexander? Confirmabant Papas Cæsares constituebantque. Addo & infero, quo animi invicti robore ac sublimitate fuit Barbarossa, qui tantam sibi injuriam inferri passus fuisset, aut ad eam connivisset oculis? secum habebat comitatum amplum, neque enim solus venit Venetias. Et ipsus Venetorum Dux Senatusque non tulisset, neque inultam sivisset hanc facti atrocitatem, eo quod Cæsarem venerarentur. Quin Cæsar, qua membrorum erat firmitate pedibus Papam si attentasset, aut digitulo attigisset Fridericum, subjecisset suis ac proculcasset: Ecquis id prohibuisset? Quare, ut me tandem recolligam, λῆρος λογος est, explodendus & exsibilandus à viris eruditis. Quod ne quidem speciem veri similitudinis habet, quin falsum sit, vetus Jurisconf. dixit, & nos nemo vetabit dixisse. Suboluit hoc ipsum ante me, quem superius laudavi, D. Cunrado Rittershusio, qui contra Jovium, sed paucis innuit se idem sentire. Fors & Aventino idem animus fuit. Sed ex professo neuter pertractavit, donec Liberius Cæsar Card. Baronius Annal. Ecclesiast. XII. tmematibus LXXXV. ac sequentibus sub Anno CHRISTI JESU MDCLXXVII. mendacii arguit eos, qui Alexandrum ausi fuerant asserere collum calcasse Cæsaris, qui quidem Baronius adiri potest, cum ignoratum facinus hoc CCC annis ait. Interea vero ἐν παρόδῳ observatu dignum est eodem ariete, eadem catapulta Cubiculum Lauretanum conquassari & funditus exstirpari evertique, contra Bapt. Mantuanum, Horat. Turcellinum, & reliquum vulgus scriptorum, qui ex bubulci visione recenti admodum exædificarunt lucrosissimum illud sacrarium nullo adstipulante Historico, qui tot sæculis vixere, corruet, corruet hæc turricula Babylonica. Sed abstineo manum; fecit Ludovicus Vergerius, cujus Refutatio latino & vernaculo sermone exstat, quo hujus rei avidos lectores remitto. Satis, satis esto in præsentiarum, a Friderico Cæsare invictissimo invictis argumentorum armis me tantam plagam avertisse, tam insignem à capite Herois injuriam me depulisse, quæ ad totam nationem Germanicam redundasset. Non laborabo amplius in expugnando commento, quod semet ipsum confutat. Neque vero movet me Franc. Sansovini nota in Descriptione Urbis Venetiarum, qui Lapidis meminit,

minit, supra quem Fridericus collum premendum præbuerit Papæ, eumque lapidem in id monstrari asserit. Sane Sansevinus tantum à vulgo habet quod attulit: at quis versiculum ignorat? Pictoribus atque Poëtis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Non demonstrat ad oculum factum Sansovinus, quod διαρρήδην negatur. Lapis nil tale loquitur, nil tale habet, unde colligere quis necessario possit factum ante tot annos, (448) quod factum non est. Vixit Sansovinus ante hos XL. annos, cum Venetiis agerem.

Sufficere hæc vobis poterant, aut toto fallor cœlo, AUDITORES florentiss. & jam nimium abusus benignitate vestra videbor. Cæterum ob connexitatem causæ affinitatemque materiæ, quod Juris consulti practici amant loqui, adtexenda est ἀναγκαίη fabulæ alterius hinc dependentis, quæ crassissimo filo & stilo à nescio quo scriptore contexta, & orbi incauto, nimisque ad fidem habendam prono proclivique propinata præbibitaque est. Plus jucunditatis habebit forsan, quam putetis, hæc res quam adgredior: ea paucis defungi me clepsydræ lapsus jubet; Prolixitatem præcidam omnem. Attendite modo, operæ pretium facietis, ita aio.

Johan. Baleus Britannus ex aliis refert (sed quibus?) Fridericum Imperatorem expeditionem Asiaticam religionis ergo suscepisse, idque cum exemplo tum decreto concilii Claræmontani, celebrati in Arvernis Anno DOM. MXCV. fecisse constat. Concilium imperavit Christiani orbis Regibus recuperationem Palæstinæ, ut uno falce dicam. Hinc Dux celeberrimus Bullionæus ille Godefridus, hinc Ludovicus Sanctus Rex Francorum, tot Principes, Comites, Proceres in viam se patrimonis obligatis nexu mutuorum dabant, ac Zelo ardenti res agebatur id ævi, ut nimirum Saracenis eriperetur terra, quam vocant, sancta, Hierosolyma parerent Christiano nomini. Motus ergo illustriss. Heroum exemplo, ut innui, exercitum copiosum instruit Fridericus, periculis posthabitis quæ incurrit, neglecto lare, regia spreta, Conjuge dulcissima, provinciis amplissimis pro derelictis habitis, (tantum potuit RELIGIO!) In viam antequam se daret, Ratisponæ (Augustam Tiberii antiqua appellatione vocitamus) celebravit Comitia, quibus res Imperii Rom. disposuit, Vicarium constituit, & domesticis prospexit negotiis. Peractis his Istro Imperator descendit secundo, Comites autem itineris quos qualesque sibi adsciverit, Tageno superius dictus scriptor, peculiari apospasmatio historico exposuit, quod ante hos C. ann. Aventinus publici fecit juris. Eo opusculo (quod Ephemeridum loco nobis est totius militiæ sacræ Friderici, quam DOMINI anno MCLXXXIX. V. Eid. April. suscepit, & quidem, ut innui, Ratispona movit) recenset Tageno casus omnes, qui eunti Cæsari illustrissimisque Ductoribus belli, militibusque adciderant, dum per Pannonias, Bulgariam, Serviam contendunt. Venit Imperator hinc ad loca angæsta, ubi plurimum periculorum sustinuit. Pervasit autem ac perrupit viarum difficultates, insidiasque Cæsar DUCE DEO, comite virtute. Abiit annus & jam adultum ver erat anni MCLXXXX. cum Iconium post mille discrimina sudoresque exantlatos pertigit, extremam sæpe famem, sitimque pertulit Imperator, quod τὰ βιωτικὰ deessent iter facienti cum exercitu, per loca deserta, neque Græci Constantinopolitani promissum tempori advexissent commeatum. Iconium devenit, inquam, FRIDERICUS, exhaustus viribus, & labore viæ nimium defatigatus, Eidibus Mais, ubi occurrit Friderico Meloh Sultani Satrapes, qui conditiones pacis simulato deferebat animo, quibus tutum concederet transitum Cæsari. At quod fraudulenter ac dolose secum agi animadverteret Imperator sagacissimus, frangi nescia virtute contra agendum ratus, armata manu Saladini exercitum numerosissimum (VIC cIɔ armatorum

armatorum constantem, ita Tageno prodit) adoritur, cum prius totum exercitum in aciem redegisset, his fere verbis affatus: Cum nos, commilitones optumi, fortissimique viri, nos urgeat pugnare necessitas extrema, quid moramur? quid tristes sumus? Pugnemus, simul in cælos animis & oculis elevatis: CHRISTUS vincit, CHRISTUS regnat, CHRISTUS imperat, altissima voce inclamat. Hac animi pietate & nobilitate major hercle nulla ratione minor fortissimo Maccabæo FRIDERICUS agitabat. Cæsar primus in gyrum verso equo, omnibus audacter subsequentibus in hostem ut leo imperterritus irruit densissimum; nec mora, vim experti Saladiniani terga obvertunt, neque unus (fide Tegenonis iterum, qui interfuit, refero) contra manum levat. Decem fere clɔ hostes amiserunt, fuga diffugientibus reliquis: Et nisi debilitas militum nostrorum (ait idem Tageno) obstitisset, castrum, quod supra urbem, ea nocte fuisset expugnatum. Milites enim nostri per quadraginta dies incredibili atque inaudita laborarunt inedia. Post hanc gloriosam sane victoriam Imperator cum exercitu civitatem ingreditur, magnifice a filio Otthone & sociis excipitur, sequenti die XIV. Kal. Juni gratias egimus DEO. Soldanus & filii ejus, licet castrum fortissimum tenerent, mittunt supplices legatos, pacem petentes, & mulctam quam Imperator peteret, se soluturos offerunt. Verum perrexit Fridericus, & X. Kl. Jun. Iconio quæ caput Lyacaoniæ, exit exercitus, donec post varios casus & tot pericula Seleuciæ in campis IV. Eid. Juni castra metatus est magna lætitia; sed gaudium hoc tristitia commutatum fuit. OBIT enim vesperi nemine id exspectante vel cogitante, illo ipso die Imperator numquam satis laudandus, cujus virtuti hactenus cesserant omnia. Genus lethi non suggerit Tageno, quod mirari subit. Submersum Cæsarem Choniates Nicetas indicat, & differunt tantum scriptores, dum alius equi dorso insidentem, flumen (non Cydnum, Ciliciæ, qui absorpsit Alexandrum M.) sed Ferreum dictum, tranare volentem: alii lavantem in flumine periisse ajunt. Utique vortice absumptus est fortissimus Heros. Sat est hoc certo & tanquam exploratum nos scire. Obiit & abiit eheu! longissima atque immortali vita dignissimus Princeps, namque mundus indignus fuit, qui tali gauderet Cæsare. XI. Kal. Quinct. exercitus incolumis Antiochiam ingressus est, ubi OSSA FRIDERICI Imper. humata sunt a filio in templo ibidem. Hæc ex Tagenone fide optuma, teste oculato, & qui oculatus testis præsens rebus adfuit. Habemus annum, diem, locum, mortis genus, nullus hic scrupulus, liquida, certa, conspicua, illustria singula. Exequias Patri filius ivit, ivit exercitus totus ingemiscens, & in veras solutus lacrumas: locum τοῦ ἐνταφιασμοῦ designatum novimus. Quid ergo in mentem venisse Balco, vel potius illi, ex quo hausit Baleus nimis nimium credulus, dicemus, qui non flumine haustum Fridericum, sed lavare instituentem in fluvio a nescio quibus a Soldano submissis subornatisque plagiariis, qui eum ex icone ab Alexandro Papa submissa noverit, insidias struentibus Cæsari incauto interceptum subitoque abductum ad Soldani arcem refert: blandeque collocutos Cæsarem & Soldanum & virtutis ac humanitatis Friderici admiratio, ne existimulatum barbarum, liberum Centum millium ducatorum lytro persolvendo dimisisse ea conditione, uti Sacellanus interea temporis obsidis loco, donec dependeretur aurum, apud Soldanum attineretur: Fridericum vero recta in Italiam, ipsamque Brixiam in subalpina regione remisisse. Hic quærat quis, unde Alexandro cum Soldano noticia tanta intercesserit? Unde sciverit Suldanus loturum Fridericum? quæ colloquia habuerint; & qui factum ut tam exiguo lytro liberum voluerit dimittere Romanum Imperatorem, & quæ causa fuerit, ut Sacellanum vilem animam obsidis loco acceperit? qua via Brixiam nullibi petito impetratove commeatu venerit Imperator? quid Brixiæ post suum adventum egerit? quorsum postea Cæsar abieret, quam diu supervixerit, quid rerum

rerum gesserit? num non suam Augustam domum repetierit, patriamque communem Germaniam? ubi tandem in fata concesserit? ubi locorum magnæ matri commendatus sit, ejusque cineres nunc asserventur? Atqui fatis functum ex Tagenone satis ostendi, idoneo teste: Dicat nunc nobis Baleus, num mortuus iter fecerit Fridericus ex Asia in Italiam? quando centena millia ducatorum solverit? & obsidem liberarit? ἄπαντα omnia. Tagenoni convenienter. Nicetas lib. secundo de Reb. gestis Isaaci Angeli Imper. Constant. circa finem prodidit quod res est; Elogium addens splendidum ac prolixum, quod in pauca contraham, Principibus optimis nos Fridericum si non anteferre, certe conferre debere; qui delicias CHRISTI desiderio flagrans insuper habuerit, procul a regia, a conjuge, procul ab avitis provinciis amplissimis & regnis, cum Christianis & pro Christianis Palæstinæ (quam non attigerit) ærumnas tolerarit, non deterritus longinquitate itineris difficillimi, non periculis a populis infectis, non defectu aquæ, non pane emptitio & alicubi insidioso: (Græca verba sunt, ἄρτος μετρητὸς ὠνητὸς καὶ διπίβουλος) & quæ sequuntur. Res vero ita habet. Saladinus CHRISTI hostis VI cIɔ modiorum farinæ intoxicatæ, & vas maximum vini intoxicati miserat Græcorum Imperatori, quæ postea Friderico Græcorum Imperator submisit in castra. Idem Græcorum Imper. Hierosolymis Friderico triticum transportari non permisit. Accidit denique a pugna illa a Friderico Imper. pugnata, ut Alemannus quidam miles castra Cæsaris tardius subsecutus incederet, quem sagittis ad L. Persar. sive Arabum petietint: Is vero Germanus clypeo & thorace bene munitus, fortissimum ex illis adortus, quem gladio suo medium cum equo secuit. Tanti roboris homo erat. RECEPTUI, cum ita monet tempus, cano Auditores, & uno verbo me absolvo: Fabellas istas, de calcato Cæsare, eodemque intercepto, dein libero dimisso, relinquite, ex animis ejicite, nugis, gerris siculis, apinis libellum repudii mittite, veritatem in omnibus amplectimini; quam ipsam, & Pacem amare nos sanctissimus Vates Zarachias jubet. Veritati post habeamus humanam auctoritatem quantacunque illa sit, & Veritatis πρόμαχοι τὸ στέφανον ἀμαράντινον reportabimus. Si quis tamen his quæ in medium attuli, certiora verioraque habuerit, candidus impertiatur, sin minus, mecum istis fruatur, Horatio monitore, Pane invento, glandes cum siliquis porcis relinquamus, ni tamen vestrûm alicui pepo pro corde, fungus pro cerebro sit: quod factum nolim.



DISSER-

DISSERTATIO XXVI.

REFUTATIO ARGUMENTORUM

CARDINALIS BARONII OMNIBUS HISTORICIS MENDACII DICAM SCRIBENTIS, *ALEXANDRUM III.* *PEDIBUS CALCASSE COLLUM IMPERATORIS FRIDERICI PRIMI.*

MAgnus ille Annalium Ecclesiasticorum conditor, Nerei discipulus, CÆSAR BARONIUS, mendacii damnare ausus est, quod in Historia Alexandri III. Pontificis Romani memoratur, ipsum Venetiis Imperatoris Friderici collum pedibus suis supposuisse, ut vel hoc nomine Isaacus Casaubonus, vir eruditissimns, in Præfatione Exercitationum suarum merito in querulam hanc erumpat vocem: *Dolendum est, virum sui seculi facile primarium, in opere tam nobili, communi hodie multorum vitio, partium studio, ita licenter indulsisse, ut cujus πολυαναγνωσίαν, πολυμάθειαν, atque industriam neque mirari, neque prædicare satis possumus, ejus fidem innumeris in locis vel inviti cogamur desiderare.* Historiæ series integra sic habet. Alexander III. metuens sibi ab Imperatoris Friderici I. (a barba ruffa Barbarossæ ab Italis cognominati) iterato in Italiam adventu, Anno Christi 1177. noctu aufugit Cajetam, deinde Beneventum, postremo in coqui sui habitu Venetias venit, ubi in Monasterio delitescens, post aliquot menses agnitus, senatu habito, Ducis Sebestiani jussu, maximo honore exceptus, Pontificali pompa in templum D. Marci deducitur. Imperator, audiens Papam Venetiis esse, postulat a Venetis, ut hostem suum, hominem Reipublicæ perniciosum, sibi tradant. Quibus negantibus, Ottonem filium cum armata classe immittit, cui tamen mandavit, ne quidquam armis pertentaret, priusquam ipse cum reliquo exercitu præsens esset. Otto vero, juvenis Princeps gloriæque cupidus, neglecto Patris mandato, cum Venetis congreditur, victus capitur, vinculisque inclusus Venetias deducitur. Inde Alexandro Pontifici crevere spiritus, ut pacem cum Friderico inire nollet, nisi prius Venetias Imperator veniret, accepturus præscriptas pacis conditiones. Pater malæ fortunæ filii consulturus, pollicetur, se statuto tempore venturum. Dies dicta est, aderat Imperator, conveniunt de pacis conditionibus. Papa vero non prius absolvit Imperatorem a banno, quo constrictus erat, quam templum D. Marci accesserit, quo cum ventum esset, astante universo populo, Alexander mandat Imperatori, humi ut se prosternat, & veniam petat. Imperator jussa facit. Tum vero Alexander prostrati Imperatoris collo pedem imponens, dicit: *Scriptum est, super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & Draconem.* Princeps indigne ferens hanc contumeliam, respondet: *Non tibi, sed Petro.* At Papa rursus deprimens collum Principis, & *mibi,* inquit, & *Petro.* Cæsar metuens aliquid subesse periculi, obmutuit, sicque tandem est absolutus, & concordia redintegrata.

Antichristianum huncce Alexandri fastum graviter perstringunt non solum Historici & Politici, utpote *Udalricus ab* Hutten/ Eques Francus im Be-

richt/ wie die Päbste mit den Kaysern gehandelt lit. A. 111. *Simon Schardius* JCtus in lib. de perfidia Paparum erga Imperatores in Histor. Friderici I. *Philippus Melanchthon* in Chron. Carionis lib. 4. fol. 12. ubi addit, *Marchionem Misniæ Ditrichum accurrisse ac Imperatorem humi jacentem erexisse; Martinus Crusius* in Annal. Suevicis lib. 1. part. 2. pag. 462. *Johannes Funccius* in Chronol. Comment. Ann. 1176. *Spangenbergius* in Chronic. cap. 229. in Historia Anni 1177. *Pantaleon* part. 2. libri Heroum fol. 267. *Dresserus* Millen. 6. fol. 362. *Osiander* Cent. 12. lib. 3. cap. 1. pag. 278. & alii complures, sed etiam *Jacobus Angliæ Rex* in Confut. Torti fol. penult. & in Tortura Torti pag. 263. *B. Lutherus* in Præfatione libelii, cujus titulus, Pabsttreu Adriani IV. und Alexandri III. gegen Kayser Friederich Barbarossa geübet. edit. An. 1545. quæ extat Tom. 8. Jen. Germ. f. 230. ac Theologi ad unum omnes, quotquot Papam Romanum esse Antichristum demonstrare sunt conati. Illud enim ut probatum dent, ejusmodi formant Syllogismum: Cui omnes ac singulæ notæ competunt, quas Daniel Propheta, Paulus & Johannes Apostoli Antichristo ἰδικῶς sic dicto tribuunt, ille est Antichristus ἰδικῶς sic dictus. Atqui Pontifici Romano post tempora Gregorii VII. Hildebrandi dicti, omnes ac singulæ notæ competunt, quas Daniel Propheta, Paulus & Johannes Apostoli Antichristo ἰδικῶς sic dicto tribuunt. Ergo &c. Assumtum probant enumeratione omnium ac singularum notarum in scriptis Propheticis & Apostolicis propositarum &c. Inter alia exempla adducunt Historiam Friderici Imperatoris, cujus collo Rom. Pontifex Alexander III. pedem imposuerit, eandemque idoneis Historicorum testimoniis confirmant.

Sed omnibus illis Historicis, Politicis, Theologis mendacii dicam scribere ausus fuit Cardinalis Baronius. Postquam enim ex Actis, nescio quibus, Manuscriptis in Vaticana Bibliotheca asservatis, Historiam Alexandri Pontificis Fridericum Imperatorem in gratiam recipientis exposuerat, subjungit Tom. 12. Annal. Anno Christi 1177. n. 85. *His igitur, tanquam ad Lydium lapidem admotis, cuncta eodem argumento conscripta, vel picturis expressa, vel cujusvis generis monumentis signata, quæ noveris ab iis discrepare, redargue.* num. 86. *Quorum illud cæteris magis indecorum, quo asseritur factum illud arrogans & penitus insuetum; & quod humiliatum ad pedes Pontificis caput Imperatoris pede ipse presserit atque insultaverit, verbis illis ex Psalmo petitis: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem, & quod læsus Imperator in ipsum illud intorserit, Non tibi, sed Petro; cui responderit Alexander arrogantius dictum hujusmodi: et mibi, & Petro. Abhorrens est quidem a tanti Christi Vicarii mansuetudine turgens fastu facinus, penitusque alienum ab ipsius moribus tot actionibus probe notis. Quantæ enim fuerit animi demissionis & moderationis, benignitatis, lenitatis, paternæque caritatis ad alliciendos ad pænitentiam peccatores, ad curandos ipsos pænitentes, omni genere obsequii & indulgentiæ, cum facile fit ex scriptis & factis illius elicere, asserere & confirmare, notius plane & evidentius fit ex eo, quod Callistum Pseudopapam, pestem Ecclesiæ, ad se venientem pænitentem recepit.* num. 87. *Si quid enim hujusmodi per Alexandrum Papam fieri contigisset, quomodo referre prætermisissent scriptores illi, qui minima quaque prosecuti sunt, quippe qui præsentes cum essent, ea cuncta singulaque summa diligentia scriptis prodidere? Quomodo rem tantam sui magnitudine mirandam, novitate singularem, indecentia monstruosam, etsi non ab aliis, certe æmulorum adversariorum tubis perstrepentibus pervulgandam, reliquisse potuere silentio penitus obvolutam, ut quasi ex condicto nullus eorum scriptorum, reliqua cuncta scribentium, de his verbulum fecerit? Tu vero, prudens Lector, qui satis vidisti, quanto cum labore, industria, arte, patientia cum prudentia tot annis in hoc ipsum labora-*

laboraverit Alexander, ut vel aliquod saltem leve pœnitentiæ signum extorqueret ab obstantissimo persecutore, quomodo in animum induces, ut credas, jam ipsum ad hoc tanto labore inductum Imperatorem atque suasum eo modo exasperatum factis & dictis inurbanis, insuetis, duris, asperis per Pontificem exacerbatum, ut quantum in ipso fuit, eum a pœnitentiæ remedio procul abigeret, quem jam absolutum recepisset in Ecclesia pœnitentem? Stet igitur ipsa Historia candore suo nitens, atque sinceritate & veritate ex testificatione eorum, qui interfuerunt, constans, & firma in omnibus comprobata. Hactenus Baronius, qui in margine annotat: *Mendacissima de Alexandri fastu asserta convincuntur.*

Urget ergo contra Historiæ veritatem. *Primo*, quod testes αὐτόπ]αι, videlicet Autor Actorum MStorum Alexandri, ut & Romualdus Archiepiscopus Salernitanus in Chronici MSti Codice Salernitano, Longobardico charactere exarato, nihil quidquam de hoc Alexandri facto memorent. *Secundo*, quod non conveniat hoc factum mansuetudini Vicarii Christi. *Tertio*, nec moderationi & lenitati Alexandri verbis & factis demonstratæ. Addi posset *quarto*, quod non sit ullo modo verisimile, Fridericum Principem magnanimum eo usque se demissurum, ac contumeliam hanc æquo animo fuisse laturum, quippe quem Historici *malleum Italiæ* vocent, ex qua septies victor rediit: quod argumentum urget Lehmannus in Chronico Spirensi libr. 5. cap. 56. *Quinto*, quod nec Bartholomæus Platina, nec Carolus Sigonius, nec Gilbertus Genebrardus hujus facinoris ullam faciant mentionem.

Primus vero, quod ego quidem sciam, eo audaciæ progressus est Annalium conditor, ut factum esse negaret, quod magno consensu Historici factum esse, non dico, testantur, sed clamant. Quamvis enim Hardingus part. 4. Apolog. cap. 8. ad quæstionem in Anglicana Apologia propositam: *Quis cervices Imperatoris Friderici subjecit fœdum in modum pedibus suis, & quasi id non esset satis, addidit etiam insuper ex Psalmis Davidicis, super aspidem & basiliscum ambulabis? &c.* initio responderit his verbis: *Percontamini illud, quis Imperatoris Friderici cervices pedibus suis subjecerit? Ego vero, quis fuerit, nescio, ac ne vos quidem certo scire credo:* tamen animadvertens, sine extrema impudentia negari illud minime posse, seque ulterius, quam par erat, progressum, pedem mox retulit, subjungens: *Verum, quid si in hanc rem autores detis satis idoneos? Neminem nos, qua parte peccat, defendimus, licet fuerit Papa. Homines sunt ipsi etiam Papæ, nec semper Angelorum more se gerunt.* Sed Baronius majori audacia totam hanc Historiam *mendacissimorum assertorum* nomine traducere minime dubitavit, cujus veritatem autores fidei satis probæ ac intemeratæ liquido confirmant. *Johannes Capistranus*, qui floruit circa Annum 1385. & a Pontificibus Romanis, præsertim Nicolao V. ad varias functiones adhibitus fuit, in libro de Papæ & Concilii autoritate fol. 65. ad hanc Historiam digitum intendens, sic loquitur: *Confiteantur Teutonici, Imperatorem debere cervicem submittere pedibus summi Præsulis. Jacobus Philippus Forestus* Bergomensis, Monachus Ordinis sancti Augustini, qui floruit Anno 1490. in supplemento Chronicorum Venetiis excuso per M. Bernhardinum Riccium de Novaria Anno a nativitate DOMINI 1492. ac postmodum Anno 1506. ibidem recuso, in Historia Anni 1160. eadem per omnia de Alexandro III. commemorat. *Johannes Nauclerus* Præpositus Ecclesiæ Tubingensis & Academiæ Cancellarius, qui floruit Anno 1500. volum. 2. Generat. 40. pag. 784. sic scribit: *Isto fœdere Alexander Pontifex inito, confestim ad januas templi D. Marci accessit, & ibidem universo astante populo Imperatori jussit, ut humi se prosterneret, ac veniam denuo postularet. At summus Pontifex Imperatoris collum pede comprimens, ait: Scriptum est, super*

per aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem. At Fridericus, Non tibi, ait, sed Petro, cui Successor es, pareo. Et Pontifex respondit, Et mihi, & Petro. Marcus Antonius Coccius Sabellicus, Nauclero σύγχρονος, lib. 7. Decad. 1. de rebus Venetis iisdem pene verbis Historiam hanc recenset. *Johannes Stella* Sacerdos Venetus, cui ex patriæ archivis de veritate hujus Historiæ optime constare potuit, in Vitis Pontificum Basileæ per M. Jacobum de Pforzheim Anno 1507. impressis, Bergomensi, Nauclero, Sabellico hac in parte totus est ὁμόψηφος, ac concludit suam Historiam universam sub finem hisce verbis: *Fateor atque Deum meum testor, me non falsa scripsisse.* Hi autores omnes monumenta Historiarum consignarunt, antequam Lutheri nomen in mundo auditum fuit, ne quis Jesuita veneno Lutherano eos infectos fuisse suspicetur.

Sed & post Lutheri tempora quidam ex ipsis Pontificiis scriptoribus tantum abest, ut de hoc Alexandri III. facto verecundentur, ut in eo potius magnifice triumphent. *Papyrius Massonius* Gallus JCtus, vir peracris judicii atque doctrinæ, scripsit sex libros de vitis Episcoporum urbis Romæ, quos Parisiis edidit, ac postea a sancta sede Apostolica examinatis, decretum est, ut posthac non legantur, nisi qui ab eadem fuerint emendati cum approbatione Magistri sacri Palatii. Is, inquam, Papyrius Massonius lib. 5. in vita Alexandri III. brevibus quidem sed emphaticis verbis rem totam retulit: *Fridericum Barbarossam,* inquit, *Alexander III. inclinata cervice collum pedi suo submittere compulit, dicens: Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & Draconem. Respondit Imperator: Non tibi, sed Petro. Pontifex regessit: Et mihi & Petro.* Iisdem omnino verbis hanc Historiam recensuit *Petrus Justinianus,* Patricius Venetus, qui Historiam rerum Venetarum ab urbe condita usque ad annum 1575. contexuit, eandemque Gregorio XIII. Pont. Rom. in Epistola operi præfixa offerre non dubitavit, in qua Historia de Imperatoris Friderici collo pedibus Pontificis Alexandri subjecto extat lib. 2. pag. 27. ubi etiam Episcopos & Prælatos, qui Pontificis lateri eo tempore adhæserunt, nominatim recenset. Hujus Petri Justiniani testimonium in diversa quadam Historia de Francisco Dandalo Reipubl. Venetæ ad Pontificem Legato adducturus *Hardingus,* Theologus Pontificius, sic præfatur in Confutat. Apolog. Anglic. part. 4. cap. 7. *Autorem do Petrum Justinianum Venetum, summo loco natum, cujus Annalium maxima est apud Venetos auctoritas.* Illius ergo testimonium etiam hac in re audiant. *Franciscus Sansovinus,* qui circa annum 1560. Historiam Italiæ & lib. 8. urbis Venetæ descripsit, memorat, extare *(nella Sala granda del Palazzo) in Palatio Venetorum picturas de Friderici Barburossæ rebus gestis cum adscriptis summariis, inter quas figura illi, quæ est numero 21. argumentum additum sit ejusmodi. Pontifex ductus cum Imperatore in templum S. Marci, facta inter eos pace, advocatus ab ipso (gli metteva il piede sul collo per segno di superiorità) ponebat pedem super collum ejus in signum supereminentiæ.* Autor libri Italici *(Delle Cose Notabili che sono in Venetia) De rebus notabilibus, quæ sunt in Venetiis,* editi An. 1565. *Conspicitur,* inquit, *in conclavi Palatii, in quo habetur (il grande Consiglio) magnus Senatus, pictura, in qua Pontifex Alexander imponit pedes collo Friderici.* Huic picturæ publicæ frustra obvertit Baronius Ann. 1177. num. 9. illud Horatianum:

Pictoribus atque Poëtis
Quodlibet audendi semper fuit æqua potestas;

Neque

Neque enim ullo modo verisimile, nobilissimam illam Venetorum Rempublicam Tragoediam hanc a se spectatam ad immortalem rei memoriam solenni & publica pictura expressam omnium oculis exhibere voluisse, nisi ex actis fide dignis ejus veritatem probe haberet cognitam & perspectam; vel alterutrius partis amore & odio usque adeo transversam fuisse actam, ut palam & publice ejus rei monumentum statueret, quam suspicione falsitatis laborare non ignoraret. Nec potest inficias ire Baronius d. l. num. 2. & 5. *in Codice Chronicorum Cardinalis Bessarionis*, qui summa diligentia & honore in Bibliotheca Veneta asservatur, pluteo decimo septimo, (cujus fide etiam nititur *Hieronymus Bardus*, qui copiosissime hac de re egit in libro Italico, cujus titulus: *Della vittoria navale ottenuta della Republica Venetiana contra Othone figlivolo di Friderigo Primo Imperatore, Gyrolami Bardi*) Historiam hancce iisdem omnino verbis, quibus Papyrius Massonius, Petrus Justinianus ac Franciscus Sansovinus eam describunt, annotatam contineri. Sed nec illud Baronius negare potest d. l. num. 2. Historicorum illorum, qui Alexandro III. Imperialis colli suppressionem tribuunt, numerum esse longe majorem, quam eorum, qui illam in Historiis suis prætermittunt. *Hieronymus Bardus*, inquit, *haud ita pridem copiosissime in iis versatus est; utinam ita fructuose, sicut & operose! qui circumiens mare & aridam illa sola invenit, quibus in errorem manifestissimum duceretur, nec ad illa pervenit, quibus veritate certissima informari potuisset, ne falleretur, & sic alios ipse falleret. Quæ ut tu semper caveas, Lector, in delectu testium hic & ubique constitue in quacunque disputatione victoriam, non in numero, eo quod errantium infinitus est numerus, sed vera sapientium, sicut vere sapientum, admodum paucus.* Atqui non tam numero quam pondere testimoniorum in assertione hujus Historiæ nitimur. Quotquot enim testes produximus hactenus, illi vel ante B. Lutherum scripserunt, vel ex Reipublicæ Venetæ archivis sua depromserunt, Pontificiæ certe religioni omnes fuere addicti, ut fidem eorum in dubium vocare jure quidem nemo possit. Merito proinde cum Schellenbergio in Papæo dicimus:

Quam bene, qui in cælo sedem sibi Papa locavit,
Cæsareo in collo suppedium reperit.

Restat, ut Baronii argumenta, quibus fidem hujus Historiæ labefactare satagit, expendamus. Primum, inquit, *testes αὐτόπ]αι Autor Actorum MStorum Alexandri III. Itemque Romualdus Archiepiscopus Salernitanus, Regis Siciliæ Legatus, nihil tale de Alexandro commemorant.* Atqui num Baronio excidit JCtorum regula, quod *plus valeant duo testes affirmantes, quam decem, non dico, factum negantes, sed de eo tacentes?* An ignotum ipsi, quid Augustinus Epist. 80. ad Hesychium scripserit? *Non discrepant rebus Evangelistæ, si alius aliquid dicit, quod alius tacet;* ac lib. 2. de cons. Evang. cap. 5. *Non ideo contrarium videri potest, quod vel hic Evangelista dicit, quæ ille prætermittit; vel ille commemorat, quæ iste non dicit.* Quid quod Collega Baronii, Bellarminus, ne quidem ex sacris literis argumenta negantia formari posse asserat, sic disserens lib. 1. de Missa cap. 24. in Resp. ad 2. argum. *Etiamsi Evangelistæ non expresse dixerint, CHRISTUM se Patri in cæna obtulisse, tamen neque expresse dixerunt, non se obtulisse &c. Quare, si Lutherus ab exemplo CHRISTI probare cupit, Missam non esse sacrificium, certum aliquod testimonium afferat, ubi legamus, CHRISTUM non se obtulisse in Cœna, nam illa argumenta negativa: non habetur in scriptura, ergo non est factum: jam ipsis etiam pueris ridicula sunt.* Falsa quidem hæc est Bellarmini hypothesis, quod in dogmaticis non possimus negative ex scripturis argumentari (cum ob scripturæ in tradendis ad salutem neces-

sariis sufficientiam recte dictum sit ab Hieronymo in cap. 23. Matth. *Quicquid ex scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua asseritur;* & a Discipulo de tempore serm. 23. *In sacra scriptura locus tenet ab autoritate negative*) interim Baronio eam merito opponimus, qui in Historicis ex Alexandri Actis MStis argumentum negativum perquam ἀπαιδεύτως format. Nec illud de nihilo est, quod Baronius fatetur d. l. num. 84. *Acta illa MSCta*, ad quæ toties provocat, *non esse integra, sed truncata & fine carere.* Quid si ergo in illa parte, quæ injuria temporis periit, illa ipsa de suppressione cervicis Imperatoriæ fuerint annotata? Quin imo illa ipsa Acta continent quippiam, quod indicium hujus rei minime obscurum exhibet. In illis enim referente Baronio Anno 1170. num. 60. Alexander III. Episcopo Bambergensi, Friderici Imperatoris Legato, sic respondet: *Si inter oves, quas Deus beato Petro pascendas commisit, vult numerari, quid amplius differt eidem Principi Apostolorum cervicem suam flectere, & Catholicæ se unitati aggregare?* An non plusquam probabile Pontificem, qui ab Imperatore postulavit, ut cervicem suam Principi Apostolorum Petro flecteret, postmodum collo ejus pedem imposuisse, additis verbis ejusmodi, *Et mihi & Petro?* De Romualdo Salertitano Archiepiscopo respondere possumus, ipsum fuisse juratum Alexandri III. mancipium, Imperatoris vero hostem manifestum, ut ex ipsius scriptis constat. Atqui, uti recte docet Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 10. *Nec amico laudanti, nec inimico detrahenti credendum*, & ut habet vulgata Juris Canonici regula c. Per tuas. Et ibi Glossa in verbo, inimicitias capitales extr. de Simoniacis, c. Accusat. & ibi Glossa caus. 3. quæst. 5. *Testi, alteri parti inimico non creditur.* Sed nolumus justissima hac exceptione uti, quin potius dicimus, Romualdum illius rei indicium facere, quam Baronius ab eo prætermissam urget. Sic enim inter cætera loquitur apud ipsum Baronium Anno. 1177. n. 68. *Cum ad Papam appropinquasset Imperator, tactus divino Spiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate postposita, rejecto pallio ad pedes Papæ totum se extenso corpore inclinavit.* Quam vero promptum fuit Pontifici fastuoso collum Imperatoris, a quo graviter læsus fuerat, ad pedes suos toto corpore prostrati tangere, ac subjectionem illam testatam reddere, cujus signum Imperator edidit, quando eodem Romualdo recensente (apud Baronium d. l. num. 69.) die statim sequente & Ostiarii & Stratoris officio functus est. *Imperator*, inquit Romualdus, *ut humilitatem, quam corde conceperat, opere demonstraret, sumpto stratoris officio, pallium deposuit, manu virgam accepit, Laicos de choro expulit, & Papæ ad altare solenniter & processionaliter venienti viam tanquam Ostiarius præparavit &c. Finita Missa, cum Papa ad suum Palatium vellet redire, Imperator dextram ejus accipiens, eum usque ad portas Ecclesiæ satis honeste deduxit: cumque equum suum album de more vellet ascendere, Imperator ex alia parte accedens, strevam ejus tenuit, & postquam equum ascendit, ipsum aliquantulum stratoris more per freni lora deduxit.*

Idem judicium esto de aliis, qui suppressionem hancce colli Imperatorii prætermisisse dicuntur, videlicet quod ipsi quoque indicium ejus rei fecerint, quamvis ob facinoris indignitatem disertis verbis eam exprimere noluerint. Platina in vita Alexandri III. dicit, *Imperatorem pedes Pontificis in templo Marci osculatum fuisse.* Genebrardus asserit lib. 4. Chronic. ad Ann. 1180. fol. 622. *Fridericum Imperatorem ad pedes Alexandri III. petentem excommunicationis absolutionem procubuisse.* Carolus Sigonius lib. 14. de regno Italiæ, de Alexandro III. memorat, quod *inimicitias Friderici non tam moderate exercuerit, quam fortiter superaverit;* qua verborum lenitate facinus illud, quod

expri-

exprimere noluit, innuere tamen voluisse haud immerito censetur, Quin imo si vel maxime longe plures adduci possent autores, qui hujus facti descriptionem prætermiserint, uno tamen verbo respondere possemus, quod de Johannæ Papissæ Historia à quibusdam prætermissa, jam olim ab aliis responsum: *Propter deformitatem facti hac Historia ab aliis est omissa*, scribit Ranulphus in Polychronico lib. 5. cap. 32. *Hujus Johannæ nomen autores non ponunt, propter turpitudinem rei & muliebrem sexum*, inquit Marianus Scotus in Chronic. circa Ann. 1086. collecto. *Johanna non ponitur in Catalogo sanctorum Pontificum, tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti*, inquit Martinus Polonus in Chronico circa Annum 1282. conscripto. Quam vero Vicarii CHRISTI mansuetudinem, lenitatem, & erga Imperatorem reverentiam nobis narrat Baronius, a qua cum factum illud penitus abhorreat, merito tanquam fictum & falsum sit negandum? Probandum prius erat, Alexandrum huncce tertium fuisse Christi in terris Vicarium, quod cum a nobis negari sciat, ac nihilo tamen minus tanquam concessum assumat, fallaciam illam committit, quam τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν vocant Logici. De eodem Alexandro Pontifice Papyrius Massonius in ipsius vita ex Benjamini Itinerario memorat, quod *Judaici generis servos in familia sua habuerit.* Egregium vero Christi Vicarium, qui perduelles Christi in famulitium suum asciscere non dubitavit! *Nescio*, inquit Massonius, *an laudari debeat, quod Judaici generis servos habeat Pontifex Christianus? Reges enim ac Pontifices sæpe miseri sunt, non tam sua culpa, quam quod assectatorum suorum peccatis ac criminibus premuntur. Itaque impura, damnataque secta & cœlo quoque ipsi invisos habere non debuit.* De eodem Alexandro Autor Vitæ Friderici Imperatoris Germanice descriptæ (Johannes Adelphus) Z. 111. refert, quod, *cum Imperator Fridericus in recuperanda terra sancta occupatus esset, metuens sibi ab eo Pontifex, si victor in Italiam rediret, de eo perdendo cogitaverit. Vita itaque imagine Friderici opera pictoris cujusdam ad eam exprimendam destinati confecta, eam ad Soldanum misit, cum hac commonefactione, ut, si quietus vivere velit, de Imperatore, cujus simulachrum acciperet, perdendo solicitus esset, quas Pontificis literas Soldanus Friderico commonstraverit, antequam ex captivitate, in qua per annum integrum eum detinuerat, liberum dimiserit, obsidis loco Sacellano & hostia consecrata relictis, quæ centum mille ducatis redemerit.* Insignem vero erga Imperatorem reverentiam magis profecto detestandam, quam quod collo ejus pedem imposuerit! De eodem Alexandro literarum monumentis prodidit Matthæus Paris in Historia Anglica in Henrico II. quod, *quamvis perpetuo protestatus fuerit Rex, se nec mandasse, nec voluisse, nec suo artificio perquisivisse necem Thomæ Bequeti, Archiepiscopi Cantuariensis, tamen quia ex ejus verbis non satis circumspecte prolatis interfectores ejus perimendi occasionem acceperant, exegit Pontificis Alexandri Legatus, ut Rex absolutionem petiturus, carnem suam nudam disciplinæ virgarum supponeret, & a singulis viris religiosis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos susciperet, quod ipsum Rex defacto, pharmacis illorum misere fascinatus, subiit.* Eximiam vero erga Regem pœnitentem benignitatem, longe profecto crudeliorem, quam quæ in Imperetorii colli suppressione se se exeruit! Baronius ex Actis Vaticanis hæc emollire conatur, τὰ σκληρὰ μαλθακῶς sic exprimens An. 1171. num. 3. *Deduxerunt eum Legati Pontificii, ex propria Regis voluntate, extra ostium Ecclesiæ, ibique flexis genibus, non tamen exutis vestibus, neque verberibus appositis, absolutus est, & in Ecclesiam introductus.* Sed Historico Anglicano de rebus Anglicanis aliquid publice affirmanti major, credo, fides debetur quam Actis Romanis in obscuro angulo hactenus asservatis.

Alexan-

Alexandri III. Prædecessor fuit Hadrianus IV. quem Baronius æque Vicarium Christi fuisse statuet, atque Alexandrum. Is vero, quanta reverentia eundem Imperatorem Fridericum prosecutus fuerit, ex Codice suo Vaticano nobis exponat Baronius. *Cum Rex Fridericus*, inquit An. 1155. num. 8. *de more Papæ stratoris officium non exhiberet, Cardinales turbati & valde perterriti abierunt retrorsum & in civitatem Castellanam se receperunt, relicto Pontifice in territorio Regis. Quocirca Dominus Papa turbatus, & quid sibi agendum foret, incertus, licet tristis, descendit, & in præparato sibi faldistorio sedit. Tunc Rex ad ejus vestigia procidit, & deosculatis pedibus ad pacis osculum accedere voluit, cui idem Pontifex protinus locutus est in ista verba: Quandoquidem tu mihi illum consuetum & debitum honorem subtraxisti, quem Prædecessores tui, orthodoxi Imperatores, pro Apostolorum Petri & Pauli reverentia Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus exhibere usque ad hæc tempora consueverunt, donec mihi satisfacias, ego te ad pacis osculum non recipiam. Rex autem respondit & dixit, se hoc facere non debere. Eapropter, remanente ibidem exercitu, totus sequens dies sub istius rei varia collocutione decurrit. Tandem requisitis antiquioribus Principibus, qui cum Rege Lotbario ad Innocentium Papam venerant, & prisca consuetudine diligenter investigata, ex relatione illorum & veteribus monumentis judicio Principum decretum est, & communi favore totius Regalis Curiæ roboratum, quod idem Rex pro Apostolorum prædictorum reverentia prædicto Papæ Hadriano exhiberet stratoris officium & ejus streguam, suppedaneum scilicet, teneret ad conscendendum in equum. Alia igitur die Regis mota sunt castra & in territorium Nepesinum, juxta locum, qui dicitur Tabula, fuerunt translata, sicut a Principibus fuerat ordinatum. Rex Fridericus præcessit aliquantulum, & appropinquante Domino Papa tentorio Regis, per aliam viam transiens descendit & occurrens Rex ei, quantum est jactus lapidis, in conspectu exercitus officium stratoris cum jucunditate implevit, & streguam fortiter tenuit. Tum vero Pontifex eundem Regem ad pacis osculum primo recepit.* Helmoldus lib. I. Histor. Slavorum cap. 81. paulo aliter hanc Historiam edisserit. *Pontifici*, inquit *Viterbium, in occursum venienti Imp. Fridericus obviam progreditur, eumque magna cum devotione & honorificentia excipit, sinistram sellæ strepam de jumento descendendi tenens, eumque in tentorium Imperiale deducit. Cum in tentorium ventum esset, Episcopus Bambergensis nomine Imperatoris orationem exorsus, quanto Imperator desiderio colloquii Papalis fruendi flagrarit, commemorat, & Deo Opt. Max. gratiis actis, qui ipsum voti sui compotem fecisset, suppliciter ac submisse petit, ut Fridericum, orbis Christiani supremum Principem & Ecclesiæ defensorem, solito more diademate Imperiali insignire dignetur, causas, ob quas eo dignissimus sit, probe & eleganter adjiciens. Pontifex Bambergensis oratione finita, præclare ea dicta fuisse profatur, sed rem orationi minime congruere ait. Etsi enim leve atque exile sit, de quo verba facturus esset, negari tamen non posse, quin, ut quæ in minutioribus negligentior deprehendatur, ne talis quoque in majoribus sit, juste timeatur. Ad hanc Pontificis orationem omnium auribus arrectis atque animis solicitis, quodnam peccatum esset, ille prosequitur. Descendendi, inquiens, ex equo sinistram sellæ strepam tenuit, id an in ludibrium nostrum vel alia de causa fecerit, ignoramus; Si quidem si bonore nos afficere voluisset, dextra sellæ strepa, eaque manu dextra contrectanda fuisset. Cæsar Pontificis oratione nonnihil commotus, paulumque subridens respondit: Minime se strepis apprehendendis studuisse. Tu, inquiens, Pater primus es, cui tali officio deservimus. Et bile inter sermonem crescente, addit: Scire velim abs te, officii hoc genus an ex debito sit, an ex beneplacito? Quodsi ex benevolentia descendit, quis causabitur culpam in spontaneo? si ex debito, parum interesse putamus, quo latere accesserit, qui venerabundus accedit. Severius sic collocuti discedunt utrinque non sine stomacho. Imperator*

vator tamen, Princeps prudentissimus, dissimulans illa omnia, die postero Pontificem ad colloquium revocat. Pontifici itaque advenienti Imperator obviam it, atque ex priori ejus objurgatione doctior factus, dextram sellæ strepam apprehendit, ac in tentorium sanctissimum Patrem deducit. Esto & hoc insigne Papalis erga Imperatores reverentiæ exemplum.

Prædecessor Adriani IV. fuit Gregorius VII. quem Baronius itidem pro Vicario Christi nobis obtrudit. *Illi reconciliandus Henricus IV. Imperator prope Canusium venit, ubi Gregorius cum Mathilde Comitissa, quæ ab ejus latere raro discedebat, tunc temporis agebat. Postquam Pontifex exegerat, ut coronam & reliqua regni insignia in argumentum veræ pænitentiæ traderet, ac se post tantam contumaciam regio nomine & honore posthac indignum profiteretur, Henricus propius, ac jussus erat, accedit, atque intra secundum murorum ambitum receptus, omni comitatu exterius relicto, Regium cultum abjicit, ac sine calceis sæviente hyeme jejunus usque ad vesperam Gregorii responsum expectat. Verum Pontifex in secundo illo ambitu, triplex enim urbi murus erat, ad vesperam usque responsum frustra expectantem reliquit. Redit die secundo & tertio, idemque experitur. Quarto demum partim constantiam hominis admiratus, partim aspera hominum adversus se convitia veritus, eum in conspectum admittit.* Autores sunt, Martinus Polonus Papæ Secretarius in Chronic. Lambertus Schaffnaburgensis, Monachus Hirsfeldensis in Chronic. Abbas Urspergensis in Chronic. pag. 235. Helmoldus lib. 1. Histor. Slav. cap. 33. Sabellicus Ennead. 9. lib. 3. Baronius Ann. 1077. n. 10. ex Lamberto Schaffnaburgensi, & alii. Addit Helmoldus, sortem Imperatoris miseratus: *Legimus, quia multi peccaverunt, quibus tamen subventum est pænitentiæ remedio. Certe David peccans & pænitens Rex & Propheta permansit. Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum jacens, orans ac pænitens gratis pessundatus est, nec invenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore.* Referatur ergo & hoc inter exempla mansuetudinis & reverentiæ Imperatoribus a Vicariis Christi scilicet exhibitæ.

Successit Alexandro III. mediantibus aliis quatuor Pontificibus, Cœlestinus III. Is cum Henrico VI. Imperatori coronam utroque pede imposuisset, mox altero eam decussit, innuens, *sibi potestatem competere, Imperatorem constituendi, eundemque exautorandi*, uti referunt Rogeriut Hovedenus (ipsius Baronii ore laudatus Anno 1170. num. 45.) in Historia Anglic. in Richardo I. & Ranulphus in Polychronic. lib. 7. cap. 26. Quod si Cœlestinus ille III. coronam Imperialem pedibus ex Imperatoris capite decutere non fuit veritus, qua religione Alexander III. prohibitus fuerit Imperatoris collo pedem imponere? Franciscum Dandalum, inclutæ Reipublicæ Venetæ Legatum, *canis in morem catena collo injecta sub Clementis V. Papæ mensa jacuisse, ut graviter offensum Papæ animum tam demissa humilitate deliniret, patriamque suam in gratiam illius restitueret*, ne ipse quidem Hardingus negare potest, etiamsi moneat in Confutat. Anglican. part. 4. cap. 7. *Dandalum nondum tunc temporis fuisse Venetorum Ducem, vel Cypri Regem; nec jussu Pontificis, sed sua sponte catenam gestasse, nec socios canes sub mensa habuisse*, quod flagitiosum facinus multis verbis perstringit Sabellicus Ennead. 9. lib. 7. *ut immoderatam Tyrannidem & superbiam minime ferendam, ac flagitiosissimam in majestatem Principum contumeliam.* At si Clemens Reipubl. Venetæ Legatum catena collo injecta sub mensa jacentem æquo animo intueri potuit, utique etiam Alexander III. pedem Imperatoris collo sine scrupulo potuit imponere. Nemini quoque mirum videri debet, Alexandrum III. ad factum suum accomodasse dictum Psalmographi: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & Draconem.* Baronius

enim non semel Fridericum confert cum Pharaone, atrocissimo illo Ecclesiæ persecutore. Anno 1160. num. 35. in margine annotat: *Fridericus Imperator instar Pharaonis in Ecclesia positus.* Anno 1176. num. 15. *Fridericus novus Pharao.* Jam vero Ecclesiæ persecutores in scripturis conferuntur *aspidibus, serpentibus, leonibus & Draconibus.* Esai. 11. v. 8. cap. 27. v. 1. Matth. 23. v. 33. Psal. 35. v. 17. Psal. 57. v. 5. 2. Timoth. 4. v. 17. Psal. 74. v. 13. Esai. 51. v. 9. Ezechiel. 29. v. 3. Quin imo si Alexander III. Baronium præceptorem habuisset, ab eo sic concludere didicisset: Promissum est Ecclesiæ, quod persecutorum & hostium suorum capita sit conculcatura. Cum enim Jos. 10. v. 25. Dux Josua invitaret Principes exercitus Israëlitici, ut super colla quinque Regum a se debellatorum pedes ponerent, dicebat eis: *Confortamini & estote robusti, sic enim faciet DOMINUS cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicabitis.* Jam vero Fridericus, novus ille Pharao, est Ecclesiæ persecutor & hostis. Ergo Pontifex, Ecclesiæ caput, pedibus suis eum sibi debet subjicere. Et, quod magis stupendum, Baronius 1177. num. 88. ad Fridericum Imperatorem accommodat, quod Job. 41. v. 25. sub figura Leviathan de ipso Diabolo pronunciatum extat: *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Potuit igitur Alexander III. a Baronio ita edoctus, concludere: *Diabolus conterendus est sub pedibus fidelium.* Rom. 16. v. 20. Friderico Imperatori competunt, quæ de Diabolo prædicantur. Ergo, si non caput, tamen collum illius conculcandum.

Unicus adhuc restat scrupulus, nemini scilicet facile persuaderi posse, *Fridericum magnanimum illum Principem, tam serviliter sese subjicere ac contumeliam hanc æquo animo ferre voluisse.* Sed scrupulus hic est, non scopulus. Imperator prudentissimus ac fortissimus non quadam animi imbecillitate aut victoriæ desperatione fractus, sed partim filii captivi φιλοστοργία, partim cupiditate pacis in Europa constituendæ adductus, Venetias ad Pontificem se se contulit, ac ignominiosum huncce fastum in universi populi oculis patienter pertulit, pejora a Venetis metuens, qui Pontifici, a quo magna beneficia acceperant, tum temporis adhærebant. Quid quod generosus Imperatoris animus in hoc ipso actu ostenderit, se indignitate rei moveri, quando Pontifici mascule respondit, *Non tibi, sed Petro,* significans se supplicem esse factum, non Papali Tyrannidi, sed Apostolicæ autoritati. *Vicit optimum Principem*, inquit Philippus Melanchthon in Chron. Carion. lib. 4. p. 747. *opinio religionis, cujus in animis hominum magna vis est, præsertim si superstitio accedat, quæ tunc regnabat. Cessit etiam utilitati publicæ, ut constituta firma concordia in Europa, latrocinia Mahometica in Asia facilius reprimi possent. Stet igitur*, ut Baronii verba faciamus nostra, *ipsa Historia candore suo nitens atque sinceritate & veritate eorum,* qui sine ulla falsitatis suspicione eam annotarunt, *constans & firma in omnibus comprobata.*



DISSER-

DISSERTATIO XXVII.

DEFENSIO HISTORICORUM FASTUM ALEXANDRI III. PONTIFICIS ROMANI IN IMPERATOREM FRIDERICUM I. PEDIBUS CONCULCATUM NEGANTIUM.

FRidericus A. C. 1171. exercitu valido in Italiam irrumpens, multa fortiter gessit; denique belli is eventus fuit, ut *Alexander Venetias* dissimulata persona *fugiens*, rempublicam illam cum Imperatore collliserit. Hinc enim Fridericus *contra Venetos Otbonem* filium cum instructissima classe misit, sed ea lege, ne se inconsulto manus consereret. Quo ille neglecto, pugnat, vincitur, *capitur.* Veneti, cum non ignorarent, patrem omnia cogitare de liberando filio, noctes insomnes ducere, *filium* ipsi *remittunt*, sed ea conditione, ut peracta legatione sive exoraret patrem, seu minus, velut alter Regulus Venetias rediret. Humanitas successu non caruit: Exoratus enim *Cæsar, Venetias* ipse *venit*, & pacem cum Pontifice facit.

Addunr recentioris ævi complures, Imperatorem *ad januas ædis D. Marci prostratum, ut absolveretur, premente collum ejus Alexandro*, audivisse illud Psalmographi: *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Cum responderet Pontifici: *Non tibi, sed Petro, cujus es successor, pareo!* regessisse Pontificem; *Et mihi & Petro!* Hoc additamentum, cum ante plures annos secutus auctoritatem nobilissimi viri, *Georgii Remi, Universitatis hujus Procancellarii p. m.* in dubium vocassem lectione publica, paulo post observavi, me idem fecisse, quod pueri solent, qui ad aquas ludunt. Ut enim ii lapillum in aquam conjicientes, paulatim magis magisque majores orbes faciunt: Sic ego proposito, quod multis displicebat, varios circulos consequi feci sibilorum & calumniarum, ut verbis Lipsianis utar. Monstrum, omnibus monstris monstrosius produxisse videbar, & more Romano per Pontifices expiandum.

Repertus est sane, qui hoc in se publice reciperet, & aquam lustralem tam copiosam mihi aspergeret, ut totus permaduerim. Etenim ad me non tam ipse pertinere judicabam, quam alii, qui divinam orationem primum legendam dederant: *Mirari se repiriri potuisse, qui* (Fridericum Pontificis pede calcatum) *tam præfracte tantaque verborum petulantia negaret.* Quid enim? an tantus vir mortuis leonibus barbam velleret, & insepultum jam diu Remum, vel alios, de quibus mox dicam, petulantius ageret? an inter hujus ævi Pontificios quosdam reperit, sic depectendos & destringendos ante ora Principum populique? Nullos novimus. Unde haud difficulter accedebam illis, qui hunc morem jam multis esse dicebant, uti nisi oculos circumferant in Universitate nostra, nisi omnia dicta & facta curiosius rimentur, & pro arbitrio interpretentur, minus claros & doctos se putent. Quod hominum genus Plutarchus haud inscite comparat Lamiæ, quæ, ut est in fabulis, domi cæcutiit, foris oculatissima fuit.

Moneri quidem, si quis alius a viris doctis & intelligentibus desiderio & opto; sed de iis, quæ publicam lucem non aspexere, privatim & per literas; prorsus ut *Philippum* sedentem & *sub hasta captivos vendentem*, accessit aliquis, & illi in aurem: *Demitte vestem, Philippe, nam indecore sic sedes!* sed hic aliter se res habet. Insonandum erat, quod displicebat, typographica tuba in omnium aures. Et ut in *mancipium* jacienda interfecti pudoris & *petulantiæ* convitia; quasi in controversia historica, & nihil ad articulos fidei pertinente, non liceat historiarum Professori, judicii sui copiam facere, vel cum eo sic agendam sit, ut assensum præbeat.

Næ, qui hanc docendi rationem amplectuntur faciunt id, quod nobilissimus ille scurra, cui ab *ulula & speculo* nomen impositum: Nam ut ille in aula Landgrafii Hassiæ pingendi artem professus, cum aulicos ad spectandas picturas suas admisisset, præfatus est: *Non nisi ex legitimo thoro natos picturas illas videre posse;* simulque in tabella vacua nescio quid imaginum monstrabat: Illi autem ne spurii viderentur, conspicere se affirmabant id, quod non conspiciebant: Ita ut fidem mereantur isti, non nisi præfracti & petulantes, affirmativæ nostræ veritatem conspicere non possunt, simulque cæteri, ne tales habeantur, καλῶς καὶ σοφῶς acclamant, etiamsi, quod videre jubentur, nondum viderint. Hoc non dico, ut illum, qui nos lacessivit, cum vilissimo scurra comparare velim: Nam *magnum, doctum & sapientem virum* arbitror, sed *docendi ratio*, quam contra nos elegit, certe *eadem* est.

Nunc quæ me compellunt, ut adhuc communi famæ diffidam, fusius explicabo, & una, quam innocenter petiti simus, omnibus manifestum faciam. *Integrum seculum* est, Auditores, ex quo *narratio de calcato Friderici collo, pro fabula* haberi cœpit: Nam *Aventinum* negativam proposuisse, & *ab Italis* in Germanorum contumeliam *confictum* pronunciasse, observavit V. CL. *Conradus Rittershusius notis ad Jovii Fridericum* p. 215. 216. Fuit autem *Aventinus* scriptor curiosissimus, & qui de Pontificibus tanta libertate scripsit, qua illi vixerunt. Quin imo lib. VII. p. 547. aperte prodit, *Papam esse Antichristum*. Locus prolixior est, quam ut hic exhiberi possit. Unde ratio, quæ *Baronium* suspectum facit, non tantum hic cessat, sed etiam animus scriptoris in Pontificem satis perspectus concludere nos jubet, haud fuisse repudiaturum narrationem istam, si firma basi sustineri scivisset. Sed pro firmanda sententia sua de Pontifice Antichristo, acceptururum potius. Ipse *Rittershusius*, qua erat diligentia, nihil veteris, nihil recentioris historiæ inconsultum reliquit; ejusdem sententiæ fuisse asserit alios quosdam *prudentiores* Historicos.

Rittershusium porro e nostris excepit supra laudatus *Dn. Georgius Remus*, qui A. C. 1625. *Id. Jun.* in actu doctorio solenni *dissertationem* hic locorum habuit, in qua idem commentum esse putidum pronunciavit, & fuse docuit. Quanquam nec auctoritas nominis, nec elegantia styli, nec proprius in hanc causam affectus eo me abripiunt, ut in omnibus assensum præbeam. Dum enim asserit, altissimum esse omnium Historicorum *silentium per* 300. *annos* à Friderici ævo numerandos, id falsum patebit ex *Ouvonis* narratione, quam mox afferam. Eodem modo probare non possum, quod inter alios auctores veteres, qui de hoc negotio memorabili nec μῦ, nec γρῦ quidem. Nominat etiam *Guntherum*, quasi ex illius silentio argumentum capi possit, rem non esse factam. Nam nec Othonis capti, nec pacis inter Imperatorem & Pontificem factæ, nec expeditionis Hierosymitanæ mentionem facit; de quorum tamen omnium veritate nemo dubitat. Nimirum totam Friderici vitam non perscripsit, sed in

Cremæ

Cremæ excidio, quod incidit in A. C. 1160. *carminis finem fecit*, atque adeo 30. *annorum historiam reliquit* intactam. Frustra quoque provocat ad *Nicetæ Choniatis* silentium, cui propositum minime fuit, Friderici fortunam & res gestas exequi, nisi quatenus Orientalibus immixtæ sunt: Hinc alia multa Friderici silet, quæ revera facta sunt. Neque si totum Friderici imperium tradidisset, tam probatu facile, hoc ipsum memoraturum fuisse in odium Pontificis, si contigisset. Nam & inter Græcos fuere, qui Romanam idololatriam & Occidentalis Ecclesiæ Monarcham reverebantur, quod de *Nicephoro Callisto* aliis constat.

Post Remum eandem negativam propugnavit, qui alias typhum Romanum scriptis acerrimis perstrinxit, vir omnis historiæ peritissimus, *Matthias Berneggerus*, qui consulendus est in *Quæstionibus Historico-politicis*, publicæ censuræ subditis A. C. 1626. *Respondente Roberto Königsmanno.*

Ex his satis apparet, non prurítu quodam ingenii novitatis cupidi, neque juvenili temeritate eo adductum, ut negativam publice proponendam susciperem; sed recte atque ordine, relictis Maniis, & plebejis Scriptoribus, cum eruditissimis Philologis, Historicis experientissimis, luminibus & columinibus reipublicæ literariæ sensisse atque scripsisse, & jam in auctorem recidere convitia, quibus nos affecit. Nihilominus cum me tintinabulum istud excitasset, necessarium quoque duxi, per literas consulere viros, & dignitate illustres & doctrina omne seculum provocantes, ut quod eorum hac in re judicium esset, cognoscerem, & vel emendarer, si quid excidisset petulantius, vel novas pro defendenda veritate vires acquirerem. Non enim rem confeceret *Stella*, quem stipem omnem tam anxie poscentibus, & quovis ex lacu trahentibus piscem ultro indicaveram; nec poteram voluntatem meam submittere illi, qui dictaturam quidem serio exercet, sed non ex Senatus consulto.

Igitur inter eos, qui conatum nostrum honestissimo applausu prosecuti sunt, primus *Vir Magnificus & Nobilissimus Dn. Georgius Richterus, Universitatis nostræ Procancellarius meritissimus* hunc in modum d. 17. *Decembr.* A. C. 1643. rescripsit: *Fabulam illam de collo Friderici Barbarossæ Imperatoris ab Alexandro III. Pontifice Romano pedibus calcato, quam nonnulli pro historia credi sibi postulant, nihilominus quam historiam esse, veritatis historicæ probe gnari vere norunt. Ejusmodi fabulas in omnibus fere historicis Græcis & Latinis pro historiis sæpe recitari, & hoc genus erroris esse vulgatissimum, etiam in auctoribus probatissimis olim me annotare memini, de quo forsan alio tempore aut etiam publice aliquando plura monere licebit. Tu interim pro dexteritate tua veritatem vindicare perseverabis*; & mox in litteris eisdem: *Dilberrus noster tuas cum legit, sententiam quoque tuam etiam atque etiam laudavit. Hac mens, hoc judicium illorum virorum, qui etiam in eruditissimi seculi luce sic eminentes (ut plura nocturno renidet*

Luna mari Gnidiusve Gyges)

judicium partes de studiis historicis desumere sibi possunt, Tam petulans quidem non sum, ut ex honorificis maximorum virorum responsis aliquid esse me putem, dignumque censeam, qui more nuper animadverso, pingar in una tabella quater, sed neque cornea mihi fibra est, ut cum hoc ipsum, quod magnus Clericus rejicit, tantis viris placuerit, non læter ex animo. Nam & Hectori Priami judicium instar trophæi fuit, & apud *Nævium* notissimum illum versiculum expressit:

 Lætus

Lætus sum me laudari abs te, pater, laudato viro.

Extra civitatem nostram, qui huic ipsi sententiæ subscriberet, fuit *Thomas Reinesius*, qui quam auctores veteres novos haud inspiciat limis, pulcherrima ejus monumenta, quibus bonum publicum hactenus adjuvit, satis testari possunt. Is in literis ad me scriptis 10. *Jun.* A. C. 1644. nunc ὀλολύρημα καὶ σαπρὸν μυθάριον, id est, *merum nugamentum & putidam fabellam*, nunc ψεῦδος ἐκ σπαργάνων *commentum puerile* appellat. Et hæc est doctissimorum virorum sententia, cui si clangore terribili simul abreptus obstrepam, vere *præfactus*, vere *petulans* ego sim; imo, quicquid est *præfractorum*, quicquid est *petulantium* excedam.

Quod vero ad conficiendam rem præcipuum est, id post allatas auctoritates modo suscipiam, hoc est, rationibus agam,

Adversus, recta quæ sunt contraria menti,
Somnia, quæ quivis sibi jam spontanea fingit.

Ac primum quidem sic argumentor: Cuicunque narrationi appositæ notæ, AJUNT, FAMA EST, FANDO ET ORE VULGI SALTEM ACCEPIMUS, ea uti commemorari potest, ita pro certa & fideli sive approbata nec accipi potest nec debet. Hoc volunt omnes, qui legitimam historiam condiderunt, ut *Herodotus in Melpomene*, fabulam de Psyllis relaturus, ea, QUÆ AFRI PERHIBEANT, se memorare ait; & in *Polymnia*, toti suæ historiæ patrocinium parans, *ego*, inquit, QUÆ FANDO COGNOVI, *exponere narratione mea debeo omnia: Credere autem vera esse omnia non debeo.* Similiter *Pausan. lib. VI.* ait: *Ea quidem, quæ vulgarunt hac de re Græci, necesse habui commemorare: Credere vero omnia nulla res me cogit.* E Latinis *Curt.* lib. IX. c. 1. §. 34. hunc in modum: *Equidem plura transcribo, quam credo: Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere,* QUÆ ACCEPI. Rationis vim statim agnoscunt, quibus ingenium famæ perspectum est; quoniam illa, ut (*Tertull. in Apologet.* c. 7. ait) *ne tunc quidem, cum aliquid veri asserit, sine mendacii vitio est.* Sive ut *Curtius* lib. IX. c. 2. §. 14, regerit: *Ea tradente omnia majora sunt vero.* At talis est narratio de Friderico Barbarossa, quod ex antiquissimo scriptore (cujus auctoritatem frustra pro sententia sua advocat *Hieronymus Bardus*, uti observationem *Bardi Besoldus* noster *in Synopsi majore*) probare possum.

Is est *Ouvo Ravennas Presbyter*, qui eum *lib.* VII. & VIII. *Hist.* res inter Alexandrum & Fridericum gestas, tum adventum hujus Venetias & solutionem à vinculo anathematis enarrasset: *Quibus pactis*, inquit, *Cardinales iidem, ut injunctum eis fuerat, Imperatorem ad D. Marci delubrum, ubi cum Pontifex operiebatur, deduxere, cumque ad Pontificem pro foribus templi sedentem accessisset, dejecta ex humero fulgente chlamyde, posito cum genu adoravit. Mox ad pedes provolutus, eosque exosculatus* FERTUR *insultanti Pontifici, & propheticum carmen, super aspidem & basiliscum ambulabo, & calcabo leonem & draconem enuntianti, non Alexandro sed Petro id tribuere, pervicaci dicto respondisse: Pontificem deinde & sibi & Petro cessum ingeminasse, ac tum demum ad complexus mutuos & par osculum admisisse, conclamantibus undique omnibus: Deo laudem esse deferendam.* Hæc *Ouvo* scriptor ævo proximus.

Secundum quæ interpretari debemus ea, quæ affert idem apud *Hieronymum Bardum in lib.* quem Besoldus noster citat pag. 149. *nimirum ex fama saltem*

saltem memorari. Quod si ergo scriptor, quo antiquiorem non habemus, & quidem *Italus*, qui omnia certius cognoscere potuit, hanc rem spondere noluit, ut loquitur *Seneca lib. IV. Nat. Quæst. 3.* sed narrationi incertitudinis notam adjecit; eo magis fas erat id facere tot ætatibus posteriores, *Jacobum Philippum Forestum Bergomensem monachum, Ordinis S. Augustini in Supplem Chronicorum, Angelum Politianum in Oratione clarorum virorum ad Alexandrum VI. Joh. Nauclerum Chron. volum. III. generatione 40. fol. 235. Joh. Stellam Sacerdotem Venetum*, qui vitas CCXXX. summorum Pontificum dedicavit *Dominico Cyrimanno, Patriarchæ Aquilejensi*, & qui hos secuti sunt, *Lutherani, Calviniani, Pontificii*, magno numero.

Sic adversæ sententiæ propugnatoribus incumbit, ut antequam ex auctoribus istis nos premant, eosdem accurate prius examinent, ne, qui alios falsitatis arguunt, accusandi sint potius ipsi. Cautior hac in parte *Marcus Antonius Sabellicus lib.* VIII. ADDUNT QUIDAM, *Pontificem collo Cæsaris prostrati pedem imposuisse, cœpisseque interim Davidicum illud canere: Super aspidem & Basiliscum ambulabis! Notum est carmen. Tunc Fridericum ingentes alentem spiritus dixisse: non tibi, sed Petro! cui Alexander irato similis, impressa fortius planta, & mihi & Petro! responderit. Ferunt Dominicæ ascensionis die id factum.* Hæc *Sabellicus*.

Modestior etiam hic *Paulus Jovius*, tali modo: *Itaque pacificatore Ziano, Venetorum Principe, Imperatorem ad pedes suppliciter projectum Pontifex præ foribus Marciani templi rite expiavit, in gratiamque recepit.* TRADUNT SCRIPTORES, *Pontificem anteactæ calamitatis suæ memorem, osculanti pedem, contracta fronte, hoc Davidicum carmen protulisse: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem! ut domitæ superbi animi ferociæ nequaquam humaniter illuderet; ad quod Cæsar tam pie quam graviter renitenti vultu responderit: Non tibi sed Petro!*

Quid imo eadem diffidentia *Petrus Justinianus Patricius ac Senator Venetus lib. II. pag. 49.* edit. prim. Venetæ anno 1560. vel pag. 27. edit. Argentorat. Anno 1610. *Alexander autem*, inquit, *Friderici collo planta superposita, Davidicum illud protulisse* DICITUR. Quod in tanto scriptore cumprimis notandum est. Existimavit vir quidam magnus, ideo majorem fidem habendam *Johanni Stellæ Veneto*, quod ex patriæ Archivis de veritate hujus historiæ optime illi constare potuerit. At hoc in Archivis illustrissimæ Reip. Venetæ reperiri dubitare nos facit *Justinianus h. l.* quis enim credat, Sacerdotem potioribus monumentis instructum, quam Senatorem? Sacerdotem locutum ex Archivis, Senatorem ex ore aliorum, & fama tantum? Næ uterque ab Archivis hic destitutus est, quod *Justinianus* profitetur haud obscure.

Hunc denique præter alios excepit *Franciscus Modius* in augustissimo *Pandectarum Triumphalium* opere lib. II. *cap. 1.* ubi, postquam commemoravit, quam suave spectaculum Venetiis præbuerint, se invicem alloquentes Imperator & Pontifex, ADDUNT QUIDAM, inquit, *Pontificem, quasi ita illum expicturum collo ipsius prostrati pedem imposuisse, cœpisseque interim Davidicum illud canere &c.*

Parum hoc, scio, attendendum putant, qui ad obtinendam affirmativam, omnes vires suas, omnes machinas adhibent; sed in historico veritatis studioso, si quid requiritur, hoc requiritur; ut adjectas istas *dubiæ mercis notas* ne negligat;

gat: secus si facit, & narrationes quasvis cum certis & approbatis conglutinat, quid erit tandem historia, nisi παντισμία ἀναξαγορική? Quidvis prodibit e quovis, & omnia denique vulgi somnia in veritatis possessionem irrepent.

Sed jam animadverto, quid non nemo dicturus sit, nimirum haud semper errare famam, quod *Tacitus* censuit in *Agricola cap. 9.* qui & *lib. II. Hist.* c. 50. de se testatur, *ut conquirere fabulosa & fictis oblectare legentium animos nolit, tamen vulgatis traditisque demere fidem se non audere.* Nos autem hic monemus, ut diligenter ad animum revocetur, fuisse tum καιρὸς τερατολογίας, *tempora portentiloquiorum*, ut vocat *Casaubonus Prolegomenis in Exercitationes Baronianas.* Scissus erat Christianus orbis in Gibellinos & Guelfos, *celebratiora vocabula*, ut *Brunner.* ait *lib. XI.* p. 13. quam quæ Circensibus olim nata ludis Romanæ urbis studia, veneto prasinoque colore distraxerunt; & ab his factionibus spargebantur & dissipabantur tum pleraque, quæ adversariis dolorem paritura spes erat. Nihil igitur periculosius, quam vel tantillum dare temporum istorum famæ. Qui enim hoc ipsum fecerunt, nec, uti fas erat, prænavigarunt factiosorum rumorum scopulos, veritatis fecerunt naufragium, & historiam multis fabulis conspurcarunt.

Docet hoc *Sigonius*, seculi scriptor doctissimus, *lib. XIII. Hist. de Regno Italiæ* p. 307. ubi: *Gibellinorum & Guelforum nominibus, ex vetere Germaniæ dissensione desumptis, exitiales Italis factiones manarunt.* Quæ sub Friderico patre exortæ, *neque omnino post sub Henrico filio obliteratæ, demum sub Friderico nepote effusius erumpentes, ingentes in multos post annos strages in Italia edidere.* QUÆ HISTORIA STUDIIS SCRIPTORUM STILO HAUD SECIUS INTER SE, QUAM ILLI GLADIO DECERTANTIUM EST CORRUPTA. Quamobrem nihil inverecunde vel petulanter agimus, si famam illius ævi, quo scripsit *Ouvo*, prorsus non admittimus. Et hoc *secundum* nostrum *argumentum* est.

Ipse *Sigonius* hanc ipsam *narrationem* de Friderici collo a Pontifice calcato, & adjectis Psalmographi verbis, *a factiosis confictam* indubie credidit. Nam *lib. XIV.* p. 334. ubi omnia κατὰ λεπτὸν, sive ut loquitur quidam ex Augustæ historiæ scriptoribus, *ad fibellam*; & quod cum primis notandum ex ipsius *Alexandri literis* 7. Cal. August. ad *Abbatem Cassinatem* ex *Rivoalto* datis exequitur, hoc tam grande silentio præterit.

Respondet vir doctus, non prorsus præterire, sed ad Alexandri facinus respicere illis verbis: *Inimicitias Friderici non tam moderate exercuit, quam fortiter superavit.* Quæ *mea traditas est*, tam *subtile* non capio: Quia Friderici inimicitias Alexander fortiter superavit: *Ergo* non prorsus dissimulat Pontificem calcasse Cæsarem. Explicet mihi consequentiæ rationem alius, me enim prorsus latet. Fortiter *superasse inimicitias*, annon Sigonio dici potuit, qui post diutinum bellum *ope Venetorum* eo Imperatorem tandem adegit, ut secum pacem faceret, & legitimum Pontificem agnosceret. Quid? quod in hisce verbis Sigonius cum *fortitudine* simul Alexandri *moderationem* commendat; unde *simplex ego* colligerem prorsus contrarium, *tecte negasse*, quod de Alexandri in Fridericum impotentia vulgo dicitur.

Et quando *in silentio* insignium aliquot monumentorum & scriptorum *argumenti* nostri *tertii vis* sita est, de illo nunc agendum est. Primum advertendum monui, quod *Sigonius* ait, se, quæ post Imperatoris ingressum in Veneto-

rum

rum urbe gesta sunt, omnia referre *ita, prout Alexander ipse literis* mandarit. At in ea narratione nihil de calcato collo, nihil de Psalmographi verbis. Secundo non tam leve, quod ad *Bibliothecam Vaticanam Baronius* provocat, ac tot judicibus obnoxium se facit, quot Italis, Germanis, Gallis, Belgis ad hunc usque diem insignis illa bibliotheca potuit; in ea tacere scribit testes αὐτόπ]αι, *auctorem actorum MSS. Alexandri*, ut & *Romualdum, Archiepiscopum Salernitanum*, Longobardico charactere exaratum. Silet præterea *Bartholomæus Platina*, historiæ Pontificiæ Suetonius; silet *Gilbertus Genebrardus*. Et ex Germanicis scriptoribus, qui ante annum 1450. vixerunt & scripserunt, ne unum legere memini, qui hoc ad totius Germanicæ nationis ignominiam pertinens notaret. *Siffridus* (ut recte observat Remus) *Theodorici Marchionis*, quem Pontifici se opposuisse volunt, cum pedem collo Cæsaris imponeret, sæpe meminit, at hujus facti nusquam meminit. Unde vanam esse apud Italos famam, quam alii saltem retulerunt, alii, ut veram certamque secuti sunt, nemo non intelligit.

Non ignoro doctissimorum virorum responsum ad hæc omnia, nullius momenti argumentum esse, ab auctoritate negata; sed addunt alii, licere, supposito quod auctor rem perfecte tradiderit, unde Philosophi hanc argumentandi rationem admittere solent. *Aristoteles lib. VI. Eth.* Non recenset aliquem sextum habitum instrumentalem, a reliquis distinctum; ergo talis non datur. Deme, si potes, Philologis & Historicis id genus argumenta; vix unam vel alteram spuriam narrationem a genuina discernere poterunt. Romanos Alexandrum magnum legatione veneratos esse, *contra Memnonem cap. 24. Plinium lib. III. cap. 5.* negant cum *Arriano lib. VII.* quod ea de re sileant, non solum scriptores Romani omnes, sed & *Ptolomæus & Aristobulus*, Historici, uterque Alexandri socius, alter etiam dux, & postea Rex Ægypti. Sic in illis controversiis, de *legibus Justinianeis per Lotharium reductis*, de *institutione Electorum sub Ottone III.* quas supra tetigimus, sic in aliis argumentantur alii. Quid dicam de frequentissimo argumenti hujus usu in refellendis Pontificiorum nugis? verbi gratia, cum confutant putidissimam illam, sed ordini sacro valde lucrosam, & ob id innumeris auctoribus asseveratam fabulam *de Lauretano cubiculo*; in quo B. Virginem & natam & educatam, ab Angelo salutatam, a S. Luca depictam; quodque *Nazarethi* per annos mille incolume, suis denique fundamentis avulsum, *tenues per auras* terque quaterque bajulatum, in *Italia* consedisse volunt? nonne inter argumenta potissima depromitur istud: Cubiculi hujus non *Clemens*, non *Dionysius*, non *Polycarpus*, non *Ignatius*, *Irenæus*, *Eusebius*, *Ruffinus*, *Theodoretus*, *Sozomenus*, *Socrates*, *Hieronymus*, non alii vetustiores mentionem faciunt: Ergo fabulosa ista narratio est. Adeundus *Berneggerus in Demolitione idoli Lauretani, cap. 6.*

Sed & in specie, quid de singulorum sententia judicem, neque dissimulare debeo, neque volo. Quod de Pontifice ipso diximus, rident, ut absurdum; quod scilicet existimemus, ipsum dedecus suum Abbati Cassinati commemorare potuisse! At certiorem eundem facere minime verecundatus est, solennem, quæ ab Imperatore Pontifici debeatur, reverentiam sibi atque obedientiam præstitam; Imperatorem pios pedes inclinatum osculo veneratum, ascendenti etiam strepam tenuisse, ut *Sigonius* nos docet. Quid? quod secundum opinionem vestram Ouvoni (sive *Ononi*) in conspectu tot millium, in civitate nobilissima prudentissimaque facere potuit, id ad Abbatem privatim scribere minime sustinuit?

Contra Acta MSS. vir clarissimus arripit id, quod confessus est Baronius: *Non esse integra, sed truncata & fine carere.* Quodsi ergo, inquit, in illa parte, quæ injuria temporis periit, illa ipsa de suppressione cervicis Imperatoriæ fuerunt annotata, ut apparet; suspicatus est fraudulenter hic egisse Baronium, qui pro integra laudarit illam partem, quæ continet Acta Venetiis inter Fridericum & Alexandrum. Sed non sufficit suspicari, ubi de alterius fama agitur, decet scire.

Secundo ex iisdem Actis conatur hujus rei judicium exhibere, ubi Friderici legato sic respondet Alexander: *Si inter oves, quas Deus B. Petro pascendas commisit, vult numerari, quid amplius differt eidem Principi Apostolorum cervicem suam flectere, & catholicæ unitati se aggregare?* In hoc non semel offendit vir doctissimus, quod existimat, ex communi oservantiæ genere, Pontificibus exhiberi solito, colligere nos posse id, de quo controvertitur.

Sic & *Romualdum Salernitanum* eidem illius rei indicium facere videtur in istis verbis, a Baronio citatis: *Cum ad Papam appropinquasset Imperator, tactus divino spiritu, Deum in Alexandro venerans, imperiali dignitate postposita, rejecto pallio, ad pedes Papæ totum se extento corpore inclinavit.* Eodem modo capit *Platinæ* verba: *Imperatorem pedes Pontificis in templo Marci osculatum fuisse.* Eodem *Genebrardi lib. IV. Chronic.* quæ sunt. *Fridericum Imperatorem ad pedes Alexandri III. petentem excommunicationis absolutionem, procubuisse.* Eodem verba *Johannis Capistrani*, qui floruit circa annum 1385. *Confiteantur Theutbonici, Imperatorem decere cervicem submittere pedibus Pontificis.* Quæ nihil aliud volunt, quam hoc: Fas esse, ut Imperator inclinata cervice prosternat se, & advolvatur pedibus Pontificis; quod etiam a Friderico, cum absolutionem peteret, factum libenter profitentur.

Imo *Paulus IV. Pontifex* picturæ adscribi jussit, *Josephi Salviatis* nobilissimi artificis penicillo factæ: *Alexander Papa III. Friderici I. Imperatoris iram & impetum fugiens, abdidit se Venetias. Cognitum & a Senatu perhonorifice susceptum; Othone Imperatoris filio navali prælio a Venetis victo captoque, Fridericus pace facta supplex adorat, fidem & obedientiam pollicitus. Ita Pontifici sua dignitas, Venetæ Reipublicæ beneficio, restituta.* Hoc igitur minime negant, tanquam frequenter fieri solitum & ab aliis.

Sic enim *Lotharius Saxo*, cum coronam acciperet, *ad pedes* se *Pontificis* abjecit, & ob id Romanistæ post ejus discessum in *palatio Lateranensi* picturam cum hac inscriptione posuerunt:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores:
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

ut est apud *Radevicum lib. III. c. 10.* Eodem modo *Carolus VIII. Galliarum Rex* pedibus *Alexandri VI.* advolutus, eosque osculatus est; tum & *missam celebranti ministravit aquam*, ut est apud *Guicciardinum lib. II.* Eundem honorem *Carolus V.* habuit *Paulo III.* de quo proinde carmen hoc extat:

E Lybia advenit Romanas victor in arces
Cæsar, & in niveis aureus ivit equis.
Ille triumphavit: Sed tu plus, Paule, triumphas.
Victor namque tuis oscula dat pedibus.

Simile

Simile est, quod alii *pedites* inservierunt *stratoris officio*, ac læva dextraque *frænum equi Pontifici tenentes*, eum per urbem magna cum pompa deduxerunt. Imo, quod ipsum *Fridericum* fecisse jam a *Sigonio* diximus. Antichristicum quidem hoc, & contra humillimi Salvatoris & Apostolorum omnium praxin; sed ex eo concludere non possumus, factum etiam id, quod *Aventinus Baronius, Rittershusius, Remus & Berneggerus* negarunt. Sunt enim longe diversissima: Grave, *prostratum ante pedes servi jacere Dominum*; sed longe gravius, eundem *calcare Domini collum*, & insultare præterea ex Psalmo, comparare (tot millibus audientibus) cum aspide & basilisco, & leone & dracone.

Ait quidam vir magnus, plusquam probabile, Pontificem, qui ab Imperatore postulavit, ut cervicem suam Principi Apostolorum Petro flecteret, postmodum collo ejus pedem imposuisse, additis verbis: *Et mihi & Petro.* Sed profecto fallitur, si credit, hæc tam facile admitti a cautioribus Historicis, nam hi non attendunt, *quid fieri potuerit, sed quid factum fit.* Et si usquam, hic locum habet illud Philosophorum *a potentia ad actum nullam esse consequentiam.* Nisi, inquam, genuina monumenta statuant hoc factum, factum dicere non sustinent, etsi fieri potuerit.

Denique quicquid affertur argumentorum, a silentio petitorum, vir maximus convelli posse putat ex ea ratione, quam *Ranulphus in Polychronico* reddit in silentio scriptorum de Johanna Papissa: *Propter deformitatem facti, hæc historia*, inquit, *ab aliis est omissa.* Verum longe diversa hic ratio est. Illud alterum, quod *Ranulphus* cum aliis refert, in verum ruborem dedit omnes, nemo non dedecoris agnoscebat magnitudinem: Hoc vero Alexandri III. si verum fuisset, non erat, cur ob deformitatem silerent; loquor ex Pontificiorum mente. Nam ex quo Hildebrandus potentiæ Papalis adstruendæ ergo cœlum terræ miscuit, jura divina atque humana fusque deque habuit, jamque omnis consumtus fuit pudor; insolentissimum adversus Fridericum facinus, nec ipse, qui commisisse dicitur, nec alii dubitassent narrare, sed & insuper, ut alia viribus omnibus propugnassent.

Certe de *Baronio* sic judicat *Casaubonus* in Prolegomenis: *Fateor*, inquiens, *non probari Baronio in Anno 1177. quod Alexander III. Friderici Imperatoris, prostrati ad pedes suos, cervices pede presserit, & calcaverit. Sed addo: Propterea de illo facinore foedo liberius ab eo pronunciari, quia non putavit esse veram historiam. Nam si putasset, rem gestam fuisse, laudasset procul dubio, non reprehendisset. Quare enim Alexandrum III. vituperaret, pedibus Imperatorem suum calcantem, quia Cœlestinum III. pedibus ignominiosissime & nequissime ludentem corona Imperatoria, non veretur laudare, & factum tam immane defendere?* Et cogitet hic vir magnus, quod ipse scripsit, testes suos, quos produxit, *Pontificiæ religioni* fuisse omnes addictos. Fuere certe monachi, præpositi, sacerdotes, quos quis credat pro dedecore habuisse, quod narrarunt? Narrarunt potius in ipsius Pontificis honorem, ut ejus auctoritatem & eminentiam supra Imperatorem huic negotio inædificarent. Non igitur hæc silentii causa, quam dedit vir clarissimus.

Et hæc sunt, quæ pro defensione mea offerre debui, quibus si quid contra *virum bene meritissimum* miscui, id sine livore, sine felle dictum accipi volo; veneor enim, ut par est, heroem illum, cujus laudes silere præstat, quam paucis dicere, licet nec multis opus sit. Satis enim loquuntur scripta, cum Ecclesia in his terris duratura. Quicquid fecimus, ex reipublicæ literariæ privilegio feci-

fecimus; in qua *sentire, quæ velis, & quæ sentias, dicere licet*; verbis *Taciti lib. I. Hist. c. 1.* Ex eo multi a sanctissimis Patribus discessionem hodie fecerunt, & eorum etiam in historicis hallucinationes pueriles vocare ausi sunt. Vide, quæ collegit *Reinesius de Lingua Punica. c. 13.* Quamvis enim *Baronius* alicubi hoc agat, ut Ecclesiam Catholicam philologicarum quæstionum & controversiarum constituat Judicem supremum, tamen ei sapienter *Casaubonus Exerc. XIV. p. 239.* reponit: *Scio, Ecclesiam Dei esse columnam, & firmamentum veritatis; sed illius utique veritatis, quæ scripturis divinis continetur declarata, in qua salus est æterna posita; quæ constans est, certa, immutabilis, æterna; quam negare, hæresin est committere: In istis philologicis quæstionibus nulla versatur hæresis, nulla absoluta necessitas vel sic vel aliter sentiendi.*

Cæterum alteri, cui nos in *Altorphina* nostra saltem pepones ac fungi sumus, si ex sententia non sumus locuti, hunc ego cogitare velim, quod *Scaliger ep. I.* dixit: *Contumelias homines probos & constantes non labefactare quidem, tamen concutere, ac somnos rumpere; ut culex stridens, aut mus leonem expergefacit.* Vos quod attinet, qui alium hac in re audire mavultis, quam me, nihil moror. Quî enim hoc molestum mihi sit, qui nisi ratio veterum lectorum reddenda fuisset, de hac controversia non vertissem manum. Sed id tamen moneo, ne faciles sitis in accipiendis omnibus, quæ in *Archivis* reperiri dicuntur; supersunt enim in Æneæ posteris, ut multi viri boni, sic etiam nonnulli, qui Transalpinos putant carere judicandi facultate.

Audio *Fortunatum Olmum* extare, qui rem ex monumentis & Archivis revera factam asserat; quem ego nondum vidi, licet aliquot locis sollicite requisiverim. Valde vereor, ut meliora proferat quam *Hieronymus Balbus*, quam alii. Cogitate, quid in eorundem temporum ejusdem anni, ejusdem nationis & personarum historia factum sit! Commemorabant nobis ex Archivis & annalibus reipublicæ Venetæ, Alexandrum III. Pontificem post illustre prælium navale, quo *Sebastianus Zianus Othonem* Friderici filium superavit, cepitque, eundem Ducem humanissime complexum, victoriamque gratulatum; inde ei *annulum aureum* porrexisse cum his verbis: *Accipe, Ziane, hunc annulum, & me auctore hoc mare tibi Venetiaque obnoxium desponsato; quod & tu & futuri Principis quotannis stato die in perpetuum servabitis.* Inter eos, quod mirere, fuit ipse *Petrus Justinianus*, cujus nomen velut horribilem Gorgona nobis obvertere ausi sunt.

At paucis abhinc annis edidit *Josephus Laurentius libros Polymathias*, in quibus hoc falsum esse edocet, & ad *Dominici Molini*, Patricii ac Senatoris Veneti, auctoritatem provocat. Verba sunt *lib. 1. c. 2.* illius: *Incorruptiora serenissimæ reipublicæ monumenta, quæ tibi, Senator Amplissime, aquilæ in nubibus, probe cognita, planeque perspecta sunt, multo ante, quam in urbem vestram se reciperet Romanus Pontifex Alexander, desponsationem istam celebratam, tradunt. Habent illa scilicet, tum primum eam celebrari coeptam, cum primum armis incincti majores vestri clarissimi, iidemque fortissimi viri, Adriatici maris imperii jure belli æquissimo potiti sunt. Quod tunc temporis accidisse constat, cum totum illum maris tractum desertum ab omnibus ob imperii lapsum, solisque piratis pervium sic arma Veneta repugnarunt, ut tutam in eo præstiterint, cunctisque patentem ac liberam imposterum navigationem. Quod cum Romani Pontifices, Cæsares etiam ipsi, aliique terrarum orbis Principes cognovissent, & id ipsum recte factum confessi sunt, & aperte semper ad candide comprobarunt.* Hæc ille. E quibus manifestum est, sæpe magnis viris imposuisse annales vel corruptos, vel non

vetustos

vetustos admodum. Et ob id clypeum non statim abjicio, si quis contra me Archivorum & monumentorum nominibus ipso sono tremendis subfarcinatus incedat.

Sed nunc abiturientem nescio quis insequitur a tergo: Heus tu, quid de auctoribus sentias, audivimus, de *pictura Veneta* in conclavi, quod dicitur *Il gran Consiglio*, ne verbulum quidem; hoc potissimum est, quod urgemus. Agnosco, me oblitum esse dicere, quod volebam supra. Igitur de *pictura* sic habe, fuisse ejus usum apud veteres ad propagandam rerum memoriam (*Casaubonus ad Spartianum p. 124.*) sed tamen, ut poema, pio fallaci & lubrico argumento semper habitam: Nam pictores haud pauciores fabulas dedere, quam ipsi Poëtæ. De *Marco Valerio* Romani Scriptores ἀπὸ μιᾶς scribunt, auxilio *corvi* vicisse pugna singulari *Gallum*; quos decepisse pictores, qui *Valerium* pinxerunt, *galeam* gestantem, *cui corvi signum* superaditum, docet *Vossius lib. I. de Idol. cap. 27.* A *pictoribus* dependent omnes *mythologiæ*, & falsus de Diis sensus; ut *Josephus* docet *lib. II. contra Appion.* Nec dubito, quin pictores *Guelficæ factionis* fallacis istius famæ de *calcato Cæsaris collo* potissimi auctores sint. Id olim dixeram & postea in literis, quas supra laudavimus, nobis accessit *Reinesius*.

Homines belli & festivi *picturam* quandam *Byzantinam*, quæ explicaverat miserabile factum *Absimari & Leontii*, conspexerant; & nescio quam convenienter transtulerunt huc. Sic enim *Siffridus* in A. C. 689. *Utrumque* (Absimarum & Leontium) *cepit* (Justinianus Imperator) *& eorum corda calcavit, populo acclamante: Super aspidem & basiliscum ambulabis! & sic decollati sunt.* Extat etiam *Heraclii* numus, quem quondam ita dederunt Lipsius *lib. III. de Cruce c. 16. & Octavius à Rosberg* pag. 170. ut verba non satis intelligas; dabo hic magnam partem integram. In altera parte conspicitur *Heraclii caput*, & circumscriptum est: *Heraclius in Christo Deo fidelis Rex & Imperator Romanorum, victor & legislator semper Augustus.* In medio: ILLUMINA VULTUM TUUM DEUS. Et in luna: SUPER TENEBRAS NOSTRAS MILITABOR IN GENTIBUS. Altera pars repræsentat *Heraclium, currui triumphali insidentem*, & in medio scriptum: *Gloria in altissimis Christo Deo disrupit, ferreos postes, & liberavit sanctum regnum Heraclii.* Circumscriptum: SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULAVIT ET CONCULCAVIT LEONEM ET DRACONEM. Qui numum habet, sciet, quid a nobis præstitum sit, stupebunt, qui hujus ævi monumenta viderunt nunquam.

Sed ad rem. Ex his cognoscimus, verba Psalmographi temporibus illis pro *triumphalis acclamationis* formula, tum recepta, in hoc etiam negotio per adulationem & insolentiam Italorum, addita picturæ, qua Fridericus Alexandri pedibus advolutus conspiciebatur. Sed ait non nemo: Nobilissimam Venetorum Rempublicam tragoediam istam solemni & publica pictura non fuisse exhibituram, nisi à se revera fuisset spectata. Miror tantas Ceremonias & elegantias erga illustrem Rempublicam Venetam. Eam, uti quoque res in communem hostem fortiter gestas, & sapientissimam gubernandi rationem debita observantia prosequor, ita rursus scio fuisse *Friderici hostes*, fuisse *victores*. Da mihi Victorem quamvis modestissimum, qui nullum additamentum victoribus indulgeat. Romani, qui modestissimi videri volebant, qui vim fortunæ reputare se dicebant, & omnia subjecta esse mille casibus, quid non permiserunt in Urbe sua? loquitur hodieque Roma, quamvis ruinosa. Lepidum est,

quod de *Attila* scribit Suidas: Mediolano capta, cum vidisset depictos Romanos Imperatores in thronis sedentes, Schythatautem interfectos, & ad pedes ipsorum prostratos, pictorem quærens, jussit loco interfectorum pingi Romanos Imperatores, sacculos ferentes, & aurum fundentes ad pedes ipsius.
En mi homo, hæc fiunt in picturis.



DISSERTATIO XXVIII.

QUOD FRIDERICUS I. AUG. AB ALEXANDRO III. PONTIF. MAX. CALCIBUS NON FUERIT PROTRITUS.

§. I.

FRidericus, de quo referre ingredior, Friderici Sueviæ Ducis & Judithæ Velficæ filius, forma vultuque decoro præditus, atque ob rufum capillum barbamque *Ænobarbus* dictus, antiquissimas Velforum Gibellinorumque familias necessitudini suæ innexas habuit, magnamque ea sibi ratione virtutis & potentiæ opinionem conciliavit. *Radevicus II. 76. de Gestis Frid. I. Guntherus*, quem imperite nonnulli, scriptorem cum ipso scripto confundentes, *Ligurinum* vocant *L. I. pag. 283. ed. Reuberianæ*, ex recentioribus *Cranzius, Sax. VI. 15.*

II. Qui, (*a*) statim a morte, quæ in annum recuperatæ salutis *MCLII.* incidit, Conradi, patrui, summa omnium consensione rerum potitus, nihil prius habuit antiquiusve, quam, ut intestina regni dissidia componeret, lapsisque adeo in Germania rebus subveniret opportune, & quoad ejus fieri posset, opitularetur. *Otto Frisingensis II. 1. de Gestis Frid. I.*

(*a*) Errant enim *Helmoldus, an. MCLI.* & *Guntherus, MCLIIII.* supputantes, perinde ac *Job, Nauclerus,* & *autor Chron. M. Belgici*, qui tertium & quinquagesimum numerant, quos *Frisingensis Urspergensis* & *Stadensis*, Antistites, refellant. *Gottfrido* autem *Arnoldo*, scriptori novitio, nescio quid in mentem venerit, cum Fridericum I. Conradi III. sororis filium appellavit, quem fratris filium nominare debuisset. *Kirchen und Keter Historie XII. I. 6.*

III. Quo ille animo cum esset, constitutis in Germania rebus, & sopita, quæ Henricum inter Austrium & Leonem, apud Saxones, coorta erat, contentione, ivit trans Alpes, Augustaque insignia Romæ illorum consuetudine temporum cepit, & motus impietate Rogerii concitatos, quam potuit diligentissime sedavit. *Helmoldus I. 80. Guntherus L. IV.*

IV. Tum

IV. Tum vero, habito in campis, qui vocabantur Roncaliis, conventu, dissidentium inter se quorundam Antistitum causas cognovit, partamque adeo majorum sanguine potestatem confirmavit, nec modo nihil de Imperii dignitate detraxit, sed nova quoque & luculenta Regni Arelatensis, sive Burgundici, accessione adauxit. *Otto Frisingens. II. 12. & 29. de Gestis Friderici I, Radevicus I, 11, Guntherus L. VI.*

V. Tali modo Poloniam, Sarmatiæ finibus descriptam, Germaniæ vindicavit ac devinxit, Bohemiamque Regni honore & titulo ornavit, neque de Ratisbona & * Lubeca Urbibus, non præclare meritus est, quippe quas Principum ditione exemit, ac multis magnisque immunitatibus locupletavit. *Radevicus I, 5. & 13. ex eoque Annales Lauterbergenses ad annum 1158.*

* De qua sigillatim vid. *Arnoldus II. 35. Kornerus, & Scriptor Chronici slavici*, c. 37. ap. Bangertum, & ineptus quantumvis, ac nullo apud eruditos loco Poetaster, *Henricus Aquilonipol. de primordiis Lubecæ c. VIII.*

VI. Cautus ubique & sagax, nullam rei bene gerendæ occasionem prætermisit, gnaviterque & tempestive providit omnia, & curavit, nec, assiduis quamlibet exagitatus turbis, debilitari se frangique passus est Princeps animosus & fortis, prorsusque is, quem illorum status temporum postulabat. Ut non habeat, cur eum identidem perstringat, & nunc impietatis, nunc immanitatis accuset Baronius, eruditione alioquin & diligentia summus, sed studio adversus sedem Romanam ita abreptus, dolendum uti sit, virum tot monumentorum copia affluentem, non melius operam collocasse, atque ad unius autoritatem Pontificis asserendam cuncta retulisse.

VII. Quanquam ea de re in præsens nihil ambigo, nec omnem rerum a Friderico gestarum persequor historiam propterea, quod constitutum habeam, seligere tantummodo partem ejus, atque allatis hanc in sententiam documentis, ostendere, vanum, nulloque firmo satis fundamento innixum esse, quod vulgo circumfertur, Imperatorem genibus Alexandri III. advolutum subter calces Pontificis procubuisse.

VIII. Quod cum ad laudem existimationemque Imperatoris, post homines natos fortissimi, permultum valet, tum est ejusmodi, ut occasionem scribendi præbuerit, viris extra controversiam doctissimis, Felici Contelorio, Henrico Spondano, Conrado Rittershusio, Georgio Remo, Jacobo Spigelio, Christophoro, Lehmanno, Matthiæ Berneggero, Christophoro Adamo Ruperto, Joanni Schiltero, Georgio Hornio, Philippo Andreæ Burgoldensi, qui & præclare de ipso existimaverunt, pro meaque una sententia propugnare voluerunt. Neque tamen ideo in horum autoritate nominum aliquod causæ meæ præsidium quæram, sed intelligi tantum, volo, non prorsum leve, neque cura & tractatione mea indignum esse, quod suscepi, argumentum.

IX. Ante omnia vero hujus controversiæ optandum sane esset, ut, quem de *Gestis Ænobarbicis* conscripsisse Christianum, Antistitem Moguntinorum, autor est Trithemius, libri copiam facere possem, hoc magis, quia certis autoribus cognitum habeo, hunc præ ceteris, & Magdeburgi Antistitem, componendi inter Cæsarem & Pontificem dissidii autores fuisse. At quia res ea facultatem habitura non est, aliunde sumantur oportet argumenta, quibus et Friderico autoritas, & sermoni meo fides concilietur.

X. Ac

X. Ac principio quidem, ut a capite rem arcessam, illud certum exploratumque habeo, nec ea re confidenter affirmare dubito, nullum, qui quidem ante quintum decimum seculum vixerit, extare Germaniæ scriptorem, in quo vel vestigium appareat ejus, quam impugno, narrationis. Addo, hujusmodi nihil quicquam commemorare æquales & suppares ætate scriptores, Godefridum Viterbiensem & Guntherum, quorum alter Imperatori a sacris, & vitæ consiliorumque societate conjunctus, nihil non compertum perspectumque habuit, alter res ab eo pace belloque gestas vario, & supra seculi captum accurato, carmine est complexus.

XI. Horum ego silentium nihil vereor, pro falsitatis argumento ducere, ut vel hoc indicio mihi persuadeam, nihil a vero alienum tradidisse immortalis memoriæ virum, Thomam Reinesium, quando ολολήρημα, καὶ σαπρὸν μυθάριον appellavit hanc omnem, de protrito ab Alexandro Imperatore, expositionem. *Epistola ad C A Rupertum a. 1644. exarata.* Nam, quin memoriæ prodiderint, si quid ejus rei contigisset, dubitationis haud quicquam datur, nec apparet ratio, quamobrem dissimulare voluerint, quod publice inspectantibus tot hominibus peractum tradunt, cum præsertim alia probrose in Imperatorem dicta consultaque, silentio minime præterirent.

XII. Neque me, aliter uti sentiam, ullius recentioris scriptoris movet authoritas, propterea, quod quantumcunque adversam in sententiam est prolatum, id omne propemodum a Jo. Nauclero transmissum acceptumque est, cujus equidem ut diligentiam aspernari nolim, sic in re causaque ab ipsius ævo longe remotissima, testimonio nihil admodum tribuo, tali præsertim, quod nulla monumentorum autoritate confirmavit.

XIII. Idem reor de Jacobo Philippo, *Monacho* Bergomati, neque de M. Antonio Coccio Sabellico, Joanne Stella, aliisque sequiorum temporum scriptoribus secius existimo, quorum aliqui studio partium odioque ducti, alieniorem ab Imperatore animum haud obscure produnt, quidam ita memorant, ut non tam sua quam aliorum opinione referre videantur. De Joanne autem Capistrano, Italo, Bartholomæo, alii Baptistam vocant, Sacco & qui ante utrumque scripsit, Romualdo, Salerni Antistite censeo, nihil esse, cur eorum sibi autoritate blandiantur diffidentes, quandoquidem neuter aliquid ejusmodi prodidit, quod illorum causæ præsidium afferat, aut rei, quam nunc impugno, fidem confirmet.

XIV. Quamvis non ignorem, responderi solere, causæ suæ parum hæc officere, nec argumenta, quæ ab silentio struuntur, eam habere vim, ut iis tuto possimus inniti. Quibus tamen, mea quidem sententia, respondit erudite ac satisfecit Christophorus Adamus Rupertus, productisque hanc in rem exemplis ostendit, omnem inposterum historiam fabularum ineptiarumque sordibus inquinatum iri, si quidem id genus argumenta historico denegentur. *Observat. ad Synopsin Besoldi minorem cap. extrem. p. 678.*

XV. Alioqui tamen haud infitior, non omnes & singulos perinde accurate in hoc esse negotio versatos, neque Baronii, & qui hujus insistit vestigiis, Henrici Spondani rationes ad probandum idoneas esse, eas potissimum, quas ab lenitate comitateque Pontificis arcessit, cujus certe impius sim, si temeritatem excusare, & defendere superbiam velim. Perinde ac ab iis discedo, qui Georgium forte Remum, I C Noricorum, secuti in Ottonis Frisingensis,

fis, aut Radevici, silentio causæ hujus præsidium collocant, quos scire oportuit, alterum anno supra millesimum centesimum nono & quinquagesimo, atque adeo longe ante peractam hanc fabulam, obiisse, alterum ultra sexagesimum seculi ejusdem annum historiæ fines non protulisse. *Radevicus de Gestis Friderici II. 11.* ex eoque, non indiligens historiæ Suevorum conditor, *Martinus Crusius, L. X. part. 2. c. 18.*

XVI. Illud sane prudenter idem submovit Remus, causam non apparere, quamobrem tanti rem momenti reticere voluerint superiorum scriptores temporum, hoc magis, quod plerique essent Sedi Romanæ, supra, quam dici potest, addicti, nec ullam temere amplificandi honoris ejus occasionem prætermitterent, profecto nihil tale omissuri, laudemque haud dubie Pontificis interpretaturi, nec parcituri Imperatoris famæ, si firmis quidem certisque argumentis cognitum id habuissent. *Oratione peculiari nec inerudita, & gravi, paulo tamen forte vehementiori, Altorfi Noricorum An. 1625. Eid. Jun. in solenni renuntiatione Doctorum Juris habita.*

XVII. Neque vero percelebrata a Venetis scriptoribus monumenta publica & annales faciunt, causam ut Friderici deseram, quandoquidem non pauca mihi suspicionem movent, haud ejus esse generis, ut firmum probandi argumentum homini cordato præbere possint. Itaque sentio, cum in mentem venit Petri Justiniani, Hieronymique Bardi, qui, cum e publicis Venetorum annalibus aliisque documentis fidem nobis facere vellent, illum desponsandi maris ritum autore Alexandro Pontifice cœpisse, tum vero Josephus Laurentius, Italus, magnique illius Justi Lipsii discipulus, omni asseveratione affirmavit, & ea re ad Dominici Molini, Senatoris Venetæ Reipublicæ autoritatem provocavit, annales & *monumenta Venetorum tradere, multo ante, quam in urbem* (Venetam) *se reciperet Romanus Pontifex Alexander, desponsationem istam celebratam fuisse.* Vario ac erudito, atque ob veterum ritus cognoscendos haud inutili, *Polymathias*, ut inscripsit, *opere, l. 2.*

XVIII. Non aliter ac Sansovinus negavit, plumbo literas obsignandi privilegium ab Alexandro, gratum ut erga Rempublicam animum testaretur, esse impertitum, quandoquidem diu ante Alexandrum plumbeo sigillo sint usi. *Ap. Crusium L. XI. part. 2. c. 8.*

XIX. Ex quibus cognoscere liceat, non raro fallere annales, nec adigi nos posse, fidem ut iis adhibeamus, nisi eruantur isti, ac in lucem mediumque producantur.

XX. Illud autem, me vel non monente, ac per se intelligitur, non facile esse verosimile, ita curam suæ dignitatis omnem abjecisse Martium maximumque Imperatorem, ut tale quid sibi & Augustæ dignitati probrosum perferret, qui certe injuriæ nimis patiens haud erat, ac ne picturam quidem, cum ignominia conjunctam nominis Augusti, tolerare potuit, verum ut ea de medio sustolleretur, serio graviterque edixit. *Radevicus*, illorum scriptor temporum, eoque omni exceptione major, *de Gestis Friderici Ænobarbi, I. 10.*

XXI. Profecto enim tantum abest, ut Sedi Romanæ indulserit nimium, ut quoque in Pontifices, magnitudine spirituum, viriumque fiducia elatos, & rapere assuetos, graviter animadverterit, nec Adriani superbiam non moleste tulerit, quippe quem severe, pro eo, ac rei indignitas postulabat, admonuit, abſti-

abstineret injuriis, & nequid tale inposterum fieret, caveret. *Epistola ad Adrianum, primo, quod sciam, ab Nauclero edita, post ab Ulrico, prouti suspicor, Hutteno, Equite Franco, cujus paulo post mentionem faciam, una cum Adriani ad Fridericum literis, in sermonem Germanicum translata, evulgataque sine anno atque Consule, in forma ordinis, ut vocant, quarti. Conferatur eo quoque vana Pontificis excusatio apud Radevicum I. 22. de Gestis Frid. I.*

XXII. Haud secus officii sui commonuit Alexandrum, Rolindum antea dictum, eumque ubi vocatus ad judicium, se non stitisset, loco movit, & cum ne sic quidem ad frugem rediret, accitoque in criminis societatem Mediolano, turbas identidem novas daret, in hostis numero habuit, & publica proscriptione mulctavit. *Radevicus II. 54. seqq. Otto de S. Blasio, Append. ad Ottonem Frising. c. 13. Stadensis & Urspergensis Abbates, ad an. 1159. aliique.*

XXIII. Nec mitius in perduelles Italiæ urbes consuluit, & fidei officiique immemores castigavit armis & perdomuit, & regiam adeo summamque potestatem, Caroli atque Ottonum exemplo, instauravit, reductis vindicatisque juribus, quæ superiori, parum justa minimeque valitura Henrici *cessione* exstincta, aut imminuta saltem, videbantur. *Gotefridus Viterb. Chr. part. XVII.* Græcorum enim, de transferendo conjungendoque Imperio, machinationes derisit ac contempsit, & Manueli, justum sibi titulum non tribuenti, ac insolenter multa arroganterque scribenti, acerbe respondit, animumque injuriarum haud quaquam patientem vel sic indicavit. *Vid. quæ etiamnum in monumentis Germanicis extant epistolæ, ultro citroque missæ, et quem sæpe adduxi, Radevicus I. 16.*

XXIV. Atque hæc quidem, opinor, causa fuit, quare Imperatorem in puniendo fuisse nimium, ac sæpe modum ulciscendi transiisse, multi nec ineruditi viri existimarint. Id quod cum ex aliis, tum vero potissimum ex iis, quæ cum Hermanno Palatino & Henrico, Leonis nomine appellato, sunt acta, colligi haud obscure posse, censent, quorum alterum, turbatæ pacis delatum convictumque, ignominia notavit, & illorum usu temporum, *canes portare* jussit, alterum desertæ, qua Imperatori tenebatur, fidei suspectum, in publicis regni comitiis damnavit, & Bojoariæ pariter atque Saxoniæ Ducatibus privavit. *De illo vid. Otto Frising. II. 28. de Gest. Frid. I. Guntherus L. V. Ligurini, pag. 357. ed. Reuberianæ, Dodechinus An. 1155. ex recentioribus Cranzius, Sax. III. 15. De hoc exponam sigillatim, atque adeo cum cura, in Vindiciis Henrici Leonis, brevi a me divulgandis.*

XXV. Quo in genere fraudi, opinor, esse mihi non potest, quod autor *Actorum Alexandri*, multis quantumuis suspectus, & meo ipsius judicio, caute legendus, post eumque alii prodiderunt, Imperatorem Pontifici, ex equo descendenti, notum pedis retinaculum suppeditavisse, quippe quod illorum genio temporum, studioque & reverentia sacri Ordinis fecit, neque hac re de dignitate sua temere detraxit, *id quod contra Annotatorem Speculi Saxonici recte asseruit, historiæ pariter ac Juris peritissimus Vir, Jo. Schilterus, de libert. Ecclesf. Germ. V. 1. 8.* Non aliter, ac osculandi pedes Pontificum ritus, quem vulgo ab Hieronymi usque ævo arcessunt, sola specie externa continetur, ac citra ullum subjectionis argumentum, haud raro peragi consuevit.

XXVI. Tanto autem minus, quod Caspar Peucerus, cum eoque alii, objiciunt ab hac me sententia dimoveat, quasi Imperator illorum necessitati temporum aliquid tribuisset, sibique injuriam sivisset afferri, quam alioqui dubio procul

procul non inultam reliquisset. *Chron. L. IV. p. m. 906.* Neque enim, quod de capto a Venetis Ottone, Augusti filio, recentiores narrant accipio, sed in fabulis numero, penitusque rejicio, & falsitatis condemno. Nam, ut taceam, nulla satis idoneo antiquitatis argumento posse probari, illud quoque mihi per esse absurdum videtur, puerum, vix ac ne vix quidem annos natum septem, Classis præfecturam gessisse, componendæque Patrem inter & Pontificem controversiæ actorem quasi autoremque fuisse. *Confer.* immortale Juliæ nostratis decus ornamentumque, *Hermannus Conringius*, de *Finibus Imp. Germ. I. XI. 4.* ante hunc *Lehmannus, erudito Chronico Spirensi, V. 56.*

XXVII. Prorsus ut mirari in mentem veniat, tot tantisque nugis nihil opposuisse Rupertum, accurati alioquin judicii, multæque diligentiæ historicum, quem vel solus ille Reinesius ea de re commonere potuisset, cujus utique consilio is & opera in conscribendo isthoc opusculo utebatur, *loco memorato*.

XXIIX. Id quod nunc quidem eo minus a me prætermittendum esse, duxi, quia magnum in eo causæ suæ præsidium, quasique fundamentum, collocant diffidentes, sed errorem errore cumulant, & vel hoc indicio produnt, meruisse, credulitatis ut æque ac temeritatis coarguantur.

XXIX. Rationibus quidem pluribus adducendis supersedeo, nisi quod de Germaniæ Proceribus, expeditionis itinerisque sociis, subjungere debeo, non facile perpessuros fuisse, indigne violari majestatem Imperatoris, quem tuendum ornandumque omni temporum statu existimavissent.

XXX. Illud autem mea refert, uti conficiam, parum proficere, qui in pictura, quæ Venetiis conspici & hujus rei memoriam asservare dicitur, reperisse autumant, quod meæ sententiæ repugnet. Quod cur affirmem, cum multæ mihi causæ sunt & graves, tum nemo non facile intelligit, qui apud animum perpendit, tantam esse plerunque pictorum vel inscitiam, vel audaciam, ut dum origines rerum & causas ignorant, alucinentur sæpe, & historias ipsi comminiscantur. Quam in sententiam multa nunc a me possent afferri exempla, si quidem id opus esse arbitrarer, neu præsentis ratio instituti, quæ brevem esse me jubet, adversaretur.

XXXI. Unius autem, non possum, quin Caroli M. mentionem injiciam, quem cum plerunque barba promissa ornant, tum historiam Carolinam, quantum in ipsis est, corrumpunt, inscitiamque suam turpiter produnt. Pari modo ipse vidi, cum penicillo exprimerent Magnum illum Ottonem, septem regni Procerum, quos addito *SRI ELECTORUM* titulo notaverant, consessu cinctum, inepte sane, & præter omnem historiæ fidem. Profecto enim graviter imperitus sit, quisquis putet, jam tum Ottonis ætate hanc obtinuisse dignitatem, quam constat longo post tempore cœpisse, nec quod obiter addo, lege sed consuetudine & occasione summorum Imperii officiorum esse acquisitam.

XXXII. Ut taceam hæc talia ad monumenta æqualium, aut proximorum Friderico, scriptorum, qui hac de re tacent, exigenda, nec scriptores ex picturis, quæ plerunque fallunt, sed picturas ex scriptoribus illustrandos esse & confirmandos.

XXXIII. Et tamen, vel unico hoc ab eadem pictura deprompto pigmento, ut vulgarem adversamque sententiam amplecteretur, induci se vinci-

que passus est, inclytus Noricorum Polyhistor, Jurisc. Vagenseilius, perdocta quidem in ceteris illa, quam sex abhinc & viginti circiter annis edidit, ac *de Imperatoribus, qui post Francicos ad interregnum usque Imperio Germanico præfuerunt, inscripsit*, disputatione, rationem sententiæ suæ hanc addens, modo esse nullo credibile, & repugnare curæ integritatique Inclytæ Venetorum Reipublicæ, si permittat, ut in publico, & creando Duci sacro, loco hujusmodi pictura suspendatur, nisi rem vere gestam ita esse, cognitum habuissent.

XXXIV. Verum quantamcunque hæc veri speciem habeant, valde tamen apud me vilescunt, cum mente ac memoria repeto, vulgarem illam, de Noricorum ad Venetos petundarum causa legum suscepta legatione narrationem, quæ falsa prorsus & conficta cum sit, publicisque documentis repugnet, ab ipsis certe Venetis depicta, atque in Aula, ut vocant, quatuor portarum Ducis Veneti collocata ostenditur, quæ hujus rei memoriam asservet. Quantum enim credo, leges quasdam, sigillatim eas, quibus pupillorum saluti prospicitur, & ea re Tutelares appellantur, Noricos a Venetis accepisse, tantum nego, legatione esse impetratas, quas per literas solum esse petitas constat.

XXXV. Atque hanc eandem in sententiam legendus est, qui de publicis Venetiarum picturis libro singulari commentatus est Marcus Boschinus, Italus quidem ille, & Veneti nominis alioqui perstudiosus, sed cui non licuit tam esse confidenti, ut de Noricorum Legatione interpretaretur picturam, quam de municipalis cujusdam in Veneta ditione urbis Legatione intelligendam esse, præter alia, togæ pelliceæque Legatorum fimbriæ, vestimentorum quippe genere illis in locis frequenti, ac in solennibus præsertim Legationibus usitato, docent, ut picturam ipsam, cujus exemplar ipse vidi, contemplanti abunde patet. *Boschin. libro, qui inscribitur, Le Ricche Minere della Pittura Veneziana, p. 9.*

XXXVI. Quæ cum ita sint, nihil dubito, quin hac in sententia, pro qua semel propugnare cœpi, perstem, ac omnem picturæ isti Fridericianæ, Venetiis obviæ, fidem esse derogandam putem, nec meliore loco habeam, quam, cujus meminit & in Vaticano Romæ Palatio asservari testatur Mutius Pansa, quin, inquam, longo post Ænobarbum intervallo confectam, atque ex fabulosis rumoribus desumptam esse, credam. *Mut. della Libraria Vaticana part. disc. IX.*

XXXVII. Neque profecto de nihilo est, & magnam utique dubitandi causam præbet, quod de incerta ac dubia superiorum fama temporum affert Rupertus, prorsus ut in horum actis temporum versanti nihil magis curæ debeat esse, quam ut diligenter omnia perpendat & seligat, suspecta vel dubia separet a veris, inprimisque scriptorum habeat delectum, secus atque vulgo fieri solet, ubi sine discrimine laudantur omnia & approbantur, nec eo, quo par est, judicio examinantur.

XXXVIII. Quo factum est, ut tot aniles nugæ ineptiæque in historiam, præsertim Germanicam, irrepserint, unde postea fabularum, quas vocant, *Romanensium* scriptores ludendi occasionem sumpserunt, quod vel unico de Eginhardo & Imma, ex Carolina historia deprompto, narrationis exemplo declarari potest, confutatæ jam olim *a Baronio ad annum 826*. Similiter ac illam de Hildegarde, Caroli M. conjuge & Talando, narrationem commenti semper loco

loco habui, eo me induci nunquam passus, Lehmanno ut assentirer, qui pro vera historia eam Chronico suo, alioquin pererudito, inserere non dubitavit.

XXXIX. Alias, neque dignas refutatione, nugas, quarum in una eademque Caroli historia, si operæ precium sit, offendamus plurimas, sciens prudensque omitto, reticeoque lepidum, & a Frehero jamdiu explosum, de Vehmico Judicio commentum, nec turpes Turpini de Rolando fabulas arcesso, quibus cum sæpe mihi stomachum movit, tum viros, de historia alioquin Germanorum præclare meritos, decepit indigne ac fefellit. Nisi quod de statuis, quas ab eo nomen sortitas esse, vulgo credunt, obiter addiderim, videri mihi omnino, has non dicundi juris (neque enim Goldastus hic mihi placet) sed plenæ summæque, quam Imperator ibi habuerit potestatis, olim indices fuisse. *Conferat. Vir Illustris, I. F. Rhetius, disputatione singulari de Statuis Rolandinis.*

XL. Atque hæc quidem historiæ mediæ fata cum sæpe mente animoque revoluo, tum sane in hanc devenio sententiam, causam hujus de Friderico fabulæ haud aliam esse, quam sequiorum scriptorum aut credulitatem, aut ignorantiam, quando in origines causasque rerum accuratius inquirere neglexerunt.

XLI. Ut adeo recentiorem ullum hac in re scriptorem pronuntiare, vix patiar, quorum tamen nonnulli, interque eos ipse Onuphrius Panuinius, omnis ille antiquitatis heluo, Jo. Sleidanus, Jo. Cuspinianus, consulto ab hoc, quo jam occupor, argumento abstinuerunt, alii, sed nullis idoneis rationibus inducti, nec fontes magis, quam rivulos, secuti, vulgarem sunt opinionem amplexi.

XLII. Quo ordine precioque, præter scriptores Venetos, ad unum fere omnes, habendi sunt, Huldrichus Mutius, Caspar Peucerus, Lucas Osiander, Jo. Micrælius, Sethus Caluisius, Jo. Balthasar Schuppius, Jo. Jacobus Gotofredi, Jo. Cluverus, Jo. Justus Vinckelmannus, Christianus Matthiæ, Vilelmus Caveus, viri alioquin, omnium eruditorum suffragio doctissimi, & multa laude digni.

XLIII. Ulrico enim Hutteno, viro genere & ingenio vere nobili, omnisque antiquitatis longe peritissimo, atque ut summam ejus laudum complectar, maximo, secundum Lutherum, purioris doctrinæ vindici & instauratori, hoc libentius ignosco, quod ea ætate scripsit, cum adversum Pontificios ab omnibus iretur in arma, ipse vero nonnunquam, seu vi naturæ, qua paulo erat vehementiori, incitatus, seu fiducia justitiaque permotus causæ, justo forte longius abriperetur. Haud secus atque Centuriarum, quas vocant, Magdeburgensium autoribus interdum usu venisse memini, ut nimio quodam calore, sæpe de via deflexerint, scripserintque non raro, quod justam alibi reprehensionem effugere haud quaquam potest.

XLIV. Ita vero constat, opinor, dictis fides, & quod sane volebam, falsitas hujus, de protrito Imperatore, narrationis explorata est, nec attinet, eo plura commemorare, & supervacuum est, referre, qualem postremo vitæ hujus exitum habuerit immortalitate dignissimus Princeps, tametsi me non fugit, de genere mortis diffidere inter se scriptores, quorum alii, * aquis mersum, alii febri correptum, aut suffocatum destillationibus, decessisse tradiderunt, alii machinationibus Romani Pontificis, Soldani hanc ad rem opera usi, sub-

 latum,

latum, incredibili omnium luctu periisse commemoraverunt. *Vid. Diarium Thagenonis, Abbates Urspergensis & Stadensis An. 1191. Epistola Anonymi cujusdam de Frid. I. in Asiam expeditione, Radevico subjuncta, Otto Sanblasianus, Nicetas Choniata, L. II. in Isaacio Angelo, Annales Steronis, Monachi Altaichensis, qui a Friderico initium capiunt, & primo a Frebero, post ab H Canisio auctiores, editi sunt, Martinus Polonus in Friderico I. Vernerus Rolevincius, Vesphalus, Fasciculo temporum, Æt. VI. An. 1184. Bernardinus Corius L. I. Histor. Mediolan. Huldricbus, alii Hugualdum vocant, Mutius L. XVIII. An. 1190. Cranzius Sax. VII. 1. Jo. Cuspinianus in Frid. I. Hieronymus Mercurialis L. IV. variarum Lectionum, Jo. Nauclerus, Jo. Sleidanus, aliique.* In extremo autem illud adhuc commoneri interest, ut num. XXII. in locum vocis *Rolindi*, quæ operarum vitio irrepsit, vocabulum *Rolandi* substituatur.

* Cydno mersum, scriptum reliquit *Monachus Sanblasianus*, c. 35. Is peramoenus Ciliciæ amnis, & Alexandro illo Magno quoque exitialis, Tarsum, urbem Ciliciæ principem, & Pauli, divini vatis, patria nobilitatam, interluit, quem mire dilaudavit, &, *δεξιώτατον ἀπάντων ποταμῶν καὶ κάλλιστον*, appellavit in Tarsica priore Dio, prædicavitque in Arcadicis Pausanias, cui suffragatur Strabo, ille Geographorum seu parens, seu princeps. *Saleph aquis præfocatum interiisse*, reliquit *Arnoldus Lubecensis Chr. Slav. III. 34.* de quo fluvio *vid. Jacobus de Vitriaco*, Aconensis primum in Syria, deinde Tusculanus Antistes, tandemque in Purpuratorum numerum ascriptus *l. 99. Histor. Oriental. & Occident.* libro non inutili, nec laude sua fraudando.



DISSERTATIO XXIX.

EJUSDEM ARGUMENTI.

CAPUT PRIMUM.

§. I.

IMperator Fridericus Barbarossa quot generosi excelsique animi virtutibus emicuit, tot ejus ævi historia tenebris involuta est ac impedita: adeo, ut jam a longo usque tempore de invenienda sincera veritate desperarint Historicorum celeberrimi. Non jam dicam de vitæ ipsius exitu, in quo narrando mirum quantum dissentiunt scriptores, nec fata filii ejus Othonis memorabo, a Venetis horumque Duce Sebastiano Ziano devicti, in quibus æque minus inter eosdem convenit: sed de reconciliatione tantum cum Romano Pontifice, Venetiis facta, nonnulla exercitationis Academicæ caussa in medium producam.

§. II. Nimirum uti ille exemplo Caroli M. asserendæ ab injuriis dignitatis augustæ, cessionisque ab Henrico V. factæ de eligendis Præsulibus recuperandæ cupidissimus erat: ita magnis hoc nomine contentionibus decertandum ipsi

ipsi fuit cum Hadriano IV. & Alexandro III. Pontificibus. Quorum posterior multis fortiter ab Imperatore in Italia gestis, ipsaque æde Vaticana occupata, cum alium contra se electum videret Pontificem, trepidus concessit alio, summis in Cæsarem exsecrationibus detonans. Hic ergo in senium jam vergens, molestiarumque belli pertæsus, haut parva apud Mediolanum accepta clade pacem cum Pontifice Venetiis, ut plerumque refertur, tanquam in urbe extra Imperii fines sita, per Legatos suos fecit, ratamque habuit.

§. III. Addi hic solet a multis, cum & ipse Imperator Venetias se contulisset, ut religione devotionis exsolveretur, Pontificem ad januas ædis divo Marco sacræ collum prostrati conculcasse, additis ex cantico Davidis verbis: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. * Cui cum Imperator respondisset: non tibi, sed Petro, cujus es successor, pareo; illum fortius impressa planta dixisse: Et mihi & Petro. Quidam addunt & hoc, obmutuisse ad ea Imperatorem, ne ad acerbiora irritaretur Pontifex.

* *Psalm 91. v. 13.*

§. IV: Jam ergo vertit inter eruditos quæstio: *Utrum Imperator Fridericus Barbarossa pede conculcatus Alexandri III. Pontificis, notissimum ab eo dictum Davidis audiverit?* Quæ controversia licet ad acquirendam animæ salutem non sit necessaria, non tamen adeo levis est momenti, uti quidem nonnullis rerum imperitioribus videri potuit. Agitur enim de vetustorum monumentorum veritate, deque tot Historicorum fide; agitur de potestate Pontificis, qua hoc in facto abusum eum esse conqueruntur nostrates Theologi; agitur denique non de Imperatoris Friderici solum majestate, sed de dignitate quoque Germanicorum Imperatorum universe, deque nationis Germanicæ præcellentia. Ad quæ omnia Theologo non minus, quam Juris legumque perito, cupidoque negotiorum civilium respiciendum cumprimis est & attendendum studiose.

§. V. Quod qui sibi persuadere non potest, is Bodinum modo legat, infensissimum illum Imperii Germanici hostem, qui tum in hac historia, (a) tum in aliis etiam, adeo de illo contumeliose loquitur, ut præ nimio maledicendi fervore errores subinde committat pueriles. Nam pro Friderico primo dicit secundum, & pro Alexandro III. quartum, insigni profecto memoriæ lapsu. Ut adeo recte judicaverit Bosius, eum non minus censorem requirere, quam lectorem, ob multos, quos habet, nævos. (b) In quibus etiam hunc numerare potuisset, quod affectibus suis & studio in patriam sæpe nimis indulserit, deque Germanorum Rep. inepte judicaverit. Non enim curamus elogium Naudæi, (c) Aristoteli ipsum præferentis, cum & eundem esse sciamus Gallum. Et quis non videt anserem comparari olori, ac doctissimum illum virum, sicut alibi in judicio de scriptoribus ferendo acutus est, ita hic plane esse hebetem. Certe a multis acriter reprehensus est Bodinus, atque ignoratio ejus manifeste comprobata, damnatumque impium convitiandi studium. Nec tamen deterreri hoc exemplo potuerunt Galli, quin potius invehi perrexerint in Germanos. Nomino ex compluribus unum Cassanum, Consiliarium Regis Galliæ, qui anno XXXI. sæculi XVII. mendacia Bodini recoquere non dubitavit, Venetumque Ducem in cœlum pene sustulit. Neque aliter faciunt scriptores Itali, ac cumprimis Veneti, qui hac de conculcatione Friderici historia, tanquam egregio quodam ad Germanos invidia onerandos instrumento utuntur. In eo ergo

ergo totius controversiæ cardo vertitur, utrum hocce telum illis relinquendum, quæstioque a nobis prolata affirmanda sit, an vero perneganda?

(a) *l. 1. de reb. c. 9. p. 217.* (b) *Dissert. Isagog. de comparand. prudent. civ. §. 18. p. 6.* (c) *in Biblioth. polit.*

CAPUT SECUNDUM.

§. I.

Affirmant autem quæstionem nisi a nobis propositam non fine caussa tum scriptores Veneti (a) tum inter exteros potissimum Obbo, sacerdos Ravennas. Exteri autem in hoc negotio dicuntur omnes, qui non sunt Veneti, etiamsi sint Itali. Eminentque inter eos Angelus Politianus, (b) Jacobus Philippus Forestus Bergomas, (c) Johannes Stella, sacerdos Venetus, (d) Bernhardinus Corius, Mediolanensis, (e) Raphael Volaterranus, (f) M. Antonius Coccius Sabellicus, (g) Jo. Baptista Egnatius, sacerdos Venetus, (h) Petrus Justinianus, Nobilis Venetus, (i) Franciscus Sansovinus, (k) Hieronymus Bardus, (l) Alfonsus Ciaconus, (m) citans Gennadium Scholarium, Patriarcham Constantinopolitanum. (n) Quibus addi possent Leonicus Goldionius, (o) Papyrius Massonus, Gallus, (p) & alii multi. Sed quoniam ex illis potissimum sua desumserunt, recte omittuntur. Non tamen silendus Johannes Franciscus Loredanus, (q) Senator Venetus, serio asseverans, infinitos propemodum exstare autores antiquos, qui historiam de conculcato Friderico referant. Atque hi omnes, ut apparet, partim fuere Veneti, patriæ suæ gloriæ velificantes, partim etiam alii, quorum tamen libri a Venetis sunt excusi.

(a) *Hist. lib. 8.* (b) *pro Oratoribus Senensium, in suis Operib. Basil. an. 1553. p. 509.* (c) *Chronic. Venet. an. 1490. excus. lib. 12. fol. 192. b. & 193. a.* (d) *lib. de Vit. Pontif. quorum CCXXX. descripsit.* (e) *Histor. Mediolanens. excus. Venet. part. I. p. 60. a.* (f) *Anthropol. lib. 22. f. 254.* (g) *Rer. Venet. Dec. I. lib. 7. p. 1167.* (h) *exempl. illustr. vir. Venetæ civitatis aliarumque gentium lib. I. c. 2.* (i) *Histor. Venet.* (k) *in Descript. Venet. l. 2. c. 34.* (l) *de victoria navali obtenta a Venetis contra Othonem, Friderici I. Imp. filium.* (m) *de vit. Pontif. p. 470.* (n) *cujus locum huc pertinentem reperire licet in defensione 5. capitum Synodi Florentinæ excus. Rom. 1579. p. 122.* (o) *l. 1. de Mirabil. & Notabil. Venet. pag. 31. an. 1611. excus.* (p) *de Vit. Pontif. in Alex. III.* (q) *in vita Alex. III. an. 1637. Venet. excus. p. 81. ss.*

§. II. E Germanis primus, quantum memini, hanc historiam affirmavit Jo. Nauclerus, Suevus, (a) quem secutus est Jo. Baleus, Anglus. Vixerunt ejus tempore divus Martinus Lutherus, (c) & Philippus Melanchthon, (d) qui idem statuerunt. His & assentiuntur autores centuriarum Magdeburgensium, (e) & incomparabilis ille Theologus Jo. Gerhardus, (f) qui præter alios plurimos etiam allegat Johannem Capistranum. Post horum tempora numerari hoc nomine debent Philippus Mornæus, (g) qui citat Jesuitam Azorium, (h) Jo. Micrælius, (i) Boeticherus, (k) Jo. Lampadius, (l) Thomas Lansius, (m) Matthæus Dresserus, (n) & qui primo loco nominandus fuerat, Isaacus Casaubonus, celebris ille Cæsaris Baronii adversarius. (o)

(a) *Vol. 2. Chronograph. Generat. 40. f. 195. Tubingæ an. 1516. edit.* (b) *Act. Rom. Pontif. p. 255. f. edit. Basil. an. 1558.* (c) Papst Treue *Hadriani IV. & Alexandri III.* gegen Kaiser Friederichen *Barbarossa* geübt / *tom. 8. Jen. Germ. edit.*

edit. 1562. conf. proœm. (d) *in chron. Jo. Carionis, lib. 4. p 906. edit. Francof. ad Mœn. an. 1624.* (e) *Cent. 12. c. 10.* (f) *in epist dedic. part. I. lib II. spec. Conf. Cathol. Jenæ 1634.* (g) *Myster. Iniquit. p. 299. edit. Gor. an. 1662.* (h) *in Moralibus.* (i) *l. 3. Hist. Eccles. sect. I. p. 534.* (k) *Isagog. Hist. l. 1. p. 306.* (l) *part. 3. Mellific. Hist. a Pezelio inchoati pag. 188. Marp. an. 1629. edit.* (m) *Orat. contra Ital. p. 559.* (n) *Millenar. 6. pag. 363.* (o) *in Proleg. exerc. contra Baronium.*

§. III. At professa contra Purpuratum illum opera disputat Cl. Cornelius Frangipanius, (a) qui præter Obbonem & Aicardum (b) etiam alios pro sua sententia ordine recensuit. Sunt autem hi Ægidius, Præsul Avenionensis, (c) Romanus Purpuratus Giacobatius, (d) commentatores Dantis, allegati a Landino, (e) Jo. Villanius, (f) Gennadius Constantinopolitanus, (g) Antoninus, summus Præsul Florentinus (h) & Jo. Trithemius. (i) Quibus aliisque adductis probare conatur, recte fecisse Alexandrum, nec potuisse aliter. Quocirca Fortunato Olmo Casinensi pro perfectore habetur Bardi, qui rem demonstrare voluit ex historia, esse veram, sicut hic justam eandem esse, declarare nisus est ex capite juris.

(a) *Pro historia Papæ Alexandri III. in aula Regia Romæ & majoris consilii Venetiis allegatio in jure, edit. Venet. an. 1615. Italice.* (b) *cujus narrationis huc pertinentis argumentum exhibetur a Berhardino Corio part. 1. histor. Mediolanens.* (c) *in c. sacris, de his, quæ vi metuque.* (d) *de Concil. lib. 1. art. 18. fol 16. col. 1.* (e) *in 18. Cantic. de Purgatorio.* (f) *lib. 1. hist. c. 3.* (g) *loco antea citato.* (h) *part. 3. chron. tit. 22. c. 17. §. 1. col. 4. fol. 185.* (i) *de Script. Eccles. f. 279.*

§. IV. Est hic Olmus omnium operosissime argumentum isthoc prosecutus, omnemque ab historia de victoria Venetorum & conculcatione Friderici mendacii notam detergere voluit. (a) Ac primum quidem provocat ad Obbonem, & alium quendam scriptorem antiquum, (b) itemque ad picturam in conclavi Veneto positam, (c) & inscriptionem monumenti Ducis Venetorum Sebastiani Ziani. (d) Inde etiam affert monumenta manu exarata, (e) Chronicon nempe pervetustum, & testimonium membrorum cœnobii Misericordiæ, in quo exceptum esse Pontificem, hortoque præfectum tradit Jo. Stella. Tum Miletum quendam (f) memorat, cujus & Ricobaldus Ferrariensis meminit, & Dandalus etiam anno cIↃ CCCXLIII. Dux Venetorum electus, testans insuper alium quoque ante hunc eandem historiam descripsisse: qui est Petrus Damianus de Chioggia, (g) non confundendus cum Petro Damiano Ravennate, anno cIↃ LXXX. mortuo. Post adducit testimonium in Bardi libro apparens, quod esse putat Johannis Comitis Brennensis, anno cIↃ CCIX. Regis Hierosolymitani facti, quem antea Friderico Imperatori ab epistolis esse potuisse autumat. Proxime octo producit Latinos versus marmori inscriptos ad Salborium promontorium in Piranensi tractu ad oram Istriæ, ubi commissam ajunt pugnam navalem Venetorum & Othonis filii Friderici, & etiam alios XIV. a Dandalo in veteri quodam libro posteritati relictos, (h) & deinceps post alia tres versus a Gothofredo Viterbiensi scrinii Friderici I. præfecto compositos, quibus ille more suo universam historiam comprehendit. (i) Tandem auctoritate nititur (k) Petri a Vineis Friderico II. Imp. non I. ut Bardus erravit, ab epistolis, eaque quæ magno studio undique conquisivit hic ipse Bardus, (l) & alia plura, non quidem, ut ipse putat, contemnenda.

(a) *Historia de Alexandri III. Pontificis occulto adventu Venetias an. 1177. & de victoria obtenta a Sebastiano Ziano.* (b) *Obboni æqualem, cujus voluminis difficulter*

ter reperti titulus hic est: de Historiis sacræ legis, & antiquitatibus in particulari de memorabilibus Alexandri Papæ III. ut inquit Jacob. *Episcopus Capitensis.* (c) *Conclave illud dicitur:* Il gran consilio. (d) *Ibi*: Binos conjunxit gladios & Marte refulsit. (e) *Quæ inveniuntur in appendicibus* in den Beylagen. (f) *in Chron.* (g) *hujus & Mileti scripta impetrare non potuit Olmus.* (h) *quos vide p. 89.* (i) *Habent vero ita:* Annis ter senis tribulatis schisma recedit. Vincit Alexander tandem, cui cæsar obedit. Paceque consedit, consiliumque dedit. (k) *p. 48.* (l) *nempe a Norimbergensibus, Coloniensibus, Ulmensibus, aliis.*

§. V. Hæc omnia capite percensentur primo, uti in reliquis præcipue refelluntur argumenta sententiæ ipsius contraria. Septimo vero speciatim ad conculcationem Imperatoris deveniens, Baronio opponit Frangipanium, & præterea etiam Saxonem Grammaticum, (a) Ricobaldum Ferrariensem, & Johannem Villanium contra eum adducit. Quibus & adjungit autorem descriptionis itineris Italici, qui est Franciscus Schottus. (b) In ea refertur de lapide quadrato rubro in porta templi D. Marci conspicuo, in quo habetur lamella ærea. Ibi Alexandrum III. Pontificem imposuisse pedes collo Friderici I. Imperatoris, eoque incisum ibi esse dictum Davidis: super aspidem & basiliscum ambulabis, & quæ sequuntur. Quæ licet tum vetustate temporum, tum crebra ambulatione interierint, servata tamen fuit ejus rei memoria, dum religiosi homines vel introeuntes vel exeuntes inclinato capite locum illum venerabundi exosculantur. Quin & magistratus Venetus id semper dedit operam, ut vetus pictura conclavis integra maneret, qua exhibetur pes Pontificis sedentis collum attingens prostrati Imperatoris. Qualis imago etiam Romæ spectatur in conclavi palatii Pontificalis, qua haut parum gloriantur ii, qui historiæ hujus veritatem defendunt.

(a) *lib. 14. hist. Dan. sub finem.* (b) *Part. 1. Itinerarii Italiæ pag. 30. Vicent. An. 1601. in 8.*

§. VI. Post capite octavo dejicere laborat fundamenta, quibus nixus Baronius eandem destruit. Sed mittamus hoc brevitatis ergo, omniaque, quæ afferuntur cæteris capitibus usque ad XXIII. & XXIV. quorum illo examinat ea, quæ Sabellicus, Sansovinus, Justinianus & Faroldus hanc in rem scripserunt: hoc vero de Frangipanii libro supra a nobis nominato agit, ad eumque nonnulla notatu digna observat. Denique ad extremum illi respondet, qui calamum stringens adversus Frangipanium, Baronii sententiam & autoritatem defenderat. Cæterum huic scriptori jungi debet Alexander Maria Vianolius, Nobilis Venetus *, cujus historia Veneta ante annos haut adeo multos in lucem prodiit.

* *Nempe Italice Venetiis An. 1680. in 4.*

§. VII. Quales viros cum præcedentes habuerit, ne insigne Pontificiæ tyrannidis specimen periret, idem Wittebergæ propugnavit M. Jeremias Hoffmannus in dissertatione historica de hoc ipso argumento, (a) Lipsiæ vero M. Jo. Daniel Artopæus in dissertatione contra Baronium. (b) Nec minori contentione Altdorffi pro affirmantium parte dimicavit Wagenseilius, vir omni laude major, & ob doctrinam variam celeberrimus. (c) Is præter vulgata testimonia duo præcipue observare sibi visus est a nemine adhuc producta. Unum est Poëtæ antiqui, Brandimartæ Franconi, qui carmine vernaculo historiam Friderici I. Imperatoris & Pontificis Alexandri III. scripsit; alterum Davidis Gansii Judæi, qui evulgavit Chronologiam. Quibus insuper addidit Jo. Francis-
cum

cum Loredanum, & ad omnia Ruperti infra memorandi dubia respondet. Fortissimum vero argumentum, quo præ cæteris confici negotium, picturam esse putat Venetam, non privato pictoris arbitrio, sed jussu publico factam.

(a) *Disput. Histor. de tyrannica ignominia, quam Friderico Abenobarbo Imp. titulit. Alexander III. Pontif. Witteb. an. 1661.* (b) *Dissert. Anti-baroniana: num Alexander III. Fridericum Barbarossam calcaverit pedibus? Lipsiæ An. 1673.* (c) *Disput. circul. exhibente catalogum Imperatorum, qui post Francicos ad interregnum usque Imperio Germanico præfuerunt, Altdorph. an. 1676. Add. ejusdem Synops. Hist. Peræ scholast. inserta.*

§. VIII. Hancque rationem & reliquas Wagenseilii invictissimas esse affirmat Frider. Leitholffus a Franckenberg, iisdemque permotus Sagittarius, qui antea hanc historiam fictam esse putaverat, (a) mentem deinceps mutavit, ut testatur de eo Jo. Andreas Schmidius, (b) amicus ejus prorsus singularis, qui & Introductionem ejusdem in Historiam Ecclesiasticam perfecit, auxit & publicari curavit. (c) Allegat autem ex dissertatione illa quædam studio excepta Antonius Reiserus, sententiam plane eandem in sua Roma non gloriosa propugnans. (d) Verum M. Michael Hoynovius Regiomontanus (e) omnia ferme transsumsit ex epistolis Zeilleri, ex quibus quæ suæ servire caussæ videbantur, sine ulteriori examine arripuit.

(a) *In Nucleo Histor. Germ. §. 126. pag. 87.* (b) *in Observat. MSS. ad Friderici Spanhemii Introductionem breviorem in Hist. Eccl.* (c) *Vid.* Schmidii *Præf. ad Lect. Introductioni Sagittarii præmissa.* (d) *Vid. eam sæc. XII. pag 467. ʃʃ.* (e) *Exercit. Hist. de Friderico I. Imperatore, ab Alexandro III. Papa pede conculcato.*

§. IX. His deinceps accesserunt e scriptoribus systematicis recentiores magno numero, in iisque Jo. Lætus, (a) Jo. Henricus Heideggerus, (b) Fridericus Spanhemius, (c) Jo. Jacobus Hoffmannus Basileensis, (d) alii. Nec dissentire sustinent Johannes Fechtius, vir in sacra Ecclesiæ historia longe versatissimus, (e) atque e nostratibus Christianus Kortholtus, (f) & Daniel Georgius Morhofius, (g) quem postremum eo adduxisse videtur major affirmantium numerus, autoritasque Melanchthonis, Centuriarum Madeburgensium, Casauboni, Hottingeri, Hottomanni. Et arbitratur, cum in aula Romana tyrannidis suæ specimina jam ante dederit Pontifex in Henricum IV. uti Hadrianus IV. in coronatione Imperatoris Friderici insignem suum ostendit fastum, verisimile omnino esse, Alexandrum III. occasione hac usum, cum in potestate sua & patrem & filium haberet, ut ipsi adeo nequiter insultaret. Kortholti autem argumenta cum publice possint legi, non opus est, hic exponere operosius.

(a) *Compend. Hist. p. 262.* (b) *in historia Papatus p. 106.* (c) *Introduct. brevior. pag. 340. s. edit. Lugd. an. 1694. in 4.* (d) *Hist. Pap. part. 2. pag 171.* (e) *Annot. MS. ad Rechenb. Summarium Hist. Eccles. ad sæc. XII.* (f) *Hist. Eccles. Nov. test. p. 479.* (g) *in Historia universali MS.*

§. X. Nihilo tamen secius exstitere quamplurimi, qui totum hoc factum fictum esse existimarunt. Hos inter primum haut immerito locum occupat Johannes Aventinus, scriptor sæculo XVI. clarus, qui observante Conrado Rittershusio (a) confictum illud pronunciavit ab Italis in contumeliam Germanorum. Unde nec pro firmanda sua de Pontifice sententia illud accepit Cæsar Baronius, Purpuratus Romanus, (b) multos idcirco nactus adversarios. Et Rittershusius nullis fere antiquorum recentiorumve monumentis inconsultis relictis,

idem sensisse docet alios quosdam prudentiores historicos. Porro etiam Georgius Remus, insignis JCtus Noricus, id ipsum commentum esse putidum & affirmavit diserte, & fuse declaravit. (c) Quod & fecit vir omnis historiæ peritissimus, Matthias Berneggerus, (e) cujus quæstiones hoc nomine editas publice defendit, qui postea artem eloquendi apud Argentoratenses professus est, Robertus Kœnigsmannus.

(a) *In not. ad Jov. Frideric. p. 215. s.* (b) *Annal. Eccles. tom. 12. ad an. 1177. num. 68.* (c) *in Dissertatione, quam in solemni ritu Doctor pronuntiatus habuit anno 1625. estque ea evulgata Norimb. anno eodem.* (d) *in Quæst. Historico-polit. publicæ censuræ subditis an. Chr. 1626. respondente Kœnigsmanno.*

§. XI. Provocavit ad hos eruditissimus Altdorphinorum Historicus Christ. Adamus Rupertus, qui omnium acerrime causam tuitus & historiam hanc negantium. (a) Quem licet vehementer incesserint Theologi, quod & ipse impugnaret opinionem omnium fere consensu receptam, conatum tamen ejus magno applausu prosecuti sunt Georgius Richterus (b) & Thomas Reinesius, (c) & doctissimus quoque Dillherrus (d) etiam atque etiam sentententiam ejus collaudavit.

(a) *in Observat. ad Hist. Univers. Synopsin Besoldianam p. 663. edit. Norimb. an. 1659.* (b) *in literis ad Rupertum perscriptis d. 17. Decembr. an. 1643.* (c) *in literis ad eundem Rupertum datis d. 10. Jun. an. 1644.* (d) *ut in sua epistola testatus est Richterus.*

§. XII. Nec tamen putandum, deficere alios, sententiæ ejus adstipulantes. Dudum enim est, quod Guilielmus Kyriander, diligentissimus autor, (a) memoriæ prodidit, fuisse Italos, qui Imperatorem pedibus despectissime conculcatum scripserint, quos Johannes Carion sequatur, quanquam nihil prorsus de tanta re meliores historici & æquales illorum temporum memorent. Atque hic ipse post pauca indicat, multa concurrere, quæ scriptoribus Italicis fidem in hoc adimant. Cui licet plane contrarius fuerit Christophorus Brovverus, scriptor perquam egregius, nec ubivis obvius, ubi de juribus ac privilegiis urbis Trevirensis agitur, (b) in hoc tamen negotio mirifice cum eo consentit. Quod ut manifestum omnibus reddatur, ipsa ejus verba, quæ huc faciunt, proferemus: *Nec voces hic*, inquit, *aut maledicorum clamores ferendi, quibus speciosum hunc pacis reconciliatæ congressum interpellare vani homines audent, cum de Alexandro narrant, calcata pede Imperatoris cervice, illud epimetrum tunc usurpasse: super aspidem & basiliscum ambulabis; quam Pontificiæ & Regiæ majestatis ludificationem merito docti viri & prudentes dudum sibilis exceperunt.*

(a) *Comment. de August. Trevir. part XII. p. 136.* (b) *in libris XXII. Antiquit. & Annal. Trevir. quibus* Jacobus Masenius *præter additamenta Proparasceves & historiæ, tres annalium libros adjecit.* (c) *ex lib. 14. p. 77.*

§. XIII. Præter hos etiam Jacobus Spigelius, Jurisconsultus ac Historicus insignis, & tribus Cæsaribus Augustis ab epistolis (a) totam hanc rem pro commento reputat Italico, motus inter alia silentio Platinæ. Idemque integro capite demonstrat Christoph. Lehmannus, (b) ideo confictam illam esse statuens ab adulatoribus Pontificum, ut augustæ detraherent dignitati. Fuit hic alioqui judiciosissimus ac diligentissimus rerum Germanicarum indagator, cui non minimam partem historiæ Germanicæ ex optimis fideque dignissimis monumentis erutam acceptum ferimus. Unde plerique librum ejus non tam

Spiren-

Spirense, quam Imperii Chronicon vocandum esse existimant. Quid? quod ipso Boineburgio judice (c) major illi debetur titulus, quam Spira vel tota comprehendere valeat. Hunc ergo ut in aliis, ita in hoc quoque argumento secutus sine dubio Hermannus Conringius (d) quæ de Alexandro Pontifice Cæsari venerabundo proterve illudente afferuntur, fabulam esse dicit, jam dudum inter commenta damnatæ fidei numeratam a multis, in iisque etiam ab Andrea Dinnero. Nec refragantur hisce viris Germanicæ non minus quam aliarum gentium historia peritissimus Martinus Zeillerus, (e) qui etsi præcipuos eorum possedit, a quibus vehementissime pro hujus historiæ fide est depugnatum, non tamen permoveri eorum argumentis potuit, ut ipsorum sententiæ accederet.

(a) *in notis ad Guntheri Sæculi XII. Poëtæ Ligurin. lib. 10.* (b) *Chron. Spirens. lib. 5. cap. 56. pag. 504. edit. Francof. ad Mœn. an. 1662.* (c) *in epist. Lambec. lib. 2. rer. Hamb. præfixa.* (d) *de finib. Imper. Germ. lib. 1. c. 11. p. 139.* (e) *Cent. 3. epist. 7. p. 227.*

§. XIV. Ego, si quidquam judicare valeo, primas inter eos tenere arbitror Fortunatum Olmum, qui autorem Actorum Alexandri III. & Chronicon summi Præsulis Salernitani Romualdi nequidquam adductos a Baronio esse asseveravit. (a) At huic se opponens Felix Contelorius Cæsius, criminationes ab iis scriptoribus depulit, Cæsarisque Baronii autoritatem a calumniis vindicavit, & narrationem de concordia inter Fridericum I. & Alexandrum III. Venetiis confirmata ad veritatis scriptum stabilivit. (b) Et quid non sperandum in impedito hoc argumento a tam literato viro, bibliothecæ Vaticanæ custode, ac tandem Cameræ Apostolicæ, ut vocant, Commissario. Quocirca facile credimus, quod testatur Lud. Jacobus, (c) consentire ei N. Bardium, qui explicationes conscripsit picturarum palatii majoris D. Marci. (d) Laudat vero idem concordiam Alexandri & Friderici, ab Andrea Saussaio consignatam.

(a) *libell. de Alex. III. occulto adventu Venetias c. 8. & 9.* (b) *in Notis & Animadversionibus, editis Parisiis an. 1632.* (c) *in Bibl. Pontif. l. 1. p. 9.* (d) *ed. Venet.*

§. XV. His ex Pontificiis adjungimus Natalem Alexandrum, hominem Gallum religiosi ordinis, (a) qui non veritus liberius scribere contra Pontificem, & impugnare Baronium. Defensurus enim erat libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, eamque ob caussam gravi admodum censura notatus est ab Innocentio XI. quam tamen insuper habuit. Addendus ei clarissimus inter Romanæ sectæ doctores Josephus Mezgerus, (b) cujus verba cum brevia sint, adscribam: (c) *Quod quidam scripserunt, in eo congressu Alexandrum demittentis se ad pedes illius Friderici caput pede calcasse, addito Psalmi versu: super aspidem & basiliscum ambulabis, &c. melioris notæ autores, tanquam fictitium, merito explodunt.* Citantur autem hoc nomine in ora libri Baronius, Spondanus & alii cum autore gestorum Alexandri & Romualdo Salernitano.

(a) *in Hist. Eccles. quam complexus est tomis 32.* (b) *in Historia Salisburgensi edita Salisburgi an. 1692. in fol.* (c) *ex libri 4. cap. 18. p. 411.*

§. XVI. Quin & ipsum Urbanum VIII. literatissimum Pontificem ac sapientissimum ab horum sententia non fuisse alienum, præter alios etiam a Caramuele * annotatum reperimus. Estque hic ipse, qui verba picturæ Romanæ jussu Pii IV. Pontificis adscripta mutari curavit, quod nec ipse etiam Olmus diffiteri potuit. Hæc dum scribo, eorum subit recordari, quæ a certo mihi

 autore

autore sunt relata. Urbanum imaginem quandam, qua eadem exhibita fuit historia, in publico positam, noctu delevisse. Quam cum refecerit Innocentius, lecta publice in eo loco fuisse hæc verba: *Hanc Venetam fabulam Urbanus inurbane delevit: at Innocentius innocenter restituit;* innocenter, hoc est, simplici quadam ac stolida animi superstitione.

* *n, 364. S. R. Imperii pacis licitæ p. 249. seq.*

§. XVII. Accessit & negantium partibus Philippus Andreas Burgoldensis, (a) multa egregia ex autoribus argumenta cumulans, eoque omnino dignus, qui hic evolvatur. Nec tacendus Georgius Hornius, cui eandem fuisse mentem ex ejus Orbe Imperante (b) perspicitur. Nam etsi alibi bis (c) sine ulla hæsitatione memoravit, Fridericum Barbarossam pede Alexandri III. esse conculcatum, postea tamen re accuratius perpensa, vulgarem hanc esse traditionem affirmavit, potioremque eorum, qui factum negant. (d) Quam cum in animadversionibus suis impugnarit Joachimus Fellerus, hoc ipso affirmantium cœtui sese aggregavit. Contra vero Sagittarius, qui & ipse cum Hornio rem fabulosam habuit antea, lecto Wagenseilio veram eandem esse pertendit, ut supra indicavimus. Post hos Ludovicus Libhardus defensionem conscripsit pro Friderico Imperatore, quem a Romano Pontifice pedibus conculcatum esse nonnulli scribunt. (e)

(a) *ad Instrument. Pac. Osnabrugo-Monast. part.* I. *p. 274.* (b) *p. 51. edit. Francofurt. cui animadversiones addidit* Joachimus Fellerus. (c) *Hist. Ecclesiast. p. 362. edit. Lipsiens. cum annotationibus* Daniel Hartnaccii, & *Orb. polit. p. 18. edit. Francofurti cum animadversionibus* Othonis Menckenii. (d) *verba sunt ipsius* Hornii, *quibus iisdem utitur* Burgoldensis *l. c.* (e) *edita est hæc Apologia Baruthi an. 1668.*

§. XVIII. Et qui omittam celeberrimum hujus ævi nomen, Conradum Samuelem Schurtzfleischium, disertis alicubi verbis pronunciantem, (a) præter verum esse, quod vulgo approbant, Fridericum I. genibus Alexandri III. advolutum, subter Pontificis calces procubuisse. Cui præter compendium Historiæ Ecclesiasticæ Gothanum, (b) jungi debere videtur Rechenbergius, (c) ad autoritatem Baronii, Remi, Ruperti & Conringii, narrationem istam pro commento Italorum habentium, provocans.

(a) *in Not.* ***** *ad dissert. quid expediat imperio?* (b) *lib.* II. *c. 4. sect. 4. p. 618.* (c) *Summar. Hist. Ecclesiast. period. 4. cap. 2. §. 34. p. 363.*

§. XIX. Ex dictis ergo manifestum est, alios quæstionem a nobis propositam affirmare, alios vero negare eandem, & utrosque quidem rationes pro sua sententia stabilienda solicite conquirere. Sunt & qui vel plane hac de re silent, vel judicium suum prudenti consilio suspendunt. Ut adeo diversa sententium multitudine difficile omnino impeditumque sit argumentum, in quo pertractando nunc occupamur.

CAPUT TERTIUM.

Nos ut ad negantium transeamus partes, multæ eæque gravissimæ rationes faciunt. Desumitur autem

I. *A fide suspecta Italorum* antiquorum pariter ac recentiorum, qui partim adulationis in Pontificem, partim invidiæ odiique in Germanos manifesti, hanc rem tradidere;

II. *A dubiæ narrationis notis:* FERTUR, DICITUR, item ADDUNT, TRADUNT ALII; quales deprehenduntur in vetustissimo omnium, quem reperire licuit, Obbone Ravennate, itemque Petro Justiniano, Senatore Veneto, prudentioribusque aliis.

III. *A silentio scriptorum æqualium*, ut autoris Actorum Alexandri MS. Romualdi Salernitani, Christiani Moguntini Præsulum, Conradi Urspergensis, Ottonis de S. Blasio, &c. qui alioqui gesta Friderici I. & Alexandri III. professa opera diligentissime enarrarunt;

IV. *A discrepantia adversarum nobis partium* in loci, temporis aliarumque rerum designatione, quæ apertum falsitatis indicium est.

V. *Ab ingenio Friderici*, Imperatoris magnanimi, suæque dignitatis in utraque fortuna tenacissimi: qui cum leviores injurias non pertulerit, graviorem hanc publice inspectantibus omnibus minime tolerasset.

VI. *A studio Germaniæ procerum in Imperatorem*, qui nec in ipsa Italia fuissent permissuri, tam indigne violari caput suum.

VII. *Ab inconvenienti*, cum omni lite ac dissensione jam composita, Imperator magna cum pompa & plausu Venetias ingressus, per aliquot dierum hebdomades amice cum Pontifice versatus sit.

VIII. *A multitudine mendaciorum*, quibus historiam Friderici contaminatam esse constat.

Neque quidquam ad contradicentium probationem facit, quando vel ad monumenta publica, vel ad picturas, vel denique ad lapidem Venetum provocant. Quæ omnia cum fusius, ut mihi proposueram, ostendere, per chartæ temporisque angustiam non liceat, vel invitus filum hic abrumpo, reliqua alii tempori occasionique opportuniori servaturus.



DISSER-

DISSERTATIO XXX.

HISTORICO-CRITICA

FABULAM DE FRIDERICO I. IMPEROTORE A PONTIFICE ROM. PEDIBUS CONCULCATO REFELLENS.

§. I.

INTER Philosophiæ laudes non postremam statuo eam, quod ad rite eruditeque tractandum historiarum studium in omni vita apprime utile ita necessaria est, ut sine ejus adminiculo neminem boni historici mensuram implere posse, persuasissimum habeam. Ut enim omittam, Philosophiæ imperitum ex scribenda historia industriæ suæ optatos fructus capere haudquaquam posse; quomodo, quæso, lector historiarum verum a falso dignoscet, nisi ex Logica doctrinam de verosimilitudine, ex Ethica diversos hominum mores, & ut ita dicam, Genios ex Politica varia in variis statibus consilia & artis sibi perspectas reddiderit? Philosophiæ igitur neglectui tribuendum est, quod tot fabularum ac suavium nugarum *infelix lolium & steriles dominantur avenæ* in campo historico, nec antiqua solum historia iis scatet, sed & recentior, civilis pariter & ecclesiastica. Sæpius proinde optavi, ut doctus aliquis vir, nec minus in Philosophia, quam historia versatus, accuratam scriberet *de Criteriis fabularum* commentationem. Quæ cum multa sint, hic tantummodo illud commemoro raro fallax fabulæ indicium, quando historiæ alicujus fides nonnisi pictura aliqua nititur. Uti enim *pictoribus atque poëtis quidlibet audendi semper fuit aeque potestas*; ita sæpenumero accidit, ut pictoris alicujus lepidum commentum tractu temporis veræ historiæ auctoritatem nancisceretur. Neque vero jam loquor *de erroribus pictorum*, qui ex ignorantia veram historiam falso additamento vel inepta repræsentatione depravarunt, de quibus egerunt jam alii: sed *de historicorum erroribus*, qui ex pictorum non errantium, sed verum ingeniose ac διὰ τῶν συμβόλων repræsentantium monumentis traxere originem.

§. II. *NAMQUE* & in eo pictores communem cum poëtis sequuntur morem, ut ficta specie res gestas induant, veritatemque ingeniosis occultent imaginibus ac veluti ænigmatibus. Quam in rem concinne *Tertullianus lib. de Resurrect. carnis cap. 30. Figmentum*, inquit, *veritatis in imagine est.* Nec enim solum *poëticæ*, verum etiam *pictoriæ* reperiuntur *fabulæ*, quas par est circumjecta veste nudare, & veluti cortice detracto eruere nucleum. Ut exemplis quibusdam, iisque ex historia ecclesiastica petitis, id, quod dixi, illustrem ac stabiliam, meminit *Erasmus* in colloquio illo, cui titulum Πτωχοπλουσίων sive *Franciscanorum* præscripsit, picturæ cujusdam, in qua vulpes concionabatur, a cujus tergo anser collum

collum e cucullo exserebat: rursum lupus absolvebat confessum peccata sua, sed prominebat pars ovis occultatæ sub veste: denique simia assidens ægroto in veste Franciscana altera manu præferebat crucem, alteram habebat in crumena ægrotantis. Pari modo *Lutherus* libellum edidit contra Pontificem, cui præfixa pictura referebat hunc sublimi in solio sedentem, quem circumsistentes aliquot Cardinales caudis vulpinis ad longurios alligatis, veluti scopis, omnia sursum deorsum repurgabant, teste *Sleidano Comment. de statu Relig. & Reip. lib. XII. ad An. 1538. fol. m. 281. a.* Immo, nisi memoria me fallit, alio loco idem historicus testatur, eo tum temporis excrevisse ejusmodi contumeliosarum picturarum licentiam, ut publico edicto vetari eas oportuerit. Etiam contra *Erasmum, Reichlinum & Huttenum* turpes ejusmodi picturas magno numero in vulgus editas esse, testatur illius ævi scriptor a Celeb. *D. Struvio* publicatus *Act. litter. Fascic. II. p. 105. §. 14.* Ejusmodi vero picturæ caliginosis illis temporibus, quibus Roma superstitiosa caput erat orbis terrarum, non fuerunt raræ, subinde quibusdam errores ac flagitia Romæ detestantibus. Solebant enim ejusmodi picturas comminisci, quod veritatem palam profiteri minus tutum esset, picturæque illæ varias admittebant interpretationes, ex quibus eligi ab auctore poterat ea, cui minimum superat periculi. Hujuscemodi picturam de asino pœnitentiario recenset *Flacius in Catalogo testium veritatis p. m. 764.* idemque *pag. 738.* meminit, editas esse ab *Osiandro* quasdam propheticas picturas cum scholiis Germanice & Latine, quæ, ut ejus præfatio testetur, ferme ante trecentos annos ab aliquo pio pictæ fuerint. Alias quoque picturas, quæ veritati illa tempestate testimonium perhibuerunt, affert *Jo. Conr. Dietericus in Auctario Catal. Test. Verit. p. 285. seqq.* quo lectorem brevitatis studio ablegamus. Collegit quoque complura hujus generis exempla singulari dissertatione *D. E. S. Cyprianus*, quam sic inscripsit: *Pictura testis veritatis*: quanquam ea, quæ adduxi, diligentiam ejus subterfugerunt.

§. III. *EX* his, quæ jam protuli in medium, exemplis, quorum plura subjiciemus in ipsa nostri argumenti tractatione, luculenter patet, minus prudentis esse, picturæ credere, inprimis tali, quæ alterius ignominiæ destinata est. Namque & hodie sæpe solent, potissimum apud Batavos, in Galliæ regem aliosque contumeliosi nummi cudi & in vulgus emitti: unde si qui forte post aliquot sæculorum decursum historias fabricare volent, magnæ sane imprudentiæ edent documentum. Quod ipsum tamen jam a multis non satis caute historiam tractantibus factum esse, demonstrare aggredior hac & pluribus deinceps, si DEUS voluerit, dissertatiunculis. Afferam enim ejusmodi picturas, quæ permultos induxerunt, ut pro vero haberent id, quod duntaxat elegans est veritatis involucrum. Qua in re intra limites ecclesiasticæ historiæ me continebo, & quia labor hic noster angustis definitus est spatiis, litabo brevitati, uberiorem tractationem vel aliis relinquens, vel aliud in tempus differens.

§. IV. *NEC* vero sæculorum ordinem in afferendis exemplis sequar, sed primo jam loco ostendam illius fabulæ originem, quæ non paucis imposuit, tradens, *Fridericum I.* Imperatorem *Barbarossæ* cognomento insignem, ab *Alexandro III.* Pontifice Romano pede fuisse conculcatum. Est quidem ea jam a multis explosa: sed quia in ejusmodi controversiis, ubi utrique dissentientium parti speciosa suppeditant argumenta, nihil utilius est ad errorem ex animis credulorum prorsus evellendum, quam si ejus erroris origo & velut incunabula monstrentur, non vereor, ne opera mea sit supervacanea. Pro fabula autem historialem illam habent præter celeberrimos Reformatos, *Ge. Hornium, Grævium, Perizonium*, aliosque, e Lutheranæ religioni addictis *Conr. Rittershusius, Ge. Re-*

Ge. Remus, Berneggerus, Koenigimannus, C. A. Rupertus, Ge. Richterus, Tho. Reinesius, Dilherrus, Zeilerus, Conringius, Andr. Dinnerus, Oldenburgerus, Boeclerus, (in *Comp. Hist. Eccl. Gothano,*) *Jo. Conr. Dieterichius, Schurtzfleischius, Rechenbergius, Ge. Schubartus, Jo. Schilterrs, Cellarius, Joannes Sleidanus, H. Meibomius, Joannes Buno, Jo. Eisenhartus, Christoph. Lehmannus, Casp. Sagittarius, D. Struvius, D. I. B. Majus,* qui in singulari dissertatione An. 1701. edita plerosque, quos nominavi, adduxit: ut doctissimos quosque ex Pontificiorum coetu silentio præteream. Producenda vero est prius sublesta illa relatio, quæ cum a multis descripta sit varie, sequi placet *Hartmannum Schedelium*, qui in *Chronico* suo, quod vulgo *Norimbergense* appellitatur, *fol.* 202. *b.* hæc scripta reliquit: *Quo foedere inito Alexander Pontifex confestim ad januas templi D. Marci accessit. Et ibidem universo adstante populo Imperatori jussit, ut se humi prosterneret, & veniam denuo postularet. At Pontifex Cæsaris collum pede comprimens ait: Scriptum est,* super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. *At Fridericus;* Non tibi, *inquit,* sed Petro, cui successor es, pareo. *At Pontifex:* Et mihi & Petro. *Ac sic inter Imperatorem & Pontificem pax est composita.* Quæ eadem ferme verba habentur in codice MSto Veneto, quem citat *Baronius ad An.* 1177. *§.* 4. item in *Jo. Naucleri* Chronico *Vol. II. gener.* 40. & *M. Anton. Sabellici lib. VII. dec. I. de rebus Venetis.* Unde patet, hos omnes ex codice MS. Veneto hanc historiolam hausisse. Ex quo simul manifestum est, lapsum esse *Dn. D. Majum,* cum e Germanis primum *Nauclerum* eam historiam retulisse existimat.

§. V. *NON* jam commemorabo, quod illa historia testimonio scriptorum *Friderico I.* æqualium destituatur, quorum tamen complures & Imperatoris illius & Pontificis vitam dedita opera descripserunt: nec aliis ad eam refellendam utar argumentis, quæ breviter proposuit laudatus *D. Majus.* Quanquam nec *Lehmanni* argumenta pondere suo carent, qui *lib. V. Chron. Spir. cap.* 56. fabulam esse evincit (1) ex historicorum ejusdem ævi silentio, (2) ex Romualdi, Episcopi Salernitani, qui ipse interfuit colloquio Papæ & *Friderici I.* relatione contraria, (3) ex magnanima *Friderici* indole, (4) ex eo, quod Imperator & Pontifex per totum mensem Venetiis permanserint & amicissime inter se vixerint. Tantum illud urgeo, quod fidem huic rei nil conciliet præter picturam, ipsam omni fide destitutam, de quo dicere possis illud *Virgilii eccl. II.* 17. *Nimium ne crede colori.* Describit autem picturam illam præter alios *D. Jo. Fabricius* in Oratione *de utilitate Itineris Italici pag.* 9. hisce verbis: *Venetiis in vestibulo templi D. Marci lapis loquitur quadratus, quid Papa Alexander III. fecerit Friderico Barbarossæ Imperatori, quod nimirum in terram ibi prostratum Monarcham pede conculcaverit, verbis hisce adjectis:* Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. *Quæ historia sapientissimorum Senatorum jussune dicam an permissu? denuo depicta cernitur in angustissimo palatii Ducalis loco, qui Consilium Magnum dicitur, & Justitiæ, quæ Veritatem complectitur, sedes est. Ipsa autem pictura, ut curiositati vestræ satisfaciam, ita se habet: Papa stans, brachiisque a Venetorum Duce & Cardinali quodam suffultis, pede sinistro cervicem Imperatoris gradibus solii pontificii incumbentis comprimit, in eumque, quasi hoc ipsi agendum esset, superbos oculos intendit, maxima hominum multitudine sacram tragoediam pariter spectante.* Addit *p.* 27. *exiguum esse eum lapidem, soleam pedis humani vix superantem, operis tessellati & varii coloris.* Et *pag.* 28. refert, posteriorem picturam auctorem habere *Zuccarum* quendam, cujus ipsius verba picturæ subjecta testentur, eam pictam esse sub finem sæculi XVI. nisi forte scribendum est, sæculi XV. vel XIV.

§. VI.

§. VI. *CUM* ipitur sola hæc pictura, quicquid est illius historiæ, nitatur, ecquis non videt, quam lubricum hoc sit fundamentum? Adi sis *Jo. Eisenbartum* lib. *de fide historica* cap. XI. §. 22. Quod ut plane evertatur, plures hoc loco producam picturas alias ἐκ παραλλήλου, quibus simile argumentum repræsentatur, quas tamen nemo, cui cor sapit, pro instrumento cognoscendæ veritatis admiserit. Nimirum eodem illo sæculo, quo id contigisse traditur, Papa *Innocentius II. Lotharium* Cæsarem ad pedes suos prostratum & coronam Imperii expetentem pingi jussit, cum superba illa inscriptione, quam ex *Sigonio* & *Trithemio* affert *Spanhemius Comp. Hist. eccl. p. 339.*

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores:
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Addit *Flacius Catal. Test. Verit. p. 341.* ex *Radevico*, *Fridericum I.* nostrum, cum aliquando Romam venisset, & mendacem illam picturam de *Lothario* Imperatore conspexisset, ægerrime id tulisse, ac sedulo cum *Hadriano* Papa egisse, ut illa pictura tolleretur. Quis jam miretur, exiguo temporis intervallo post, similem picturam in *Friderici I.* ludibrium excogitatam fuisse, ut repræsentaret Imperatorem, qui maximo semper animo obviam ivisset perniciosis Paparum conatibus, tandem *Alexandro* necessitate cedere coactum. Adjungo alterum geminæ indolis exemplum. Narrat *Alciatus* in epistola ad *Calvum*, quæ extat inter *Gudianas* pag. 90. *Frobenium* in secunda editione *Erasmi* in Novum Testamentum liminarem pagellam pictura insignivisse, qua *Quintilium Varum Arminius* superat, victoque insultat hoc dicterio: *Tandem, vipera, sibilare desiste.* Quis, quæso, tam inops mentis est, ut, quæ hac pictura exhibentur, revera accidisse credat? Jam vero nec historia illa de *Friderico Barbarossa* firmiore fundamento innititur. Sequitur pictura παράλληλος tertia. Paucis abhinc annis nummus prodiit in publicum, in quo hodierna Britanniæ regina conspicitur ante pedes prostratum habens regem Galliæ, superpositis his verbis: *LUDOVICUS MAGNUS, ANNA MAJOR;* & margine ita inscripto: *Dominus tradidit eum in manus feminæ, Judith. XVI.* Videatur der neubestellte Agent in der sechsten Depeche zweyter Fonction pag. 513. ubi illud numisma describitur, & in fronte illius fasciculi repræsentatur. Quam quæso ridiculum esset, si quis ducentos post annos hinc conaretur probare, Reginam Angliæ cum *Ludovico XIV.* certamine singulari congressam esse, & cum vicisset, exclamasse ex sacris: *Dominus tradidit eum in manus feminæ.* Hujusmodi enim picturæ non literalem, ut Theologi loquuntur, sensum habent, sed symbolicum, sed mysticum. Accedit, quod pictores ex libidine assentandi res sive bene sive male gestas plerumque in majus extollunt: id quod quarto jam exemplo confirmabo. Refert nimirum *Lactantius* in libro *de mortibus persecutorum cap. V. n. 3.* miserum *Valeriani* Imperatoris & fœdum fatum his verbis: *Rex Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerat aut vehiculum adscendere aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat ac terga præbere, & imposito pede super dorsum ejus, illud esse verum dicebat, exprobrans ei cum risu, quod* (vulgo perperam legitur *non quod*) *in tabulis aut parietibus Romani pingerent.* Quem locum *Cellarius* doctissima isthac annotatione elucidavit: *Mos,* inquit, *fuit, principum gesta in tabulis pingi & in parietibus illustrari.* Adductisque ad id comprobandum *Capitolino* & *Herodiano* pergit: *Et sic haud dubie aliorum quoque principum non tantum gesta, quam vota, sæpe repræsentata fuerunt: ubi adulatio quoque suum adjecit, victos Parthos &* pedibus conculcatos *confingent.* Applices hoc velim, cordate lector, ad picturam de *Alexandro III.* & *Friderico I.* & agnosces, tum quoque pictorem in gratiam Pontificis, cui assentabatur, majo-

majora vero tradidisse, adeoque mentitum esse, scilicet *ut placeret populo, quam fecisset fabulam.* Fervebat enim ea tempestate tota Italia mutuis Guelphorum & Gibellinorum odiis, quorum illi a Pontificum, hi ab Imperatorum partibus stabant, & alteri alteros quibuscunque poterant modis exagitabant atque adeo vexabant. Verum nondum acquiesco, sed & quintum exemplum æque παράλληλον ac memoratu dignissimum adducam. Nimirum instructissima Bibliotheca *Tho. Crenii*, V. C. Lugduni Batavorum videre mihi licuit Ms. codicem hoc insignitum titulo: *Telesfori Presbyteri & Eremitæ liber de vaticiniis suis.* In hoc libro singuli Imperatores & Pontifices ab A. C. 1277. usque ad An. 1378. brevissime descripti erant, adjectis Paparum iconibus, facta moresque eorum referentibus. Simul vero subjectum erat de unoquoque Papa veritatis testimonium. Qua strenua veritatis professione auctor ille adversarium sibi excitavit. Nam eidem MSto codici alius liber itidem MStus erat subjunctus, continens *Magistri Henrici ab Hassia* Confutationem illorum vaticiniorum. Sed redeo ad *Telesforum*, inter cujus picturas quædam Pontificem nescio quem (nam memoria excidit) repræsentat clavam manu tenentem, eamque impingentem capiti adstantis aquilæ. Neminem equidem arbitror aliter esse eam picturam interpretaturum, quam quod Pontifex intolerando fastu tractarit ac plane sub potestatem suam redigere studuerit Romanos Imperatores, sub imagine aquilæ repræsentatos. Sed desino exemplorum. Nam *aut hoc satis est*, ut ille ait, *aut nescio, quid sit satis.* Cum itaque sola illa pictura sit fundamentum illius historiæ, ecquis sapientum jam ferat eorum soloecismum Logicum, qui plane aniliter sic argumentantur: *In pictura apparet Papa, collum Cæsaris pede feriens, supra scriptis verbis:* Super aspidem, cetera: *Ergo Papa & id fecit & id faciens ea verba adjunxit.* Inde enim id plane non posse effici, ex jam dictis abunde perspicuum est. Quanquam illud facile largior, ejusmodi ratiocinationem esse alienam a stupiditate & ἀκρισίᾳ seculi XIII. ac XIV. quibus hoc historiæ monstrum natum & nutritum fuit.

§. VII. *HINC* jam lucide apparet, fabulam illam de Friderico Barbarossa a Papa ludibrio habito eliminandam esse ex historia, cum non adsit ullus testis fide dignus, & fundamentum ejus ex pictura desumtum jam labefactatum sit atque convulsum. Quod enim inter posteriorum temporum scriptores tantus est affirmantium numerus, (quos tamen omnes secutos esse unum codicem Ms. Venetum, eumque non vetustissimum, jam supra §. IV. monui,) ad rem nihil facit, cum nulla, quantacunque fuerit, hominum conspiratio fabulam convertere possit in veram historiam. Adi, si placet, subtilissimum illum *Lockium lib. IV. de intell. hum. cap. 16. §. 10.* Deinde ad tot credulos auctores jure accommodaveris *Virgilianum* illud *Æneid. IV. 188. Fama est tam ficti pravique tenax, quam conscia veri.* Accedit, quod inter ipsos illos scriptores cordatissimus quisque ita eam historiam recenset, ut dubitationem neutiquam dissimulet, hujus modi usus additamento: *ut ferunt, traditur, fama est.* Nec desunt, qui vel silentio suo, vel plane contraria narratione manifestum faciunt, quantum fidei habendum sit plebejæ illi narratiunculæ. Inter quos *Arnoldus*, Abbas Lubecensis, illius ipsius ætatis scriptor, *lib. II. Chron. Slav. Cap. 16. §. 4.* non solum vulgatam historiam omittit, sed Papam a Cæsare, non Cæsarem a Papa in gratiam receptum esse commemorat. *Reconciliatus est*, inquit, *Papæ Alexandro, & eum, cui diu adversatus fuerat, tunc in pace recepit.* Luculentiora sunt *Acta Vitæ Alexandri*, in quibus, repetente *Baronio Annal. Eccles. T. XII. ad A. 1177. §. 23.* hæc leguntur: *Imperator tanquam Catholicus Princeps accessit ad præsentiam ipsius Pontificis, qui ante fores ecclesiæ S. Marci cum fratribus suis Cardinalibus residebat, in communi unionem pacis exspectantibus:* &

& deposita chlamyde prostravit se in terram, & deosculatis Pontificis pedibus, vere pacis osculum ipsi devotissime dedit. Tunc repleti sunt omnes gaudio magno, & prae nimia laetitia vox clamantium, TE DEUM LAUDAMUS, *insonuit usque ad sidera, statimque Augustus apprehensa Pontificis dextera, cum canticis & laudibus usque ad chorum ecclesiae ipsum deduxit, & inclinato capite benedictionem ipsius reverenter suscepit.* Quibuscum prorsus consentit *Romualdus*, Archiepiscopus Salernitanus, qui illis solennibus interfuit, & ea, quae oculis ipse suis viderat, literis consignavit. Ita autem ille, citante *Baronio* §. *68.* *Cum Imperator ad Papam appropiasset, Imperiali dignitate post posita, rejecto pallio, ad pedes Papae totum se extenso corpore inclinavit. Quem Alexander Papa cum lacrymis benigne elevans, recepit in osculo & benedixit, moxque a Teutonicis* Te Deum laudamus *est excelsa voce cantatum.* Adde ipsius Papae epistolas, super hac re ad diversos scriptas, quas itidem producit *Baronius*, cujus *Annales* ad errorem hunc confutandum potuissent sufficere, *si mens non laeva fuisset* lectoribus. Colligo hinc novum argumentum non exigui ponderis. Nimirum cum vulgaris illa relatio ad majestatem Papae amplificandam comparata sit, & eo tendat, ut Caesarem credamus necessitate tum adactum esse ad ferenda duriora: e contrario scriptores jam producti, qui tamen rebus Papae non obscure student, uno ore tradunt, majoris interfuisse Papae, ut cum Caesare rediret in gratiam, quam Caesaris, ut cum Papa. Immo Papam tum Imperatori cedere coactum esse, & quidem in re maximi momenti, ex illis ipsis *Actis* patet, in quibus, citante *Baronio* §. *36.* refertur, Imperatorem sub discessum suum a Papa rogatum esse, ut ipsi possessiones S. Rom. Ecclesiae confirmaret, sed illum id temporis recusasse, voluisseque, ut res illa accurato subjiceretur examini. *Quod* (en verba *Actorum!*) *licet Pontifici grave nimis & durum fuerit, ne tamen occasione ista ecclesiae pax turbaretur, voluntati ejus* (Imperatoris) *tandem assensum praebuit.* Sed ut ad vetustissimos scriptores redeam, qui plane silentio id praetereunt, est in eorum numero *Vincentius Bellouacensis*, qui tamen dimidio seculo post mortem *Friderici I. Speculum suum historiale* conscripsit, & sine discrimine veri falsique congessit, quaecunque vel legisset vel auribus percepisset. Videatur de eo *Sagittarius Introd. in Hist. Eccl. cap. IX.* §. *20. p. 74. Morhofius Polyhist. lit. lib. I. cap. 21. p. 242.* & *Naudaeus Bibliogr. polit. p. 54. edit. Conring.* Addam unum scriptorem, cujus historiam, Imperatorum ac Pontificum res gestas usque ad *Fridericum III.* Imperatorem, & *Pium II.* Papam complectentem, membranae inscriptam asservat *Bibliotheca Guelferbytana.* Nomen est *Joannis de Utino*, Ordinis Minorum, cujus ipsius manu exaratum esse illum codicem, verosimile videtur *Conringio* in epistola ad Sereniss. *Augustum*, illi codici praescripta. Is igitur *Joannes* in vita *Friderici* Imperatoris non meminit, quod pedibus a Papa fuerit conculcatus, sed solum, quod *Papae reconciliatus terram sanctam intraverit.*

§. VIII. *QUAE* cum ita sint, dispiciendum arbitror, quid locum fecerit pictorum mendacio, quave ratione sit factum, ut labem hanc tanti Imperatoris nomini imprudenter historici affricuerint. Nimirum tam superstitiosa reverentia Papam colebat illa aetas, ut nec summi principes pedibus ejus oscula figere, frenumque equi ejus inter ascendendum tenere ac postea equitantem pedites deducere dedignarentur. Vid. *Jo. Gerhardi Confess. Cathol. lib. II. Artic. III. append.* §. *18. p. 672. seq.* & §. *3. p. 669.* Idque ipsum *Adriano IV.* Pontifici praestitit noster *Fridericus*, teste *Helmoldo lib. I. Chron. Slav. cap. 80.* qui tamen addit, Imperatorem hoc fecisse invitum, ac illius aetatis moribus tandem id dedisse. Itaque & in congressu cum *Alexandro III.* idem Imperatori faciendum fuit, quod & *Acta Vitae Alexandri* & *Romualdus* locis jam productis diluci-


dilucide fatentur. Eadem *Acta* apud *Baron. §. 23.* commemorant, altero post reconciliatam mutuam gratiam die, Cæsarem rursus Pontificis pedes osculatum & equitantis *streguam, stapham scilicet*, tenuisse. *Cum autem frenum acciperet,* (ita pergit illorum *Actorum* conditor) *& stratoris officium vellet adimplere, Pontifex, quia iter ad mare nimis videbatur prolixum, pro facto habuit, quod affectuose voluit adimplere.* Eadem repetit *Romualdus* ibidem §. 69. Rursus in illis *Actis §. 37.* refertur, Imperatorem, postquam *coram Pontifice genua flexerit, & pedes ejus deosculatus sit*, Venetiis discessisse. Ipse *Alexander* apud *Baronium §. 24. 25. & 26.* scribit: Imperator *omnem honorem & reverentiam nobis exhibuit, quam prædecessores ejus nostris consueverunt antecessoribus exhibere.* Cum igitur Imperator hic tamdiu adversatus fuisset *Alexandro* Papæ, cumque pro vero Pontifice agnoscere noluisset, tandem vero cum eo pacem iniret, hinc assentatores Papæ dicendi causam habuere, quod Papæ causa bona tandem triumphaverit, & Imperator *leonina ferocitate deposita, ovinam mansuetudinem induerit*, quæ ipsissima sunt *Romualdi* verba apud *Baron. §. 66.* En illius picturæ occasionem! Huc pertinent versus *Gothofredi Viterbiensis*, (qui eadem ætate vixit, & scrinii *Friderici I.* præfectus fuit) quibus historiam illam breviter, sed concinne complexus est:

Annis ter senis tribulatis schisma recedit.
Vincit (non Imperatorem, sed Antipapas,) *Alexander tandem, cui Cæsar obedit.*

Obedit, id est, eum tandem pro legitimo Pontifice agnoscit, eidemque reverentiam Christi legato Petrique successori, quæ erat illius ævi religiosa credulitas, debitam exhibet.

§. IX. EQUIDEM non sum nescius, multa contra afferri ab aliis, quorum *visus imago dubia fefellit*, ut loquar cum *Seneca* Tragico, *Agamem.* v. 868. quique sua magni interesse putant, ut verum sit, quod per se est falsissimum. Sed pleraque nullum habent pondus, nec multum cordato lectori, qui & affectibus vacuus est, & historiarum fidem rite æstimat, facessunt negotii. Itaque potiora quædam delibabo, non tam ut refellam dissentientes, quam ut plus lucis sententiæ meæ affundam. Sunt, qui multum accedere putant opinioni tralatitiæ, quod Venetiis publicæ exstent picturæ, quibus Venetos rem falsam omnium oculis exponere voluisse, vero non sit consentaneum. Verum memoratu dignum est, Venetos a Guelphorum semper stetisse partibus, Imperatoribusque Germanicis minus bene voluisse: id quod cum aliunde jam constet, multum confirmatur relatione *Francisci Schottii*, JCti, qui in *Itinerario Italiæ* p. 134. (*edit. Colon. 1620.*) testatur, in illo S. Marci templo multas symbolicas picturas conspici, *quas Veneti* (en scriptoris verba!) AD ELUDENDAS *contemnendasque atroces* FRIDERICI BARBAROSSÆ MINAS, *faciendas curaverint.* Deinde neutra pictura eam ætatem assequitur, qua res ipsa gesta perhibetur, sed, quæ vetustissima est, altero demum sæculo post fuit confecta. Præterea merito credimus propter ea, quæ jam §. II. & VI. disserui, picturam illam esse symbolicam: idque eo magis, quod teste *Mabillonio Musei Italici T. I. P. I. p. 32.* in alio ejusdem templi D. Marci *pavimento, quod a Joachimo Abbate illo fatidico delineatum ajunt, varia* SYMBOLA *exprimantur: in his duo galli gallinacei, vulpem excutientes: quod de Carolo VIII. & Ludovico XII. Francorum regibus ipsi Veneti interpretantur, qui Ludovicum Sfortiam Ducatu Mediolanensi injuste occupato spoliarunt,* Idem confirmat laudatus *Schottus*, in cujus

cujus libro jam producto *pag. 131. seq.* hæc leguntur: *Pavimentum in templo S. Marci Venetiis variis emblematibus vermiculatum est. Inter quæ nonulla Joachimi Sanflorii Abbatis jussu effecta, quibus ceu vates gravissimus Italiæ voluit prædicere clades. Ubi duo sunt galli, cristis insignes, vulpem intrepide ferientes: quo placet multis significari binos Galliæ Reges, Carolum VIII. & Ludovicum XII. qui Ludovicum Sfortiam e Ducatu Mediolanensi ejecerunt. Item leonum pinguium in aquis, & macilentorum juxta in terra procumbentium, effigies cernuntur: quibus innui volunt, Venetos (qui pro insignibus leonem usurpant aligerum,) felices & potentes fore, quamdiu mari magis, quam terra se imperiumque suum exaltaturi sint: secus, vires fortunasque suas immutatum iri.* Quod porro objicitur, scriptam esse illam historiam ante Lutherum, leve est: cum historici illi eodem animo id tradiderint; quo alii post Lutherum, nempe ut magnitudinem pontificiæ potestatis insigni aliquo documento testatam redderent. Denique observavi, quosdam ad fidem vulgari relationi faciendam adducere, quanto fastu a Papis tractati sint *Henricus* IV. & VI. Imperatores, qua de re consule vel *Sagittarium* in *Nucleo Hist. German.* §. 88. & §. 144. Sed ut taceam, dissimilem esse rationem *Friderici* & *Henricorum*, quorum illius magnitudo animi multis argumentis declarata est: illud duntaxat moneo, quod, quæ de *Henricis* memorantur, nitantur auctoritate scriptorum fide dignissimorum, cum contra narratio de *Friderico* testibus idoneis plane orba sit, & vel hinc constat, non opus esse, ut ad confirmandam Pontificum insolentiam adulterinis utamur exemplis, cum in promtu sint alia, quæ ne ipsi quidem Pontificum satellites infitiari ausint. Neque enim contendo, id, quod refertur de Friderico, esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, & a Pontificum moribus plane alienum, sed id ad fidem historiæ huic faciendam satis esse, id vero merito nego ac pernego.



DISSERTATIO XXXI.

DE

HENRICI VI. IMPERATORIS ROMANA EAQUE IGNOMINIOSA CORONATIONE.

§. I.

Satis constat, in historia ecclesiastica pariter ac politica non paucas occurrere narrationes maxime dubias, aut prorsus commentitias, quas quidem homines creduli, aut incuriosi, assensu suo exceptas diu comprobavere; quæ tamen, temporis successu, & veritate magis magisque illucescente, rejici, vel certe validis utrinque rationibus, aut impeti, aut propugnari, cœperunt. Quod

Quod enim ipse agnovit illustris auctor *monitorum Genealogicorum ad Vindicias arboris Genealogicæ augustæ gentis Carolino-Boicæ*, num. XXXI. *habet suas diu vel explosas, vel vexatas, attritasue traditiones, Historia ecclesiastica Gallica; habet Romana & Germanica, habentque reliquæ.* Exempla sunt in propatulo, qualia & idem vir eruditissimus annotavit. Sic in Gallica historia *Dionysius Parisiensis* diutissime fuit pro *Areopagita* habitus, ita ut id negare fuisset nefas; postea vero hæc narratio libere a viris doctis in dubium vocata, conquisitisque rationibus confutata est. In Romana historia, per multa sæcula, sine hæsitatione traditum est, *Cyricium*, Pontificem Maximum, *undecim mille Virgines*, relicta sede, fuisse comitatum, palmæ martyrii quærendæ caussa: at nunc HENSCHENIUS, PAPEPROCHIUS, & ANTON. PAGI, nihil dubitarunt demonstrare, & *Cyricium* illum esse fictitium, & numerum *mille Virginum*; quamvis ipsum martyrium S. Ursulæ & sociarum non negare sint ausi. Huc referuntur enim narrationes de *Constantino Magno* lepra infecto, & Romæ per Silvestrum, P. R. sacris undis abluto; item de ejusdem Constantini edicto donationis; quo ambiguam magis reddi, quam probari, ejus donationem, ipse fatetur BARONIUS ad An. 324. n. CXIX. Jam, quid repetam fabulam de *Johanna Papissa*, quæ mirandos in hominum credulitate progressus per longa tempora fecerat? Quid dicam de *S. Synoride*, quam, veluti Virginem Antiochenam, ex nomine *appellativo*, quod *bigas* notat, & quidem ex male intellecto *Chrysostomi* loco, effictam esse, ostendit JO. LAUNOYUS, in sua de *S. Victorino dissertatione, cap. V.* Unde in *Martyrologio Romano* ad Nonas Kalend. Februarii legitur: *ibidem* (Antiochiæ) *Sanctæ Synoridis Martyris.* Qua de re B. MOLLERUS noster in peculiari disputatione de *Synoride* egit. Et cui non innotuit narratio illa de *Friderico I. Imperatore, ab Alexandro III. Pontifice Romano, pedibus conculcato*; de qua in utramque partem a viris doctis diu disputatum est?

§. II. Sciens prudensque supersedeo, plura hujus generis exempla congerere; cum nunc saltem, quantum quidem festinatio, temporisque angustia, qua circumscribor, permiserit, paullo pluribus disquirere constituerim: *utrum Cœlestinus III. Pontifex Romanus, cum Henricum VI. Imperatorem, ejusque Conjugem, Constantiam, inauguravit, iisdem coronam pedibus imposuerit, impositamque rursus dejecerit pedibus, necne?* Quæ disquisitio non eo spectat, ut quasi incredibile esse demonstrem, tam turgens fastu facinus admitti potuisse ab iis, qui se *Christi Vicarios* in his terris professi sunt; sed ut, quid in hac ipsa narratione verum falsumque sit, excutiam. Neque enim dubiis, aut commentitiis exemplis opus est, ubi plura, eaque evidentiora, prostant, quibus declaretur, fuisse omnino aliquando tam lamentabilem temporum infelicitatem, ut & Pontifices Romani, & horum Ministri, Imperatores Regesque etiam maximos, quasi longe infra se positos, ludibrio habuerint, atque dandorum & auferendorum imperiorum regnorumque jus sibi arrogarint.

§. III. Ne vero Andabatarum more pugnaturus videar, ante omnia producam præcipuos hujus narrationis auctores, assertoresque, de quorum vero auctoritate posthæc dispiciam. Primus, quantum constat, hanc narrationem procudit, & *Parti posteriori Annalium suorum*, ubi quidam vitam *Richardi I.* Regis Anglorum descripsit, inseruit ROGERIUS DE HOVEDEN, natione Britannus, scriptor coævus, qui inter domesticos fuit Henrici II. Regis Anglorum, & libros duos Annalium Anglicanorum, quos, ubi desierat Beda, auspicatus est, perduxit usque ad Johannem, Regem Anglorum, qui anno 1199. regnare cœpit. Cujus Annales, inter *Rerum Anglicarum Scriptores post Bedam* præ-

praecipuos, ex vetustis Codicibus MSS. edidit *Henricus Savile*. Ibi *pag. 689.* hæc legimus: *Mense Aprili, quarto Idus ejusdem mensis, feria quarta,* (A. 1191.) *obiit* CLEMENS III. *Papa; cui successit* JACINTUS, *Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, & in ipsa Vigilia Paschæ ordinatus est in sacerdotem; & in die Paschæ, qui in 18. Kalend. Maji evenit, in Romanum Pontificem consecratus est ab Octaviano, Hostiensi Episcopo, & vocatus est* COELESTINUS *Papa tertius. In crastino autem consecrationis suæ Dominus Papa transtulit se a Laterano usque ad Ecclesiam beati Petri, & venit ibi obviam ei* HENRICUS, *Alemannorum Rex, cum* CONSTANTIA *Uxore sua, & cum copiosa plebe armata, Romani vero clauserunt portas Urbis, & custodierunt eas in manu forti & armata, non permittentes, eos intrare. Dominus vero Papa ante ostium Ecclesiæ beati Petri supra gradus recepit sacramentum a prædicto Alemannorum Rege, quod ipse Ecclesiam Dei, & jura Ecclesiastica, fideliter servaret illibata, & quod rectam justitiam teneret, & quod patrimonium beati Petri, si quid inde ablatum esset, in integrum restitueret, & quod Tusculanum ei redderet. Deinde introduxit eos Dominus Papa in Ecclesiam, & unxit eum in Imperatorem, & uxorem suam in Imperatricem. Sedebat autem Dominus Papa in cathedra pontificali, tenens coronam auream imperialem inter pedes suos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, Imperatrix similiter, de pedibus Domini Papæ. Dominus autem Papa statim percussit cum pede suo coronam Imperatoris, & dejecit eam in terram, significans, quod ipse potestatem ejiciendi eum ab imperio habet, si ille demeruerit. Sed Cardinales, statim arripientes coronam, imposuerunt eam capiti Imperatoris. - - - Mortuo vere Clemente, & Domino Jacincto, tum Diacono Cardinali S. Mariæ in Cosmedin, in summum Pontificem* COELESTINO *postmodum substituto, &* HENRICO, *tunc Rege ad coronam imperii recipiendam, qui ad hoc a Domino Clemente vocatus fuerat, festinante, Romani, antequam idem Rex accessisset ad Urbem, supplicarunt Domino Cœlestino, ut antequam prædictum Regem in Imperatorem ungeret, obtineret ab ipso, ut civitatem Tusculanensium sibi redderet, quæ in ipsius posita erat potestate. Ad ipsum enim se converterant, & ipsius patrocinium invocarant, ex quo supra nominatus Clemens exposuit illos Romanis: eidem Domino* COELESTINO *instantissime proponentes, quod hæc erat via, qua Tusculanum ad eorum manus rediret, & quod ad faciendum hoc tenebatur ex conventione prædicta. Quod ita concessum est illis. Euntes autem nuncii Domini Papæ ad Regem firmiter proposuerunt eidem, quod de Tusculano antedicta facta erat conventio inter summum Pontificem & Romanos, & ideo, ut Domino Papæ Tusculanum redderetur, necessitas exigebat. Quod cum intellexisset Rex, & advertisset, quod aliter coronationi suæ de facili posset impedimentum præstari, petitioni Domini Papæ, de Tusculano reddendo, liberaliter acquievit; factumque est ita, quod coronoto Rege in Imperatorem, altera die traditum est Tusculanum ab eodem Imperatore Domino Papæ, & a Domino Papa sequente die tertia Romanis, atque a Romanis destructum ita, quod lapis supra lapidem non remansit.*

§. IV. Alter hujus narrationis testis excitari solet HENRICUS KNYGHTON, quondam Canonicus Regularis Abbatiæ Leicestrensis in Britannia, qui claruit post annum 1390. sub regno *Richardi II.* Regis Angliæ, ad cujus fere exitum Historiam suam deduxit. De quo videre licet *Sandii notas ad Vossium de Historicis Latinis, pag. 204.* & *Oudini* Commentarium de *Scriptoribus Ecclesiæ antiquis, T. III. pag. 1244.* atque in primis *Joannem Seldenum,* qui una cum *Rogerio Twysdenio* An. 1652. Londini edidit *Historiæ Anglicanæ Scriptores decem;* in quibus etiam evulgata sunt HENRICI KNYGHTONI *Chronica de Eventibus Angliæ, a tempore Regis Edgari usque ad mortem Regis Richar-*

Richardi II. h. e. ab anno circiter 950. ad annum 1395. Libro ergo II. horum Chronicorum, *pag.* 2403. hæc narrat HENR. iste KNYGHTON: COELESTINUS III. *post* CLEMENTEM *sedit Papa annis VI. mensibus* VIII. *qui II. die consecrationis suæ coronavit* HENRICUM V. FREDERICI *filium, in Imperatorem, sub hac forma: inprimis, recepto ab eodem* HENRICO *juramento, ante gradus Ecclesiæ Romanæ, quod Ecclesiam Dei defenderet, ejus jura conservaret, rectam justitiam teneret, patrimonium Petri, siquid ablatum fuerit, pro posse revocaret; e contra dominus Papa in cathedra sedens, coronamque imperialem pedibus tenens, inclinato capiti imperiali demisit, quam statim cum pedibus in terram excussit, designans per hoc, quod ipse Papa habet potestatem creare Imperatorem, si meruerit, & dejiciendi, si demeruerit. Cardinales vero adstantes coronam sic excussam capiti reposuerunt.* Editores horum X Scriptorum ad hunc locum in margine annotarunt, eadem de *Cœlestino Papa* & *Henrico Imperatore* etiam narrare CESTRIENSEM, *Lib. VII. cap.* 26. Hic *Cestriensis* fuit RANULPHUS HIGDENUS, natione Anglus, Ordinem D. Benedicti in Cœnobio Cestriensi professus, qui *Polychronicon* ex variis historicis compilavit, inde ab orbe condito exorsus. Hoc opus suum in septem Libros distribuit, quorum *primus* non nisi topographicam Orbis descriptionem exhibet; *Alter* ab orbe condito ad Babylonicam Judæorum captivitatem progreditur; *tertius* a transmigratione Babylonica ad Christi adventum progreditur; *Quartus* a Christo nato ad Saxonum in Angliam adventum, *Quintus* a Saxonum appulsu usque ad adventum Danorum; *Sextus* ad irruptionem Normannorum, sive ad An. 1066. *Septimus*, a Wilhelmo I. Rege Angliæ, ad ætatem ipsam auctoris, atque adeo ad An. 1357. & in quibusdam Codicibus usque ad An. 1377. quæ vero appendix aliunde accessisse censetur. Integrum hoc opus *Monachi Cestriensis* nondum evulgatum est, quamvis multi ejus Codices MSS. in Bibliothecis Britannicis extare dicantur. Equidem THOMAS de GALE An. 1691. inter *XV. Scriptores Historiæ Britannicæ, Saxoniæ, & Anglo-Danicæ*, edidit *Polychronicon Ranulphi Higdeni, Monachi Chestriensis:* sed, prout ipse editor in Præfatione indicat, ex eo Opere resecuit exterarum gentium res gestas, quas immiscuerat *Cestriensis;* adeoque neque in hac editione ea, de qua agimus, narratio reperitur, quam tamen *Seldenus* ad *Knightonum* annotavit. Sed enimvero facile mihi persuasum habeo, nihil aliud in *Cestriensis Polychronici* Libr. VII. hac de re narrari, quam quod ex *Knightono* exposui, cum hi Scriptores fuerint fere æqualis ætatis, & cum *Knightonus* in præfatione fateatur, se *Cestriensis laudissui Chronographi Libri septimi seriem de verbo ad verbum inscribere sibi proposuisse.* Plura de *Cestriensi*, et *Seldenus* et *Oudinus*, locis citatis, dabunt.

§. V. Plures ex superiore ævo compellarem testes, si in plures incidere mihi contigisset. Inter recentiores autem antesignanus eorum, qui *Henricum VI.* Imperatorem tam ingnominiose coronatum esse, sine hæsitatione credidere, fuit CAESAR BARONIUS, magnus ille & purpuratus *Annalium Ecclesiasticorum* conditor. Hic, postquam hanc narrationem ex *Annalibus Rogerii Hovedeni* proposuerat, eam ipsam ignominiam, quam tunc temporis *Henrico VI.* intulisse dicitur *Cœlestinus III.* Pontifex Romanus, non solum non in dubium vocat, aut reprehendit; sed & tanquam certissimum egregiumque facinus approbat, & laudat, & ratiuncula quadam quasi fulcire conatur. *Factum hujuscemodi Pontificis*, inquit, *auspicandi imperii scias ea ratione recens adhibitum, quod successor & filius illius esset, qui post tantum ab Ecclesia acceptum beneficium in Imperii corona eidem impertita, de ipsa tamen adeo male meruisset. Ut autem id fixum menti ejus hæreret, nempe dare, custodire, conservare, & aufer-*

auferre, si caussa exigeret, Imperium, esse in voluntate Romani Pontificis; ejusmodi voluit commonuisse ipsum exemplo.

§. VI. Quod ad alios recentiores scriptores attinet, sunt, qui hanc narrationem, tanquam indubiam & veram, Historiæ imperiali Germaniæ inferant; sunt etiam, qui eam ipsam jam arguant falsitatis. Sufficiat nunc ex prioris generis scriptoribus potissimum nominasse CHRISTOPHORUM LEHMANNUM, diligentissimum alioqui rerum Germanicarum indagatorem, qui in opere nunquam satis laudando, cui nomen *Chronici Spirensis*, judice quidem *Conringio*, infra dignitatem est inditum, *Libr. V. Cap. LXVI. pag. 470.* hæc prodidit: *Anno 1190. als Kayser Friderich abermahl in Orient zu Eroberung des Landes Jerusalem sich ausgerüstet, und seine Reyß zu Werck gericht, hat sich König Heinrich in Italien begeben, und samt seinem Gemahl die Kroenung vom Pabst Coelestino empfangen. Dieser Coelestinus ist im berührten Jahr seines Alters im 86. zur Paebstlichen Dignitat gelanget. Und demnach der Kayser und Kayserin zu Emphaung der Kayserlichen Kron erschienen, ist gedachter Pabst auff einem Stuhl gesessen, und hat die Kayserliche Kron zu Füssen gestellt. Da sich der Kayser geneigt, hat der Pabst demselben die Kron aufs Haupt gesezt, und alsbald mit einem Fuß solche von des Kaysers Haupt wieder herab geschlagen; die Cardinæle haben sie aufgehaben, und dem Kayser wieder aufgesezt. Die Kayserin hat der Pabst gleichfals gekrönt; aber die Kron nicht, wie dem Kayser, mit Füssen wieder abgestossen. Dieser des Pabsts bosbafften Thatlichkeit ist Baronius geständig, unterm Jahr 1190. jedoch unterstebet er sich, dieselbe zu verglimpfen, und sagt, daß derselbe biemit dem Kayser zu verstehen gegeben, daß das Kaysertbum zu geben, zu schüzen, zu erbalten, und wieder zu nehmen, so es die Notbdurfft erheischt, in des Pabsts Willen und Wohlgefallen bewende.* Nihil dubito, quin *Lehmannus* hæc non aliunde, quam ex verbis *Houedeni* a *Baronio* citatis, hauserit: dum autem *Hovedenus* dixit, Coelestinum *tenuisse coronam auream imperialem inter pedes suos;* minus accurate hæc verba interpretatus esse videtur *Lehmannus, der Pabst habe die Kayserliche Krone zu Füssen gestellt.* Utrum vero etiam *Constantia*, uxor Imperatoris, simul ista ignominiosa coronatione dehonestata fuisse dicatur, nec ne? postea dispiciam. Inter eos autem, qui fidem habuere huic traditioni, etiam referendus est JO. PALATIUS, T. II. *de Gestis Pontificum, pag. 683.* item JO. MICH. HEINECCIUS, *Antiquit. Goslar. Libr. II. pag. 191.*

§. VII. Ante vero, quam rationes exponam, quibus inductus statuam, isti traditioni nullam fidem esse habendam; generatim, & de *Henrico VI.* Imperatore, & de *Coelestino III.* Pontifice Romano, quædam præmittam. Imperator hic, de quo agimus, ab Italis inter Imperatores ejusdem nominis vulgo dicitur HENRICUS V. inter Reges vero Romanorum, HENRICUS VI. Qua de re CONRADUS URSPERG. ad An. 1191. *pag. 303.* hæc habet: HENRICUS *hujus nominis Sextus, vel secundum Chronica Romanorum Quintus. Ipsi namqoe Henricum, patrem Ottonis, non connumerant in catalogo Imperatorum, sed Ducem Saxonum scribunt.* At sane ipse HENRICUS in Diplomatibus se *Sextum* scripsit, non solum cum adhuc esset *Rex Romanorum;* sed etiam, postquam jam Imperator consecratus esset, nullo quasi discrimine inter Regiam & Imperatoriam dignitatem habito. Id quod in egregio immortalique opere suo, nempe *Tomo prodromo Chronici Gotwicensis, pag. 392.* observavit, docuitque GODEFRIDUS ABBAS, & dignitate, & eruditione, eximiisque in rem literariam meritis, illustrissimus. Fuit autem idem Imperator filius FRIDERICI I. Ahenobarbi, Imperatoris gloriosissimi, genitus ex altera ejus conjuge,

BEATRICE, filia RAINALDI III. Comitis Burgundiæ, & AGATHÆ Lotharingicæ; quorum Genealogiam, præter alios, luculentissime exposuerunt, comprobaruntque, Perillustris Dom. HENR. de BUNAU, in *Vita Friderici I. Imperatoris, pag. 339. & seqq.* & Celeberrimus Dom. KOELERUS, in *Genealogia Familiæ Augustæ Stauffensis, Tab. II. & III.* Prodierat vero HENRICUS VI. in hanc lucem Noviomagi, anno 1165. Id quod in primis testatur GODEFRIDUS COLONIENSIS, in Annalibus ad An. 1165. *pag. 241. Natus est Imperatori filius, nomine* HENRICUS, *apud Noviomagum.* Idem GODEFRIDUS VITERBIENSIS, Capellanus & Notarius *Henrici VI. parte XVII.* Panthei, *pag. 522. An. 1186. Indictione sexta,* (quarta,) *sexto Calend. Februarii, Rex* HENRICUS *Sextus, cum Regina* CONSTANTIA, *filia Rogerii, Regis Siciliæ, nuptias gloriosas celebravit Mediolani, apud S. Ambrosium, anno ætatis suæ vigesimo primo, anno autem regni sui decimo septimo.* Ceterum is bene educatus, ac literis quoque, pro conditione illius temporis, excultus erat, adeo ut idem GODEFRIDUS VITERBIENSIS, *pag. 519.* testatus sit, eum *natura & literatura semper omnes coætaneos sapientia & sensuum subtilitate visum esse polluisse.* Quod si res ab eo gestas, veterumque scriptorum testimonia, consideremus, hic ipse HENRICUS VI. utique fuit Princeps gloriæ cupidus, prudens, fortis; sed & severus, & asper, atque in vindicanda injuria & ignominia acer, ita ut a nota crudelitatis aliquando prope abesset. Papam & Principes, singulari auctoritate in officio continuit, ac quantum in se fuit, Germaniæ majestatem, virtute Patris sui, FRIDERICI I. egregie vindicatam, haudquaquam sciens prudensque destituit. Ad quæ omnia comprobanda, non pauca rerum scriptorumque argumenta in promtu essent, nisi brevitatis rationem habendam esse videam. Nequeo tamen mihi temperare, quin huc referam elogium, quod HENRICO VI. jam tum mortuo, tribuit GERVASIUS TIBERIENSIS, quondam Arelatensis regni Mareſcalcus, vir & studiis & militia clarus; qui *Otia Imperialia* anno 1211. h. e. anno decimo quarto post obitum HENRICI VI. scripsit; prout ipse ostendit, cum Indictionis numerum computare docet; qui adeo Imperatoris hujus propensiones animi, moresque, facile potuit cognitos perspectosque habere. *Decisione* enim XIX. ubi agit de Imperatoribus Romanis post Karolum M. apud LEIBNITIUM, T. I. *Scriptorum rerum Brunsuic. pag. 943. Tempore* COELESTINI, inquit, HENRICUS *Romæ coronatus, ab eo nomen suscepit Augusti, dato Tusculano ad internecionem, ob favorem Senatus adipiscendum. Erat autem* HENRICUS *vir apud moderatos modestus; apud rebelles, atrocissimus; hostibus invictus; contumacibus severus; proditoribus immisericors; literatis ipse literatior. Quod in armorum minus erat exercitio, supplebat facundus, & munificus; generosus apud bonos; expositus apud simplices; contra superbos cervicosus. Animo Patrem sapiebat, non gladio. Quoscunque seditiosos prava faciebat intentio, præveniebat consilio.*

§. VIII. Etsi vero mihi neutiquam propositum est, de vita HENRICI VI. plura exponere; puto tamen, ad illustrationem hujus argumenti pertinere, si nunc breviter commemorem, quoties, & quando, & quas ob caussas, is solenniter fuerit coronatus? Primum quidem jam anno 1169. cum quinctum ætatis annum ageret, XV. Augusti, ab Archiepiscopo Coloniensi, *Philippo*, Aquis Graneis est inauguratus, cum paullo ante, sacro Pentecostes, in comitiis Bambergensibus electus designatusque esset *Rex Romanorum.* Id multorum testimoniis constat; quanquam non nulli locum electionis & coronationis commiscuisse, aut conjunxisse, videantur. GODEFRIDUS COLONIENSIS, apud *Freberum* T. I. ad An. 1169. *Imperator,* inquit, *(Fridericus) celeberrimam Curiam VIII. Idus April. apud Bauinberg habuit. - - Filius Imperatoris,* HENRICUS,

RICUS, *adbuc quinquennis, unctus est in Regem Aquisgrani a Philippo, Coloniensi Archiepiscopo, die Assumptionis beatæ Mariæ.* Alium vero diem consecrationis designat auctor ANNALIUM BOSOVIENSIUM, apud *Eccardum*, T. I. *Script. Germ. pag. 1060. Anno 1169.* inquit, *Imperator* FRIDERICUS *curiam babuit in Babenberc, ubi, Christiano Episcopo vice ejus proloquente*, HENRICUS, *filius Imperatoris quinquennis, in Regem eligitur, & in festo Johannis Baptistæ inthronizatur. Auctor* CHRONICI BIGAUGIENSIS, apud *Maderum, pag. 262.* HENRICUS, *filius Imperatoris quinquennis, in Regem eligitur in Babenberg, Christiano Moguntino proloquente.* Auctor AUCTARII AQUICINCTINI, apud *Miræum*, ad An. 1169. FRIDERICUS Imperator, *ad comprimendos Italienses ire disponens*, HENRICUM, *filium suum, adbuc puerum, sublimat Aquis.* ALBERTUS STADENSIS, *pag. 290.* HENRICUS, *Imperatoris filius, Aquisgrani a Patre & Principibus coronatur.* Conferatur etiam CHRONICON REICHBERGENSE ad An. 1169. Ab hoc ergo anno 1169. in quo, Patre vivente & volente, HENRICUS Rex electus coronatusque est, idem deinceps annos *Regni sui* numerare auspicatus est. Cujusmodi exempla annotavit laudatissimus ABBAS GOTTWICENSIS, l. c. *pag. 400.* Deinde HENRICUS VI. An. 1184. Mediolani, tanquam *Rex Italiæ*, coronatus est. Tradit hoc SIGONIUS, *de Regno Italiæ* Libr. XV. ad An. 1184. *pag. 342.* FRIDERICUS, inquit, *Verona digressus Mediolanum accessit, atque ibi magno rerum apparatu* HENRICUM, *filium, qui se subsequutus advenerat, per Lambertum*, (Ubertum) *Archiepiscopum, Regem Italiæ, faventibus Mediolanensibus, coronavit.* Quam traditionem etiam confirmat GUALVANEUS, in *Manip. Flor. cap. 230.* quamvis alium nominet Archiepiscopum. *Anno Domini 1184.* inquit, *in civitatem Mediolani Imperator* FEDERICUS, *cum filio suo*, HENRICO, *summo cum gaudio intravit. Ibi per Archiepiscopum Algisium de Priovano* HENRICUS *in præsentia Imperatoris coronatus fuit in Brolio S. Ambrosii.* MURATORIUS, *Cap. VIII.* de *Corona ferrea*, animadvertit, non nullos tradere, HENRICUM tunc etiam Modoetiæ fuisse coronatum; sed horum narrationem nullo idoneo testimonio confirmari. Equidem FRIDERICUS I. Imp. jam eo ipso anno volverat, ut HENRICUS etiam Romana corona, tanquam *Cæsar*, ornaretur; & si audimus ALBERTUM STADENSEM, ad An. 1184. *pag. 295 Papa* LUCIUS III. *desiderabat coronare & consecrare* HENRICUM, *filium Imperatoris; sed is a quibusdam Cardinalibus fuit impeditus.* Conf. ARNOLDUS LUBECENSIS, *Libr. III. cap. X. n. 10.* Imo, cum Imperator, sequenti anno a Lucii successore, *Urbano III.* idem expeteret, voto suo tunc excidit: quia filius paullo liberius insolentiusque in Italia egisse visus esset. *Unde*, referente GODEFRIDO COLONIENSI ad An. 1185. *cum Imperatore vellet, ut imperiali benedictione sublimaretur* HENRICUS, *fertur Papa respondisse, ex consilio quorundam Principum & Cardinalium: non esse conveniens, duos Imperatores præesse Imperio Romano.* Similia narrat etiam ARNOLDUS LUBCEC. *Lib. III. cap. 16. n. 3. Imperator de consecratione filii instanter agebat, ad quod opus Dominus Apostolicus se omnino difficilem reddebat. Dicebat enim, ut a suo prædecessore instructus erat, quod minime Imperatoris filium imperialibus insigniret, nisi ea pater primum deposuisset.* Nihilo minus, postquam HENRICUS CONSTANTIAM, filiam postumam ROGERII II. Regis Siciliæ, anno 1186. d. 27. Januarii, Mediolani solennissimo ritu duxerat uxorem, mox in Basilica S. Ambrosii tanquam Imperator per Patriarcham Aquileiensem consecratus est, & CONSTANTIA pariter, per Episcopum quendam Germanicum, Imperatricis dignationem coronamque suscepit. Qua de re RADULFUS de DICETO, qui circa annum 1210. claruit, in *Imaginibus Historiarum* ad A. 1184. & 1186. hæc memoriæ prodidit: HENRICUS, *Rex Teutonicus, ducens secum Philip-*

pum, Flandriensium Comitem, venit ad Patrem suum cum multis in Italiam, natalitios dies ibidem celebraturus. — — Inter HENRICUM, *Regem Teutonicum & CONSTANTIAM, filiam Rogerii, Siculi Regis, amitam vero Wilhelmi, Regis Siculi, Generi Regis Anglorum, matrimonium celebratum est. Sexto Kal. Februarii, Viennensis Archiepiscopus* FRIDERICUM, *Imperatorem Romanum, Mediolani coronavit. Eodem in die Aquileiensis Patriarcha coronavit* HENRICUM, *Regem Teutonicum, & ab ea die vocatus est* CÆSAR. *Quidam Episcopus Teutonicus coronavit* CONSTANTIAM. *Hæc acta sunt in monasterio S. Ambrosii.* Res omnino insolens tunc erat, Imperatorem Romanorum, adhuc alio imperante, & quidem non per Pontificem Romanum, sed per Parriarcham Aquileiensem, nec Romæ, sed Mediolani inaugurari, unde & *Urbanum III.* Papam, non parum tunc offensum fuisse legimus. Sed enim CHRONOGRAPHUS AQUICINCTINUS ad A. 1186. scribit, URBANUS *Papa &* FREDERICUS *Imperator, inter se dissentiunt. Multimoda fuerunt caussa dissensionis, præcipua, quod Patriarcha Aquileiensis & quidam Episcopi interfuerunt, absque consensu Papæ, coronationi* HENRICI *Regis die quodam solenni in Italia. Quos omnes Papa a divino suspendit officio.* Nihilomnius deinceps Pontifex Romanus, inprimis GREGORIUS VIII. qui An. 1187. URBANO III. successit, perhibetur, HENRICUM VI. etiam ante coronationem Romanam agnovisse, compellasseque ELECTUM ROMANORUM IMPERATOREM. Cui rei documento esse dicitur hujus Papæ *Epistola Recredentialis* ad HENRICUM VI. Parmæ An. 1187. data, quam exhibet LEIBNITIUS in *Prodromo Codicis Diplom. juris Gent. pag. 4.* A quo exemplo primum hujus tituli usum deducendum esse, non nulli putant. Sed vereor, ne illius Epistolæ inscriptio fallat, eaque ad alium hujus nominis *Papam*, aliumque *Henricum* Imperatorem spectet. Neque reperire potui, quod quidem tradit Perillustris Dom. de BUNAU, in *Historia Friderici I. Imp.* ad An. 1186. pag. 299. HENRICUM VI. jam ex ea ipsa coronatione scripsisse se *Imperatorem Romanorum semper Augustum*, & ab ab hoc tempore *annos Imperii* numerare instituisse. Certe, Pater FRIDERICUS I. Imperator, filium HENRICUM VI. in Diplomate *Bernhardo* Parmensi Episcopo An. 1187. dato, apud UGHELLUM, *T. II. Ital. Sacra* pag. 174. non vocat, nisi ROMANORUM REGEM AUGUSTUM, his verbis usus: *Quapropter cognoscat tam præsens ætas Imperii fidelium, quam successura posteritas, quatenus nos & dilectus filius noster,* HENRICUS, *illustris* ROMANORUM REX *Augustus, circumspective considerantes* &c. Et in Epistola ex Palæstina, post Philippopolin An. 1189. occupatam scripta, FRIDERICUS inquit: *Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, perdilecto filio suo, H. illustri* ROMANORUM REGI AUGUSTO, *salutem & sincerum paternæ dilectionis affectum &c.* Vide HEDAM, in *Historia Episcopor. Ultraject. pag. 178.* Ipse etiam HENRICUS in literis ad Episcopos, Mindensem, Paderbornensem, Osnabrugensem, aliosque An. 1189. XII. Cal. April. de argenti fodina in Diœcesi Mindensi tunc reperta datis, ita suos titulos exprimit: HENRICUS, *Dei Gratia* ROMANORUM REX *& semper Augustus, fidelibus suis Episcopis &c.* Vide SCHATENII *Annales Paderborn. T. I. Libr. 9. pag. 887.* Adhæc idem, cum An. 1191. pride Idus Januarias Bononiam venisset cum uxore *Constantia*, dedissetque illi civitati novum jus monetæ cudendæ, tabulas illas hunc in modum exorsus est: *Nos* HENRICUS REX ROMANORUM, *studio Bononiensium incitati, jus concedimus pecuniæ signandæ in urbe Bononiæ &c.* Vide SIGONIUM *de Regno Italiæ, Libr. XV. pag. 348.* Præterea alia hujus generis diplomata, ex quibus satis patet, nondum ab ista coronatione An. *1186. Henricum VI.* assumsisse nomen *Imperatoris*, neque *annos Imperii* inde numerare cœpisse. Et licet HEDA, in *Histor. Ultraject.* pag.

pag. 177. Diploma hujus *Henrici* de controversia inter Ducem Brabantiæ & Balduinum, Episcopum Ultrajectinum agitata, proferat An. 1190. II. Non. Martii datum, quod adeo ante coronationem Romanam promulgatum videatur, cujus hoc est initium: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* HENRICUS *Sextus divina favente clementia Roman. Imper. semper Augustus, & Rex Siciliæ. Imperatoriæ Majestatis nostræ debitum expostulat & requirit officium*, &c. facile tamen patet ex subscriptione, & ceteris adjectis characteribus temporis, numerum annorum post natum Christum ibi esse corruptum. Hæc enim est illius Diplomatis subscriptio: *Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* MXC. *Indictione* XIV. *regnante Domino* HENRICO *Sexto, Romanorum Imperatore Gloriosissimo, anno Regni ejus* XXV. *Imperii vero quinto, & Regni Siciliæ secundo. Datum apud Geilenhusen, II. Non. Martii.* Scilicet *Indictio* XIV. *annus Imperii* V. & *Regni Siciliæ II.* potius ad Annum Christi 1196. (ubi *Henricus* VI. post mortem Patris jam revera erat Imperator) quam ad An. 1190. referri possunt. At enimvero Anno demum 1191. altero quidem die Paschatis, h. e. die XV. Aprilis, sequebatur *coronatio* illa *Romana*, de qua in præsenti ex instituto ago, & a cujus tempore *Henricus VI. annos Imperii* sui numerare cœpit. Qua de re SIGONIUS *Libr. XV. pag.* 349. breviter quidem, sed antiquiorum testimoniis congruenter, scribit: COELESTINUS XVIII. *Kalendas Maji, in die Resurrectionis consecratus, postridie* HENRICUM *Imperatorem recepto Tusculo consecravit.* Idem enim testatur GODEFRIDUS COLONIENSIS, apud *Freherum, T. I. pag.* 259. *Anno Dominicæ incarnationis* MCXIC --- HENRICUS VI. *filius* FRIDERICI *imperare cœpit.* --- *Hic in Apuliam ducens exercitum, Romæ in Imperatorem, &* CONSTANTIA *Uxor ejus in Imperatricem, secunda feria Paschæ coronantur.* Adhæc Auctor *Vitæ Cœlestini Papæ III.* ex MS. Bibliothecæ Ambrosianæ, apud MURATORIUM *Tom. III. pag.* 480. COELESTINUS *natione Romanus, ex patre Petro Bubonis, consecratus die Resurrectionis, sedit annis VI. mensibus VIII. diebus XI. Hic secundo die pontificatus sui coronavit* HENRICUM *Imperatorem, & fecit palatium apud S. Petrum.* Præterea auctor CHRONICI STEDERBURGENSIS, apud LEIBNITIUM, T. I. *rer. Brunsuic. pag.* 863. HENRICUS *itaque profectus Romam ordinationem, quam in brevi accipere sperabat, morte Domini Clementis Papæ, dum ad muros Urbis sederet, intercipi doluit, donec electo Domino Jacincto, & sancto die Paschæ consecrato, sequenti die Rex a* COELESTINO *Papa, coronam imperialem cum benedictione, una cum* UXORE *sua percepit.* Tum MAGNUM CHRONICON BELGICUM *pag.* 204. HENRICUM *illum Regem* COELESTINUS *Papa tertius unxit in Imperatorem in crastino Paschæ* An. 1191. *eodemque anno* HENRICUS *cum* CONSTANTIA *in Apuliam descendit, ut regnum quod Constantiæ Uxori suæ jure successionis debebatur, & quidam Regulus nomine Tancredus invaserat, obtineret.* His addo etiam MARTINUM POLONUM in *Chronologia Roman. Imperatorum pag.* 376. HENRICUS VI. *imperavit annis octo. Coronatus fuit mense Aprili, feria secunda post Pascha die decima quinta. Eodem mense intravit in Apuliam cum exercitu suo.* Et quanquam non nulli scriptores annum hujus Romanæ coronationis 1190. aliqui An. 1192. nominent, annum tamen 1191. confirmant ipsius HENRICI Diplomata, in quibus ab eodem anno 1191. annos Imperii sui computare consuevit; cujusmodi Diplomata non pauca annotavit GODEFRIDUS, *Abbas Gotwicensis*, omni laude nostra major in *Prodr. Chron. Gotwic. pag.* 400. Id unum vereor, ne Diploma illud, quod REVERENDISSIMUS AUCTOR *Tabula anea* excusum *pag.* 390. speciminis loco exhibet, magis ad HENRICUM VII. Regem Romanorum & semper Augustum, filium nempe FRIDERICI II. Imperatoris, quam ad HENRICUM VI. filium FRIDERICI I. pertineat. Refert enim illud ipsum Diploma

in

in subscriptione Annum 1228. quo tempore noster HENRICUS VI. dudum erat mortuus. Ceterum diplomatibus istis, in *Tomo prodromo Chronici Gotwicensis* jam annotatis, nunc addo saltem duo ex BENEVENTI de S. GEORGIO *Historia Montisferrati*, apud MURATORIUM, T. XXIII. *Scriptorum rer. Italicarum.* Ibi enim, *pag. 356.* extat Diploma pro Bonifacio, Marchione Montisferrati, cujus hoc est initium: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* HENRICUS *Sextus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus.* - - Subscriptio hæc: *Anno gesta sunt hæc ab incarnatione Domini* MCLXXXXI. *Indictione decima, regnante Domino* HENRICO, *Imperatore gloriosissimo, Anno Regni ejus* XXIII. *Imperii vero primo. Datum Mediolani octavo die Mensis Decembris.* Alterum est exemplar privilegii loci Cæsareæ, nunc Alexandrinæ, ibidem *pag. 360. In nomine sancta & individuæ Trinitatis.* HENRICUS *Sextus, divina favente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus.* - - *Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* MCXCIII. *Indictione XI. regnante Domino* HENRICO *Sexto, Romanorum Imperatore gloriosissimo. Anno regni ejus vigesimo quinto, Imperii vero tertio. Dat. Gulembusen, per manum Sigeloy, Imperialis aulæ Protonotarii, secundo Nonas Decembris.* Ex quibus documentis manifesto liquet, HENRICUM VI. annos imperii sui non a Mediolanensi, sed a Romana coronatione numerasse. Hujus *coronationis Romanæ*, ut hoc jam addamus, meminit etiam INNOCENTIUS III. Papa, successor COELESTINI III. in *Epist. 29. Registri de negotiis Imperii, pag. 697. Imperator*, inquit, *a summo Pontifice finalem, sive ultimam manus impositionem promotionis proprie accipit, dum ab eo benedicitur, coronatur, & de imperio investitur. Quod* HENRICUS *optime recognoscens, a bonæ memoriæ* COELESTINO *Papa, Prædecessore nostro, post susceptam ab eo coronam, cum aliquantum abscessisset, rediens tandem ad se, ab ipso de Imperio per* PALLAM AUREAM, (i. e. Globum imperialem,) *petiit investiri.* Credibile omnino est, Imperatorem hunc, præter Coronam, etiam aliis symbolis & insignibus Majestatis imperatoriæ potuisse inaugurari; at nullo modo induci possumus, ut credamus, HENRICUM etiam ultro petiisse, ut in signum *investituræ*, ut vocant, etiam Globum imperialem receperit a Papa. Hæc sinistra & ambitiosa fuit interpretatio INNOCENTII III. Papæ. Certe, GODEFRIDUS VITERBIENSIS, *Parte XIX. Chronici*, ubi in gratiam HENRICI VI. significationem Imperialium symbolorum, sive insignium, explicavit, ac sigillatim *pag. 533.* exposuit, *quid significet Globus aureus, qui Regum manibus gestatur*, nihil de illa significatione *investituræ*, & beneficiariæ cerimoniæ habet. Restabat quincta, eaque Siciliensis, HENRICI VI. coronatio; de qua SIGONIUS, *de regno Italiæ, Libr. XV. pag. 352. & 353.* ad Annum 1194. hæc tradit: HENRICUS *idoneum tempus repetendi regni Siciliæ sibi oblatum complexus, omnia parare ad expeditionem Siciliæ necessaria coepit.* - - *Deinde Panormum exercitum ducere instituit, atque eam modico certamine expugnatam in potestatem adduxit. Panormus integræ præmium victoriæ fuit. Siquidem ea recepta, et* CONSTANTIAM *Uxorem e custodia liberavit, et* REGEM *se* SICILIÆ *cum ea* CORONARI *maximo totius regni concursu jussit. Hac pridie Kalendas Decembris administrata. Itaque, quod ex ejus Diplomatis liquet, is annos regni Siciliæ ab hoc die instituit.* Et tunc quidem HENRICUS pariter atque CONSTANTIA, in *templo cathedrali Panormitano*, a *Bartholomæo*, Archiepiscopo Panormitano, fuere coronati. Id quod docet ROCHUS PIRRUS, in *Chronologia Regum Siciliæ*, in *Tomo X. Thesauri Antiquitatum Italiæ & Siciliæ*, a BURMANNO continuato; ubi etiam affertur Diploma HENRICI VI. 3. Idus Januarii An. 1195. datum; in quo, præter alia hæc legimus: *nos attendentes devotionem dilecti fidelis nostri*, BARTHOLOMÆI, *venerabilis Panormitani Archiepiscopi, & omnium canonicorum* Panor-

Panormitanæ Ecclesiæ; considerantes etiam dignitatem, & prærogativam ipsius Ecclesiæ Panormitanæ, quæ sedes & caput Regni nostri Siciliæ, in qua ipsius Regni coronam primo portavimus, una cum dilecta consorte nostra, CONSTANTIA, *illustri Romanorum Imperatrice Augusta.* Scilicet, illo anno 1194. HENRICUS *Imperator Calabriam & Siciliam & Apuliam, sibi subjugaverat,* referente CONRADO URSPERGENSI, *pag. 304.* & ALBERICO, *Monacho Trium Fontium*, ad h. a. Verum itaque *diem* quidem, sed non annum, hujus Coronationis indicat auctor incertus CHRONICI SICILIÆ *Cap. XXI. p. 11. T. III. Thesauri Anecdotorum novi*, ubi hæc narrat: *Fuit* HENRICUS *a Siculis in Panormo coronatus in Regem Siciliæ anno MCXCV. ultimo Novembris.* Nam *Henricum* in æstate ejus anni 1195. jam egregiis opibus locupletatum e Sicilia revertisse in Germaniam, testatur auctor AUCTARII AQUICINCTINI ad An. 1195. At alium diem mensemque *coronationis* hujus *Siciliensis* indicat RADULFUS DE DICETO in *Imaginibus Historiarum, pag. 678. Imperator* HENRICUS, inquit, *iter dirigens ad Urbem Panormitanam, in sede metropolitana solemni processione receptus est. X. Kal. Novembr. Regni diadema suscepit.* Interim utique ab anno 1194. HENRICUS *annos Regni Siciliæ* computare consuevit, prout SIGONIUS l. c. docuit; adeoque, quod bene observatum est in *Tomo prodromo Chronici Gotwicensis pag. 392.* hic Imperator inter omnes Imperatores Teutonicos primus fuit, qui externi acquisiti Regni titulum, REGIS nimirum SICILIÆ, Imperatorio titulo, unice & solum alias consueto, adjecit, ab eo nimirum tempore, quo Siciliam uxorio nomine acquisivit: unde etiam in Computo Chronologico, præter annos Regni & Imperii Romanorum, annos quoque Regni Siciliæ, numeravit. Cujus rei pauca quædam exempla subjicere libet. Ita nempe, cum hic Imperator An. 1195. d. 3. Nonas Aprilis, diploma daret Monasterio S. Mariæ de Nerito, dictus est: HENRICUS *Sextus, divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ. - - - Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quinto, Indictione XIII. regnante* HENRICO VI. *Romanorum Imperatore gloriosissimo, Regni ejus in Theutonia XXV. Imperii vero IV. & Regni Siciliæ I. Datum Barii per manum Alberti, Imperialis aulæ Protonotarii, tertio Nonas Aprilis.* Vide UGHELLI *Italiam Sacram, Tomo X. pag. 298.* Confer *Tomum I. pag. 1128.* Affert etiam HERTIUS *de fide Diplomatum p. 609.* ex *Miræo*, hanc subscriptionem Diplomatis HENRICI VI. *Acta sunt hæc anno dominicæ Incarnationis MCXCVI. Indictione XIV. regnante Domino* HENRICO VI. *Romanorum Imperatore, anno Regni ejus XXV. Imperii vero V. Siciliæ II. Datum apud Gulenhusen, pridie Nonas Martii.* Etiam CONSTANTIÆ Diplomatis hanc subscriptionem annotavit SIGONIUS *de regno Italiæ, Libr. XV. pag. 354.* CONSTANTIA, *Romanorum Imperatrix semper Augusta, & Regina Siciliæ. - - Datum Panormi anno Dominicæ incarnationis MCXCVI. Mense Martio XIIII. Indictione, regnante Domino nostro* HENRICO VI. *Romanorum Imperatore, & Rege Siciliæ potentissimo, anno regni ejus XXVI. Imperii V. Regni vero Siciliæ secundo.* Conf. UGHELLI *Ital. Sacr. T. IX. pag. 294.* Longe plura & HENRICI VI. Imp. & uxoris ejus, CONSTANTIÆ, Diplomata occurrunt, sed in nonnullorum *numeros* aliquando errores irrepsisse, facile animadvertimus. Equidem, si RADULPHUM de DICETO sequamur, videri possimus, in recensendis variis coronationibus, supra omisisse eam, quæ An. 1184. contigerit Moguntiæ. Is enim in *Imaginibus Historiarum pag. 625.* hæc narrat: *Circa dies istos* FRIDERICUS, *Imperator Romanus, concilium habens prope Moguntinam Urbem, Regni Teutonici diadema capiti Filii sui primogeniti* (HENRICI VI.) *fecit imponi.* Nempe anno 1184. sacro Pentecostes, solennissimum Conventum Curiamque Moguntiæ celebravit

FRIDERICUS I. Imperator; cujus ad eum annum multi scriptores meminenere, v. g. OTTO de S. BLASIO, *Continuator* LAMBERTI SCHAFNABURGENSIS, ARNOLDUS LUBECENSIS, DODECHINUS, ALBERTUS STADENSIS, CHRONICON MONTIS SERENI, pluresque alii. Hi quidem præter alia commemorant, tunc filios Imperatoris, HENRICUM Regem, & FRIDERICUM Ducem, armis militiæque cingulo fuisse solenniter præcinctos; sed nemo ex his meminit *coronationis*, nisi quod unicus ARNOLDUS LUBECENSIS *Lib. III. Cap. 9. n. 11.* hæc annotarit: *Sedata itaque controversia*, (quæ in ista solennitate inter Archiepiscopum Coloniensem & Abbatem Fuldensem intercesserat,) CORONATUR *Imperator & cum Imperatrice*, & FILIO CORONATO, PROCESSIT. Verum hæc non de inaugurali quadam, sed tantum festiva, & impropriè sic dicta coronatione, sunt intelligenda, quando Imperatores Regesque, pro more illius temporis, in solennioribus festivitatibus, majoris pompæ splendorisque caussa, identidem coronis ornati incesserunt.

IX. Hactenus generatim de HENRICO VI. ejusque variis coronationibus; jam non nihil etiam de COELESTINO, Pontifice Romano, a quo hunc Imperatorem Romæ coronatum fuisse, paullo ante, cum de *quarta Henrici VI. coronatione* agerem, jam probavi. Placet huc transferre ea, quæ de hoc Pontifice velut in compendium missa legimus, in *Vitis Pontificum Romanorum Cardinalis de Arragonia & aliorum*, quæ extant apud MURATORIUM, *T. III. Scriptor. Ital. pag. 479.* ubi sigillatim *Vita Cœlestini III. Papæ* ex MS. *Bernardi Guidonis* breviter exponitur: COELESTINUS III. *natione Romanus, ex Patre Petro Budonis. Cœpit anno Domini 1191. Sedit annis sex, mensibus VIII. diebus XI. Hic prius dictus est Hyacinthus*, (Hiacinthus Bobo,) *Diaconus Cardinalis, vir grandævus, & gratiosus, ac generosus, qui ipso die Dominicæ Resurrectionis consecratus fuit*, & *in crastino* HENRICUM, FEDERICI *Imperatoris filium, imperiali diademate insignivit. Hic fecit palatium apud S. Petrum. Anno Domini MCXCVII.* COELESTINUS *Papa moritur.* PTOLOMÆUS LUCENSIS in *Historia ecclesiastica*, Lib. XX. *Cap. 46.* apud MURATORIUM T. XI. *pag. 1118. - - De hoc* COELESTINO *pauca dicuntur; nisi quod fuerit bonus homo, & cum* HENRICO *transivit satis pacifice; nisi post quatuor annos sui pontificatus, & anno VIII. Imperii Henrici; quia tunc incepit tyrannizare contra Prælatos. - Licet autem dictus Henricus hostis fuerit Ecclesiæ, magna tamen fecit in Regno & in Imperio quædam &c.* BARONIUS *Annal. ecclesiast. T. IX. pag. 839.* ad An. 1191. annotavit, COELESTINUM *tunc fuisse ætatis plane decrepitæ, nempe octoginta quinque circiter annorum; quippe qui sexaginta quinque annis in functione Diaconatus Cardinalis permansisset.* De eo enim ista PETRUS BLESENSIS habet in *epistola ad Richardum, Episcopum Londinensem*, quæ est in ejus *Epistolis 123. Vidimus quamplures in Ecclesia Romana in ordine Diaconatus usque ad decrepitam ætatem, & exhalationem extremi spiritus ministrasse. Certe Dominus* COELESTINUS, *qui hodie sedet, sicut ex ipsius ore frequenter accepi, in officio Levitæ sexagiuta quinque annos expleverat, antequam ipsum Dominus in summi Pontificis apicem sublimasset.* Sed audiendus etiam est CHRONOGRAPHUS REICHERSPERGENSIS, qui tam electionis COELESTINI III. quam consecrationis, diem luculenter expressit ad An. 1191. *Defuncto tunc Romæ*, inquit, *Clemente Papa circa mediam Quadragesimam, constitutus est in locum ejus dominus* HYACINTHUS *Cardinalis, admodum senex, lectus a Romanis III. Kal. Aprilis, illo Sabbato, quando cantabatur officium: Sitientes venite ad aquas. Et in sancta die solemnitatis Paschæ, quod evenerat tunc in XVIII. Kal. Maji consecratus*, COELESTINUS

est

est dictus. Cur vero hic Papa in decimum sextum ab electione diem distulerit coronationem suam, docet ARNOLDUS LUBECENSIS *Libr. IV. cap. 4.* ubi de HENRICO VI. Rege loquens ait: *Rex cum manu valida Italiam intravit cum Philippo Coloniensi, & Ottone Duce Bohemiæ, & aliis multis. Cumque appropinquaret Romæ, suscepturus Apostolicam benedictionem dominus Apostolicus* CLEMENS *mortuus est; pro quo dominus* COELESTINUS *in sede est sublimatus. Qui videns, Regem cum multa jactantia venisse, ad protelandam ejus consecrationem, suam distulit.* Quia nempe vir decrepitæ ætatis forte nimis metuebat HENRICUM magno potentiæ apparatu adventantem, maluit summam eam dignitatem diutius differre, aut ea prorsus carere, quam eandem suscipere cum periculo. Quibus autem cærimoniis consecratus fuerit COELESTINUS, copiose exposuit CENCIUS DE SABELLIS, Cardinalis, qui ei solennitati ipse interfuerat, in *Ordine Romano*, quem ad An. 1191. exscripserat BARONIUS; nunc vero integrum illud opus edidit MABILLONIUS, T. II. *Musei Italici, pag. 167. seqq.* COELESTINUM denique anno 1198. die 8. Januarii ex hac vita discessisse, postquam sedisset *annos sex, menses novem et dies novem,* demonstrat ANT. PAGIUS in *Critic. Baron.* ad An. 1198. T. IV. *pag. 718.*

§. X. Sicuti igitur certum manifestumque est, HENRICUM VI. Imp. a COELESTINO III. Papa Romæ coronatum fuisse, ita nihil incertius, nihilque a veritate alienius puto, quam eam coronationem fuisse tam ignominiosam, ut Pontifex Romanus Imperatori, ejusque Conjugi, pedibus imposuerit, rursusque dejecerit, coronam. Quamobrem rationes quasdam colligam, breviterque exponam, quibus ad hanc sententiam amplectendam fuerim inductus. Quarum primam nunc accerso a lubrica suspectaque scriptorum quorundam Britannicorum auctoritate, qua tota hæc narratio de ignominiosa HENRICI VI. coronatione unice nititur. Equidem in fide historicorum exploranda omnino cautio est adhibenda, ne ob eam temere admissam, nimis creduli videamur, vel ob temere rejectam, in scepticismum historicum incidamus. Quapropter bene consulunt indagandæ veritati historicæ, quicunque suadent, præcipiuntque, ut ante, quam narrationi alicui assensum nostrum præbeamus, vel derogemus fidem, sedulo expendamus, num ejus auctor veritatem proferre et *potuerit*, et *voluerit?* Ille vero præsumitur *potuisse* narrare vera, qui eo tempore & loco, ubi res gesta est, vixit, & vel ex hominibus documentisque fide dignissimis rei gestæ veritatem cognovit; vel quod optimum argumentum est, rei gestæ ipse interfuit. Qui enim solum rem audierunt, quantumuis æquales, sive coævi, cum haud ægre ab aliis potuerint, saltem inter *testes auritos* sunt referendi; quorum quantillum valeat auctoritas, nemo est, qui nesciat. Recte omnino eruditissimus PALIGNESIUS in *Monitis Genealogicis pag. 30. Testium æqualium,* inquit, *certior est fides, quam recentiorum, præsentium quam absentium; certissima vero eorum, qui rem oculis ipsi suis inspexerunt. Plus videlicet valet oculatus testis unus, quam decem auriti.* Verum, non sufficit, *potuisse* aliquem scriptorem veram rei gestæ notitiam habere, opus est, ut eam etiam *voluisse* narrare, & posteritati tradere intelligatur. Quæ consideratio utique paullo difficilior est, cum in animis hominum magnæ sint latebræ, magni recessus: nisi forte haud obscura studii partium, favoris vel odii appareant indicia; cujusmodi præjudiciis aliquis inductus veritatem vel dissimulasse, vel ex parte commentis inquinasse, vel in errorem incidisse, vel ultro mentitus fuisse, deprehendatur. Jam si hæc ad præsens argumentum accommodemus, videmus nobis utique licere, inprimis propter brevitatis studium, mox tanquam minus idoneos testes hujus ignominiosæ coronationis, dimittere MONACHUM CES-

TRIENSEM, & HENRICUM KNYGHTONUM; cum hi a temporibus HENRICI VI. Imperatoris, per duo fere sæcula disjuncti, & quantum ex ipsorum verbis colligimus, tantum HOVEDENI auctoritatem secuti, ne ipsi quidem satis potuerint rei hujus gestæ veritatem nosse, nedum certum testimonium dicere. Cum unico ergo ROGERIO HOVEDENO, antiquissimo hujus narrationis auctore, nobis nunc res est. Equidem huic non parum auctoritatis vel exinde conciliatur, quod scriptor coævus, & quod HENRICUS SAVILE in præfatione *Scriptoribus Angliæ* a se Londini editis præmissa, eum vocat *auctorem cum primis bonum & diligentem, verissimumque superiorum temporum indicem*. Unde conjicias, HOVEDENUM et potuisse et voluisse, vera narrare. Verum salva res est. Fuit is quidem scriptor coævus attamen testis tantum auritus, non αὐτόπτης, sive oculatus: neque usquam dicitur pedem movisse ex Britannia, & huic rei in Italia tunc gestæ coram interfuisse. Quicquid itaque de his rebus tradit, ex aliorum traditione & ex fama accepit; quæ quam sæpe vera falsis miscere soleat, non est quod exemplis demonstrem. Recte TERTULLIANUS *Apologet. Cap. VI.* cum decantatum Maronis versiculum protulisset: *Cur fama*, inquit, *malum? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, sine mandacii vitio est, detrahens, abjiciens, demutans de veritate*. Huc accedit, quod tunc plurimi Britannorum maximo adversus HENRICUM VI. Romanorum Imperatorem flagrarint odio. Scilicet illo tempore Britanniam regebat RICHARDUS I. filius & successor HENRICI II. Regis Britanniæ. Hic ex fœdere cum FRIDERICO I. Imperatore, & PHILIPPO AUGUSTO, Rege Galliæ, in Palæstinam profectus, præclara quidem fortitudinis suæ specimina ibi edidit, aliquando tamen paullo egit insolentius, quia prædam communem, eamque omnium sudore partam, sibi suisque tantum vindicasse; capta Urbe Ptolemaide, sola exercitus sui signa triumphalia turribus affigenda curasse; vexillum LEOPOLDI, Ducis Austriæ, de turri, quam Dux cum sociis obtinuerat, suspensum, dejici, lutoque conculcari, aut in cloacam projici, jussisse dicitur. Unde evenit, ut cum ex Palæstina An. 1192. reversus, Templarii habitu per Austriæ terras iret, forte in diversorio quodam prope Vindobonam agnitus, in potestatem istius Ducis Austriæ venerit. A Duce captivus traditus HENRICO VI. Imperatori, & ab hoc quoque ab initio parum clementer habitus est, quia nimirum etiam Imperator Richardum graviter accusaret, quod sibi non solum auxilium antea promissum, ad regnum Siciliæ & Apuliæ vindicandum, non præstiterit; sed etiam Tancredum, hostem Imperatoris, magis excitarit, adjuveritque: prætcrea quod regnum Cypri violenter invaserit, & Regem mancipaverit carceri; atque ut alias nunc taceam querelas, Germanos in Terra sancta verbis factisque probrosis ubique dehonestarit. Tandem vero anno 1194. tempore *Quadragesimæ*, RICHARDUS in libertatem regnumque suum rediit, non tamen nisi grandi pecunia redemtus, ita ut non solum omnes Britanniæ *Episcopi*, *Clerici*, *Comites*, *Barones*, *Abbates* & *Priores*, quartam partem redituum suorum conferre necesse habuerint; neque ullus ordo, ullus gradus vel sexus fuerit prætermissus, sed etiam Ecclesiarum aurum & argentum, & calices, aliaque vasa sacrata, ad redimendum Regem impenderentur. Quæ omnia uberius commemorant, ROGERIUS HOVEDENUS, GUILIELMUS NEUBRIGENSIS, PETRUS BLESENSIS, OTTO de S. BLASIO, GODEFRIDUS COLONIENSIS, MATTHÆUS PARISIENSIS, RIGORDUS, CHRONOGRAPHUS AQUICINCTINUS, ARNOLDUS LUBECENSIS, CHRONOGRAPHUS REICHERSBERGENSIS, CHRONICON MORTUI MARIS, MONACHUS ELIENSIS, atque alii. Quæ cum ita sint, quid mirum est, plurimos Britannos tunc propter Regis sui captivitatem, & tam grave redemptionis onus, non levi

levi odio adversus Germanos, Germanorumque cumprimis Imperatorem, exarsisse? Quid mirum, HOVEDENUM, etiam communi præoccupatum odio, sinistra quæque de HENRICO VI. Imperatore, etsi non ipse finxerit, proclivi tamen animo arripuisse, & in literas retulisse? Certe, id maxime in exponenda istarum rerum historia egisse videtur HOVEDENUS, ut Imperatorem hunc ubique fere, avaritiæ, injustitiæ & crudelitatis cujusdam, ac tandem *impænitentiæ* argueret. Unde in eo, aliisque quibusdam ejus ætatis scriptoribus Britannicis non nulla ejusmodi odii vestigia jam ex hac parte deprehenderunt viri de historia imperiali Germaniæ optime meriti, STRUVIUS, SPENERUS & HAHNIUS. Etsi adeo HOVEDENI fidem in aliis rebus narrandis, a SAVILIO collaudatam, nolimus reddere dubiam; nihilominus tamen & in hunc ipsum valere potest, quod in Historia *Aureliani Cap. 11.* scripsit FLAVIUS VOPISCUS: *neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentium: quin etiam esse, in quo Livius, in quo Sallustius, in qao Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifestis testibus convincerentur.* Neque vero scriptoribus Britannicis hujusmodi commenti fingendi, vel certe complectendi, deesse potuit occasio, cum constet, quid tunc temporis divulgarit fama de FRIDERICO I. Imperatore, pedibus ab ALEXANDRO III. Pontifice Romano, conculcato; cui Imperatori similiter Papam pedibus coronam imposuisse fabulatur GUALVANEUS DE LA FLAMMA, in *Manipulo florum*, ubi *Cap. CCVI.* exponit, *qualiter Federicus Imperator fuerit Papæ reconciliatus. His taliter pactis,* inquit, *Imperator Alexaudrum in sede Romana collocavit, ubi Imperator coronam deposuit, & prosternens se super terram, Papa super guttur Imperatoris pedem sinistrum fixit, & elevato altero pede, ad alteram partem prosiliit, dicens: Super aspidem & basiliscos ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Cui Imperator: Non tibi, sed Petro. Et papa: Non dignitati, sed* FEDERICO. *Tunc Papa coronam Imperii eidem restituit* CUM PEDE, *ac ipsum Christianissimum promulgavit.* Vide MURAVORII *Tomum XI. Scriptorum rer. Italic. pag. 651.* Nihil proinde facilius fieri potuit, quam ut ejusmodi ignominiosam traditionem tunc ad HENRICUM VI. referre maluerint offensi BRITANNI.

§. XI. Si ergo in incerto posita est narratio HOVEDENI, scriptoris æqualis, quid quæso valeat auctoritas BARONII, quæ illi unice innititur? Qua de re jam supra *sect. V. pag. 9.* egimus. Mirum autem omnino est, cum hic ipse BARONIUS T. XI. *Annal. Eccles. ad* An. 1177. *n. LXXXVI.* recte improbarit tralatitiam illam historiam, quæ tradit, *Alexandrum III.* Pontificem Romanum, qui quidem *Coelestino III.* multo fuit animosior, cervices prostrati *Friderici I.* Imperatoris pede pressisse, calcasseque; cumque id *facinus indecorum, arrogans & prorsus insuetum, abhorrensque a tanti* CHRISTI *Vicarii moribus* appellarit, atque prorsus incredibile existimarit: cur idem nihilo minus ad An. 1191. *n. X.* unico HOVEDENO, eique scriptori extero, simile factum COELESTINI III. narranti, tam facilem habuerit fidem, & tam honorifice factum ipsum interpretatus sit, approbaritque? An vero hic magis decuisset, credibiliusque esset, Imperatorem innocentem a Papa grandævo, & recentissime in sedem pontificiam evecto, ultro lacessitum ex exacerbatum, atque ignominiosissime officii sui commonefactum esse? Ac si is fuerit successor & filius illius, qui non satis gratus in sedem Romanam fuisse dicatur, quamquam Pater omnino voluntati Papæ obsecutus abierat in Palæstinam; an fas fuisset, *filium portare iniquitatem Patris*, si qua iniquitas extitisset? Satis itaque caussæ habuit ISAACUS CASAUBONUS in *Prolegomenis ad Exercitationes Anti Baronianas*, cur hac ex parte notarit BARONIUM a se ipso dissentientem, neque sibi

ſatis conſtantem. Nihil eſt, quod nunc reſpondeamus recentioribus aliis ſcriptoribus, LEHMANNO ſcilicet, auctori *Chronici Spirenſis*, PALATIO, HEINECCIO, de quibus ſupra *Sect. VI. pag. 10. ſeq.* quibus nunc etiam addimus JO. SCHILTERUM, *de Libertate Eccleſ. Germ. Libr. V. Cap. VII. 1.* Hi enim omnes in hac cauſſa ſolum ad HOVEDENUM & BARONIUM provocant.

§. XII. Sed ſunt & aliæ rationes, quæ ignominioſam illam coronationem minus veriſimilem reddunt. Huc refero nunc indolem ac conditionem, et coronantis Pontificis, et coronati Imperatoris. Pontifex Romanus, prout ſupra *Sect. VIIII.* demonſtravi, tunc fuit COELESTINUS III. ſenex grandævus, jam octoginta quinque annos natus, qui ipſe recentiſſime conſecratus erat Pontifex ſummus, nempe pridie ante, quam coronaret HENRICUM VI. Hic ceteroquin bonus & manſuetus vir fuiſſe, & *ſatis pacifice cum hoc Imperatore res transegiſſe* dicitur, ita quidem, ut in neutram partem magna & ſingularia de hoc Pontifice commemoranda habuerint ſcriptores. Unde ergo putemus, tantam audaciam tam ſubito inceſſiſſe animum alioqui ſolicitum & meticuloſum ſenis grandævi, proximo die ante in ſedem pontificiam evecti, neque ullo modo antea ab Imperatore offenſi, aut laceſſiti, ut tam inſolens, tam inauditum, tantique faſtus pariter atque periculi plenum facinus ſuſceperit? Taceo, naturæ & viribus ſenis decrepiti quaſi repugnaſſe videri, ut is, quantumvis ſedens, ſatis commode coronam imperialem inter pedes tenere potuerit, eamque Imperator & Imperatrix, inclinatis capitibus, de pedibus ejus receperint; licet forte facilius coronam de capite coronati Imperatoris pede dejicere valuerit. Jam, quod ad ipſum Imperatorem tunc coronatum attinet, is fuit HENRICUS VI. quod jam ſupra *Sect. VII. pag. 11. & 13.* oſtendimus, magnanimi Patris Filius magnanimus, Princeps auctoritatis & majeſtatis imperatoriæ retinentiſſimus, & ad contumelias acerrime ulciſcendas maxime proclivis. Quis credat proinde, talem tantumque Principem ejusmodi ignominiam æquo tuliſſe animo, aut ſi vel maxime iſto tempore ferre neceſſe habuerit, non poſthæc graviſſime vindicaſſe? Quis ſibi perſuaſum habeat, tot magnos forteſque Germaniæ Principes, quos comites habuit HENRICUS (teſte autem ARNOLDO LUBECENSI *Lib. IV. cap. 4. Rex hic cum manu valida tunc Italiam intravit, cum Philippo, Colonienſi Archiepiſcopo, & Ottone, Duce Bohemiæ & aliis multis,*) tam toleranter, tamque placide, intueri potuiſſe Pontificem Romanum ignominioſiſſime nequiſſimeque ludentem corona imperatoria, & Imperatori impie inſultantem, ita quidem, ut ii non ſtomachoſiores reclamarint, ac nihil turbarum nihilque tragoediarum excitarint? Nimis autem leniter HOVEDENUM interpretatus eſt LEHMANNUS, præſtantiſſimus *Chronici Spirenſis* auctor, quaſi is non ſimul innuerit, etiam CONSTANTIAM, Imperatoris Conjugem, ſimiliter corona pedibus impoſita a Pontifice illuſam fuiſſe.

§. XIII. Neque leve momentum ſententiæ noſtræ in eo poſitum eſſe exiſtimamus, quod ex tot iſtius temporis ſcriptoribus Italicis, Germanicis, Gallicis, & plurimis Britannicis, quotquot quidem innotuerunt, nullum hucusque teſtimonium afferri potuerit, quod traditioni HOVEDENI congrueret. Quod ſi et chartæ et tempori, et patientiæ Lectoris non parceremus; facile poſſemus haud exiguum numerum teſtimoniorum ex hujusmodi ſcriptoribus producere, qui quamvis fuerint coævi, & quamvis ex iis non nulli nihil prætermittere voluiſſe videantur, quod ad vituperationem & ignominiam hujus Imperatoris facere poſſe credidere, nihil tamen de iſta ignominioſa HENRICI VI. coronatione habent, ſimpliciter & generatim annotaſſe contenti, hunc

Impe-

Vixit anno milleſimo ſexageſimo Chriſti Baro quidam Henricus Stauffenſis, ex antiquo Francorum occidentis Regum genere, & oppido Waiblinga Wirtembergico ortum ducens, ad quem arces Hohenſtauffa & Lorcha, vel Laureacum (poſtea in Monaſterium mutatum) pertinebant. Hic ex uxore ſua Agnete filium genuit Conradum, Conradus vero ex Himelgarde (aliter dicta Hiltegarde) Comite Hohenlohenſi, multos genuit filios & filias. Inter quos erant, Fridericus, cognomine Antiquus, & Otho, Epiſcopus Argentinenſis. Friderico ex Agnete, Imp. Henrici IV. filia (quam fidelibus miniſteriis, & virtute bellica, contra Imperatoris hujus hoſtes, cum Ducatu Franciæ orientalis ſive Franconiæ, promeruerat) nati ſunt, Fridericus Unioculus, & Romanorum Rex Conradus. Sub Conrado hoc oppidum Guelphonicum Weinſperga captum eſt, ex quo nobiles matronæ (eximiæ quædam Irenæ, ſeu Friderunæ, id eſt, pacis & concordiæ in conjugio tenaces) pro omni theſauro & muliebri mundo, viros ſuos humeris extulere.

Conradi ejuſdem filius Fridericus, Dux Sueviæ & Franconiæ, Palatino Comiti Tybingenſi Hugoni, anno ſexageſimo quarto ſupra undecimum ſeculum Chriſti, in Guelphone juniore (qui in Bavaria & circum Almangaviæ oppidum Ravenſpurgum dominabatur) ex pratis vicinis Tybingæ Neccaricis profligando, auxilium tulit. Fridericus autem Unioculus ex Juditha Guelphonide Fridericum Barbaroſſam, illum omni laudum genere cumulatum Auguſtum tulit. Cui in Imperio filius ſuus Henricus VI. de quo dicere cœpimus, anno nonageſimo primo poſt milleſimum & centeſimum, ſucceſſit.

Hic Henricus, magno exercitu in Alemannia comparato trans Alpeis in Italiam profectus Siciliam, ratione uxoris Conſtantiæ, ſibi vindicaturus erat. Nam fuerat hæc Rogerii Nortmanni filia, Rogerius autem Regis Guilelmi avus. Eo Guilelmo jam ſine prole (ut ante hac dictum eſt) mortuo Siciliæ Regnum ad Reginam Conſtantiam, & per hanc ad Cæſarem Henricum veniebat. Sed Regno jam filiolum ſuum Guilelmum mater Sibylla inauguraverat. Henricus itaque tum ſuis copiis, tum claſſe Genuatium & claſſe Piſanorum adjutus, Neapolin & circumjectas Inſulas per æſtatem terrore ad deditionem coegit. Menſe deinde Septembri Meſſanam Siciliæ adeptus, Catanam & Syracuſas expugnavit; Reginam Sibyllam liberos ejus omnes, Salernitanum Archiepiſcopum & fratres (qui in arcem quandam bene munitam confugerant) quibuſdam condi-

 tioni-

tionibus in deditionem accepit. Usus est in his rebus gerendis opera multorum strenuorum nobilium Alemannorum, inter quos erat etiam Marquardus Anuuilerus & Henricus Calatinus Pappenhaimius. Inde Panormum transgressus, ea urbe potitus facile est. Ibi uxorem suam Constantiam, quæ superiori tempore improbe capta fuerat, ex occultissima custodia eduxit, nostram Irenam in ejusdem urbis Palatio cum ministris ejus cepit, Reges Siciliæ se & uxorem die S. Andreæ jussit creari splendidissime, eo hominibus ex toto Regno concurrentibus. Ita brevi tempore plures experta est calamitates Angela nostra, amisso sponso suo Rogerio, amisso socero Rege Tancredo, amissa sua & suorum propinquorum libertate. Erant hæc valde dura, sed non inscio Deo nec inutiliter immissa. Ea lege nascitur homo, ut quia peccator est, quarumvis afflictionum telis sit expositus. Sic a peccatis magis abstinet, minus Dei obliviscitur, ad invocandum eum magis excitatur, quæ carnes sale asperguntur, non putrescunt. Qui homines ærumnis exercentur, non superbia diffluunt, sed in timore Dei manent.

Erat Cæsari Henrico frater Philippus (ut supra dictum est) ipso ætate minor, adolescens egregia virtute præditus, nec ineruditus, natus anno circiter millesimo centesimo octogesimo, iisdem cum Henrico parentibus, Friderico Barbarossa, & Beatrice Burgunda. Idem jam erat Dux Sueviæ, Franconiæ, Turgææ & Zurichgææ (duorum hodiernæ Helvetiæ pagorum, sive Regionum) atque Alsatiæ. Nam ad Ducatum Sueviæ illis temporibus omnes hæ regiones pertinebant. Huic fratri suo Philippo Henricus Imp. Irenam, Rogerii defuncti sponsam aut viduam, desponsavit, eique dominium Tusciæ & terram, quæ olim illustris Dominæ Mathildis fuerat, tradidit. In conjuratos autem Siculos, clam sibi post deditionem & pacem constitutam exitium machinantes, acerrime vindicavit, Guilelmum puerum, Reginæ Sibyllæ filium, luminibus privatum, in Rhætiam Curiensem ductum, perpetuæ custodiæ in Castello Amiso vel Alta Emsa, mandavit, ipsam Sibyllam & filias Monasterio Alsatico Altitonæ, seu montis S. Otiliæ, inclusit. Unde Henrico agnomen *Asperi* accessit.

Philippus autem, cum in Tuscia conaretur loca occupare, quæ ad Pontificem Romanum Cœlestinum spectare dicebantur, ab eo diris devotus est. Verum inde cum sponsa sua Irene in Sueviam decessit, eamque cum honesto gynæceo & famulitio (fortasse Græcis etiam hominibus, quos ipsa in Sicilia habuerat ex patria Constantinopoli, intermistis) in arce quadam, tunc sita non longe ab urbe Rhætiæ Augusta, Suainhusa dicta, collocavit. Postea millesimo centesimo nonagesimo sexto (vel, ut quidam volunt, septimo) anno, nuptias cum ea ad Festum Pentecostes, in latissimo extra Augustanam urbem Lyci amnis campo, qui concio legionum dicebatur (vulgo, zum Gunzimlech) celebravit splendidissimas, omnibus aut certe plerisque Germaniæ Principibus (Augustus enim Henricus, jam in Germaniam redierat) præsentibus.

Erat autem etiam duodecimo seculo Domini ritus hic in matrimoniis conjungendis. Sponsalia, dos, conjugum consecratio in loco sacro, convivia, choreæ, musica suavissima, exercitationes equestres. Syrma vestis preciosissimæ, quam sponsa illustris gestabat, pone elevatum ferebatur. Quæ consuetudo jam antiquissimis temporibus apud Persarum Regum uxores fuit, teste Josepho Historico de Hesthera, quæ ad Imp. Assuerum adiens, duas pedissequas habebat, quarum uni leviter innitebatur, altera prolixitatem vestis ejus, Syrma scilicet, summis digitis allevabat, ipsa autem incedebat, venusto & honesto vultu.

Sic

Sic igitur Irenam, ex captiva rurſus liberam, ex vidua triſti ſponſam honoratam, ex ſerva magnificam Dominam, divina benignitas fecit. Regnum ei ademerat Siciliæ, præpotentem jam Sueviæ Ducatum, & poſtea Imperium Romanum dedit. Sæpe calamitates viam ad majorem felicitatem muniunt. Quanquam terrena felicitas valde quam inſtabilis eſt. Irena itaque, ut docta, & ex hiſtoriarum lectione, ſuaque experientia, non ignara caſuum humanorum, haud voluntate ſua ad ſecundas nuptias tranſiit, cum cœbilem in poſterum vitam & curarum expertem agere conſtituiſſet. Sed obſtabat ei generis & ingenii & formæ ſuæ excellentia, qua Dux Philippus inflammatus, illam absque copulatione ſecum dimittere non potuit.

Curaverat ipſum quoque (ſicut & fratrem Henricum) ad bonas literas & linguas erudiendum, pater Fridericus Barbaroſſa. Magno videlicet ornamento, atque etiam emolumento, principibus eſt eruditio. Magno quoque ſtudio eas plantare, rigare, augere, officii ipſorum eſt. Attulit hoc conjugium Philippo majorem dignitatem, nec nihil etiam opum, ad res ſequenti tempore neceſſario gerendas. Non autem diu poſt nuptias mandatu Imp. Henrici profectionem ad inſpiciendum Siciliæ Regnum ſuſcepit, domeſticarum rerum inſpectione Diethelmo interea commiſſa Conſtantienſi Epiſcopo. Verum in Siciliam propter Italorum inſidias pervenire non potuit, ſed magnis poſtea difficultatibus preſſus, vix in Germaniam reverſus eſt, præſertim ideo, quod frater Henricus Imp. qui Italiam & Siciliam redierat, die Feſto S. Michaëlis, undecimo ſalutis ſeculo, & nonageſimo octavo anno, diem ſuum obierat, qui Panormi in ſummo templo terræ mandatus eſt, vidua Conſtantia cum filiolo ſuo Friderico in Regni adminiſtrationem ſuccedente.

Hinc jam majorum rerum nata eſt cauſa & progreſſus, Philippus enim, cum inſignia Imperii (coronam, gladium, pomum, ſceptrum, crucem) ſecum haberet, ac quosdam intelligeret velle Imperium a fratris defuncti filio, puero Friderico, cui id debebatur, alio transferre, Sueviæque facultates ad ſe rapere, concedenda hæc non exiſtimavit, ſed favore complurium principum tantum effecit, ut milleſimo undeducenteſimo anno, die Martii octavo, ipſe Rex Rom. crearetur. Felix tunc ille fuiſſet, cum ſua dilectiſſima conſorte Irena, niſi Papa Innocentius III. ſummo ſe ſtudio oppoſuiſſet, tum fratris Henrici defuncti odio, quod is perfidiam Siculorum, quorum inſidiis appetitus fuerat, graviſſime ultus eſſet; tum adverſus Suevorum Principum potentiam invidia, quos Regni Siculi poſſeſſione exuere conabatur. Ego aut detraham (inquit) Philippo coronam Regiam, aut mihi ipſi inſigne Apoſtolicum auferam. Parcius, περισίφανε. Demonſtra prius, te ab Apoſtolo Petro iſtud περίλοφον Inſigne habere, cui & collegis a Domino dictum eſt: Reges gentium dominantur eis, VOS AUTEM, NON SIC. Innocentius vero nihil penſi habens, quid in ſacris mandaretur literis, effecit, ut ab aliis Principibus etiam menſe Martio crearetur Rex Rom. Saxonicus Princeps Otho. Ita jam Germania Pontificis malignitate & machinatione diſtracta fuit in duas factiones, Philippi II. & Othonis IIII. atque civili ſanguine, per annos circiter octo, multis in locis rigata eſt. Res multæ & variæ ſunt, quas Annales noſtri copioſe ſumma cum diligentia congeſtas, & ſuis annis adſcriptas, habent. Sed earum ſumma eſt hæc, quod licet Philippus, ut vir manſueti ingenii, Pontificem ſibi reconciliare (etiam Regina Sibylla cum ſuis dimiſſa) ſtuderet, nihil obtinuit, quod re ad arma & vim deducta, plerisque omnibus in præliis, victoria penes Philippum ſtetit, quod Otho tandem in Angliam profugere coactus fuit. Meliori enim cauſæ favebat Deus, ac Philippus fidelem in retinendo Imperio tutorem agebat parui ex fratre nepotis, qui

poſtea

postea fuit Fridericus II. Imperator maximus. Dicere omnia & singula, hujus temporis & loci non est. Quædam tantum, quæ ad Græcam Angelam nostram propius accedunt, dicam. In quibus aliâs gaudium, aliâs tristitia, quoniam hæc duo humanis in rebus alternant, & ursæ cœlestis ritu circumeunt.

Anno eo, quo electus est Philippus Rex Rom. Moguntiæ (a multis Prælatis & Principibus Seuviæ, Bavariæ, Franconiæ, Turingiæ & aliis) coronavit eum Tarentinus Archiepiscopus, magna cum solennitate. Irenam, Regio diademate, non coronatam, sed circulatam, processisse, Arnoldus Lubecensis Abbas scribit. Qualis illa circulata processio fuerit, in Saxoniæ descriptione sibi ignotum esse Crantzius significat. Ego, non coronam latino ritu gestasse existimo, sed diadema more Imperatorio Græco, cum patrem ipsa habuerit Imperatorem Græcum. Adversabatur Philippo Coloniensis Archimystes Adolfus, & Otho Aquis vel Aquisgrani, coronam accepit, ab Angliæque Rege Richardo pecuniis suffultus fuit, ut ejus ex sorore nepos. Qui autem ritus tunc coronandi fuerit, non possum exacte dicere. Cogitari tamen potest ex eo, quo tricesimo ab hinc anno creatus est Bohemiæ Rex, Maximilianus II. inclytus, cum uxore sua serenissima Maria, Caroli V. gloriosissimi Imp. filia, mense Septembri, unctione & aliis permultis cum ceremoniis. Interrogatus a Metropolitano Episcopo, *vis fidem sanctam, a Catholicis viris tibi traditam, tenere, & operibus justis observare?* Respondit, *volo. Vis S. Ecclesiis, Ecclesiarumque ministris, tutor & defensor esse?* volo, &c. Adduxit deinde Rex Reginam ad Metropolitanum cum his verbis: *Reverende pater, postulamus, ut hanc consortem nostram, nobis a Deo conjunctam, benedicere, & corona Regali decorare dignemini, &c.* Tum ipsa quoque coronata est, iisdem fere omnibus ceremoniis, quibus Rex. A partibus porro Regis Philippi stabant, præter supra memoratos, etiam Rhenensis ora, Magdeburgensis Archiepiscopus Ludolphus, Bohemi, Helvetii & Alpini.

Ipse circa millesimum & ducentesimum Christi annum in Alsatia resistentes, Argentinensem Episcopum Conradum, aliquot castris expugnatis, atque ipsam urbem Argentinam, suburbiis ejus devastatis, facere imperata coëgit. Ex Alsatia deinde Spiram descendit, & ad flumen Mosellam. Ex quo utroque loco Othonem profligavit, atque cum Irena (quæ mihi videtur identidem castra & fortunam amantissimi viri secuta) natalitia Christi Magdeburgi egit.

Redeundum jam mihi Constantinopolin ad Irenæ patrem Isaacium est, cui ingens calamitas jam antea acciderat, quæ hujus dilectæ filiæ ejus tristitiam curasque, alias ei non raro accidentes, jure augebat. Habebat enim ille fratrem natu minorem, nomine Alexium, quem aliquando a Turcis captum, grandi auro redemerat. Debuisset ergo merito ab illo, per omnem vitam amari & coli. Sed ab homine ingratissimo, sævissima regnandi cupiditate impulso, captus est & exoculatus, atque in carcerem cum filio Alexio puero conjectus. Factum anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quinto. Miser Isaacius, luminibus juxta ac Imperio privatus, sexto circiter anno post, Regem Philippum & Irenam, hæredes Imperii, quod habuerat, sed amiserat, adoptavit. Literæ ad filiam dilectam a patre, atque a filia ad patrem, commiseratione dignum, ultro citroque cursitabant. Pater opem filiæ implorare, filia patrem, quid facto opus esset, docere. Has, aut similes literas Græcas, ante quinquennium ego perdiligenter inquirebam, sed frustra. Periisse existimo jam olim, nemine curante.

Potuit

Potuit autem in sua ad filiam scriptione Isaacius inter alia ponere sententiam, qualis est hæc Sulmonensis Poëtæ:

Omnia perdidimus. Tantummodo vita relicta est:
Præbeat ut sensum materiemque malis.

Et ad generum Philippum, talem ejusdem Poëtæ sententiam.

Regia (crede mihi) res est, succurrere pressis:
Convenit & tanto, quantus es ipse, viro.

Hæc quidem, tunc satis diu. Nec vero perpetuo divina abfuit vindicta a scelere perpetrato, sed tandem evigilavit.

Filius enim Isaacii, cujus mentionem fecimus, Alexius puer duodecim fortassis annorum, e custodia primo post duodecimum seculum anno profugit, nave Pisani cujusdam vectus, in Italiam & Siciliam venit. Fuit & Romæ. Soror Irena (cognito, eum in Sicilia esse) justo Satellitum numero misso, ipsum ad se in Alemanniam vocavit. Nescio, num in arcem Hohenstauffam, an alicubi in castra Imp. Philippi. Certe tamen Sueviam Alexius ingressus est, ad sororem & proinde ad hujus maritum pervenit, literas, quas a patre secum ferebat, reddidit, ærumnas hujus fletu & verbis quantum potuit, exaggeravit. Mulier, justo dolore victa, materiam maximo incendio & flammæ excitandæ subjicere cœpit, hujuscemodi sententiis (ut erat docta & prudens) ad Philippum usa:

Legisti ex literis miserrimi patris mei (inquit) dilectissime mi marite, ac Domine: audivisti ex verbis fratris mei, quantæ sint utriusque ipsorum ærumnæ. Pater luminibus orbatus, frater extorris, planetarum modo hinc inde errans, uterque Imperio Orientis injustissime spoliatus. Auctor tanti sceleris non aliquis externus hostis est, non Turca, non Saracenus, non aliquis ex Sicilia Nortmannus, veteris offensionis ulciscendæ cupidus, non aliquis indigena, nos genere non attingens, sed genere proximus, sed frater patris, sed meus puerique hujus miserrimi patruus. At quam ob causam? Injuriane aliqua a parente nostro offensus? Nulla prorsus, sed summo beneficio affectus. Pater enim ipsum (ut jam antea cognovisti) quodam tempore a Turcis captum, magna vi auri amantissime redemerat, in honore semper habuerat, tantum non Imperii dignitatem cum ipso communem fecerat. Adversus tanta beneficia ille, qui omni pietate officioque agnoscere debuisset, ingratissimus serpens, immanissimus draco, extitit. Quid non impia pectora cogis, Regni sacra fames? Ambitione ille dira in fraudem & scelus impulsus, Imperium flagitiosissime ad se rapuit. Non is aliquam saltem hujus partem fratri beneficentissimo reliquit, sed totum abstulit, non levi & tolerabili modo fratrem removit, sed crudelissime oculos effodit, non alicui commodo loco sed tetro carceri mandavit, non ipsum solum a gubernaculis Regni sustulit, sed filium etiam, hunc luctu perditum puerum, eidem custodiæ inclusit, non denique victu liberali & sufficienti sustentat, sed vix exiguum quid panis & vini concedit. Vides, Auguste, facta summe nefaria. Conculcatio majestatis est, dejicere principem suum insontem ex Imperio, ingratitudo impia, optime meritum Magistratum bonis omnibus spoliare, parricidii crimen, fratrem oculis exsculptis jucundissimi Solis aspectu privare, quid dicam, in squalidum carcerem, cum filio innocente, detrudere? Fame & siti macerare? Pene infra mortuos mandare? Moveant hæc, quæ ami-

cissimo socero tuo acciderunt, vehementer animum tuum, moveant sensum optimi cujusque. Exurge, Auguste, ad justissimam consceleratissimi hominis ultionem. Ne patere audacissimum exortum exemplum, impunitate sui ad plures Reges serpere. Exclusit ille ab hæreditate paterna me, contempsit, tanquam vindicare nec volentem nec valentem, te: fraterculum hunc meum a successione Imperii exclusit: ambos nos, te ac me, quantum in ipso est, ex eo ejecit: ne in id aliquando, casu aliquo ferente, nos succederemus, & Orientis occidentisque Imperia, jam longo tempore disjuncta, rursus in unum conjungeremus.

Dixit erudita, & justissimis causis inflammata, mulier:

Dicentis maduere genæ: vultumque per omnem
Pallor iit: vocisque recens singultus apertum
Intercepit iter: ut Statii verbis utar.

Dixit fere, sicut Regina Hesthera, Regi Assuero de Amanis in populum Judaicum injuriis conquesta. Utraque pia & misericors: Hesthera, in suam gentem, Irena, erga patrem & fratrem. Ergo commotus rerum talium iniquitate Cæsar Philippus inquit:

Conjux chara, mihi dolor haud rationis egebit.
Pone metus, laudanda rogas, nec digna negari.

Ut ex eodem vate loquar. Ergo (ut ab eodem, cujus supra meminimus, Sulmonensi dicitur.)

Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt,
Cæsaris, ulcisci justa per arma patrem.

Verum enim vero cum domestico contra æmulum Imperii Othonem bello Cæsar Philippus occuparetur, atque a Francis occidentalibus (cum quorum Rege Philippo Augusto ipse fœdus habebat) & a Venetis sacra in Palæstinam expeditio pararetur (cum qua multi sese Suevi, aliique Germani, conjunxere) puerum Alexium Ducibus illarum copiarum literis commendavit. Qui cum Venetias, & ad illos cupide pervenisset, ab eis etiam liberaliter receptus est. Sperabant enim, hac occasione Orientis & Imperium & Ecclesiam Romanis posse restitui. Nam puer grandem quoque pecuniam & Ecclesiæ Græcæ cum Latina concordiam (quia longo jam tempore inter se discordaverant) eis jurejurando, si pater suus & ipse in Imperium restituerentur, promisit.

Omissa igitur in præsens Syriaca expeditione Constantinopolin secundis ventis petierunt, ducentis quinquaginta vecti navibus, Alexium puerum secum vehentes. Habebant viginti millia peditum & octo millia equitum. Quibus profligarunt sexaginta Græcorum millia, Tyrannum Alexium, & generum ejus Theodorum Lascarin in fugam dederunt, urbem deditione ceperunt, a cædibus & direptione temperarunt, Isaacium in libertatem eduxerunt, cum Alexio filio in integrum restituerunt. Ita hæc anno tertio supra duodecimum seculum, impulsu Irenæ & Philippi, hactenus feliciter gesta sunt, & videbatur res omnis postmodum in portu mansura. Sed instabiles sunt res humanæ & aliis atque aliis tempestatibus obnoxiæ.

Recc-

Receperant se in sua extra urbem castra Franci & ad classem suam Veneti, ut scilicet ne urbi, intus manendo, molesti essent. Cives ergo grandem illam pecuniam, quam puer Latinis pollicitus erat, conferre & Ecclesiam suam Romanæ subjicere gravati fremebant. Ad hæc Alexius quidam cognomento Myrtilus, vel Murzuphlus, puerum Alexium (cujus pater Isaacius jam erat mortuus) faucibus compressis necavit, & in Latinos eruptionem cum exercitu urbano fecit, sed in urbem repulsus est, quam hostes duodeseptuaginta dies acriter oppugnatam, tandem pridie idus Aprileis expugnarunt. Ita patri & filio restitutio sui nihil profuit, sed exitium attulit. Sed & Murzuphus, de columna altissima præcipitatus, interiit, Tyrannusque Alexius in Alemanniam ad Regem exulatum missus est, cum Euphrosyna uxore. Ex malo semine, fluctus exitiosus & inde luctus acerbus existit.

Cogitabant jam victores de novo Imperatore creando. Suadebant quidam, Regem Rom. Philippum, ut Francici nominis amantissimum, & Isaacii in filia Irena generum, atque felicis hujus belli auctorem, esse creandum: ut quemadmodum una Ecclesia, ita etiam unum Imperium, Orientis & occidentis, esset. Sed plurium suffragio electus est Balduinus, Flandriæ comes, ut is præsens urbi & Orienti contra Barbaros esset, cum Philippus Cæsar longe in Germania abesset. Plure de his rebus dicere non volo, nisi quod minus quam sexagesimo anno post Latinis Constantinopolin Græcus rursus, Michaël Palæologus, eripuit.

Anno dehinc post millesimum ducentesimum quinto, Rex Philippus Coloniensi Episcopo Adolfo sibi conciliato, ad Festum Epiphaneiæ, comitia suorum Principum frequentissima in urbe Aquis habebat. Ibi Regium nomen & coronam, ut electio Regis libera principibus more veteri esset, deposuit, sed ut uno animo ab omnibus denuo eligeretur, petiit. Quem voti compotem factum, Coloniensis ille Pontifex, ipsum & dominam Irenen (aliter appellatam Mariam) magna solennitate iterum inunxit, atque coronavit, adversario interim Othone, tum gravissime ægrotante, tum ab omnibus fere deserto. Ideo Archiepiscopum Adolphum, a Coloniensi civitate Romæ accusatum, Papa Innocentius, sicut antea Cæsarem Philippum, ita nunc etiam ipsum a communione Ecclesiæ exclusit, Bonnensemque præpositum Brunonem surrogavit. Quocirca castellum Landescronam adversus Colonienses Imp. Philippus condidit, ipsorum urbem etsi frustra obsedit, agrum ubique depopulatus est. Hæc & alia Germanis innumera mala malitia Pontificum Romanorum inflixit, quæ si nulla fuisset, dulci pace plerunque frui Germania potuisset. Elvvangensi Abbatiæ hoc tempore præerat Cono Gottboldus, qui & Fuldensem Abbatiam aliquot annos gessit, atque Imperatricis Irenes Archicancellarius fuit.

Post hanc etiam Aquisgranensem, de qua modo dictum est, repetitam coronationem, Cæsar Philippus cum Augusta sua Angela, quoties per negotiorum molem licuit, Augustam Rhætiæ venit, ibique ut animo erga eam urbem optime affectus, comiter versatus est, & venationibus circa Suainhusam se oblectavit. Interponenda quippe interdum aliqua recreatio curis est, ne nimia contentione animi frangantur, sicut recte a Sulmonensi dicitur:

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.

Anno sequenti Philippus, ut prudens erat, Regnum suum etiam affinitatum conciliatione muniendum duxit. Ex quatuor itaque filiabus, quas ei Irena pepererat, Chunigundam Wenceslao despondit, Bohemi Regis Ottocari filio, quæ adhuc 1235. vixit. Ethisam autem, vel Mariam, Brabantini Ducis filio Henrico collocavit. Cum Adolfo deinde, qui se nondum Coloniensi Archiepiscopatu abdicaverat, obsidionem Coloniensis urbis repetivit, Othonem æmulum, & Archimystam Brunonem, qui in urbe erant, eruptionem facientes, in fugam conjecit, Coloniensibus, ad gratiam ejus confugientibus, veniam dedit, eosque sibi juramento obstrinxit. Otho autem in Angliam aufugit, sicut antehac diximus.

Posteriore anno Principes Germaniæ diuturnitate belli & calamitatum defatigati elaborarunt, legatis ad Papam missis, de pace inter Anticæsares facienda. Suadebant, ut Philippus ab excommunicatione absolueretur, & Imperio præesse permitteretur. Papa facturus hoc erat, si suo ex fratre nepoti quandam suarum filiarum collocaret Philippus. Sic Tusciam, & alia dominia, a Suevis contra Papam detenta, facili negocio ad nepotem ventura sperabat. Quo audito, ridebant Pontificis avaritiam Philippus & Principes, risuri omnino magis, autoritatemque ejus contempturi, si eis tunc ea lux fulsisset, quæ nobis hodie ex verbo Dei syncero fulget.

Northusæ postea in conventu principibus visum est, ut Philippi filia Beatrix Othoni nuberet, isque post mortem demum soceri Regnum administraret. Ac Philippus a Legatis Papæ, Cardinalibus, auro qualemcunque absolutionem accepit, conditionesque pacis propositæ examini sedis Apostolicæ erant subjiciendæ. Diximus jam fere illa, quæ de vita & fortuna Irenæ nostræ habebamus, in quibus profecto plus fellis, quam mellis, fuisse videtur. Et quæ prospera atque adversa viro ejus optimo, Imperatori Philippo, acciderunt, ei cum ipsa fuere communia. Omitti itaque Philippi res, præcipuæ duntaxat, a me non debuerunt.

Transeo nunc ad tertium, quod ex tribus, quæ dicenda proposueram, ultimum est. Ad mortem videlicet Irenes accedo, cognitu certe dignam, atque adeo commiserandam. Cui occasionem subitus & tristissimus ejusdem Philippi interitus, anno Domini millesimo ducentesimo & octavo dedit. Res ita se habet. Erat Bremensis Episcopatus a Sleuicensi Episcopo Ualdemaro, illius Episcopo Hartuico mortuo, occupatus, Pontifice Innocentio & Daniæ Rege Waldemaro, invitis. Hoc ergo Rege contra illum Episcopum, nempe Waldemaro contra Waldemarum, se commovente, Rex Philippus Episcopo suppetias ire contendebat, Danum etiam Othoni Anticæsari studere existimans. Magnis igitur cum copiis, & apparatu bellico, Babenbergam venit. Ibi dies aliquot commorans, plures milites exspectat, atque interim sanguinem ex vena utriusque brachii mediana minuit. Venit eodem Otho, Palatinus Wittelspachensis, infesto in Cæsarem animo, quod hic filiam Chunigundem ei quodam tempore in matrimonium promiserat, sed postea, cum ab hoc Othone nobilem quendam præcipuum, Ducis Bavariæ Aulicum, nefarie occisum cognovisset, animo mutato, illam Bohemo Wenceslao (ut supra audivimus) dederat.

Sanguinarius itaque homo Otho, repente veniens, se ad Cæsarem intromitti petit, tanquam ob necessariam causam. Miseranda Domina, an non in somnis præmonita fuisti de futuro exitio viri! Intromissus facile Otho est, quod nulla mali suspicio esset. Ibi mox Imperatoris (Auguste Philippe cave) heu

heu,

heu, collo vulnus infligit, quia nemo aderat, præter Cancellarium Cæſaris, & Henricum Dapiferum Waldpurgenſem. Hunc ſibi obſtantem, etiam vulnerat; e conclavi ſe homo audaciſſimus confeſtim proripit, equis ad fugam præparatis, evadit. Cæſar vulnere accepto paulum progreditur, loqui conatur, concidit, in ſuo ſanguine exſpirat. Factum eſt hoc XXI. die Junii anni ſupradicti in arce Altenburgo, extra civitatem Babenbergenſem, circiter unum milliarii quadrantem ſito. Nec absque voluntate ejus loci Epiſcopi Egiberti, Papæ Innocentio dediti, factum creditur.

Pios videlicet & juſtos etiam interdum interire ſinit Deus, ſuo quodam nos latente judicio, ſicut juſtum Abelum a fratre Caino interfici ſiuit, ſed ſuo tempore graviter vindicavit. Præceſſerat eodem anno eclipſis Solis, menſe Februario, hora ante meridiem nona. Sepultus eſt Philippus magnifice, primo Babenbergæ in primario templo, deinde per Fridericum II. Imp. Spiræ, in Baſiliſca inter Mauſolea Regum.

Non ſemper conducit, Principes eſſe ſolos, aut nimium confidere, & quosvis ad ſe admittere. Senſit cæſus Moabita Rex Eglon ab Iſraelita Aodo: ſenſit Turca Amarates I. a Miloſcho Kobolio: Lazari Serviæ Deſpotæ, ab Amurate interfecti, Aulico: ſenſit ante triennium Henricus III. Franciæ Rex, ab audaciſſimo ſimulatore Monacho Jacobo Clemente. Interfecto autem ſic indigniſſime Philippo Rege (qui fuerat juſtus, humilis, mitis, affabilis, literatus & pius) maxima perturbatio animorum accidit, clamante optimo quoque: Hei mihi, cecidit Princeps noſter: cecidit gloria noſtra: cecidit Regnum noſtrum. O conſceleratum latronem, qui tantum Heroem perfidiſſime interemit.

Optima autem & miſeranda Auguſta, Irena (quæ forſitan ipſa quoque tunc apud Babenbergam fuit) luctuoſiſſimo caſu cognito, quanta conſternatione animi concuſſa fuit? Quanto mœrore & luctu oppreſſa? Hei mihi calamitoſiſſimæ! Ex quanta felicitate decidi? Regio ſanguine nata, Regibus nupta, Regiis honoribus affecta. Quantum malorum experta ſum? Primum conjugem in Sicilia amiſi: chariſſimo patre ſpoliata ſum: alter quoque conjux ac dulciſſimus dominus mihi ereptus eſt.

O utinam pro Te vitam, tecumque liceret reddere.
Soluor ab amplexu, chare marite, tuo.

Periit intra cubiculum, qui nullo in prælio perierat: occiſus eſt a ſubdito fraudulento, quem nullus hoſtium immanis occidere potuerat. O ſcelus inexuperabile. Periit ſolatium, quod habebam; periit unica mea in terris ſpes: periit omnis cauſa cupiendi diutius vivere. In locis peregrinis ſum, in patriam reditus nullus eſt: fluctibus malorum inundor. Una tecum, dulciſſime marite ac domine, emori aveo. Sepulcro utinam eodem contegamur, qui cum ſumma inter nos concordia viximus. In altera tamen vita, in illa per Chriſtum reſtituta beatitudine, rurſus mutuo aſpectu fruemur, quod utinam brevi contingat. Sic miſerrima:

Plura dolor prohibet: verboque intervenit omni
Plangor: & attonito gemitus a corde trahuntur.

Hoc in tanto mœrore cum ipſa eſſet, graviſſimique etiam dolores, ex ferente conjugii fructum utero accederent, a familiaribus, nobilibus & illuſtribus,

 ad

ad fovendam & consolandam nihil est prætermissum, sed summa pietate & commiseratione, quicquid excogitari haberique poterat, adhibitum. Cum festinatione denique in castrum Hohenstauffam deducta est, ubi aliquanto adhuc tempore superstes mansit, testantibus hoc ejus literis, quibus curiam quandam superioris Esslingæ, Madelbergensi Ecclesiæ, propter Dominum suum, qui intestatus decesserat, tradidit. Quarum literarum principium & extremum est hoc: *MARIA DEI GRATIA Rom. Regina Augusta, universis hoc præsens scriptum intuentibus. Judicia Dei, abyssus multa. Cum dilectus Dominus ac maritus noster, Philippus, gloriosus Rom. Rex Augustus, sicut divina prævidit ordinatio, & fieri permisit, ejus occulto judicio, ab hac vita discesserit intestatus: nos, quæ adhuc ei superstes sumus, &c.* Testes hujus rei sunt:

Comes Ludovicus de Wirtemberch.
Ulricus Notarius, &c. Datum apud Stouphen,
XIII. KL. Sept. Indict. XI.

Luctu post hæc paulatim confecta, anima sua in manus Dei per Christum (ut omnino confidimus) rejectis superstitionibus tradita, extincta est (Heu, heu) ipsa & fœtus (abortione scilicet facta) ἡ δῖα γυναικῶν: & de arce Hohenstauffa, trans amnem Remsam vecta Lorcham, ibi in templo Monasterii (altero post undecimum seculum anno, a Friderico Antiquo Hohenstauffensi, cum antea arx fuisset, conditi) magno luctu & splendore est humata. In quo fano familiæ hujus Stauffensis conditoria erant tria in choro ante sacrarium, in quorum sinistro tunc Irenæ corpus depositum fuit.

Anno autem septuagesimo quinto supra millesimum & quadringentesimum, sepulcra Abbate Nicolao de Arberg aperta fuerunt, ossa & caluariæ multæ reperta, multi etiam flavi crines, eaque omnia, communi monumento in medio templi erecto, contecta. Duces Sueviæ & Imperatores in columnis pulchre picti, Inter quos Rex Philippus & Irena, tabellam alte tenentes, in cujus medio Christus crucifixus, in dextera ejus tabellæ ala, Isaaci immolatio, in sinistra, serpens elevatus Mosis.

Fecimus verba hactenus, magnifica, excellens, humanissima & reverenda concio, de Irena Angela (Germanis Frideruna, Hebræis Salome) quæ Mariæ Græcæ nomen apud Germanos habuit, ac diximus tantum, quantum satis est, cum multo plura sparsim de ipsa in Annalibus scripserimus.

Hæc insignis Catharina fuit, flos Regiæ nobilitatis, spectaculum pulchritudinis, non modo corporis, sed magis animi, exemplum castitatis, humilitatis, mansuetudinis, eruditionis, prudentiæ, pietatis erga Deum (quamvis verbo Dei non ita; ut hodie, lucente) specimen charitatis erga parentes, amoris conjugalis, calamitatum & patientiæ. Quæ, si Deo sic placuisset, non minus pro charissimo suo viro Philippo, quam Alcestis Euripidis pro Admeto suo, mortem oppetere voluisset, non minus etiam luctu & desiderio Philippi sui, quam Laodameja sui Protesilai, extincta est. Voluit quippe postremo morte etiam, sicuti concordia per vitam, amantissima Heirene, cum viro suo ἐρίσθαι, veluti connexa esse. Quos in altera quoque vita sempiterna felicitate conjungi optamus, & sic fore speramus.

Cæterum successit Philippo in Imperio adversarius Otho, ac filiam ejus Beatricem, ex Irena, uxorem duxit, sed & ipsa brevi obiit. Wittelspachium genus

genus proſcriptum fuit, & imperio expulſum. Qui autem Regem Philippum trucidaverat Otho, ab Henrico Calatino in vindictam ſceleris confoſſus eſt, non procul Abudiaco Bavariæ, caputque ejus in Danubii fluenta projectum.

Othonis porro ſucceſſor fuit Fridericus II. Barbaroſſæ nepos, cui fideliſſime cuſtodiverat imperium patruus Philippus. Piſcem lupum conjecerat hic Fridericus anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo in ſtagnum apud Hailprunam, cum circulo Græcis verbis inſcripto; qui piſcis ducentis ſexaginta ſeptem annis poſt vivus captus eſt Anno cIↃ CCCC XC VII.

Fridericum hunc ſecutus eſt Conradus Filius, Rex Rom. quo natus eſt Conradus ultimus. Quem Siciliæ Regnum, & reliquas in Italia ditiones, paternas atque avitas, armis juſte repetentem, Clemens IIII. Pontifex, prælio a Carolo Gallo ſuperatum (quem contra ipſum evocaverat) anno milleſimo ducenteſimo undeſeptuageſimo Neapoli ſecuri feriendum curavit. Cum enim Clementem Carolus conſuluiſſet, quid faciendum eſſet de Conradino (ſic Conradum hunc diminutivo nomine Itali vocant, quod ætate adoleſcentulus eſſet) a Papa hoc clemens reſponſum miſſum eſt:

VITA Conradini, mors Caroli:
MORS Conradini, vita Caroli.

Sicut ſcilicet Cicero Verr. 4. dicit: *Verris abſolutionem, eſſe Siculorum everſionem.* Suadebant contra Gallici & alii nobiles, eum, qui ex tanta ac tam illuſtri familia natus eſſet, nullo modo eſſe occidendum, ſed matrimonio aliquo inſigni (ut ipſius Caroli filiæ) devinciendum. Verum pronunciata eſt capitalis ſententia, tanquam ille pacem Eccleſiæ perturbaſſet, ac falſo ſibi nomen Regium tribuiſſet. Negavit hæc animoſe Conradinus, cauſamque ſuam, avito Regno injuſtiſſime ſpoliati, cum anima ſua Deo pie commendavit, ſecurique cervices fortiter præbuit. Factum IIII. KL. Novemb. die lunæ, Aventino teſte. Carnificem illius ſtatim alter quidam carnifex interfecit, Carolo Gallo ſic procurante, ne prior de ſublato a ſe tanto Principe gloriari poſſet. Sed & ille, qui capitalem ſententiam recitaverat, continuo a Flandriæ Comite Roberto, Caroli genero, gladio confoſſus eſt. Sepultus Neapoli Conradinus eſt in ſacello, quod in loco, ubi obtruncatus fuerat, ædificatum eſt in foro, non longe e Carmelitanæ Mariæ templo. Ita ille Clemens nobiliſſimam Hohenſtauffenſem præſtantiſſimorum Sueviæ Ducum familiam, quæ centum viginti quinque annos Imperii Romani gubernacula glorioſiſſime rexerat, inclementiſſime & Italorum etiam judicio illaudate, miſerandum in modum extirpavit. Sed nec ipſe diuturnam lucis uſuram habuit, & Conradini mors indigniſſima haud leviter a Deo vindicata eſt, ut in Annalibus prolixe docetur. Omnis videlicet caro fœnum eſt, exciduntque flores etiam pulcherrimi, & extremum præſentis vitæ luctus eſt. In cœlo vero ſolo civitas eſt perennis & vita imperdita, ubi a piorum oculis omnis lacryma abſtergetur. Quo, faxit Deus, ut per gratiam ejus, omnes ſtabili in Chriſtum fide perveniamus.



DISSER-

DISSERTATIO XXXV.

DE

CONRADO IV. IMPERATORE

EX FAMILIA DUCUM SUEVIÆ.

PRÆFATIO.

§. I.

Als ich die Geschichte Kayser Richards heraus zu geben mich entschlossen/ sehe ich zugleich vor gut an/ die Historie derer beyden vorhergehenden Kayser gleichfals im Druck zu geben/ theils weilen die Sachen selbsten mit einander eine gewisse Verwandtschafft haben/ theils auch/ weilen die Geschichte dieser Kayser grösten Theils dunckel und verborgen bißhero geblieben. Viele zehlen Conraden den vierdten nicht unter die Kayser/ sondern sagen/ wiewohl ungegründet/ es wäre nach den Zeiten und Ableben Kayser Friederichs des andern das grosse und erbärmliche Interregnum angegangen/ welcher irrigen Meinung der gröste Theil der Teutschen Historicorum beyfället. Aber nach Kayser Friederichs des andern Absterben folgete dessen Sohn Conrad im Reiche/ welcher noch bey Lebzeiten seines Vaters als Römischer König den Thron bestiegen. Er hat mit dem Pabst wegen des Testaments seines Vaters als Kayser gehandelt/ seinen Statthalter in Italien von Pavy biß an Sicilien gehabt/ da im übrigen Ezelin die Lombardie, Romandiola und die Tarviser-Marck regieret. Der aufgeworffene Graf Wilhelm von Holland muste sich zum Ziel legen/ und der angemaßten Kayserl. Würde sich begeben. Ebenfals haben die Chur-Fürsten/ Fürsten und Stände sich Mühe gegeben/ den Kayser mit dem Päbstl. Stuhl zu vertragen. Man siehet folgends dessen gantze Kayserl. Regierung/ wie dann dessen Belehnungen/ Privilegien und Stifftungen durchgehends im Reiche gelten/ und ihre Rechts-verbindliche Krafft erhalten haben. Einige geben vor/ es hätte derselbe nach Neapel sich begeben/ weilen er das Reich nicht erhalten können. Aber dieses wird allerdings verworffen/

dann

dann die Chur-Fürsten haben bey ihm fest gehalten/ und so lang er gelebet/ zu keiner Wahl geschritten/ ausser daß sie sehen müssen/ wie Graf Wilhelm von Holland auch nachgehends/ alß er Abstand gethan/ sich nach dem Kayserthum gesehnet hatte/ dannenhero niemand begreiffen kan/ warum dieser rühmliche Kayser seinen Platz unter den Kaysern verliehren soll.

§. 2. Allerdings ist nöthig auszumachen/ wer Kayser gewesen/ oder wer unter die Kayser nicht zu zehlen sey. Davon hangen grosse Vorrechte der grösten Fürsten und Stände ab/ darauf beziehen sich die Streit-Sachen bey den höchsten Reichs-Gerichten/ welche Land und Leute/ Würden/ Hoheiten und Privilegien betreffen. Wann Kayser Conrad unter die Kayser nicht gehörte/ würden vieler Stände Hoheiten und Würden in Zweiffel gezogen werden/ weiln die Verjahrung offt wenig geachtet wird/ auch die Zeiten allerdings sich ändern/ und Gelegenheit geben/ auf alte Dinge wiederum zu gedencken/ zumahlen wo die Macht die Sachen unterstützen kan. Alle seine Stifftungen und Belehnungen/ so er noch bey Lebzeiten seines Vaters und unter dessen Genehmhalten gethan und vorgenommen/ müssen allerdings gelten/ biß Friederich der andere An. 1250. verstorben. Von dieser Zeit an hat er das Kayserthum allein regieret/ dessen Kayserl. Handlungen durchgehends ihre Krafft behalten haben.

§. 3. Was binnen den Zeiten Kayser Friederichs des andern und dieses Kaysers Graf Wilhelm von Holland vorgenommen/ hat keine verbindliche Krafft/ wann solches aus Kayserl. Macht geschehen. Graf Wilhelm hatte das Reich niemahlen/ so lange diese Kayser gelebet/ in seiner Gewalt/ und hat so viel Ehre nicht erhalten/ daß er pro Usurpatore zu Zeiten dieser zweyen Kayser kunte gehalten werden. Er war aller Orten wandelbar/ muste sich verbergen/ biß er endlich völligen Abstand thun müssen/ wiewohlen er nach dem Kayserthum immer lüstern geblieben/ biß endlich die Chur-Fürsten/ Fürsten und Stände nach Kayser Conrads des vierdten Tod ihm das Reich überliessen/ von welcher Zeit an er allerdings unter die Kayser gehöret.

§. 4. Es kommen aber unterschiedliche Merckwürdigkeiten in dieser Historie vor/ welche das Teutsche Jus publicum allerdings betreffen. Man siehet/ wie der Pabst sich in die Reichs-Sachen gemenget/ und bald Heinrichen/ Grafen von Geldern/ bald

bald Henrichen/ den Hertzogen in Brabant/ wiederum Graf Wilhelmen von Holland/ und endlich gar König Hacken in Norwegen/ auf den Kayserl. Thron bringen wollen. Es erhellet ferner/ daß Kayser Friederich der andere in seinem Testament über Italien gleichsam disponiret/ dessen Testament Kayser Conrad in das Werck gebracht. Man solte fragen/ wie dieses geschehen können/ weilen Italien dem Teutschen Reich zugehöret? Aber man siehet/ daß der Kayser das Lombardische Reich selbst davon ausgenommen/ woselbst die Kayserl. Statthalter regieret. Hingegen aber hatte der Kayser grosse Erb-Länder in Italien/ und zwar diejenige/ so Kayser Friederich der erste seiner Mutter Bruder/ Hertzog Welffen verliehen/ welche in der Marggrafschafft Toscane und dem Hertzogthum Spoletto bestunden. Ferner hatte Kayser Heinrich der sechste Gelegenheit bekommen/ diese Länder an sich zu bringen/ und mit Hertzog Welffen/ dem berühmten Fürsten/ einen Successions-Vergleich zu errichten/ Krafft welches Toscanien/ Spoletto, die Länder der Mathildis, ingleichen Sardinien/ nach dessen Tod an ihn fallen solten/ nachdem schon zu Kayser Friderichs des ersten Zeiten er damit umgegangen/ und grosse Geld-Summen darauf empfangen hatte/ wie das Steingadische Manuscript, so der seel. Herr von Leibnitz in seiner Collection der Braunschweigischen Historie drucken lassen/ deutlich besaget. Diese Länder waren dem Päbstl. Hof ein Dorn im Auge/ deswegen Kayser Friderich der zweyte in so weitläufftige Streitigkeiten mit dem Röm. Hof gerathen. Sie waren allerdings auf Kayser Friederichen den andern vererbet/ und hatte solcher Gestalt seinen Statthalter in Italien im Testament benennen können.

§. 5. **Es ist auch merckwürdig/ daß dem Kayser die** Disposition **der Gelder/ so zum Krieg des Heil. Landes gewiedmet worden/ allein zugestanden/ welcher sich nachgehends der Röm. Hof angemasset/** wie solches sattsam aus den Geschichten folgender Zeit erhellet. Man siehet/ daß Sardinien zu Italien/ und dieses dem Reich zugehöret/ über welches auch Manfredus Statthalter gewesen. Ingleichen ist merckwürdig/ daß man damahlen darauf Achtung gegeben/ damit die Teutsche Fürsten sich an Fürstl. Personen verheyrathen musten/ und die Stände in Teutschland und Italien übel zu sprechen waren/ alß der Pabst seine Nichte aus dem Hause Flisci an König Henrichen/ des Kaysers Bruder/ verheyrathen wolte. Höchlich ist zu verwundern/ daß der Pabst die Gebeine Kayser Friederichs des andern in Bann gethan/ da

doch

doch derselbe ordentlich an seinem Ende absolviret worden/ woraus erhellet/ was grosse Gewalt der Römische Hof sich heraus genommen/ dergleichen zu unsern Zeiten nicht gehöret wird. Ferner ist zu beobachten/ daß Wilhelm/ Graf von Holland/ völligen Abstand auf das Reich gethan/ und den angemaßten Titel eines Römischen Königs schlechterdings fahren lassen/ woraus man siehet/ daß er sein Unrecht erkannt/ und alles/ was er hier und dar thun wollen/ ungültig und unkräfftig gewesen. Es ist auch in diesen Geschichten zu gedencken/ daß das Land Hennegau ein unstreitiges Reichs-Land sey/ deswegen Johannes de Avennes in der wichtigen Streitsache den Frantzösischen Hof nicht zum Richter haben wollen/ alß dieser die Grafschafft Hennegau ihm durch rechtlichen Ausspruch zugetheilet. Letztlich ersiehet man die listige Streiche des Pabst/ wie er das Englische Hauß mit dem Schwäbischen zusammen bringen wollen/ alß er Richarden von Cornvvall Sicilien angebothen/ nachgehends aber Graf Edmund von Lancaster damit an sich gezogen/ alß König Heinrich der dritte in Engelland sich damit belästigen lassen/ da doch diesem Königreich mit Sicilien nichts gedienet zu seyn schiene. Man beklaget endlich das Gifftmischen/ welches damahlen in dem Kayserlichen Hause übel abgehauset. Man siehet/ daß Teutschland und Italien darüber geklaget/ und wie dieses Laster und abscheuliche Bubenstück öffentlich bekandt gewesen/ und man gewust/ es müsten dergleichen Sachen von höhern Orten kommen/ und mag wohl seyn/ daß dergleichen Leute vermeinten/ wie sie GOtt und der Kirchen einen grossen Gefallen damit erzeigten/ und grosse Gnade bey GOtt hierdurch erlangen könten. Merckwürdig ist es/ daß Conradus auf seinem Todt-Bette erkannt/ wie schädlich die Italiænische Länder seinem Hauß gewesen/ nachdem solches von dem Pabst nicht wenig gedrücket worden/ woraus man siehet/ daß Fürsten öffters ihre Absichten auf gewisse Sachen setzen/ wodurch sie zu grosser Macht gelangen wollen/ in der That aber öffters ihren Untergang und Verderben darinnen zu finden pflegen. Berlin/ den 7. Dec. An. 1718.

Inhalt.

§. 1. Kayser Friderichs des andern Tod erwecket grossen Schrecken. Dessen Tod wird auf einige Tage verhelet. Der Pabst wolte nach des Landgrafen in Thüringen Tod Henrichen/ Grafen von Geldern/ ingleichen den Hertzogen von Brabant/ dann Wilhelmen/ folgends König Haken in Norwegen/ zum Reich befördern. Kayser Friderichs des II. Testament gefället dem Pabst im geringsten nicht.

§. 2. Kayser Friederich vermachet im Testament wenig der Geistlichkeit.

§. 3. Der Pabst ziehet von Lion hinweg. Des Cardinal Hugens Abschieds-Rede. Machet die Frauen verdächtig.

§. 4. Die Päbstliche Reise über Genua nach Meyland. In Meyland wird der Pabst wegen Schulden besprochen. Besänfftiget die Gläubigere.

§. 5. Der Pabst trachtet Fürst Thomen von Savoyen auf seine Seite durch die Heyrath seiner Nichtin zu ziehen/ so ihm gelinget. Jngleichen einen Herrn von Turchepin. Ebenfalls will er König Heinrichen von Hierusalem mit einer Flisci aus Genua/ seiner Nichte/ verheyrathen/ und zum Sohn annehmen. Dieser Vorschlag gehet nicht an. Graf Wilhelm von Holland thut in diesem Jahr auf das Teutsche Reich schrifftlichen Verzicht. Der Kayser bekommt Gifft. Die Teutsche Fürsten suchten den Kayser bey dem Pabst auszusöhnen.

§. 6. Kayser Conrad will sich mit dem Pabst aussöhnen. Die Cardinäle und Thomas/ Fürst von Savoyen/ wollen ihm darzu behülfflich seyn. Ein Consistorium wird zu Perugia deswegen gehalten. Der Pabst will von Kayser Conrad nichts wissen. Der Haß wird grösser. Elender Zustand in Jtalien. Ezelin bringet Jtalien unter sich/ und zwinget die Guelfen. Die Cardinäle sind darüber mißvergnügt. Der Pabst will Richarden/ Grafen von Cornwal/ das Reich Sicilien zu schantzen. Richard will es nicht annehmen. Der Pabst bricht diese Handlung ab. Graf Wilhelmen von Holland/ ob er gleich auf Teutschland Verzicht gethan/ gelüstet nach dem Reich. Wird in die Avennische und Dampetrische Sache eingeflochten. Ursprung dieser Sache. Die Sache wird in Franckreich entschieden. Johannes von Avesonis ist nicht damit zufrieden. Es entstehet Krieg. Der König in Franckreich wird vom Graf Wilhelm und dem Hertzog von Brabant geschlagen. Dieser Graf Wilhelm bekommt hierdurch Lust zum Reich. König Heinrich von Hierusalem stirbt. Der Pabst giebt vor/ Kayser Conrad hätte ihn mit Gifft vergeben lassen. Der Pabst biethet das Reich Sicilien König Heinrichen dem dritten in Engelland an. Ubergehet Richarden/ welcher zur Versicherung Geissel verlangte. König Henrichs in Engelland Gemüths-Beschaffenheiten. Edmund von Lancaster wird zum Reich Sicilien vorgeschlagen. Henrich der dritte/ dessen Vater/ erkläret ihn zum König in Sicilien/ bey weniger Hoffnung/ daß die Sache gehen würde.

§. 7. Der Pabst wirbt eine Armee mit Englischem Geld. König Henrich in Engelland verschreibet und verpfändet sein Reich. Giebt ungeschriebene/ jedoch versiegelte Briefe von sich.

§. 8. Der Kayser bekommt Gifft. Stirbt zu Neapel. Wird von Johann Mauro mit Gifft hingericht.

§. 9. Dessen Ankunfft/ Leben/ Tapfferkeit. Der Gifft-Mischer Joh. Maurus. Dessen Gottlosigkeit. Unglück des Schwäbischen Hauses. Dessen Sohn Conradin. Dessen Unglück. Des Kaysers Begräbniß. Gefährliche Zeiten nach seinem Tod.

§. 1.

Der erfolgte Todesfall Kayser Friderichs des andern setzte das gantze Reich in grossen Schrecken/ weiln jedermann sahe/ daß die grosse Streitigkeiten mit dem Päbstl. Hof noch nicht beygeleget waren/ als auch König Conrad selbsten auf das äusserste verfolget wurde. Dieses verursachte/ daß der Tod des verstorbenen Kaysers Friderichs/ welcher an Lucien Tage den 13. Dec. vielleicht erfolget/ nicht so gleich öffentlich bekandt gemachet worden/ damit die Feinde des Kayserl. Hauses sich zu erfreuen keine Gelegenheit haben möchten. Gleichfals besorgte man einige widersinnige Leute in Sicilien und Neapels/ derowegen man vorhero auf guter Hut gestanden war/ biß endlich des Kaysers betrübter Todesfall den 26. Dec. dem Volck kund gethan worden. Pabst Innocentius der vierdte hörte dieses nicht sonder grosser Freude/ weiln der Kayser noch kurtz vor seinem Ende die gefangene Päbstlich Gesinnete nach Neapels und Palermo geschicket/

schicket/ damit sie desto sicherer möchten eingeschlossen werden. Übrigens überlegte Pabst Innocentius IV. alles dasjenige/ wormit er das Kayserliche Hauß kräncken könte/ und weiln der Tod des Landgrafens in Thüringen in abgewichener Zeit ihm sein Absehen sehr verrücket/ als war er bekümmert/ wie er das Schwäbische Hauß vom Thron bringen möchte. Es verdroß ihme/ daß Heinrich/ Graf von Geldern/ die ihm angebothene Kayserliche Krone ausgeschlagen/ aus Furcht/ es würde wider das Kayserliche Hauß nicht bestehen können.

Gleiches thate auch der Hertzog von Brabant/ und schluge vielmehr Wilhelm/ den Grafen von Holland vor/ welcher zwar das Reich angenommen/ dannoch aber darbey entsetzlich zu kurtz gekommen/ so daß er Noth und Armuth ausstehen müssen/ deswegen er nachgehends auf die grosse Versprechung des Pabsts wenig Rechnung sich gemacht/ und sich vielmehr in seiner Armuth fast am Bettel-Stab nur zu erhalten getrachtet. Solchemnach gedachte der Pabst an König Haconen in Norwegen/ welchem er die Teutsche Krone gleichfals angebothen/ auch ihn so gar nach der Salbung durch seine Legaten krönen lassen/ damit er desto munterer die Sache angreiffen möchte.

König Haco hörte Anfangs des Pabsts Vorschläge mit vieler Gelassenheit an/ allein nachgehends/ alß er gekrönet worden/ bezeugte er sich ziemlich kalt/ und gabe vor/ er wolte gerne wider die Feinde der Kirchen zu Felde gehen/ allein nicht wider alle Feinde des Pabsts/ weiln zwischen den Feinden der Päbste und der Kirchen ein grosser Unterscheid wäre / welches König Haco dem bekandten Matthæo Parisiensi, welcher dieses alles gedencket/ unter einer fast eydlichen Versicherung erzehlet hat.

Alles dieses verdrosse den Pabst ungemein in seinem Hertzen/ weiln er nunmehr wohl sahe/ daß Conrad/ der Römische König/ wider seinen Willen sich im Reich fest setzen/ und ihme allen Verdruß erwecken würde.

Es gefiele auch dem Pabst das von Kayser Friderich gemachte Testament im geringsten nicht/ dann obwohlen dieser hundert tausend Untzen an Gold der Römischen Kirchen zu Wieder-Eroberung des gelobten Landes vermachet/ so war dannoch anbeygefüget/ daß die Verwendung dessen und die völlige Verwaltung Kayser Conraden solte gelassen werden/ wodurch jedermann vermeinet/ Kayser Friderich hätte dieses alles also geordnet/ damit der Pabst Kayser Conraden/ seinem Sohn/ keine weitere Händel machen möchte.

§. XIV. Dum circa extrema infelicis Conradini fata versamur, Iubet hic annectere observationem Grammaticam (quandoquidem & nobis ex officio cum superbo hoc animali res est) desumtam e præfatione, quam Tursellini Particulis præmisit J. Thomasius, ubi quidem, cum de usu particularum quædam disseruisset atque Exempla hanc in rem attulisset, hæc tandem addit: Facili negotio cumulari possent talia sexcenta: Sed unum addam. „Infelicissimo „Principi Conradino, qui Neapoli ante quadringentos, paulum abest, annos „per publicum scelus capite truncatus est, duas res præcipue exitium attulisse „constat equidem, nefariam Clementis IV. Pontificis inclementiam & Caroli „Andium Ducis flagrantem ambitionem: his tamen duobus a Pandulpho Collenutio sunt qui tertium addant, particulæ cujusdam perversam interpretationem. In verbis enim decreti, a Gratiano compilatore repetiti ex Augustino, „quod VICTORIIS CAPTO MISERICORDIAM DEBERI pronuntiat, „MAXIME IN QUO PACIS PERTURBATIO NON TIMEATUR, particulam MAXIME consultus e Legulejis Hugolinus quidam (inscitia dubium „an fraude) SOLUM, aut DUNTAXAT valere disseruit: unde conficeretur,

„non nisi illorum esse captivorum vitæ parcendum, quod & Nicol. Cisnerus „annotavit in Oratione de Conradino.„ Quo monito, si quis se ad exactius studium particularum linguæ latinæ adduci patietur, nos sane haud habebit refragantes.

§. XV. Equidem haud nos latet, male admodum habere Curiæ Romanæ asseclas tum in universum omnia, quæ contra honorem atque Venerationem Sanctissimorum Patrum dicuntur, tum & inprimis ea, quæ Clementi IV. imputari non sine fastidio legunt atque audiunt; ast vero ita comparata esse illa existimamus, ut uno halitu difflari haud possint. Quis enim nescit, quam liberales excommunicationibus suis olim fuerint Pontifices Romani, cujus vel in sola hac lugubri historia complura extant specimina, excommunicato quippe, idque quarta vice Avo Friderico II. eodem postea fato premente filium Conradum ac nepotem denique Conradinum. In hoc scilicet Pontifices Romani imitari volebant Deum, qui peccata Patrum punit in tertiam usque generationem; excommunicatio autem a Pontifice Romano facta quid sit, & quantum malorum syrma post se trahat, præstat non experiri, quam multis eloqui. Quem fugit Vatinianum illud & implacabile odium, quod sedis Romanæ Episcopi conceperant adversus Principes Suevos, jugi Papalis impatientes atque ideo formidolosos subinde visos, inprimis autem adversus Hohenstauffios, licet Guelphis sanguine junctos, quibus de litibus Gundlingius lib. cit. Part. VII. No. 1. §. ultimo ita pronuntiat: „Dolendum est, non potuisse Stauffenses & Welphos Prin„cipes, tot necessitudinibus devinctos, in unum conspirare: habuit utraque „gens Viros longe fortissimos; sed fecit ambitio, fecerunt mutuæ injuriæ, ut „una alteri vel sanguine parentaret, vel per insidias & mille technas perniciem „intenderet. At vicit tandem Welphorum fortuna, periere Gibellini, nec ma„scula progenies superat, utut familiæ permultæ tum extra Germaniam, tum in „illa originem suam e Suevorum sanguine derivant. Quis porro nescit, quanta, cum de regno Siciliano atque Neapolitano agebatur, sudes in oculis Pontificum Rom. fuerint Imperatores Romano-Germanici; quapropter quiescere Præsules sanctissimi nequiverunt, donec eos utroque regno exturbarent, cum eosdem & Imperatores & vicinos ferre nollent; quæ ipsa causa fuit, cur Clemens IV. adventantem Carolum utriusque Siciliæ & Hierosolymorum Regem nec non Hetruriæ Vicarium creavit quidem, sed addita hac conditione, ne Imperium Rom. etiam oblatum acciperet, hoc sane consilio, ne eundem Imperatorem Germaniæ viribus instructum, & Dominum Italiæ ferre cogeretur, quod Pontificii Status jam ex longo tempore arcanum consilium fuit. Haud ignoramus varia Pontificiorum circa hoc factum κρυφύγια, quæ vero ad arcem causæ suæ tuendam plane non sufficere arbitramur. Sunt, qui id defendunt atque approbant, ex eo quidem, quod CONRADINUS ECCLESIÆ PACEM TURBAVERIT, REGNI NOMEN USURPAVERIT, REGI DENIQUE IPSI NECEM INTENTAVERIT, quæ ipsa fuit mortis sententia publice illi prælecta; ad quam vero accusationem ipse Conradinus morti jam proximus satis respondit. Quod contra summos Pontifices plurima machinati sint *Majores* Conradini, Ecclesiamque sæpius turbaverint. Hoc nempe mali principium, hic se prodit Sorex. In tantum excreverat Ecclesiæ Rom. antistitum ambitio, ut ad se pertinere liberam de Imperiis Regnisque in universum dispositionem jactarent. Intolerabile semper hoc jugum Suevis nostris visum, quare & ex ea gente Imperatores justas passim querelas de Papa Imperii invasore effudere, seque omni, qua licebat, vi opposuere. Alii, cum ipsum factum excusare nequaquam audeant, hoc saltem agunt, ut ejus invidiam a Clemente IV. devolvant, haud fieri potuisse dicentes, ut ista verba: VITA CONRADINI MORS CAROLI! e sanctissi-

sanctissimi Patris ore profluxerint; nos vero vicissim, qui id fieri non potuerit, haud pervidemus (p). Neque enim obstat illud, quod Pontifex Romanus sanguinem fundere non possit. Ita quidem debebat esse, sed protestatio est facto contraria. Vid. omnino Reverendiss. Dn. Cancell. PFAFFII dissert. de Ecclesia sanguinem non sitiente. Nec juvabit dicere, ipsum Pontificem Rom. Caroli rigorem, seu, quod suspicari magis pronum est, Gallorum violentiam improbasse. Esto hoc: quis nescit, unius rei plures posse esse causas, neque in causa heic tam fuisse misericordiam erga Conradinum, quam potius, quoniam Carolus subditos hujus modo tam aspero vexaverat, ut novos motus extimesceret Papa. Omnium speciosissimum illud videri potest, quod quidam objiciunt, scilicet, cum Conradinus ultimo afficeretur supplicio, Papam Clementem e vivis jam excessisse, adeoque in partem nefandi hujus sceleris venire haudquaquam potuisse, sed & hoc rem nondum conficit. Verum est differre paululum Scriptores Historicos circa diem emortualem Clementis IV. Quicquid vero hujus sit, si Clemens IV. sumto jam de reis supplicio decessit, salva, uti existimamus, erit res nostra: posito autem, nondum concesso, paulo ante eum vivis excessisse, negamus tamen consequentiam, & cum Gundlingio ita judicamus: **Wer wolte nun sprechen/** Clemens **hätte deßwegen diesen Blutrath nicht können geben oder angestifftet haben/ weil er einen Tag** (ponamus etiam plures) **vor dieser** Massacre **gestorben.**

(p) Ferias nobis heic facit Excell. quondam Antecessor noster Hallwachsius in eruditissima Differt. de octo INTERPONTIFICIIS Romanis, ubi pag. 75. seqq. hoc argumentum curate prosecutus est.

§. XVII. Paucis jam nos expediamus, & finem discursui nostro faciamus. Quod si consideraverimus, quam indigne a Pontifice Rom. habitus fuerit Henricus IV. pariter infans, quid factum fuerit Philippo Suevo & Friderico II. quam familia Hohenstauffiorum pro jurata Ecclesiæ inimica nunquam non habita, quot quantasque persecutiones Conradinus in tenera adhuc juventute perpessus & fulmen anathematis contra eos vibratum fuerit, qui eum in Imperatorem essent electuri, quam exitium ejus dudum antea prædictum, quam Conradinus porro nequissimus, puer insaniens, stirps venenata vocatus fuerit, e qua nihil sani provenire possit, quam Carolus Andegavensis omnia cum Curia Romana communicaverit, quam statim post reditum ex Urbe ad judicium sanguinarium provolaverit, expetente id Archi-Episcopo Neapolitano Pontificis umbra, prælegente autem sententiam mortis Monacho, quam difficulter denique Pontifices Romani venia dignentur eos, adversus quos odium semel conceperunt, haud sane videmus, qui Clemens IV. a societate hujus sceleris prorsus immunis pronunciari, nec pro causa saltem morali haberi queat.

In quo jam calamum sistimus.



DISSERTATIO XXXVIII.

DE

DUCATU SUEVIÆ

ET

ALEMANNIÆ.

PRÆFATIO.

IMperium Romano Germanicum inter tot alia illustria sidera splendore corruscat vetustissimæ gentis Suevicæ, quippe quæ non tantum omnes fere reliquas Teutonici orbis nationes libertate, virtute, animositate & potentia longissime superat, sed & multis abhinc seculis, quæ gloriosissima illustrissimæ gentis fata memorabili plane periodo complectuntur, suo nomine orbem implevit, innumeris factis heroicis famæ æternitatem sibi asseruit, maximisque pro titubante Germaniæ libertate de Romanis, Francis, Hunnis aliisque hostilibus gentibus, reportatis victoriis omnem dudum laudem superavit, præcipuos hinc veteris inter Germaniæ populos pridem jure suo relata. Hac etiam virtute gens gloriosa, liberatrix haud dubio Germaniæ, non modo primas in Imperialibus expeditionibus pugnandi partes, Regna nobilissima, Provincias amplissimas, jura pereximia, laudes perennes, sed & ipsum Imperiale Occidentis solium fuit adepta, quod deinde CONRADUS II. Salicus, HENRICI III. IV. & V. Duces Franconiæ, haud dubio Suevi, (a) ut & Duces Sueviæ, Franconiæ, & Alsatiæ CONRADUS III. FRIDERICUS Barbarossa, HENRICUS VI. PHILIPPUS, FRIDERICUS II. & CONRADUS IV. itidem Suevi (b) per plurima lustra ornarunt, multis iisque memoratu dignis cum pro sacrosancta Religione, tum pro defendenda augusta dignitate auctoritateque in Orientem (c) & Italiam (d) susceptis expeditionibus aliisque in Germaniam meritis clarissimi. Neque ex eo tempore augustam dignitatem amisisse videtur Suevia, ex quo extincta nobilissi-

---

(a) Crusius *annal. Suev. P. II. f. 187.*

(b) Digni sunt, qui legantur, viri illustres, GUNDLINGIUS & KOELERUS, quorum ille quidem singulorum Imperatorum Suevicorum vitas eleganter delineavit, hic vero Altorffii 1721. de *Genealogia Familiæ Augustæ Stauffensis* accuratissime disseruit.

(c) FRIDERICI I. in Asiam expeditionem peculiaribus tractatibus explicarunt TAGENO, WEIHENMAIERUS & ARTOPOEUS.

(d) Victoriam FRIDERICI & excidium Mediolanense descripsit BURCHARDUS Notarius, quem edidit FREHERUS T. I.

tissima Hohenstauffiorum familia fasces regiminis RUDOLPHO I. inclyto sane fama bellicisque laureis conspicuo heroi fuerunt delatæ, quippe & hic non tantum nativitate, nomine atque animo Suevus fuit, (e) sed etiam filium suum natu minorem RUDOLPHUM II. de Ducatus Suevici reliquiis anno 1282. in Comitiis Augustanis solenni ritu investivit, (f) unde etiam est, quod hodiernus Augustissimus Imperator CAROLUS VI. Dominus meus omnium clementissimus, qui amorem & delicias orbis Germanici constituit, aliis magnificis suis titulis ad imitationem majorum *Sueviæ* quoque *Principis* encomium adjiciat. Quæ cum ita sint, manifestum est, dignitatem augustam non tam amissam a Suevis, quam in aliam potius familiam fuisse translatam, & a RUDOLPHO I. ALBERTO I. FRIDERICO Austriaco, ALBERTO II. FRIDERICO III. MAXIMILIANO I. CAROLO V. FERDINANDO I. MAXIMILIANO II. RUDOLPHO II. MATTHIA, FERDINANDIS II. III. IV. LEOPOLDO, JOSEPHO atque CAROLO ad nostra usque tempora immortali gentis nostræ decore continuatam, ut adeo Princeps nostra Suevia de gloriosissima per plurima Secula XXVII. Imperatorum Romano-Germanicorum successione jubilans lætetur atque glorietur. Neque ex eo gloriosa excelsæ gentis virtus defecit, ex quo suis viduata Principibus in partes ivit: non enim hodieque Suevis desunt vires, non potentia, non hominum copia, non togatorum sagatorumque heroum numerus, quibus antiqua sustentetur gloria. A quacunque igitur parte Sueviam aspicias, gloriosa omnia, magnifica, illustria deprehendes, adeo ut ipse summus Romanæ Ecclesiæ Præsul CLEMENS VII. Suevorum gentem *bellicosissimam nationem, Imperii columnam atque firmamentum, universæ denique Reipublicæ Christianæ robur atque decus adpellitaverit,* (g) quibus aliisque eminentissimis laudum præconiis Suevicolas omni tempore fuisse mactatos omnium nationum omniumque Seculorum Scriptores communi consensu testantur. (h) Si itaque sunt, quæ in humanis humano celebranda sermone, sentio profecto, Sueviam nostram præ cæteris omnibus Germaniæ nationibus summa promerere laudum encomia & immortale quoddam pristinæ virtutis monumentum, cujus adumbrationem ardentissimo quodam dulcissimæ patriæ amore accensus juvenis levi penicillo delineare sustineo, ex ipsis solidioribus optimorum quorumvis scriptorum documentis demonstraturus, quanti Suevi nostri fuerint, quantum profecerint, quantique hodienum existant. Arduum quidem & spinosum suscipio scribendi argumentum, viribus forsan meis, conditioni, ætati, otio iniquum, succurrit tamen in hoc labore, quod non minus vere ac eleganter Poëta canit: *vincet amor patriæ studiique immensa cupido.* At occinet forsan invidia, me post Homerum Iliades canere, dum jam alii ætate, ingenio, eruditione me longe superiores illustre hoc argumentum vastis voluminibus explicarunt: sed cum laudati Scriptores, quorum diligentiam non minus ac par est, veneror, non omnes ejusdem sint pretii, neque omnes satis curatam habuerint rerum civilium notitiam, plerique autem, quod inspectis titulis patebit, præsens argumentum siccis pedibus prætererierint vel extremis fal-

 tem

(e) SULGERI *annal. Zwifalt. f.* 225. CRUSIUS *P. III. f.* 131.

(f) Chronicon Australe ad An. 1282.

(g) HORTLEDER de *cauf. belli Germ. L. I. C.* 14. *f.* 74. LIMNAEUS *T. I. p.* 31.

(h) Conferri meretur BEBELII *Epitome laudum Suevorum*, quæ extat in GOLDASTI *Scriptor rer. Suev. p. m.* 28. adde ANONYMI *encomium Suevorum*, Hagen. 1527. 8. a MELANCHTONE editum.

tem tetigerint labiis, facile ignoſcet Lector juveni crambem jam quidem, quod facile largior, coctam, ſed alio tamen modo conditam propoſituro, cum inprimis non ex præpoſtero quodam ſcribendi pruritu hocce negotium ſuſceperim, ut pro more ſeculi laureolam quærerem in muſtaceis, ſed ut qualiscunque proſtaret ſtudiorum & voluntatis meæ conatus. Proinde etiam conſultius duxi, ex Hiſtoriæ patriæ fontibus derivare rivos, quam in exterarum gentium controverſias nimis curioſe inquirere. Quodſi enim turpe eſt homini ingenuo, patriæ ſuæ jura & fata ignorare, hominis certe Suevi maxime intereſt, Sueviæ viciſſitudines non e longinquo intueri, ſed omnibus intenſis nervis, quicquid invidioſa nobis reliquit antiquitas, in ſuccum ſanguinemque convertere; Cumque jam hac ratione Commentarium de *Illuſtris Reipublicæ Ulmenſis origine, antiquitate, rebus geſtis, juribus & Privilegiis peculiaribus* adornaverim, qui ex juſſu Indulgentiſſimorum Patriæ Patrum in ſecretioribus Reipublicæ ſcriniis typos publicos ultimamque auctoris limam exſpectat, reſtabat, ut jam etiam Sueviæ univerſæ pii civis exſolverem officia. Nil igitur tardans conquiſitis undique optimis quibuscunque Hiſtoriæ Suevicæ præſidiis & explorato prius virorum eruditorum (quos inter nullo dignitatum obſervato ordine honoris cauſa nomino D. JO. JAC. MOSERUM a FILSECK, D. JO. BECKIUM, D. JAC. CHRIST. ISELIUM, D. GEORG. CHRIST. PREGIZERUM, D. JO. GEORG. SCHERZIUM, & D. JO. ULR. HILDENBRANDUM, quorum nomina per ſe clara elogiis meis opus non habent,) conſilio præſens conſcripſi meletema, in quo quantum præſtiterim, meum non eſt judicare. Cæterum dicendorum copiam, ordinem, contextum & ornatum fruſtra hic exſpectas; alibi requirantur iſta, ubi ab arte decus aut pretium operæ venit. Hic omnis labor, omnis opera, omne ſtudium ingenuæ veritati Patriæque ſaluti & gloriæ unice ſacer eſto.

CAPUT I.

DE

STATU ET REGIMINE SUEVIÆ LIBERÆ.

SI gentium omnium atque populorum evolvas annales, ſi totam excutias Hiſtoriam, ab orbe condito ad noſtram usque ætatem nihil aliud, quam ut hominum, ita & Rerumpublicarum naſcentium, intereuntium, vincentium devictarumve longam videbis ſeriem. Fidem nobis facit vicina hodie Bavariæ, Alſatiæ, Franconiæ atque Alpibus Rhæticis natio Suevi, haud minimam hodie Germaniæ partem incolentes, (i) & inter decem Imperii circulos relati. (k) Ipſa gens candida, fida, fortis, audax, varietate eventuum, multitudine Provinciarum, (l) ipſarum denique rerum geſtarum gloria & majeſtate nulli ſecunda,

(i) Lege ZEILERI *Topograph. Sueviæ* Ulm. 1653. 4. HAUBERI Hiſtoriſche Nachricht von den Land-Charten des Schwäbiſchen Crayſes. Ulm. 1724. 8.

(k) conf. GOCKELII. Tr. de *Circulo Sueviæ* Aug. Vind. 1672. 4.

(l) vide PREGIZERI Diſſ. *de regnis gentibusque ex Suevis*, Tub. 1684.

cunda, longe maxima, nobilissima atque bellicosissima Germanorum omnium semper reputata, (m) ex Scythia descendere (n) & a Germanico vocabulo Schweben sive Schweiffen (o) nomen derivare videtur. Postea e Septentrione profecta peragratis pluribus Germaniæ antiquæ Provinciis (p) ad ipsum tandem Danubium & Rhenum insuperque in Rhætia ac Alsatia consedit, maximam Germaniæ partem (q) & in illa nationes (r) pagosque (s) plures complexa, quos gentilitia lingua, Gew appellarunt, quæ consuetudo populo usque mansit, ut multos ubique variisque in locis constituerint tractus & territoria Gew/ pagos, & eorundem ditionem haud raro posterioribus temporibus Landvogtias nominarint. Sic namque ante patrum memoriam teste LAZIO (t) Sueviæ totius ditio atque Imperium dividebatur in Landvogtiam Burgoviæ, Curiensem, Hegoviæ, Rotenburgensem, Rotvvilensem, Nigræ Sylvæ, Stullingensem, IV. Sylvestrium civitatum, Turgoviensem, Tigurinensem, Ergoviæ, Nuitlandiæ, Alsatiæ & Algoviæ, quæ καθ' ἐξοχὴν Provincialis Sueviæ Præfectura (tt) audit, quos tractus Romani rerum Germanicarum Scriptores, hosque secuti Franci Pagos adpellarunt, inque vetustis Diplomatibus integras passim Provincias atque regiones pagos dixerunt. Sic universa olim Turgovia pagus nominatur in chartis antiquis, quas exhibet TENZELIUS, (u) pariter SCHILTERUS (vv) chartam antiquam exhibet, in qua universus Ducatus Alsatiæ pagus dictus fuit; ex quo simul patet, quod antiquitus unicus interdum pagus plures sub se comprehenderit comitatus, quod hoc ipso Alsatiæ exemplo constat. Cæterum hic quoque observandum, diversas has Suevorum nationes non integrum aliquod aut commune Reipublicæ systema constituisse, sed quotquot fuerunt populi, tot etiam separatæ & a se invicem independentes exstiterunt Respublicæ, quibus commune nihil, nisi in quantum communi Religionis (x) vel patriæ vinculo,

(m) CÆSAR *L. IV. de bello Gallico C. 1. n. 1. 2.*

(n) STRUVIUS in *notitia Sueviæ antique Jen. 1726.* edita §. *VI.*

(o) CRUSIUS *annal. Suev. L. I. P. I. C. I. f. 5.*

(p) LAZIUS de *migrat. gentium L. VIII. f. 361.* adde LAURENTII *monumenta Suevorum in Thuringia.* Naumb. 1706.

(q) CLUVERIUS in *German. antiq. L. III. C. 24. f. 97.*

(r) STRUVIUS l. c. §. *X. seq.*

(s) Hos peculiari tractatu descridsit HENRICUS BEBELIUS in Libro de *pagis antiquis Sueviæ*, quem deinde secuti sunt FREHERUS & JUNCKERUS, qui varia huc spectantia annotarunt. add. MUNSTERI *L. III. f. 569.* & PAULINI *de pagis inprimis antiquæ Saxoniæ.*

(t) *L. VIII. f. 357.*

(tt) vid. LUDEWIG Diss. de *Landvogteia sive Judicia Provinciali Sueviæ*, Hal. 1725.

(u) *T. II. Act. Lind. n. 8. f. 265.*

(vv) in *observatione XIX.* §. 13. *p. 1068.* ad KOENIGSHOVEN.

(x) Religionem & numina veterum Suevorum singulari studio delinearunt JO. ULR. PREGIZERUS in *Suevia & Wurtembergia sacra.* & C. F. MELLINUS in *Suevia Gentili*, qui tractatus An. 1717. junctim a Clarissimo I. G. PREGIZERO Prof. Tub. & Fautore nostro colendissimo Tubingæ 4. fuerunt editi.

culo, aut speciali aliquo fœdere junctæ erant. Unde etiam est, quod quælibet harum Rerumpublicarum proprio regimine usa fuerit, quod ab initio Democratiæ proximum hoc fuisse videtur, *ut quælibet natio in certos pagos divisa esset, quorum singuli suos haberent Judices & Magistratus a populo lectos, qui controversias componerent singulorum, quoties vero alia incideret causa, quæ ad nationem spectaret universam, convenirent simul omnes certo loco ac de Republica, quid factu opus esset, statuerent.* (y) Sed, ut plerumque fieri solet, non admodum diu substitit hæc Reipublicæ forma, dum mox Aristocratice fuit temperata & ita quidem, *ut regimen in posterum penes Principes esset, qui tamen non hæreditario aliquo jure in pagos succederent, sed publica totius populi auctoritate ex omni nobilitate in Comitiis eligerentur;* Horum autem Principum hoc fuisse videtur munus, ut jura per pagos vicosque redderent in causis minoribus & privatorum, publica autem & majoris momenti negotia habito prius cum comitibus suis consilio ad comitia ablegarent. (z) Tandem vero Principes hi regiam dignitatem complexi animo sensim sensimque regiam quoque usurparunt auctoritatem, quam non nisi per varias artes obtinuisse illos probabile est. Postquam igitur regia dignitas in plerisque Sueviæ nationibus invaluit, varia inde exorta sunt regna, varii reges; quibus tamen diversa interdum singulis potestas fuit, non una eademque; dum alii liberius, alii juxta leges magis imperarunt, non statim tamen nomine Regis indigni; sunt enim dissimiles formæ regnorum & alibi alii gradus libertatis, qui quidem Regum potestatem restringunt, dignitatem tamen non imminuunt. In genere tamen tenendum, plerisque hisce Regibus non plena fuisse Majestatis jura, sed coarctata plerumque & cum plebe quoque communicata. Solis enim Regibus neque in causis majoribus decernere, neque in delinquentes animadvertere, neque in conciliis propria auctoritate aliquid statuere, neque successores sibi nominare licebat, sed omnis potius illorum potestas eo præcipue rediisse videtur, *ut de causis minoribus consultarent, negotia in comitiis dirigerent, & ea quoque, quorum penes plebem erat arbitrium, apud eos prætractarentur*, quam tamen potestatem belli præcipue temporibus auctam interdum fuisse non negaverim. (a) Incidunt in hæcce tempora origines Alemannorum, qui deinde mox in unam cum Suevis gentem coaluerunt, ita ut deinde promiscue Suevorum & Alemannorum nomina fuerint usurpata: Inde quicquid Alemanni ubique terrarum clari gesserunt, Suevis adscribendum esse arbitror. Postquam enim MAROBODUUS, eximiæ virtutis Princeps, vastissimam MARCOMANNORUM gentem imperante AUGUSTO in Boiohemum deduxit, deserta a pristinis habitatoribus Rhenum inter & Danubium loca novos mox incolas accepere, cum levissimus quisque Gallorum & inopia audax dubiæ possessionis solum occupavisset, (b) quibus postea ex aliis quoque gentibus ipsisque Suevis coloni sese conjunxisse videntur. Collectus hinc ex variis gentibus exercitus mox certam Reipublicæ formam sibi induxit, quæ hæc tum extitisse videtur, ut haberent Reges seu Duces plures, qui uni alterive pago impe-

---

(y) Est conjectura ARTOPOEI in Diss. *de orig. & increment. vetustiss. gent. Suev.* Arg. 1692. habita §. IV.

(z) Ita rem explicat Illustris STRUVIUS §. *LI. f. 67.*

(a) STRUVIUS l. c.

(b) TACITUS *de mor. Germ. C. XXIX. n. 5.* Cæterum eleganter atque solide argumentum hoc prosequitur celeberrimus laudibusque meis major SCHOEPFLINUS, quem Præceptorem nobis contigisse gloriamur, in Diss. *de antiquitatibus Alemannicis* Arg. 1722. habita.

imperarent, quibus tamen non infinita & libera, sed limitata in subditos suos fuit potestas, certis legibus circumscripta, ita ut pacis tempore nihil de populi libertate Regia dignitas imminueret. (c) In Regum dignationem filios apud eosdem successisse constat, frequensque Regalium (d) mentio comprobat; an id more populi constanti, utrum propter magna parentum merita vel propriarum virtutum splendorem? non temere definierim. An vero omnium Regum eadem semper auctoritas vel ideo dubitare licet, quod haud raro Reges inter illos præ aliis potestate eminuisse dicantur. (e) Hoc interim certum, Regibus Alemannorum, sicut & Suevorum plures fuisse Comites, omnia pro Reipublicæ salute & facere & pati paratos. Extremo vero unum videntur elegisse Regem Alemanni, ut ejus consilio fierent ad res magnas gerendas aptiores, quomodo vero successus consilio responderit, mox patebit. Cæterum bellicæ inprimis virtutis gloria conspicuus frequentibusque migrationibus assuetus populus non potuit non frequentibus cum vicinis nationibus bellis collidi, in quibus varia quidem fortuna, æquali tamen semper fortitudine dimicarunt, libertatemque Germaniæ tanta pertinacia tantaque virtute contra Romanos propugnarunt Alemanni, ut gloriosum Germaniæ statorum & liberatorum encomium meruerint. Licet enim Romani variis illos affecerint stragibus, semper tamen ex effuso Suevorum sanguine novi quasi hostes totidemque victores renati sunt, qui labescente paullatim occidentali Romanorum Imperio ipsam tandem Galliam & Italiam, quemadmodum antea jam Hispaniam (f) Rhætiam & Alsatiam, sub jugum misissent, & in extremas orbis regiones arma victricia protulissent, nisi in eminentissimo victoriarum constituti fastigio victorem experti fuissent CHLODOVEUM M. heroëm toga sagoque longe illustrissimum, qui Alemannos Bojorum ADALOGERIONE Duce auxilio adjutos, ALARICO Suevorum Rege occiso anno 496. fatali & supra modum atroci ad Tolbiacum in omni antiquitate celebratum in Coloniensium finibus oppidum prœlio, memorabili strage superavit, (g) maximam Alemanniæ partem Franco-Galliæ Provinciis adscripsit, terras Suevorum cognatis & militibus suis sæpe hæreditario, licet beneficiario jure concessit, universam pristini Regiminis formam mutavit, trajectoque Rheno & Danubio haud procul a Waiblinga oppido ad vicinum vicum Beinstein Trophæum in memoriam Tolbiacensis victoriæ cum hoc titulo & inscriptione monumenti erexisse traditur. (h)

CLODIUS. HOC. FECIT. UXORI. SUÆ.

(c) SPENERUS *in notitia Germaniæ p. 190.*

(d) AMMIANUS *L. XVI. C. XII.*

(e) Idem *l. c.*

(f) De Suevorum Regno in Hispania agunt MARIANA L. V. C. I. ISIDORUS Hispalensis in *Historia de Gothis, Wandalis & Suevis.* LAZIUS *L. VIII. f. 382.* PFEFFINGERUS *L. I. T. 16. p. 282.*

(g) GREGORIUS Turonensis *L. II. C. 30.* MELLINUS in *antiquitatibus lacus Bodamici f. 56.*

(h) PREGIZER, *Suev. Sacr. p. 12. Diss. cit. p. 48.*

CAPUT II.

DE

REGIMINE ET CONDITIONE

SUEVIÆ

SUB REGIBUS FRANCORUM DUCIBUSQUE

AB ILLIS CONSTITUTIS.

Atque sic tandem unica exitiali strage cecidit nobilissima Suevorum natio, liberatrix haud dubio Germaniæ, prœliis ambigua, bellis nunquam devicta; quæ non primordia populi Romani, sicut aliæ gentes & nationes, sed florentissimum lacessivit Imperium. Neque tamen eadem universæ Sueviæ sors fuit, neque universa tunc Alemannia a Francis occupata, dum majorem alii, alii minorem retinuerunt libertatem. Pars enim gentis CHLODOVEI iram subverita in Rhætiam Italicam seu superiorem secessit, patrocinio THEODORICI Ostro-Gothorum in Italia Regis confisa, qui etiam pro afflictis & fugitivis Alemannis ad CHLODOVEUM literas scripsit conciliatorias, ad sanctissimas amicitiæ & consanguinitatis aras illum adjurans, ut victæ gentis reliquiis generose ignoscere velit; (i) sed hisce quidem Alemannis non tam libertatem aut aliquid priscæ dignitatis recuperavit, quam persecutionis bellique dirissimi finem. Proinde gentis Alemannicæ antea nobilissimæ reliquias in clientelam recepit THEODORICUS, iisdemque Rhætiæ Danubium inter, Oenum, Ilerum & Alpes tractum, antea jam ab Alemannis occupatum atque inhabitatum, inhabitandum tradidit, quæ Provincia *Suavia* tunc a Gothis appellata fuit, cujus hæc præcipue fuisse videtur formula, *ut universa Provincia Gothorum Imperio subesset, ab his vero Ducem acciperet, qui milites & in pace regeret, & cum iis fines Provinciæ solenni alacritate circuiret,* (k) cui ad justitiæ administrationem ac tranquillitatis publicæ conservationem adjuncti fuerunt *Præsides Provinciales*, quales laudantur FRIDILADUS (l) SEVERINUS (m) & ATHIVULFUS (n) quorum officium in abactionibus animalium legitima severitate coërcendis, homicidiis resecandis & provincia secura præstanda sese exseruit. (o) Sub horum denique auspiciis minores lites moderabantur *curiales*, qui minorem Senatum constituebant, (p) quibus vicini erant *Capillati Defensores*, quorum idem fere erat officium. Sed non diu substitit novus hic Gothorum in Alemannia Rhætica Ducatus, dum provincia illa post 40. annos a clientela per VITIGEM Regem absoluta reliquæ Alemanniæ accessit, unde est, quod veteres Alemanniæ Duces Rhætiæ quoque Duces adpellati fuerint. (q) Regio inter Danubium & Rhenum, ab Argentorato usque ad Ulmensem civitatem, Tolbiacensi prœlio non

(i) CASSIODORUS *L. II. n. 41.* GUILLEMANNUS *rer. Helv. L. II. C. X. n. 4.*

(k) CASSIODORUS *L. VII. n. 4.* (l) Idem *L. IV. n. 44.*

(m) Idem *L. V. n. 15.* (n) JORDANUS de *reb. Get. p. m. 495.*

(o) CASSIODORUS *L. IV. n. 49.* (p) Idem *L. VI. n. 3.*

(q) AGATHIAS *Hist. L. I.* PROCOPIUS *L. I. C. XIII.*

non involuta libertatem, penso tamen Francis annuo tributo, retinuisse videtur, donec & hanc THEODOBERTUS Imperio suo adjecit. (r) Atque hinc forsan est, quod PROCOPIUS (s) *Suevos liberos* dicat; non quod revera liberi, id est nullius Principis exteri Imperio adscripti fuerint, sed quod forsan aliquod adhuc pristinæ libertatis simulacrum retinuerint. Unde facile patet, quam absona sit illorum sententia, qui universam Sueviam a CHLODOVEO M. in servitutem tunc fuisse redactam fabulantur, & originem servitutis sive hominum propriorum in Alemannia ad hanc victoriam referunt; confundunt enim qui ita sentiunt, duriores quasdam conditiones, quibus Alemanni Francico Imperio juncti fuerunt, cum servitute privata, de qua altum in illius ævi annalibus deprehendimus silentium. Quin ex eo quoque patet asserti hujus falsitas, quod Franci Alemannis leges & instituta propria reliquerint & nuptiis cum iisdem se conjunxerint, cujus rei illustrissima longe exempla præbent SIGEBERTUS II. Rex Austrasiæ, (t) CAROLUS M. (u) LUDOVICUS Pius, (vv) CAROLUS Crassus, (x) & LOTHARIUS, (y) qui omnes Suevas fœminas sibi copularunt, quod certe non fecissent, si tam abjecta Suevorum sub Francis sors fuisset. Porro Provincia ad Moenum, cui Franconiæ nomen, ejectis Alemannis Franco-Galliæ cessit, in Ducatum postea redacta, cujus Wormatia caput fuit, qui deinde ab HENRICO V. anno 1116. CONRADO Suevo concessus & sic Alemanniæ redunitus fuit. (z) *Helvetia Alemannica* tractum insignem Ursam inter & Danubium, inque eo Turgoviam, Zurchgoviam, Tigurum, Tugium, Uraniam & Claronam (a) comprehendens, Francis tunc sub eadem, qua Alemannia, lege cessit, cujus postea pars insignis Ducatui Alemannico adscripta fuit, (b) quod reliquum erat fisco regio, qui Turegi constitutus erat, (c) cessit, unde postea Præfectura Imperii Tigurina incrementa cœpit. (d) *Helvetia* autem *Burgundica*, Ærgoviam, Urbigenum pagum, Antuatium, Aventicum omnemque trans Ursam Helvetiam complexa (e) penes Burgundos permansit, & eandem, qua Burgundi ipsi, libertatem obtinuit, (f) usque dum BURCARDUS I. Dux Sueviæ RUDOLPHO II. Burgundiæ Rege, qui patrii Regni limitibus non contentus contra Alemanniam arma & exercitum duxerat, devicto Ergoviam Ducatui Suevico annexuit, quam postea FRIDERICUS Barbarossa BERTOLDO Zæringensi una cum aliis ditionibus concessit (g) qui deinceps Rectorem Burgundiæ & Advocatum Turegensem sese dixit; (h) Reliquam vero partem idem illustris princeps filio suo OTTONI concessisse videtur, qui etiam ALBERICO ad

(r) PFEFFINGERUS *T.* II. *Jur. Publ. p.* 290. (s) *L.* I. *C.* X.

(t) LEHMANNUS *Chron. Spir. L.* III. *C. XIV.*

(u) THEGANUS *C.* II. (vv) Idem *C. XXVI.*

(x) TOLNERUS *Hist. Pal. C. V. f.* 162. (y) THEGANUS *C. XXVIII.*

(z) Confer. Clarissimi BECKII Prof. Jenens. Diss. *de Ducatu Franconiæ* Jenæ 1709. sub Præsidio Wildvogeliano defensam.

(a) GUILLEMANNUS *L.* I. *C.* II. §. 8.

(b) CRUSIUS *P.* II. *f.* 377. (c) Act. Lindav. *T.* II. *f.* 317.

(d) GUILLEMANNUS *L.* III. *C. V.* (e) CRUSIUS *P.* II. *f.* 378.

(f) GUILLEMANNUS *L.* II. *C. XI. n.* 1. (g) STUMPFIUS. *Lib. IV. C.* 47.

(h) GUILLEMANNUS *L.* II. *C. XV. n.* 2.

ad annum 1190. *Comes Alemannus de Burgundia* audit. Vindelicia, Rhætia Curienſis, Klettgovia, Hegovia, Lensgovia, Algovia, tractus lacus Bodamici, pari modo, quo Helvetia Alemannica, Francicum veneratæ ſunt ſceptrum, poſtea in peculiarem Ducatum converſæ, qui Turgoviam, Zurchgoviam & recenſitas Provincias, quibus ipſa interdum Alſatia juncta fuerat, fuit complexus, Ducibus ad lacum Bodamicum Hillermontii, (i) Iburlingæ, (k) Duellii, (l) Diepoltispurgi, (m) Potami, (n) Altenburgi (o) alibique reſedentibus. Quin & Alſatiam, Sundgoviam & Brisgoviam ad Francos tunc poſt victoriam Tolbiacenſem tranſiiſſe & peculiares poſtea Duces, qui in Alſatia Hohenburgi & Ehenhemii (p) præcipue ſedes fixerant, a Francis accepiſſe manifeſtum eſt. Quando vero primi Alemanniæ & Alſatiæ Duces conſtituti fuerint, anque Alemannia & Alſatia unam tantum vel duas peculiares conſtituerint Provincias, categorice definire & difficile eſſet & temerarium. Si tamen in re obſcura divinare licet, Duces non ab ipſo CHLODOVEO, qui per Præfectos tantum Provinciales Alemanniam adminiſtraſſe dicitur, (quorſum celebres iſtos legis Salicæ conditores quidam referre amant,) ſed ab illius demum poſteris Alemanniæ & Alſatiæ fuiſſe impoſitos arbitror, ſub his enim demum Ducum Alemannicorum mentio incurrit, de quibus etiam in Legibus Alemannorum pluribus titulis valde notabiliter diſponitur. Hinc a plerisque LEUTHARIUS & BUCELINUS fratres primi allegantur Sueviæ Duces, ſed cum hi quidem ambo non niſi belli Duces fuiſſe videantur, melius a CONZONE I. Ducatus Alemannici in Rhætia repetuntur primordia; Alſatici vero Ducatus initia optime ab ATTICO derivari credo. Vix enim probabile eſt, univerſam Alemanniam in unam tantum provinciam fuiſſe redactam & per unicum tantummodo Ducem adminiſtratam, cujus ſententiæ contrarium facile probari poteſt. Quodſi enim antiquos Suevorum evolvamus annales, plures uno eodemque tempore regnante Merovingorum proſapia invenimus Duces, quorum alii Sueviæ, Alemanniæ alii, Alſatiæ alii Duces audiunt. Sic regnante in Auſtraſia THEODOBERTO II. SIGISBERTUS quidam Rhætiæ, CUNZO vero I. Alemanniæ Dux fuit, qui Iburlingæ reſedit. (q) Anno 690. nominatur GOTHOFREDUS Dux Alemanniæ, qui Pfungæ ſedens Helvetiam Alemannicam moderatus fuit. (r) Seculo VIII. vero varii occurrunt Duces, quorum alii Turegi in Helvetia, alii in monte S. VITI prope Ravensburgum, alii Campidoni reſederunt. (s) Pariter quoque Alſatiam peculiaribus Ducibus tunc paruiſſe exemplo ATTICI, ADELBERTI, & EBERHARDI conſtat. (t) Quibus omnibus probe examinatis veroſimile eſt, hanc præcipue ſub Merovingicis Alemanniæ fuiſſe formulam, *ut univerſa Alemannia in tres Provincias & juriſdictiones divideretur, quarum prima Helvetiam*

(i) LAZIUS *L. VIII. f. 383.* (k) Chronicon Conſtant. Piſtor. *f. m. 629.*

(l) NAUCLERUS *Vol. II. Gen. 23. f. m. 735.*

(m) GOLDASTUS *T. III. antiq. Alem. f. 108.*

(n) Idem *l. c.* (o) PETRI *Suevia Eccleſiaſtica f. 564.*

(p) SCHILTERUS ad KOENIGSHOVEN *f. 1066.*

(q) ZEILERI *Chron. Suev. p. 1.* (r) Idem *p. 5.*

(s) ZEILERI *Chron. Suev. p. 5.*

(t) OBRECHTI *Prodrom. rer. Alſat. C. X. p. 215.* SCHILTER. *l. c. Obſ. XIX. p. 1066.*

tiam Alemannicam, secunda Rhætiam atque Sueviam, tertia vero Alsatiam comprehenderet, quæ quidem singulæ proprio jure Magistratuque uterentur, sed a Regibus Francorum Duces acciperent, qui singulis Provinciis præessent, Regibus Francoru… certum tributum penderent, homagium iisdem præstarent, ac ab iisdem & constitui & deponi libere possent. Neque tamen omnis potestas Ducibus solis tributa fuit, sed adjuncti illis fuerunt varii Comites ad jus dicendum, quorum cuilibet pagus quidam concessus fuit, intra quem nomine Regis jurisdictionem civilem pariter & criminalem magna auctoritate exercebant, cujus rei exemplum præbet Alsatia, quæ ab initio gemino constabat comitatu, quorum superioris caput erat Egishemium, quod olim proprios Comites habuit, inferioris Argentina, (u) ob quam HERMANNUS Alemanniæ Dux vocatur *Dux Alsatiæ, cujus caput est Argentina;* (vv) postea vero in plures comitatus fuit divisa Alsatia, quorum in Diœcesi Argentoratensi decem numerabantur. (x) Horum vero Comitatum tam ampla erat Jurisdictio in suis pagis, ut exceptis optimatibus seu potentioribus quilibet sive liber homo sive vassus, ipsius Ducis vel alterius Comitis iste fuerit, ad placitum ipsius venire obstrictus vocatur; (y) adeo ut si quis liber homo Comiti vel ipsius vicario pertinax fuerit, deprehensus XII. plecteretur solidis. (z) Mediantibus igitur hisce Ducibus atque comitibus universa tandem Alemannia Francocorum Regibus paruit, post divisionem Regni Francici à CHLODOVEO susceptam Dominos supremos nacta Reges Austrasiæ, THEODOBERTUM I. THEODOBALDUM, CHLOTARIUM I. SIGEBERTUM I. CHILDEBERTUM II. THEODOBERTUM II. THEODORICUM II. CHLOTARIUM II. DAGOBERTUM II. SIGEBERTUM II. DAGOBERTUM II. SIGEBERTUM III. CHLODOVEUM II. CHLOTHARIUM III. THEODORICUM III. CHILDERICUM II. CHLODOVEUM III. CHILDEBERTUM III. DAGOBERTUM III. CHILPERICUM II. CHLOTARIUM IV. THODORICUM IV. & CHILDERICUM III. à majore domus PIPINO I. in monasterium tonso capite detrusum, qui ratione Alemanniæ successores nactus est CAROLOMANNUM. (a) PIPINUM II. (b) CAROLOMANNUM II. (c) & CAROLUM. (d) sub quibus nihil fere memoratu dignum in Suevia accidit, nisi quod THEODORICUS I. legum Alemannicarum collectionem susceperit, THEODOBERTUS I. suprema auctoritate LEUTHARIUM & BUCELINUM fratres popularibus Alemannis in Rhætia Duces præposuerit, (f) ac Alsatiam Suntgoviamque adjunctam Austrasiæ iterum vindicaverit, SIGEBERTUS I. Suevos in vacuas in Italiam abeuntium Saxonum sedes reposuerit, (h) unde factum arbitror, quod jus Saxonicum (i) mulieres Saxonicas Suevis nubentes excludat

(u) CHIFLETIUS *Alsat. vind. C. I.* OBRECHT. *C. VI. p. 68.*

(vv) DITMARUS *L. V.* (x) SCHILTERUS *p. m. 1069.*

(y) *C. XXXVI.* §. 5. (z) *C. XXXVI.* §. 4.

(a) FRFDEGARIUS *C.* 110. *f.* 159. (b) RHEGINO *ad an.* 748.

(c) EGINHARDUS apud FREHERUM *f.* 434. (d) Idem *l. c.*

(e) CONRINGIUS *de origine Juris Germanici C. IX*, p. 40.

(f) OBRECHTUS *C. X.* pag. 215.

(g) AIMO *L. V. C. 96.* GUILLEMANN. *L. II, C. XII, n. 11.*

(h) PAULUS DIACONUS L. II. C. VI.

(i) Spec. Sax. L. I. *art.* 17.

cum à dote, tum à paterna hæreditate; quod CHILDEBERTUS II. Ducem Sueviæ LUITERIDUM sibi rebellem deposuerit, (k) eidemque UNCELINUM substituerit, CHLOTARIUS I. leges Alemannorum emendaverit, (l) plurimi autem illorum multa per Alsatiam, Rhætiam & Helvetiam monasteria ditissime dotaverint, unde simul Regum Francorum in Alemanniam devictam jura quodammodo patent. Qui vero sub dictorum Regum auspiciis Alemanniæ Rhæticæ, Alsatiæ & Helvetiæ Duces præfuerint, in tanta antiquitate & documentorum penuria definiri vix potest. Si tamen, quod videtur, dicere licet, Alemanniæ quidem Rhæticæ ad lacum Bodamicum LEUTHARIUS, BUCELINUS, LEUDEFRIDUS, UNCELINUS, CUNZO I. GODOFREDUS, LANDEFRIDUS I. THEOBALDUS, LANDEFRIDUS II. CUNZO II. & GODEFREDUS II. (m) Helvetiæ MARTINUS, GODOFREDUS, ORTWINUS, LUITFRIDUS, (n) Alsatiæ vero ATTICUS, ADELBERTUS & EBERHARDUS (o) præfuisse videntur, quamvis non negaverim, plures interdum in Suevia extitisse Duces, quorsum referendi inprimis sunt illi, qui Hillermontii prope Campidonum resederunt, (p) & universam quoque interdum Alemanniam per unicum Ducem fuisse rectam, quod tamen accurate definire non audeo. Cæterum hi Duces, regii haud raro sanguinis Principes, sanguinis etiam ordine sibi interdum successerunt, id quod ex ipsis quoque Alemannorum legibus patet, (q) in quibus hi Duces variis in titulis Domni & res illorum, res Dominicæ appellatæ fuerunt. (r) Licet vero hi ipsi Duces Alemanniam non nisi vicario Regum Francorum nomine rexerint, tantas nihilominus opes alias & bona propria passim possederunt, ut horum quoque respectu Duces atque Proceres adpellari potuerint. Porro etiam regalia struentes ædificia regali prorsus magnificentia splendidissime vixerunt, domumque suam regio more ordinarunt; (s) tandem vero supremam potestatem complexi animo regalia quoque jura exercuerunt, inque omnibus tanquam Dominos, non tanquam vicarios sese gesserunt, omnia Majestatis jura illico exercentes. Ad hanc igitur Ducum insolentiam retrudendam & corrigendam Francorum Reges alios miserunt officiales in Sueviam, inprimis vero in Helvetiam, qui Germanico sermone inepte dicuntur **Cammerbotten**/ melius tamen cum Camerariis Provinciarum Regni Siculi comparantur. (t)

(k) CRUSIUS L. IX. P. I. C. XII.

(l) GOLDASTUS *Antiq. Alem.* T. II. P. I. *f.* 11. ECKHARDUS *ad Prologum Legis Salicæ f.* 8.

(m) PFEFFINGERUS T. II. *f.* 291. *seq.* BUCELINUS T. II. *f.* 318.

(n) ZEILERUS *l. c.* (o) OBRECHTUS & SCHILTERUS *l. c.*

(p) LAZIUS L. VIII. f. 384. (q) C. XXXV. (r) C. XXXII.

(s) BUCELINUS *l. c.* §. 370. (t) DU FRESNE *Gloss. voc. Camer.*



CAPUT

CAPUT III.

DE
FORMULA SUEVIÆ SUB REGIBUS FRANCORUM CAROLINGICIS ATQUE CAMERÆ NUNTIIS.

Accidit memorabilis hæcce rerum Suevicarum conversio imperante CAROLO M. incluto isto Imperialis Majestatis in occidente restauratore, qui effrenem veterum Ducum licentiam contemplatus non tantum 11000. Suevorum in Aquitaniam trajecit, ut & ipsi distraherentur à suis & Aquitanos compescerent, sed etiam Sueviæ novam hancce induxit formulam, *ut Ducibus abrogatis ipse quidem Ducatus maneret superstes,* (u) *sed in posterum Regibus Francorum sine Duce intermedio pareret, interque domania regni relatus per Cameræ nuntios administraretur, salvis tamen omnibus Suevorum juribus atque privilegiis,* quod tamen non ita accipendum, ac si universa Suevia fisco Regio fuisset adjucata, quippe nec universa Suevia unquam Ducibus paruit, habuerunt enim & Comites & Dynastæ sua in Suevia allodia terrasque hæreditarias, quæ haud minimam Provinciæ partem explebant & penes pristinos Dominos non obstante hac catastrophe remanebant. Cæterum horum Cameræ nuntiorum officium eo præcipue rediit, ut redituum regiorum & fiscalis pecuniæ rationem exigerent, Provinciarum & urbium, quæ ad Cameram seu fiscum Imperialem Turegi collocatum (vv) proprie spectabant, curam gererent, inque iis æquali cum pristinis Ducibus potestate gauderent. Ne tamen omne regiminis momentum ab unius penderet imperio, prudenter Reges Francorum prospexerunt, ut illustre hoc officium non uni, sed pluribus simul committeretur, & alius quidem huic, alteri alius provinciæ præesset, ea ratione, qua jam antea PIPINUS II. Helvetiæ Alemannicæ WARINUM & RUTHARDUM deposito LANDEFRIDO Duce Comites præfecerat, (x) ne auctoritate sua abutentes Dominis suis facesserent negotium, Regesque ad arma corripienda cogerent, quod temporibus Ducum rebellium multoties accidit. Celebrantur vero in annalibus Suevorum Cameræ nuntii GEROLDUS, UDALRICUS, ADELBERTUS, BERCHMAIRUS, BURCARDUS & ERCHANGERUS, (y) aliique quorum obscura in annalibus Suevorum est memoria. Quotquot igitur à CAROLO M. ad CONRADI I. usque Imperium ab antiquis & recentioribus Scriptoribus referuntur Sueviæ Duces, aut Cameræ nuntii erant, vel militares tantum, vel si rebus civilibus præfecti ostendi poterunt, non harum, sed bellicarum expeditionum causa, vel etiam propriorum dominorum respectu aut sanguinis ratione habita Ducum nomine venerunt, aut Alemanniæ Burgundicæ Duces extiterunt. (z) Neque ex eo tempore Suevia mutavit faciem, ex quo Imperium Carolingicum sub LUDOVICI Pii filiis ratione minime politica in partes ivit. Obtigit enim tunc temporis Suprematus Sueviæ

(u) Acta Lindav. T. II. f. 315. PFEFFINGER. T. II. p. 87.

(vv) Ibidem f. 317. (x) CRUSIUS P. I. f. 301.

(y) PEEFFINGER. l. c. p. 303. (z) Acta Lind. T. II. f. 317.

viæ CAROLO Calvo (a) LUDOVICO Germanico (b) CAROLO Crasso, (c) ARNOLPHO Notho, (d) & LUDOVICO IV. (e) qui haud raro *nobilissimi Alemanniæ atque Sueviæ Reges* in annalibus & in Diplomatibus audiunt; (f) Ducis vero ab iisdem constituti mentionem nullibi in annalibus invenio; e contra vero intermortuum tunc fuisse Sueviæ Ducatum ECKEHARDI Junioris (g) testimonio manifestum est, qui etiam BURCARDUM primum Alemanniæ Ducem nominat, manifesto argumento, ante illum Sueviam Duces non habuisse. Equidem VADIANUS (h) WARINUM & RUTHARDUM Duces Alemanniæ vocat, quod & de aliis Scriptoribus constat, & Cameræ nuntios illos fuisse probat GOLDASTUS, (i) cui & alii assentiunt. Fatis vero functo LUDOVICO familiaque Carolingica in Germania extincta Cameræ nuntii BERTOLDUS & ERCHANGERUS fratres Regio Francorum sanguine orti adfectarunt paulo Sueviæ dominatum, passim hinc a Scriptoribus Duces adpellati: quamvis enim vicario tantum nomine Sueviam administraverint, minime tamen propriis dominiis caruisse censendi sunt, quæ tanta interdum fuerunt, ut & horum respectu Duces adpellari potuerint. Et votorum forsan suorum facti fuissent compotes, nisi ipsorum procerum in se concitassent odia. Ex quo enim Germaniæ Proceres anno 914. in recens electum CONRADUM Salicum insurrexerunt, nostri quoque Cameræ nuntii ad vomitum redire ausi sunt, titulum proferendo liberandi a dissipatione fisci regii, cujus CONRADUM accusabant, cum reliqua quæ Steinhemii in Turgovia CAROLUS Crassus fisco regio reliquerat, in S. GALLUM transferret. Exortæ inde sunt atrocissimæ contentiones & quotidianæ fere digladiationes Episcopos inter atque Cameræ nuntios, quas fuse enarrat ECKEHARDUS, (k) tandem ambobus captis ab Episcopo in concilio Althemensi decretum fuit, ut ERCHANGERUS cum sociis ex communione Christianorum & Reipublicæ proscriberentur, ac Monasterio inclusus perpetua disciplina scelus commissum expiaret, quam sententiam in se jam satis atrocem ita deinde exaggeravit CONRADUS, ut ERCHANGERUS & socii tanquam rei læsæ Majestatis publica lege proscriberentur, bona illorum fisco cederent regio, ipsi vero delinquentes capitis supplicio perpetrata luerent facinora, quod etiam anno 917. Altingæ executioni datum fuit. Si vero jam, quid sentiam, aperte pronunciare licet, arbitror, Cameræ nuntios omnium, quorum postulati fuerunt, criminum, reos non fuisse, quæ vero perpetrarunt, ita fuerunt comparata, ut facile ipsis ut natalium splendorem & maxima ipsorum merita pœna potuisset remitti capitalis, nisi CONRADUS Rex privatis odiis contra eos fuisset præoccupatus. Equidem Lex Alemannica (l) statuit, ne ullus Dux sive Comes, sive quicunque alius audeat contradicere res suas Ecclesiæ donanti, sed agros tamen fiscales aut prædia, quæ censum Principi solvebant, sine Comitis consensu alienare vel Ecclesiæ donare non licuisse amplissi-

(a) NITHARDUS *L. I. Hist.* (b) Idem *Annales Metenses ad a. 843.*

(c) VADIANUS *f. 53.* (d) PFEFFINGER l. c. p. 303.

(e) GOLDASTUS T. II. f. 27. (f) PFEFFINGER l. c.

(g) de *Cas. Mon. S. Galli C. I.* (h) de *Mon. Germ.*

(i) in notis ad C. II. RATPERTI *de Cas. Mon. S. Galli f. 171.*

(k) *de Casibus Monasterii S. GALLI.*

(l) C. I. §. 2.

plissimus testis est VADIANUS. (m) Ne dicam, ipsius Imperii interfuisse, ne res fisci dilapidarentur, quippe quæ maximam redituum Imperialium partem constituebant, quibus alienatis Imperatores novis deinde oneribus impositis sustentationi suæ prospiciebant.

CAPUT IV.

DE

FATIS SUEVIÆ SUB REGIBUS GERMANIÆ DUCIBUSQUE PECULIARIBUS EX VARIIS FAMILIIS LECTIS.

NOva hinc rebus obducta facie caput iterum extollere coepit Suevia, jure quasi postliminii in Ducatum redacta. Ducem igitur ex nobilitate sua petiit BURCARDUM, Comitem Buchornensem, Veringensem & Helffensteinensem, (n) quem anno 918. a CONRADO in solenni Procerum conventu *Sueviæ Principum assensu* Ducem constitutum fuisse legimus. Stabilitam simul hujus gentis libertatem fuisse innuunt verba: *Sueviæ Principum assensu*, utpote quo assensu Carolingi in constituendis Ducibus non indigebant. Num vero Proceres Sueviæ assensu hoc omni simul immedietati renunciaverint, ac sese suosque novi Ducis dominatui ad instar Landsassiorum subjecerint, id neque facile credendum, neque ullus hujus ævi scriptor unquam asseruit. Occurrunt certe etiam post hæc Principes terræ in Suevia, quorum tantam fuisse legimus auctoritatem, ut Sueviæ Ducis Dominatus perperam in integram extendatur Provinciam. (o) Quemadmodum vero insigniter errant, qui BURCARDUM universæ Sueviæ Dominum constitutum fuisse asserunt, ita e contrario reprehendendi quoque sunt illi, qui eundem pro nudo Regis Germaniæ vicario venditant, ex eo quod CONRADUS Imperator BURCHARDUM primum Alemanniæ Ducem *vicarium* sibi fecisse dicatur, (p) quippe tria simul munera laudatus Dux a CONRADO Rege accepit, Ducatum nimirum Alemanniæ, bona mattimonialia & allodialia Cameræ nunciorum, & Advocatiam Imperialem Turegensem; Ducatum vero Alemanniæ pro se tantum supremo jure accepit, Cameræ nunciorum bona beneficii nomine ipsi & illius posteris fuerunt tradita; (q) Advocatiam vero Turegensem vicario demum nomine administravit, & vi illius in omni Turego Imperialem Jurisdictionem exercuit. (r) Cæterum mirari multos intelligo, qui factum sit, ut in BURCHARDUM istum, scele-

(m) *L. II. de Monast. Germ.*

(n) ECKEHARDUS l. c. LEHMANNUS L. II. C. 16.

(o) Pluribus hoc probat DN. KOPPIUS, qui sub illustris nominis BOECLERI, Patroni atque Præceptoris mei nunquam satis colendi præsidio, erudite de *Differentia inter Comites & nobiles immediatos disseruit S. I. §. 13. p. 52.*

(p) CRUSIUS *S. II. L. III. C. VIII. f. 85.*

(q) ECKEHARDUS *l. c.* (r) Acta Lindav. *T. II. f. 817.*

rum atque consiliorum ERCHANGERI socium, Sueviæ ordines ipseque Rex CONRADUS tanto studio propenderint? Civibus nimirum ob singularem virtutem, affabilitatem, animique magnitudinem gratus, quod fide tabularii testatur HARTMANNUS, (s) ab ipso populo Dux postulatus fuit, qui prius non potuit pacari, quam illis daretur Dux ac Princeps peculiaris BURCHARDUS. Voluntas igitur populi Regi necessariam fecit electionem. Poterat hinc jam suo jure agere Suevia nova hac reginimis obducta formula, *ut peculiarem Suevi haberent Rempublicam; Respublica Ducem peculiarem; Dux potestatem non vicariam aut delegatam, sed propriam & supremam; qui tamen ab Imperatore invitis non obtruderetur, sed de consensu & consilio Procerum ab iisdem constitueretur, eidemque in publicis Germanici Imperii negotiis nexum juraret clientelarem.* Atque ex hoc demum tempore Sueviæ Duces veri rerum Domini & universæ Alemanniæ, Rhætiæ, Helvetiæ atque Alsatiæ Rectores facti sunt, propriaque auctoritate suo arbitrio exercuerunt belli (t) & Pacis jura, cumque illis omnia cætera Regalia, quæ Superioritatis territorialis nomine veniunt. Hinc titulo DEI Gratia usi (u) Comitiis interfuerunt, (vv) conventus publicos celebrarunt, (x) castra & civitates extruxerunt, (y) Imperatorem elegerunt, (z) bona ab omnibus oneribus exemta Ecclesiis donarunt, (a) fœdera pepigerunt, (b) civitatibus & Monasteriis Advocatos dederunt, (c) in alienationem bonorum consenserunt, (d) Episcopos instituerunt, (e) jus venandi habuerunt, (f) jus pascendi concesserunt, (g) & in omnibus tanquam illustria Imperii membra magnifice sese gesserunt, sine ullo Regis Germaniæ interesse aut injuria. Habuit vero dictus BURCARDUS in Ducatu Sueviæ Successores HERMANNUM Landgravium Hassiæ, LUDOLFUM Ducem Saxoniæ, BURCARDUM II. Comitem Helffensteinensem, OTTONEM I. Saxonem, CONRADUM I. HERMANNOS II. & III. ERNESTUM I. Austriacum. ERNESTUM II. HERMANNUM IV. OTTONEM II. Wittelsbacensem & OTTONEM III. Comitem Schvveinfurtensem, (h) qui non sanguinis jure, sed libera Imperatoris

(s) *in annalibus Heremi p. 31.*

(t) Exempla passim leges in vitis Ducum Sueviæ apud PFEFFINGERUM.

(u) WIMPHELINGIUS *de Episcopis Argent. p. 54.* BESOLDI *Docum. rediviva.*

(vv) SCHATENIUS L. VIII. *annal. Paderborn. f. 754.*

(x) HERMANNUS Contractus *ad a. 911.*

(y) OTTO Frisingensis *C. XII.* LEHMANNUS *L. IV. C. IV. f. 247.*

(z) SCHARDIUS de *Jurisd. Imperii p. 179.*

(a) PETRI *Suevia Eccles. f. 536.*

(b) Annales Hildesheimenses *ad a. 913.*

(c) Exempla vide apud HEIDERUM in Disc. von Reichs-Vogteyen passim.

(d) GOLDASTUS *T. III. Rer. Alem. p. 31.* BESOLDUS l. c. passim.

(e) Exempla vide apud WERLICHIUM *in Chr. Aug.*

(f) DITMARUS L. VII. (g) PETRUS l. c.

(h) LEHMANNUS L. IV. C. III. HUBNERUS T. V. PFEFFINGERUS l. c.

ris providentia sibi successerunt; licet enim interdum frater fratri, filiusve patri successerit, hoc tamen non tam patrimonii jure, quam meritorum paternorum & propriorum respectu factum est. Nec obstat exemplum HERMANNI I. Ducis Suevorum, latissimarum possessionum Domini, qui sobole mascula carens summis precibus ab OTTONE I. Imperatore impetrasse legitur, ut LUITOLFUM Cæsaris filium sibi adoptare, suæque, quam habebat, unicæ filiæ maritum, sibique generum adsciscere liceret; (i) cui addunt exemplum CONRADI I. itidem Sueviæ Ducis atque Comitis Palatini, qui itidem generum suum adoptasse & amplissimarum Provinciarum hæredem scripsisse dicitur; (k) ex quo inferunt, Ducatum Sueviæ tunc temporis jamjam fuisse hæreditarium & ad fœminas quoque & adoptatos filios transiisse. Sed respondeo: si Ducatus Sueviæ fuit hæreditarius & ad fœminas quoque transiit, non opus fuit adoptione, quod enim fieri potest per pauca, non debet fieri per plura. Porro hæreditas & successio feudalis datur sanguini, adoptio vero jus sanguinis non tribuit; (l) Hinc non sequitur, Duces Sueviæ generos suos adoptarunt, ergo Ducatus Sueviæ fuit hæreditarius. Accedit, quod in adoptione consensum Imperatoris & Procerum adhibuerit HERMANNUS, (m) quo non opus habuisset, si filia sua successionis capax fuisset. Denique utriusque hujus adoptionis virtus non ratione Ducatus Sueviæ, sed respectu tantum allodiorum sese exercuit; Ita enim HERMANNUS OTTONEM est allocutus. (m) *Non clam Domino meo est, tum prædiorum latitudine, tum pecuniarum immensitate prædivitem me absque liberis esse: nec est præter unam parvulam natam, quæ mearum rerum, me redeunte, hæres existat. Placeat itaque Domino meo Regi, filium suum parvulum LUITHULFUM mihi adoptare filium, quatenus unicæ filiæ meæ maritali commercio sociatus me migrante mearum fiat hæreditate rerum magnificus.* Nulla hic Ducatus Suevici occurrit mentio, quem demum mortuo HERMANNO a patre OTTONE accepit LUITHULFUS. (o) De CONRADO vero adhuc clarior res est, quippe HENRICUS gener nunquam in Ducatu Sueviæ successit, id quod inspecto Ducum Sueviæ catalogo facile patet. Quin si Ducatus Sueviæ fuisset hæreditarius & ad fœminas tum transiisset, Imperatores certe non toties aliis exspectativas concessissent, filiis adhuc existentibus, ad minimum vero exspectationes illæ antea effectum non habuissent, quam si filia nulla adfuisset, quod vero in Suevia observatum nunquam fuisse mox declarabimus. Scilicet regnante in Suevia OTTONE III. Comite Schvveinfurtensi, qui filiam habuit BEATRICEM, (p) BERTOLDUS Zæringensis cognomento Barbatus ab HENRICO III. Imperatore morituro Dux Sueviæ nominatus fuit, cooptatusque in generum in memoriam concessæ exspectativæ Cæsaris annulum accepit. (q) Interea

(i) Abbas Urspergensis *in Chron. in Hist. Ottonis I. f. 159.*

(k) ARNOLDUS *Lubecensis L. IV. C. 20.*

(l) *l. 23. ff. de Adopt.*

(m) HROSWITHA *de gestis OTTONUM* apud MEIBOMIUM T. I. f. 719.

(n) LUITPRANDUS L. V. C. I. f. m. 140.

(o) DITMARUS L. II. p. m. 16.

(p) Chronographus Saxo ad An. 1105.

(q) CONRADUS Urspergensis *in vita Henrici IV. ad An. 1057.*

Interea vidua HENRICI III. AGNES consiliis REMBOLDI Constantiensis Episcopi, quem pater filiæ ac filio tutorem una cum conjuge instituerat, promissa MATHILDI filia RUDOLPHO Comiti Rheinfeldensi, eidem Sueviæ Ducatum contulit; (r) Hoc cum ægre ferret BERTOLDUS, ac affinem HENRICUM IV. paterni promissi admoneret, Cæsar suadente matre ad leniendum animum Carinthiæ illi Ducatum beneficio concessit, (s) quem tamen nomine magis quam possessione accepit, ac ita omnibus promissis frustratus mortuus est. Inde BERTOLDUS II. thalamo sibi sociavit AGNETEM (t) filiam RUDOLPHI Rheinfeldensis, qui eum quoque Sueviæ Ducem creavit, (u) FRIDERICO I. Hohenstauffensi ab HENRICO IV. socero itidem Sueviæ Duce constituto, (vv) quod multis in Suevia turbis occasionem dedit. Mortuo interea BERTOLDO II. convenerunt Principes Alemanniæ anno 1092. & conventu habito apud Ulmam BERTOLDUM III. totius Alemanniæ Ducem constituerunt, & firmissime laudarunt, ut GEBHARDO Constantiensi Episcopo omnimode secundum statuta Canonum obediretur & ut Duci BERTOLDO & Comitibus secundum Legem Alemannorum obsecundaretur. (x) Num vero Duci huic totius Sueviæ reliqui Alemanniæ Principes tanquam Landsassii subfuerint? Respondeat idem BERTOLDUS, cujus testimonium tot singularia atque egregia continet, ut si aliis plane destitueremur argumentis, ex uno hoc loco contrarium elucesceret. Mentio quidem hic fit BERTOLDI *totius Sueviæ Ducis*, sed præter eum mentio quoque injicitur Comitum ejusdem Provinciæ, quibus pariter ac Duci secundum Legem Alemannorum obsecundaretur: Mentio Principum, quorum unusquisque per potestatem suam usquequaque pacem jurare fecit. Et ita simul docemur, quomodo intelligendi sint hujus ævi scriptores, si de integra Provincia uni tantum Duci commissa loquuntur. Succedente tamen tempore HENRICO Imperatore pristinas vires paulatim recuperante, simulque rebus FRIDERICI Hohenstauffensis incrementa sumentibus, is erat controversiæ finis, *ut FRIDERICUS Ducatum Sueviæ hæreditario sed feudali tamen, uti videtur, jure, observato primogenituræ ordine teneret, eundemque proprio jure administraret, ita tamen, ut majora regalia contra immediatos Sueviæ ordines exercere non præsumeret, hi autem Ducis majestatem comiter venerarentur, illius aulam statis temporibus visitarent, atque in expeditionibus bellicis castra illius sequerentur; BERTOLDUS autem suo, si quod habebat, in Sueviam juri renuntiaret, ab Imperatore autem feudali vinculo Advocatiam Turicensem una cum Turgovia & Turego acciperet,* (y) rebellante vero CONRADO Zæringensi FRIDERICUS Barbarossa Turegum iterum cepit & Ducatui Suevico adjunxit, quod deinde CONRADUS III. GUELPHO Duci Bavariæ tradidit, FRIDERICUS II. iterum BERTOLDO IV. reddidit, mortuoque BERTOLDO V. Imperio iterum adjecit, CONRADO IV. frustra illud Ducatui Sueviæ vindicare

re

(r) Chronicon Augusti. apud FREHERUM T. I. p. 343.

(s) LAZIUS L. VIII. f. 388.

(t) OTTO Frisingensis L. I. C. VII. p. 417. de *Gest. Frid.* I.

(u) NAUCLERUS Vol. II. Gen. 37. f. 785.

(vv) OTTO Fris. l. c. BERTOLDUS Constantiensis ad a. 1092.

(x) BERTOLDUS Constantiensis ad a. 1093. Fragmentum Historicum ALBERTI Argent. Chron. præfixum ad a. 1092. apud URSTISIUM T. II. f. 83.

(y) STUMPFIUS L. IV. C. 47.

re tentante. (z) Cæterum hic varie disputatur, quo jure HENRICUS IV. Ducatum Suevicum Imperio apertum BERTOLDO Zæringensi secunda vice denegaverit, & non obstante patris promissione RUDOLPHO & FRIDERICO concesserit? quæ controversia ut eo melius intelligatur, duæ prius quæstiones præjudiciales sunt decidendæ; *an nempe Imperatores tales exspectativas concedere potuerint?* & *an Imperator antecessoris sui exspectativam de feudo Imperii Regali ratihabere & casu obveniente Principi Impetranti conferre teneatur?* Quod igitur ad primam quæstionem attinet, extra ullum dubium positum est, Imperatores olim libere exspectativas in feuda Imperii regalia concessisse, usque dum in capitulatione FERDINANDI II. aliter statutum fuit, (a) id quod non tantum de præsenti, de quo hic loquimur, sed & insequentibus seculis verum est, id quod multis exemplis illustrat atque confirmat Illustris STRUVIUS. (b) Quod autem ad secundam spectat, illa paulo difficilioris disquisitionis est, & magno conatu in utramque partem disputatur. Ego breviter ita sentio, HENRICUM IV. non fuisse obligatum factum patris sui præstare & exspectativam ab illo concessam adimplere, quoniam illi non hæreditario jure successit, sed per electionem, (c) ac pater prius mortuus fuerit, quam conditio extiterit, cum imprimis exspectativa sit jus personale, quod vivo Imperatori competit. Qui enim proprio jure succedit, exspectativam ab antecessore concessam ratam habere non tenetur, (d) nisi vel universi Proceres in illam consenserint, vel evidens Reipublicæ utilitas id exegerit, vel is, qui exspectativam accepit, nomine ejus in possessionem feudi missus sit, eo consentiente, qui detinet. (e) Equidem non desunt, qui juri feudali & rationi magis consentaneum dicunt, filium, etiamsi jure proprio succedentem, ad factum patris præstandum adeoque exspectativam in casum caducitatis a patre concessam implendam esse obstrictum, (f) quod quidem in eo casu verum est, ubi pater de feudo proprio alium subinfeudavit, & deinceps tertio in hoc sub-feudum exspectativam concessit, hic enim filius quidem jure proprio non tam patri, quam jure sanguinis & ex pacto primo acquirenti succedit, succedit tamen mediante patre jus sanguinis ipsi tribuente; unde æquum est, ipsum conventiones patris, a quo habet id, per quod succedit in feudo, servare. Sed aliter longe in subjecto casu sese res habet, dum HENRICUS III. non in proprii feudi sub-feudum, sed in feudum Imperii regale exspectativam concessit, neque HENRICUS IV. mediante patre jus sanguinis ipsi tribuente, sed mediante liberrima electione ad Imperium pervenit, nullo a patre jure in illum derivato. Neque est quod dicas HENRICUM IV. ipsum agnovisse, se ad ratihabendam patris exspectativam esse obligatum, dum BERTOLDO Carinthiæ Ducatum concedendo interesse præstiterit, hoc enim laudatus Imperator non ex debito, sed ex singulari favore fecit, ut hac ratione turbas intestinas impediret. Sed concedamus etiam, hancce fuisse HENRICI IV. mentem, salva tamen erit nostra hypothesis, neque ullum BERTOLDI poste-

(z) Lexicon Hist. Bas. T. IV. f. 988.

(a) Capitulatio FERDINANDI II. art. 28.

(b) *Synt. Jur. Publ.* C. XII. §. 48. *pag.* 630.

(c) HERMANNUS Contractus ad An. 1053.

(d) SCHRADERUS *de Feud.* P. III. C. II. *n.* 26.

(e) STRUVII *Synt. Jur. Feud.* C. VII. §. IX. *p.* 241.

(f) Idem l. c. p. 246.

posteris in Sueviam jus competet, dum Imperator præstando interesse sese liberavit. Neque firmius jus in Sueviam acceperunt Zæringenses ex concessione RUDOLPHI & electione Procerum Sueviæ, ille enim hæreditarium in Ducatum Sueviæ jus non habuit, adeoque nec de illo disponere potuit, Proceres autem Sueviæ, quamvis magna illorum in constituendo Duce fuit auctoritas, propria auctoritate invito Imperatore Ducem sibi tunc quidem eligere non poterant, cum inprimis Imperator Suevis antea imposuerit Ducem FRIDERICUM, quem ex ipsa Sueviæ nobilitate delegit. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius est, Zæringenses nullum unquam perfectum in Sueviam jus habuisse, vel, si quid juris in illam habuerunt, eidem renunciasse. Fatis igitur cum cessisset OTTO III. legitimus Sueviæ Dux factus fuit RUDOLPHUS Comes Rheinfeldensis, qui vero prioris beneficii immemor mox Imperiale affectavit solium, qua perfidia offensus HENRICUS IV. FRIDERICUM Hohenstauffensem, heroem bellicis virtutibus illustrem & probatæ in Imperatorem fidei, Sueviæ Ducem constituit, qui deinde jure sanguinis in Ducatu Suevico nactus est successores, FRIDERICUM II. monoculum, FRIDERICUM III. Barbarossam, CONRADUM II. FRIDERICUM IV. CONRADUM III. PHILIPPUM, FRIDERICUM V. quem mortuo BERTOLDO V. Zæringensi Sueviam Imperio immediate iterum subjecisse falso quidam referunt, refragante non modo omnium illius ævi Diplomatum atque annalium fide, sed ipsa quoque veri similitudine. Supra enim jam indigitavimus, BERTOLDUM a FRIDERICO exiguam prorsus Ducatus Suevici portionem accepisse, & hanc demum deficiente BERTOLDO iterum Imperio adjecisse FRIDERICUM II. Imperatorem, qui reliquam Sueviam tranquille gubernavit. Et quis quæso diceret, FRIDERICUM hunc rei certe familiaris augendæ studiosissimum sine ulla necessitatis specie tam magnificum patrimonium in præjudicium filiorum alienasse, eoque ipso suæ familiæ adeo fuisse injurium? exceperunt igitur eundem suo ordine HENRICUS II. CONRADUS IV. & CONRADUS V. (g) quem iterum quidam ex numero Ducum Sueviæ expungere conantur, sed cum antiquorum Diplomatum (h) fides contrarium satis demonstret, merito & hunc catalogo Ducum inserimus. Et quomodo quæso ULRICUM Wurttembergensem Mareschallum Sueviæ constituere (i) & LUDOVICO Severo, Bavariæ Duci & Comiti Palatino, tam insignem Ducatus sui portionem vendere potuisset, (k) nisi non nomine tantum, sed & omine Dux Sueviæ extitisset. Hoc tamen non diffiteor, CONRADINUM hunc non omnia in Suevia possedisse, quæ FRIDERICUS I. Ducatus nomine acceperat, qui nec ipse universam Sueviam possedit, dum multa jam a majoribus suis fuerunt dilapidata & amissa; ex hoc tamen non inferendum, illum plane nihil amplius in Suevia Ducatus nomine possedisse, cujus asserti contrarium facile quippe demonstrari potest. Cum vero hic ipse excelsus Princeps anno 1269. hæreditarias in Italia terras recuperaturus exercitum duxisset, fusis copiis

(g) Historiam Ducum Hohenstauffensium peculiaribus tractationibus illustrarunt laudatus KOELERUS in Diss. supra citata. REUSNERUS in der Historie der letzten Hertzogen von Schwaben: & DAVID WOLLEBERUS Scholæ olim Schorndorffensis antistes in MSto Germanico Historiam Ducum Hohenstauffensium continente. add. PANTALEON *T. I.* der Teutschen Helden.

(h) Exempla apud PFEFFINGERUM *T. II. f. 348.*

(i) Wechsel-Schrifften von der Reichs-Sturm-Fahn *Adjuncto. A.*

(k) TOLNERUS *Hist. Palat. C. XIX. f. 405.*

copiis a CAROLO Andegavensi captus & una cum flore juventutis Suevicæ in urbe Neapolitana capite plexus fuit. (l) Atque hic fuit tristis ultimi Suevorum Ducis exitus, qui tot Augustis prognatus heroibus illustre tandem caput carnificis gladio subjicere fuit coactus.

CAPUT V.

DE

DUCATUS SUEVICI ADPERTINENTIIS, JURIBUS, PRÆROGATIVIS ATQUE MINISTERIALIBUS.

Atque horum Principum virtute, opera, studio, consilio Ducatus Suevicus terris, viris, opibus atque honoribus ita amplificatus fuit, ut omnes fere reliquos Germaniæ Ducatus terrarum amplitudine, potentia divitiisque longissime superaverit. Ne enim dicam, quanta extra Germaniam Ducum Suevorum fuerit gloria atque Majestas, dum iidem nobilissimi Suevorum Duces Regna Hierosolymorum, Antiochiæ, Apuliæ, Siciliæ utriusque, Campaniæ, Calabriæ, Sardiniæ & Arelatense cum Ducatibus Capuæ, Tarentiæ, Tusciæ, Spoleti, ac Marchionatu Anconæ jure hæreditario possederunt, unicus in Germania Sueviæ Ducatus tantæ fuit amplitudinis, ut ab Oriente quidem Bavariam, ab Occasu Austrasiam & Burgundiam, a meridie Alpes & Italiam, a Septentrione vero Thuringiam limites habuerit, Franconiam, Sueviam, Rhætiam, Alsatiam, Helvetiam Alemannicam, Palatinatum Superiorem & insignem tractus Rhenensis partem complexus, quot terras hodie vix possidet quisque Germaniæ Ducum alius. Observandum tamen, primos & originarios, medios & postremos Ducatus Suevici limites inter se nequaquam esse confundendos, sed adcuratum finium regundorum judicium hic adhibendum esse, sed cum in tanta Geographiæ medii ævi obscuritate & documentorum Scriptorumque patriorum penuria vix certi quid hac in re statui possit, fines Ducatus Suevici ita hic descripsimus, quemadmodum in flore gentis sese habuisse videntur. Interea tamen minime credendum, Duces hosce universam Sueviam possedisse & si ita rem exprimere licet, territorium clausum habuisse, dum veteres Francorum Reges non integras Provincias Ducibus administrandas concesserunt, sed tantum partem quandam cum officio Principis, dem Fürsten-Ambacht / reliquam vero Provinciam per Advocatos Provinciales administraverunt, qui immediatis subditis jus dicebant nomine Regis, reliquis vero mediatis nomine proprio, (m) quod & in Suevia ita sese habuisse frequens Advocatorum Provincialium mentio comprobat. Sic in Suevorum annalibus post prælium Tolbiacense, (Romani enim in Suevia Præsides Provinciales huc nihil faciunt,) Præfecti Provinciales in Suevia celebrantur EMERICUS Comes stabuli (n) anno 499. *Sueviæ Præfectus*, RO-

(l) FACELLUS *de rebus Siculis Dec. II. L. III. C. VIII.*

(m) SCHILTER, *ad Jus Feud. Alem. C. 44. §. 1. f. 253.*

(n) Lex. Hist. Bas. voc. *Wurttemberg. f. 929.*

ROMULPHUS anno 600. *Comes Provincialis Sueviæ*, (o) SINDELESIUS anno 716. *Alemanniæ Præfectus*, (p) OTWINUS anno 718. *Præses Sueviæ, illiusque Vicarius* ECKBALDUS, (q) SYLLACHUS Comes Ilergoviæ an. 764. *Præfectus Sueviæ*, (r) GEROLDUS Comes a PUSSEN anno 788. *Præfectus Sueviæ*, (s) WERNHERUS a SELDENECCA anno 984. *Advocatus Sueviæ*, (t) HENRICUS a WEISSENHORN anno 1010. *Advocatus Provinciæ Superioris Sueviæ Generalis*, (u) DEGENHARDUS a HELLENSTEIN anno 1197. *Procurator Imperatoris universalis in Suevia*, (vv) CONRADUS Pincerna a WINTERSTETTEN anno 1217. *Gubernator Sueviæ*, (x) & RUDOLPHUS Dux anno 1258. *Advocatus terræ in Suevia*; (y) Quæ vero postea fuerit horum Præsidum successio, munus, jurisdictio, auctoritas, in peculiari de *Præfectura Provinciali Superioris atque Inferioris Sueviæ* Diatriba fusius explicabimus. Cæterum quæ de Præfectura Sueviæ Provinciali hactenus disseruimus, non confundenda sunt cum Præfectura Provinciali Augustana, quæ utique Ducibus Sueviæ paruit, quippe etiam HENRICUS Auceps anno 916. HERMANNUM I. de Ducatu Sueviæ & Advocatia Augustana solenniter investivit, teste WELSERO *in Chron. Aug. L. II. p. 31.* post quem deinde nomine Ducum Sueviæ Præfecturam hanc administrarunt anno 981. WERNHERUS a SELDENECCA Eques, 1011. WELFO II. Comes de AMPERSEE & LECHGOVIA, 1029. MANGOLDUS Comes ab ENZBERG 1067. SCHWEIGGERUS Comes a SCHWAGEGG, 1071. ASQUINUS Comes a SCHWABEGG, 1090. WERNHERUS Comes a BALZHAUSEN & SCHWABEGG, 1120. ADELGEZO Comes a SCHWABEGG, quo anno 1162. mortuo, FRIDERICUS Barbarossa Advocatiam Provinciæ, Ecclesiæ & urbis Augustanæ, Ducibus Sueviæ hæreditario jure vindicavit, qui etiam eandem usque ad CONRADINUM tenuerunt, qui demum Augustanis libertatem indulsit, proprio Magistratu utendi, quæ omnia pluribus est prosecutus B. DN. DAVID de LANGMANTEL in Historia MSCta von den Land- und Stadt-Vögten in Augspurg/ ex qua hæcce nobis communicavit Clarissimus DN. HILDEBRANDUS, Fautor atque amicus noster honoratissimus, cui hoc nomine publicas decernimus grates. Præterea multi in Suevia extiterunt Proceres atque Comites, Ducum certe Jurisdictioni non subjecti, id quod exemplo Ducum Zæringiæ, Teccensium, Urslingensium, Marchionem Badensium, Burgoviæ, Palatinorum a Tubingen, Landgraviorum Alsatiæ, & Guelphorum Principum in Altorff & Ravenspurg lucuentissime constat, qui posteriores inprimis ipsi supremi rerum suarum fuerunt arbitri atque Domini, neque ullo obedientiæ vinculo Ducibus Sueviæ obstricti, usque adeo, ut quidam ex illis ETHICO indignaretur HENRICO filio, quod insignem

(o) HUBNERUS *T. V. p. 36.*

(p) STUMPFIUS f. 315. CRUSIUS P. I. f. 282.

(q) WALAFRIDUS STRABO L. II. C. I. CRUSIUS P. I. f. 287.

(r) BRUSCHIUS *de Monast. f. 175.* STENGELIUS *Ep. Aug. p. 74.*

(s) BRUSCHIUS f. 9. (t) WERLICHII *Chron. Aug. P. II. f. 30.*

(u) PETRI *Suev. Eccles. f. 610.* BURGMEISTERI Gr. Sal. *p. 302.*

(vv) BURGMEISTERI l. c. (x) BRUSCHIUS f. 101.

(y) HENRICUS REBDORFIUS ad a. 1253.

insignem terrarum tractum sub homagii conditione Imperatoris beneficio recepisset. (z) Cæterum frequentissimæ erant inter hos ipsos Guelphos & Duces nostros Hohenstauffenses dissidia, fere hæreditaria & nativa, quæ duabus celeberrimis in Germania & Italia factionibus, *Guelphicæ* scilicet & *Gibellinæ*, origines dederunt, illis Pontificum partes defendentibus nomen dedit familia Guelphica, his Imperatoris jura urgentibus CONRADI patria Waiblinga, celebre in valle Remsana Sueviæ oppidum, in quo olim magnificum extitit Ducum Suevorum Palatium. (a) Utriusque in Italia hodienum passim reperiuntur asseclæ, qui assiduis digladiationibus sese vexant. Licet enim FRIDERICUS cocles per uxorem JUDITTAM, HENRICI Nigri Ducis Bavariæ filiam (b) Guelphicæ familiæ arctissimo connubii vinculo sese conjunxerit, & GUELPHUS alter HENRICI Nigri filius antiquum Guelphorum in Suevia Patrimonium cum Italicis MATHILDIS terris HENRICO Leoni fratris filio parum æquus pecunia accepta PHILIPPO Suevo Gibellino vendiderit, (c) novæ tamen semper subortæ sunt lites, nova dissidia, quæ Germaniam pariter & Italiam haud una vice misere turbarunt, quod ipsum variis in Suevia Comitibus occasionem dedit, Ducum Imperio sese subtrahendi & immedietatem sibi vindicandi. Neque seculares tantum, sed & Ecclesiastici Sueviæ Proceres tantis exemptionibus gavisi sunt, utpote qui, si quid arrogantius a Ducibus fieri animadvertebant, nulli dubitarunt, injuriam sibi illatam severe admodum ulcisci, id quod exempla Episcopi Argentinensis & Comitis Daxburgici contra PHILIPPUM Sueviæ Ducem insurgentium docent. (d) Cave tamen, ne credas, omnes tunc Sueviæ Proceres ac status Provinciales immediatos fuisse, quippe multi etiam, quin immo plurimi Ducibus quoque erant subjecti, illorumque imperata faciebant. Neque porro eadem Ducum per universam Sueviam fuit potestas, neque omnis Suevia Ducibus in feudum tradita fuit, sed pars ejus, quam vocabant **das Fürsten-Lehen/** cæterum Potestas Ducalis per universum extensa erat Ducatum, & dicebatur **Fürsten-Ambacht.** (e) Hæc vero ipsa potestas Ducum alia fuit ordinaria, alia delegata; ordinaria non ultra fines Ducatus fuit extensa, delegata etiam ultra; ordinaria præcipue occupabatur circa jus belli exercendi, legum atque sententiarum executionem, latronum & injuste diffidantium persecutionem, placitorum Provincialium celebrationem, feudorum investituram, aliaque, quornm supra passim mentionem fecimus, jura; Delegata vero per omnes terras sese extendisse videtur, quæ non fuerunt juris Saxonici, in quibus Vicarii Imperii & Inter-Reges fuisse videntur, unde etiam est, quod BURCARDUS (f) & PHILIPPUS (g) publice vicarios Imperii sese professi sint, quæ conjectura alibi plenius excuti meretur. Neque potentia tantum terrarumque amplitudine clari, sed singularibus quoque prærogativis conspicui fuerunt Duces Alemanniæ,

(z) LEIBNITIUS *in Introd. ad Script. Brunsuic. f. 31.*

(a) ZEILERI *Topogr. Suev. voce Waiblingen.*

(b) OTTO Frisingensis *L. I. C. XIV. f. m. 415.*

(c) OTTO de S. BLASIO C. XXI. ap. URSTISIUM T. I. f. 207.

(d) GODOFREDUS Monachus ad a. 1198. ap. FREHERUM T. I.

(e) SCHILTER. *l. c. C. 42. f. 227.*

(f) GULERUS *in Rhetia L. VIII. f. 109.*

(g) GEWOLDUS *de Septemvir. C. XV. p. 770.*

manniæ, quas inter primo loco numerari utique meretur, quod S. R. I. Electores fuerint atque Archi-Officiales, mox Pincernarum, mox Camerariorum dignitatibus clari, (h) quo nomine etiam in electione Imperatorum haud minima illorum fuit auctoritas; quo jure vero Gens Suevorum hocce Privilegio exciderit, meum non est judicare. Accedit, quod iidem Duces Sueviæ non nisi in terra Suevica potuerint judicari, quod singulare olim Suevorum fuisse Privilegium ex eo patet, quod HENRICUS Leo Dux Bavariæ a FRIDERICO I. exauctoratus exceperit, *se de Suevia oriundum & nullum proscriptione damnari posse non convictum in terra nativitatis suæ*; (i) Quod Privilegium non Ducibus tantum Sueviæ peculiare, sed universæ genti commune olim fuisse videtur, unde etiam est, quod tot in Suevia olim extiterint Judicia Provincialia, (k) quæ nullum alium in finem instituta videntur, quam ut lites Suevorum in ipsa Suevia possent dijudicari. Pariter Ducatus Sueviæ peculiares habuit Palatinatum & Marchionatum Provincialem, & quod quidem ad priorem attinet, illum olim gesserunt Comites Tubingenses, quorum tamen origo admodum dubia est & incerta. (l) Occurrunt tamen sæpius in Diplomatibus Comites Palatini de Tubingen. (m) Postquam autem RUDOLPHUS III. Seculo XV. urbem atque arcem Tubingensem Comitibus Wurttembergensibus vendidisset, cessavit plane titulus Palatinorum, dum reliqui Comitum saltem titulo encomioque fuerunt contenti, usque dum omnis illorum progenies cum CONRADO GUILIELMO anno 1631. plane desineret. (n) Quod vero ad posteriorem spectat, illi Burgovia Ulmam Augustamque interiacens oppidum nomen dedit. Ipse Marchionatus provincialis a Suevis Boiis oppositus fuisse videtur, quod ex eo quoque clarum est, quod Marchiones Burgoviæ Ducum Sueviæ beneficiarii olim fuerint & officiales aulici. (o) Marchiones hi ex diversis familiis lecti fuerunt, (p) usque dum mortuo anno 1283. HENRICO ex gente Rockensteiniorum oriundo RUDOLPHUS Imperator huncce Marchionatum filio cognomini cum ipsius Sueviæ parte detulerit, (q) quem etiam hodienum post varia discrimina Serenissima Domus Austriaca possidet. Adfuerunt quoque Landgravii Nellenburgenses, Kletgovienses & Stulingenses, quorum vero paulo obscurior in annalibus Suevorum est memoria. (r) Præterea etiam Duces Sueviæ ad æmulationem Imperatorum proprios suos habuerunt Officiales aulicos, quos ex nobilissimis Sueviæ familiis delegerunt. Sic Dapiferi dignitate nobiles a WALDPURG ac ante eos Comites a MAURSTETTEN & WEISSENHORN, Pincernæ nobiles

(h) GUNDLINGIUS in *Otiis S. II. C. IV. §. V. p. 176.*

(i) ARNOLDUS Lubecensis *L. II. C. XXIV.* Legi tamen merentur, quæ ad hunc locum annotavit magni nominis JCtus, SCHERZIUS nostras, quem tanquam Patronum & Præceptorem colendissimum honoris causa allegamus, in Diss. *de Friderici I. judicio de Henrico Leone* Argent. 1715. S. II.

(k) vid. SCHWEDERI Diss. *de Judicio Provinciali Sueviæ*, Tub. 1722. 4.

(l) Horum tamen seriem recensent CRUSIUS P. II. L. VIII. C. 3. & LAZIUS l. c.

(m) apud BESOLDUM & PETRUM l. c. (n) LUCÆ Fürsten-Saal p. 192.

(o) GIOVANNI *Germ. Princeps L. I. C. II. p. m. 262.*

(p) LAZIUS *L. VIII. f. 407.* (q) FUGGERI *Spec. Aug. L. III. C. IV. f. 292.*

(r) LAZIUS *L. VIII. f. 418.*

biles a WINTERSTETTEN, Camerarii nobiles a KEMNAT, Mareſchalli Comites a PAPPENHEIM, ac ante eos nobiles a MARDORFF, Venatoris Comites ab AURACH, Vexilliferi denique Comites a GROENINGEN fuerunt ornati; ubi ſingulare eſt, Officiales Imperii hæreditarios ad unum fere omnes fuiſſe Suevos & Francos, & haud raro Ducatus quoque Suevici Officiales. Ita Rex Bohemiæ Archi-Pincerna Dominos de LIMPURG, Dux Bavariæ Archi-Dapifer Comites de WALDPURG, Dux Saxoniæ Archi-Mareſchallus Comites de PAPPENHEIM, Marchio Brandenburgenſis Archi-Camerarius Principes de HOHENZOLLERN, Comes Palatinus Archi-Theſaurarius Comitem de SINZENDORF, Officiales & Vicarios habent, (s) quibus proprio nomine accedit Sereniſſimus Dux Wurttembergicus S. R. I. Vexilliferi & Venatoris encomio illuſtris. Ipſi vero Duces Sueviæ Præfecti Imperii Turegenſes & Auguſtani, Judices Rotvvilenſes, Auguſtani, Conſtantienſes, Augienſes & St. Gallenſes Advocati, ut & Bambergenſes & Gallenſes fuerunt Dapiferi. Inſuper etiam inter ſingulares Suevorum Prærogativas numerari meretur, quod illorum leges etiam in exteris regionibus obtinuerint, unde celebris illa Imperii in terras Juris Suevici atque Saxonici diſtinctio. (t) Duplex autem olim fuit Jus Suevicum, Provinciale & Feudale, **das Land- und Lehn-Recht**. Illud vocatur Speculum Suevicum, **der Schwaben-Spiegel**/ tam ex Jure ſcripto, quam conſuetudinario collectum. De auctore ejus non adeo conſtat, niſi quod GOLDASTUS referat, (u) ſibi acceptum, BERTHOLDO Barone de GRIMMENSTEIN auctore Speculum aliquod Suevicum fuiſſe conſcriptum, non tamen audet vulgati Speculi Suevici parentem eum nominare, quod & in editis & MSctis codicibus nullum plane nomen fuerit præſcriptum. Seculo autem XIV. librum hunc elaboratum autumat CONRINGIUS. (vv) Speculo certe Saxonico illud omnino recentius eſſe ex eo conſtat, quod multa ex eo fuerint deſumta, INNOCENTII III. Papæ, OTTONIS IV. atque FRIDERICI II. Imperatorum in eodem mentio fiat, & ad Decretales ac leges Juſtinianeas provocetur, quod late exponit STRUVIUS, (x) Jus Feudale Alemannicum vero vel ipſi Codices MSCti CAROLO M. tribuunt, qui hanc eidem rubricam faciunt. *Hie hebt sich an Kayser Karl Lehrechtbuch.* Aſt licet illud partim ex Conſtitutionibus CAROLI M. videatur eſſe collectum, potiorem tamen partem faciunt ſequioris ætatis Imperatorum conſtitutiones, e quibus & Jure Saxonico Feudali fuit collectum. Hoc autem Jus Alemannicum Feudale eundem cum Jure Provinciali Suevico videtur habuiſſe auctorem, dum ab illud, tanquam ad partem priorem quandoque provocet. (y) Cæterum illud cum MSCtis probe collatum eruditiſque animadverſionibus illuſtratum debemus celeberrimis iſtis Univerſitatis Argentoratenſis Duumviris, SCHILTERO (z) atque SCHERZIO. (a) Utrius-

(s) HOMBERCK *Jus Publ. C. VI. S. II.*

(t) STRUVII *Synt. Jur. Publ. C. V.* §. *II, p. 182.*

(u) *in Præf. T. I.* **der Reichs-Satzungen.**

(vv) *C. XXX. de Orig. Jur. Germ.* (x) *in Hist. Jur. C. VI.* §. *30. p. 487.*

(y) STRUVII *Hist. Jur. C. VIII.* §. *17. p. 789.*

(z) *in Codice Juris Alemannici Feudal.* Argent. 1728. cura SCHERZII editi.

(a) in SCHILTERI *antiquitatibus Alemannicis* ipſius & FRICKIORUM fratrum, Profeſſorum Ulmenſium celeberrimorum cura Ulmæ editis.

que hodie & Provincialis & Feudalis juris Suevici rarus, si non nullus est in Suevia usus & exigua auctoritas. (b) Hoc ipsum autem jus Alemannicum cum Lege Alemannica a THEODORICO lata, CHILDEBERTO aucta, CHLOTARIO emendata, & DAGOBERTO collecta non est confundendum, (c) de quo quippe sermo nobis hic non est. Denique enim Suevi proprium in ludis equestribus habuerunt Regem (d) & primas in Imperialibus expeditionibus obtinuerunt pugnandi partes, (e) quod Privilegium CAROLUS M. GEROLDO filio HILDEBRANDI ac nepoti MARSILII Ducum concessisse dicitur. (f) Unde etiam est, quod anno 1075. RUDOLPHUS Dux Sueviæ in prœlio ad Unstrutum contra Saxones ex antiquo Suevorum Privilegio primas pugnandi partes obtinuerit, (g) ac anno 1354. Episcopus Constantiensis hanc prærogativam contra CAROLUM IV. genti suæ vindicaverit, (h) quod ipsum Suevorum Privilegium in controversia de vexillo Imperii utiliter allegatur. Quantum vero tandem ad insignia Ducatus Suevici spectat, perficiebantur scuto aureo tribus leonibus nigris salientibus insignito, (i) quales hodienum conspiciuntur in gentilibus Archi-Ducum Austriæ, (k) Circuli Suevici, (l) Comitum a WALDPURG, (m) Præfecturæ Provincialis Sueviæ, (n) & Monasterii Lorchensis.

CAPUT VI.

DE

DUCATUS SUEVICI INTERITU ATQUE DILACERATIONE.

HActenus florentem consideravimus Ducatum Sueviæ variisque periodis distinctum, quarum tamen post prælium Tolbiacense nulla Sueviæ tantam induxit metamorphosin, quam quidem illa, ad quam illustrandam jam accedimus. Persentiebat adhuc Germania intestinis turbis dirum in modum agitata diuturni Interregni tristissimos fructus, dum nuntius tragici CONRADINI exitus in Sueviam pervenit. Destituta hinc legitimo capite Suevia disce-

(b) conf. Illustris HARPPRECHTI Tr. *de Speculi Suevici & præsertim Juris Feudalis Alemannici in foris Vicariatus Suevo-Franconico-Palatini non usu moderno*, Kilon. 1723. 4.

(c) STRUVIUS *l. c. C. VI. §. VI. p. 424.*

(d) DATTIUS *de Pace Publica L. I. C. VII. n. 26.*

(e) LAMBERTUS Schaffnabrugensis ad a. 1073.

(f) WERLICHII *Chron. Aug. f. 14.* (g) CRUSIUS *P. II. f. 234.*

(h) ALBERTUS Argent. ad hunc annum. (i) CRUSIUS *P. I. f. 320.*

(k) SPENERI *Opus Herald. P. II. L. I. C. IX. §. 58. f. 54.*

(l) GOCKELIUS *de Circ. Suev. & Francon. §. 36. p. 183.*

(m) SPENERUS *l. c. C. VII. f. 560.* (n) GOCKELIUS *l. c. §. III. p. 6.*

discedere in partes maluit, quam de novo Duce eligendo consilium capere, quod quidem in Suevis graviter reprehendit PETRUS ab ANDLO, quod tamen hominibus illius ævi facile condonari potest. Primo enim legitimo tunc capite destituebatur Germania, adeoque nullus adfuit, qui turbatæ Sueviæ curam gessit, vel illi novi Ducis constitutione consulere potuit. Secundo post HENRICI Leonis proscriptionem in Germania in morem ivit, ut Status Provinciales Imperio immediate se subjicerent. Tertio florentibus adhuc Ducibus plurimi Sueviæ Proceres variis titulis libertatem adquisiverunt, quæ Ducis novi electione facile minui potuisset. Quarto Duces Hohenstauffenses pleraque Ducatus Suevici domania variis nominibus alienarunt, adeo ut extincto CONRADINO nihil fere amplius de veteri Ducum patrimonio superfuerit. Quinto denique electionem Ducis impediebat ipsorum Procerum æmulatio, quorum unusquisque injuriam sibi inferri existimasset, si alius quidem Sueviæ Dux fuisset præfectus. Hinc etiam tandem communi, uti quidem videtur, ordinum Procerumque consensu decretum fuit, *ut in posterum Suevia absque Duce intermedio pareret Germanico Imperio, ac deinceps sine Principe sui juris esset, Statibus Provincialibus in immediatos mutatis, quorum unusquisque tantum posset in suo territorio, quam olim Duces in Ducatu.* Unde etiam quidam Doctores juris Publici distinctionem inter territoria clausa & non clausa ad hæc tempora referre amant, quam tamen litem hic definire non vacat. (†) Minime enim ignorabant Suevi tritum illud Juris Publici universalis principium, quod scilicet extincta familia imperante, cæteris paribus regnum cum omni suo jure ad populum redeat, pristinaque singularum Provinciarum jura reviviscant, hinc etiam cum Suevi tum Francones ac Alsati ad pristinam libertatem merito redierunt. Neque enim est, ut hanc libertatem cum interitu CONRADINI ipsis obvenisse eo dubites, quod per superius dicta Suevia nostra pleno ac hæreditario jure ad Duces Hohenstauffenses spectarit, & vero horum ex gente superstites adhuc fuerint PETRUS Arragoniæ Rex, MANFREDUS II. Rex Sardiniæ, WENCESLAUS monoculus Rex Bohemiæ & MARGARETHA ALBERTI Degeneris Misniæ Marchionis uxor, quæ CONRADINI fuit amita; Namque haud ignorare te arbitror primum velut juris Publici nostri Principium, quod scilicet filii naturales illorumque posteri in successione feudorum regalium deficientibus licet liberis legitimis non admittantur, quod vero ad reliquos attinet, illi jure tantum uxorio Sueviæ inhiabant, jam vero Suevia feudum fuit masculinum, in quo fœminas succedere non posse notum est; quamvis enim nullæ prostent investituræ literæ, cum tamen contrarium probari nequeat, præsumtio pro feudo (o) masculino militat, exemplis, quæ in contrariam partem allegantur, parum probantibus. Quod enim ad LUITOLFUM attinet, supra jam probavimus, illum non uxorio, sed proprio jure in Ducatu Sueviæ socero successisse, & jus suum non ab HERMANNO, sed a patre, vel ad plurimum consentiente Cæsare ab adoptione derivasse, quod vero ad exemplum OTTOCARI attinet, qui acceptis 10000. marcis argenti suo & uxoris KUNIGUNDÆ nomine suo in Sueviam juri anno 1235. in Comitiis Augustanis renunciasse scribitur, (p) certum quidem est, eidem post hanc renunciationem nullum amplius jus in Sueviam competiisse, sed quæritur saltem, quid GODOFREDUS

Cccc 3 Mona-

(†) PFEFFINGER *T. II. L. I. T. 22. §. 2. p. 960.*

(o) STRYCK. *Exam. Jur. Feud. C. IV. Q. 9.*

(p) LEHMANNUS *L. IV. C. III. f. 233.*

Monachus per illam partem Sueviæ, quam jure hæreditario KUNIGUNDAM contigisse scribit, intellexerit? Ducatum Sueviæ eundem indicasse volunt plerique, quorum tamen sententiæ varias ob rationes subscribere nequeo. Scilicet nemo facile negaverit, Hohenstauffenses feudali, licet hæreditario titulo Sueviam possedisse, jam vero sive Suevia fuerit feudum masculinum, sive fœmininum, sive mere hæreditarium, dicta non de Ducatu, sed de allodialibus Ducum Sueviæ bonis intelligenda sunt. Si enim feudum fuit masculinum, KUNIGUNDA in illud succedere non potuit, quoniam fœminæ in feudis masculinis deficientibus quoque masculis non admittuntur, multo minus superstitibus. Si feudum fœminium fuit, notum est, fœminas etiam in illis a masculis excludi, & feuda illa non prius transire ad fœminas, quam deficientibus masculis, jam vero dicto anno multi adhuc masculi ex familia Hohenstauffensi fuerunt superstites, ergo nec hoc casu de Ducatu sermo erit. Si vero denique feudum mere hæreditarium fuit, certum equidum est, in illud fœminas & filios simul perinde ut in rebus allodialibus succedere, sed quis quæso dixerit, illam juri suo in universum Ducatum pro 10000. marcis argenti renunciasse? Neque unquam revera fuit feudum hæreditarium Ducatus Sueviæ, quippe in quo primogenituræ jus obtinuit, (q) & soli masculi successerunt, omni Ducatus divisione per FRIDERICUM I. prorsus prohibita. (†) Ergo citatus locus de bonis allodialibus, non de Ducatu intelligendus est, id quod ex pactis dotalibus (r) MARIÆ, tertiæ PHILIPPI filiæ, KUNIGUNDÆ sororis ac uxoris HENRICI II. Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ clarissime patet, ita enim ibi: *Et illa filia succedet in hæreditatem paternam cum aliis filiabus Domini Regis secundam jus & consuetudinem Teutoniæ.* Hæc vero ipsa Teutoniæ consuetudo fœminas a feudali successione communiter excludit, (s) quod ipse Juris Feudalis Alemannici Codex ita disposuit; (t) Neque contrarium evincit locus CONRADI Urspergensis, (u) qui BEATRICEM quartam PHILIPPI filiam & OTTONIS IV. uxorem *Dominam omnium rerum, quæ ad istam generationem spectabant*, adpellavit, hæc enim iterum de allodiis esse intelligenda modo allegata consuetudo Theutoniæ docet. Multo minus in contrarium hic allegari possunt divisiones terrarum Ducum Sueviæ, quippe quæ allodia tantum respiciebant & terras Italicas, Ducatu Sueviæ plerumque penes primogenitum, nisi hic sponte juri suo renunciaverit, indiviso remanente. Exemplum præbet FRIDERICUS Barbarossa, qui acquisitas suas terras in plures iterum dissecuit partes per copiosum filiorum suorum numerum ita easdem distribuens, (vv) ut HENRICO natu priori Regnum Germaniæ concesserit, FRIDERICO Ducatum Sueviæ cum hæreditate WELFONIS & prædiis RUDOLPHI Comitis de PHULLENDORF reliquerit, OTTONEM in Archisolium Arelatense & Burgundiam sublimaverit, CONRADUM Dignitatibus, prædiis & beneficiis FRIDERICI Ducis de ROTINBURCH ditaverit, PHILIPPO vero adhuc infantulo præter hæc omnia res Ecclesiarum ab Episcopis & Abbatibus sibi concessas sub jure Hominii vindicaverit,

(q) STRUVII *Jus Publ. C. XXVII. §. I. f. 1321.*

(†) RADEVICUS *L. II. C. VII.*

(r) BUTKENS in probationibus *T. I. L. IV. des Tropbees de Brabant p. 59.*

(s) ITTERUS *de Feudis Imperii C. XIV.* §. XI.

(t) C. III. (u) ad a. 1209. §. 312.

(vv) OTTO de S. BLASIO C. XXI. apud URSTISIUM T. I. f. 207.

rit, filiarum nulla facta mentione. Hisce igitur suppositis clarum est, MARGARETHÆ Misnicæ nullum in Ducatum Sueviæ jus competiisse, cum inprimis sponsalitium (x) sive maritagium (y) satis amplum, terras nempe Altenburgensem, Coldicensem, Leisnicensem & Pleisnensem acceperit, quod ipsum pro qualitate feudi masculini militat, quippe fœminæ illustres generali fere Germaniæ consuetudine per dotem in allodialibus & per maritagium in feudalibus bonis a paterna hæreditate excluduntur. (z) Qua de re ipsa ista MARGARETHA illiusque posteri ita fuerunt persuasi, ut nunquam sive verbis sive factis declaraverint, sibi vel minimum in Sueviam jus competere. Quod vero ad Zæringensium in Ducatum Sueviæ prætensionem attinet, illi supra jam satis fecimus, ut adeo illa hic repetere necessarium non sit. Ast excipies, si Ducatus Sueviæ fuit feudum masculinum, Imperio fuit apertus, neque sic liberum fuit Proceribus in partes ire. Sed respondeo I. Sueviam non ita Imperio fuisse apertam, ut Imperator illi invitæ Ducem potuisset obtrudere; II. ipsa Ducis Domania pleraque ab Hohenstauffensibus fuisse alienata neque tantum superfuisse, de quo novus Dux investiretur; III. Plerosque Sueviæ Proceres jam antea ab obsequio Ducum sese liberasse; IV. Germaniam tunc destitutam fuisse legitimo capite; V. Suevos vinculum universale cum Imperio non solvisse, sed arctius potius confirmasse; VI. denique familia Ducum extincta liberum ipsis fuisse, quacunque voluerint forma regiminis uti, modo conservarent universalem istum cum Imperio nexum, id quod ipse RUDOLPHUS Habsburgicus adgnovit, dum non tantum Suevis Privilegia sua, libertates atque possessiones clementissime confirmavit, sed etiam filium suum RUDOLPHUM II. non nisi præeunte ordinum consensu de quibusdam Ducatus reliquiis investire ausus fuit; cujus deinceps per fratrem ALBERTUM Successores publice ac solenniter datis literis CAROLO IV. declararunt, se in Palatinatu Rheni, in Suevia & Alsatia Duces non esse. (a) Neque etiam ullus alius insequentium Imperatorum quæstionem præjudicialem Statibus Sueviæ movit, sed ad unum potius omnes unanimi consensu Sueviam pro immediata Imperii Provincia lubenter adgnoverunt; unde etiam est, quod non tantum FRIDERICUS III. anno 1487. Ordinis Sueviæ fœdere S. GEORGII conjunctis publice testatus fuerit, daß das Land zu Schwaben Jhme und dem Hailigen Riche/ on alles Mittel für anderen zugehörig und unterworffen seye/ und kainen aignen Fürsten noch niemand habe/ der ein gemain Auffsehen daruff hab / als Jhn den Römischen Kayser/ (b) quod totidem fere verbis repetiit anno 1489. in literis ad ALBERTUM IV. Ducem Bavariæ datis, (c) sed etiam illius filius MAXIMILIANUS I. Sueviam inter Circulos Imperii hac præcipue formula retulerit, (d) ut universa Suevia Imperio quidem immediate subesset, sed arctissimo fœdere conjuncta Ducem ac Directorem haberet peculiarem, qui quidem publicæ salutis & tranquillitatis curam gereret, in reliquos autem Status nihil superioritatis haberet, sed æquali

(x) TENZELII *Supplem.* II. *Hist. Goth. Sect.* 271. p. 626.

(y) PETRUS de VINEIS *L.* III. *C. V.* & *XVI.*

(z) STRUVII *Jus Publ. C. XXVII.* §. 22.

(a) Mutius *Chron. Germ. L. XXV. f. m.* 253.

(b) BURGMEISTERI *Codex Diplomaticus p.* 79.

(c) Idem p. 104.

(d) GOCKELIUS l. c. Schwäbische Craiß-Verfassung Ulm, 1671. 4.

æquali cum illis jure uteretur, quam faciem etiam hodienum servat. Quæ vero postea Sueviæ nostræ fuerint fata, hic explicare non vacat. Incidit hic alia quæstio, *an scilicet è re Imperii esset, veterem Ducatum Alemannicum restaurare*, id quod à variis tentatum fuisse legimus, si tamen libere veritatem profiteri licet, neque justam, neque utilem, quin immo perdifficilem & periculi plenam talem mutationem fore arbitror. Obstat enim talibus conatibus quieta plurium Seculorum possessio; obstant leges Imperii fundamentales; obstant Privilegia Statuum justo titulo suffulta, quæ Imperator contra quemcunque injustum invasorem utique defendere atque conservare tenetur. Neque etiam utilis foret Imperio talis catastrophe, dum hac ratione Princeps tanta potentia tantisque viribus instructus facili negotio arctissimum illum Sueviæ cum Imperio nexum dissolvere, vicinas regiones in ditionem suam redigere, dignitatem Imperialem, quod jam de Hohenstauffensibus traditur, hæreditario jure ad se pertrahere, & universi Regiminis Germanici formam mutare tentaret, quo facto & vicinis populis leges præscribere posset. Ex quibus facile patet, quantis viribus Status avitam libertatem tanto pretio & opera partam, tamque sacrosanctis legibus confirmatam contra communem quasi hostem defenderent, quamque difficilis adeo atque periculosa foret talis metamorphosis, quæ ut nunquam eveniat, sed Suevia nostra in præsenti forma æternum floreat vigeatque, piis precibus cum bonis omnibus a DEO immortali expeto. Cæterum post mortem CONRADINI, varie dissipata fuit Alemannia, dum magna ista Provincia in plurimas provincias minores, quarum nunc quælibet sub proprio suo Domino Imperatori Imperioque immediate subest, dissoluta fuit. Observandum vero hic ante omnia venit, quod interitus Ducatus Suevici non uno velut ictu & momento acciderit, sed potius sensim ac per spiramenta velut altero post alterum membro exemto decreverit. Sane quod ad Guelphos attinet, hi vel mature admodum se subduxerunt, vel plane nunquam Duci Sueviæ subfuerunt, id quod supra probatum dedimus. Porro etiam antequam ad Hohenstauffenses transiret Sueviæ Ducatus, jam quoque nonnullos eorum, qui tum Comites habebantur, exemptos, Statuumque sublimis juris compotes fuisse, ostendit Excellentissimus noster BOECLERUS. (e) Sub Hohenstauffensibus vero adeo notabilia facta fuerunt decrementa, ut inde multi concludant, ad CONRADINUM prorsus nihil de Ducatu Sueviæ pervenisse. Sic FRIDERICUS BERTOLDO Zæringensi Turgoviam & magnam Ergoviæ ac Brisgoviæ partem una cum Advocatia Turicensi de Ducatu Suevico reliquit, quemadmodum id ipsum ex superius dictis constat. PHILIPPUS quoque Augustus *cum non haberet pecuniam, qua salaria præberet militibus, primus cæpit distrahere prædia, quæ pater illius FRIDERICUS Imperator late acquisiverat in Alemannia, ita ut cuilibet Baroni sive Ministeriali villas seu prædia rusticana vel Ecclesias quoque contiguas obligaret*, unde factum est, quod teste CONRADO Urspergensi (f) *nihil fere ipsi remanserit præter inane nomen domini terræ & quasdam civitates, in quibus fora habebantur & pauca castella terræ.* Pari modo etiam FRIDERICUS II. deficiente Comitatu Kraichgoviensi Marchionibus Badensibus Durlachum & Heidelshemium donavit, (g) CONRADINUS vero Palatinatum superiorem cum plurimis urbibus atque oppidis LUDOVICO Severo Palatino vendidit, (h) Accedente vero fatali Hohenstauffiorum interitu, terræ Hohenstauffiorum admirandum in modum fuerunt dilaceratæ. Turgovia & Zurchgovia in Habsburgensium

(e) Diss. cit. (f) *f. m. 311.* (g) CRUSIUS *P. III. f. 123.*

(h) FREHERUS *Orig. Palat. P. II. f. 15.*

sium Comitum potestatem devenit; (i) Pforzhemium & Zella pervenerunt ad Marchiones Badenses; (k) Patrimonium Hohenstauffiorum Comitibus Wurtembergicis cessit; (l) Alsatiæ magna pars per Habsburgicos recta videtur, (m) unde etiam RUDOLPHUS II. Dux Alsatiæ vocatus fuit; (n) Hagenoviam, Columbariam, Ehenheimium, Offenburgum & Gengenbacum Episcopus Argentoratensis vindicavit; (o) Rhætia ad Episcopum Curiensem variosque Comites delata fuit; (p) Præfecturam Turgoviæ & Advocatiam S. GALLI RUDOLPHUS I. ULRICO de RAMSCHWANG concessit; (q) Civitates quoque Sueviæ, Franconiæ & Alsatiæ libertatis tunc sibi asserendæ gessisse curam, frequens Imperialium urbium in istis partibus numerus documento est. (r) Nec minus ordini equestri istorum tractuum hæc Epocha passim arrisit, utpote qui extinctis, quibus plurimi peculiari nexu adstricti erant, Hohenstauffiis distractisque eorum terris, eo minus habebant, quod in asserenda sibi libertate cæteros, ad quos plurimæ Hohenstauffiorum terræ pervenerunt, timerent, cum hi curam ordinis Equestris vel ob turbida jam tum diffidationum tempora accurate habere non possent, vel, quæ BOECLERI (s) conjectura est, titulis suis non ubique forsitan satis confisi parta tueri, quam scrupulosius justo scrutando ab acquisitis etiam nonnulla iterum amittere mallent. Hæc tamen non omnia perturbato ordine fiebant, sed accedebant passim fori tituli, veluti emtionis, venditionis, oppignorationis, donationis, investituræ, id quod pluribus docet ZEILERUS, (t) quibus deinde privilegia ac confirmationes Cæsareæ, ac *Foedus* inprimis *Suevicum* (u) haud minimum addiderunt robur. Quicquid vero ex tam opulenta successione restabat, cum in Suevia, tum in Alsatia præprimis & Helvetia (vv) RUDOLPHUS I. anno 1282. in Comitiis Augustanis filio suo secundo genito RUDOLPHO concessisse dicitur, cujus deinde successores variis titulis varia in Suevia dominio suo adjecerunt dominia; quæ vero hodierni Principatus Suevici sit origo, natura atque indoles, in peculiari de *Serenissimæ Domus Austriacæ Principatu in Suevia*, Commentatione docebimus.

(i) STUMPFIUS *L. IV. C. 51.* (k) CRUSIUS l. c.

(l) WALZIUS Fürstliche Stamm- und Namens-Quelle *L. II. C. 14.*

(m) STRUVII *Jus Publ. C. III. §. 16. p. 89.*

(n) Annales Colmarienses ad *a. 1290.* apud URSTIS. *T. II. f. 25.*

(o) KOENIGSHOVEN p. 430. (p) GULERI *Rhætia L. V. f. 64.*

(q) STUMPFIUS *L. IV. C. 51. f. 361.*

(r) Vid. HERTII Diss. *de origine & progressu specialium Imperii Rerumpublicarum §. 21. p. 49.*

(s) Diss. cit. S. *I. §. 24. p. 149.* (t) in *Præf. ad Top. Suev.*

(u) MELLINUS in Diss. de *Foedere Suevico* Jen. habita.

(vv) GUILLEMANNUS *L. II. C. 16. n. 1. f. 126.*



DISSERTATIO XXXIX.

FATA

DUCATUS ALEMANNIÆ ET SUEVIÆ.

§. I.

ALEMANNORUM origo est Germannica. Nam cum Suevis, a sinu Codano, sive Suevico mari, & regionibus Germaniæ borealibus ad Suevum amnem, digredientibus versus australem & orientalem plagam, & commigrantibus in provinciam Danubium inter Rhenum, Mœnumque, vacuam relictam a Marcomannis, iisque confœderatis populis, se conjunxerunt convenæ ex variis Germaniæ civitatibus, assumtoque, circa Imp. Antonini Bassiani Caracallæ tempora, communi *Alemannorum* nomine, quoniam erant *miscellanei homines*, in societatem bellicam contra Romanos, finium Germanicorum invasores & turbatores, coiverunt. Hæc eliciuntur ex testimoniis inter se collatis ASINII QUADRATI in AGATHIÆ *Lib. I. Hist. p.* 7. SPARTIANI *in vita Caracella c. X.* AURELII VICTORIS *de Cæsaribus c. XXI.* VOPISCI *in Proculo c. XIII.* JORNANDIS *de Rebus Geticis c. LV.* PAULI DIACONI *de gestis Longobard. L. III. c.* 18.

§. II. Sueviam sive Alemanniam veterem tertiam veteris Germaniæ partem comprehendisse, Sanctus HIERONYMUS dixit *in vita S. Hilarionis.* Eam ita descripsit JORNANDES *de Rebus Geticis cap. LV. Nam Regio illa Suevorum ab oriente Bajobaros habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a Septentrione Thuringos. PAULUS DIACONUS lib.* 2. *de Gestis Longobardorum c.* 15. situm hujus Provinciæ ita indicavit: *Inter Liguriam & Sueviam, hoc est Alemannorum Provinciam,* vel uti alii legunt, *Patriam, quæ versus septentrionem posita est, duæ Provinciæ scilicet Rhetia prima & secunda inter Alpes consistunt.* WALAFRIDUS STRABO, Abbas Augiensis, *in prologo vitæ S. Galli* in *Goldasti tom. I. Rerum Alaman. part. II. pag.* 233. hanc Chorographiam nobis dedit: *Nam juxta Scriptores Authenticos pars Alamanniæ vel Sueviæ, inter Alpes Penninas & meridianum littus Danubii sita; Retia dicitur. Porro, quod est ad septentrionalem plagam Histri, Germaniæ deputatur. & p.* 234. *Igitur, quia mixti Alamannis Suevi partem Germaniæ ultra Danubium, partem Retiæ intra Alpes & Histrum, partemque Galliæ circa Ararim obsederunt, antiquorum vocabulorum veritate servata, ab incolis nomen patriæ derivemus, & Alamanniam vel Sueviam nominemus. Nam cum duo sint vocabula unam gentem significantia, priori nomine nos appellant circumpositæ gentes, quæ Latinum habent sermonem, sequenti usus nos nuncupat barbarorum.* Secundum itaque hos auctores inter se collatos & cum AMMIANI MARCELLINI, SIDONII APOLINARIS, ISIDORI HISPALENSIS, aliorumque medii ævi scriptorum testimoniis, Orientales Alemanniæ terminos Naba, Rega & Licus, amnes, Danubium

nubium influentes, constituerunt: ab Occidente Alemannia habuit limites, Ararim Dubimque, fluvios, usque ad Rhodanum. Ad Austrum porrecta est ultra lacum Lemanum ad Alpes Rhæticas, fontesque Rheni: Septentrionale vero latus Alamannorum Franci clauserunt, atque Thuringi. Ita Terra Alamannorum vetus, secundum nostri ævi Geographiam, comprehendit pagos Helveticos, Rhætiam, Sueviam hodiernam, Alsatiam, tractum Spiriensem, Wormatiensem, Metensem, magnam partem Lotharingiæ, Burgundici Comitatus, & Franconiæ nostræ, vid. BEATUS RHENANUS, *lib. 2. p. 152.* CLUVERIUS *in Germania antiqua lib. 3. cap. 20.* HERTIUS *in Notitia Veteris Germ. Popul. part. 3. Cap. I. §. 3.* Ob hos amplissimos fines, victoriis Alemannorum prolatos, Alemannia in medio ævo fuit vel *cisrhenana*, vel *transrhenana*, more loquendi Romano, vel uti alii eam distinguunt, vel *Burgundionensis*, vel *Teutonica.* Provincia cisrhenana vel Burgundionensis *Alemannia* proprie sic dicta fuit; transrhenana vero, sive Teutonica *Sueviam* specialiter ita appellatam comprehendit. vid. SPENERUS *in notitia Germ. medii ævi c. III. §. 3. & c. IV. §. 31. 32.* & TENZELIUS *in hist. vindic. pro Censura Conring. in Dipl. Lindav. p. 317.*

§. III. Alemannorum ex variis gentibus, potissimum vero Suevicis, collecta, populosa, & validissima natio, ex equo inprimis mirifice pugnans, teste AURELIO VICTORE *de Cæsaribus c. XXI.* paruit Regibus, & ab Imp. Antonini Caracallæ tempore inclaruit gravissimis bellis cum Imperatoribus Romanis usque ad occasum Imperii Romani occidentalis Sec. V. varia fortuna gestis, quæ ex Scriptoribus vetustis docte atque eleganter exposuerunt Viri clarissimi, STRUVIUS *in notitia antiqu. Sueviæ §. LXXXV. seq.* & SCHOEPLINUS *in Alemannic. Antiquitat. cap. II.*

§. IV. Postea Alemanni collisi cum potentissimis Francis ob vexatum Sigebertum, regulum Coloniæ, a Clodoveo magno, Monarcha Francorum, ad Tolbiacum A. C. CCCC.XCVI. interemto in cruentissima pugna Rege suo, maxima clade victi, debellati, & sub jugo & tributo constituti sunt. vid. GREGORIUS TURONENSIS *hist. Francor. lib. II. c. 30.* FREDEGARIUS SCHOLASTICUS *c. XXI.* RORICO *de gestis Francor. lib. II.* AIMOINUS *lib. I. c. 15.*

§. V. Victos Alemannos a Clodoveo Victore Ducem accepisse, dicit *CRUSIUS Annal. Saevicor. P. I. lib. VIII. c. 9. p. 212.* citati Cladis Alemannicæ Scriptores vero hoc non tradunt. Ducatus ergo Alemanniæ originem *HADRIANUS VALESIUS rer. Francicar. Lib. XXIV. p. 476.* & *OBRECHT. in prodromo rer. Alsatic. Vol. I. c. X. c. 214.* potius deducunt a Clodovei Successoribus. Sub his enim tam in codice Legum Alemannicarum, quam in Historicis rerum Francicarum frequens mentio *Ducum Alemannorum* & *Ducatus Alemannici* occurrit, quorum nomina & seriem operose recensuit *PFEFFINGERUS in Vitriarii illustrati T. II. Lib. I. Tit. XVI. n. 8. p. 291.* Conf. *ECCARDUS Orig. Habsb. Austriac. c. III. LAZIUS de migrat. Gent. L. VIII. p. 391.* & *OBRECHT. l. c.* Inclinatis Regum Merouingicorum apud Francos rebus, ac contra invalescente Majorum Domus ex familia B. Arnulfi Metensis autoritate & potentia, Duces Alemanniæ, horum arrogantia offensi, eos revereri recusarunt, atque omni studio atque vi moliti sunt se subtrahere affectato eorum dominatui. Testem hujus rei locupletissimum profero *ERCHANGERUM*, qui *in fragmento de Regibus Francorum Majoribusque domus in Freberi script. rer. Francic. p. 167.* ita scribit: *Pippinus junior, filius Ansegisi, veniens*

de Austrasiis, successit in principatu Majorum Domus. Exhinc Reges nomen, non honorem, habere cœperunt, quibus tamen, uti constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possint. Illis namque temporibus ac deinceps Gotefridus, Dux Alemannorum, cæterique circumquaque Duces noluerunt obtemperare Ducibus Francorum, eo, quod non potuerunt Regibus Meroveis servire, sicut antea soliti fuerant. Ideo se unusquisque secum tenuit, donec tandem aliquando post mortem Godefridi Ducis Carolus, cæterique Principes Francorum, paulatim ad se revocare illos, arte, qua poterant, studuere. Idem porro scribit de Pippino Heristallo p. 168. *Suevos & Bawuarios, Toringos & Saxones, crebris irruptionibus frequentibusque prœliis contritos, suæ ditioni subjugavit. Hæ enim gentes & aliæ plurimæ, multis sudoribus adquisitæ, Francorum summo obtemperabant imperio; sed propter desidiam regum, & domesticas dissensiones, & bella civilia, quæ in multas partes divisi regni ingruerant, legitimam dominationem deserentes, singuli in proprio solo, armis libertatem movebantur defendere. Quam obstinationem invictus Pippinus Princeps, crebris expeditionibus, utilissimisque consiliis, & frequentibus populationibus, Domino cooperante, compescuit.* Post Gotefridum Lantfridus, Alemannorum Dux, fortiter se opposuit Carolo Martello, sed ab eo victus & Alemannia subjugata fuit, vid. SIGEBERTUS GEMBL. *ad an.* 725. Ita etiam Carolomannus & Pippinus Alamannos, Duce Theobaldo rebellare tentantes, vastata Alemannia compresserunt, vid. ANNALES FULDENSES *ad a.* 749. Demum Lantfrido, Duce Alemannorum ob rebellionem An. 749. a Pippino in Franciam abducto, desiisse videntur Duces Alemanniæ primi, vid. HERMANNUS CONTR. *ad an.* 749. & 751, & REGINO *ad an.* 748.

§. VI. Carolingis Franciæ imperantibus Ducum nomen ob tot turbas tantamque obstinationem odiosum, in Alemannia plane cessavit. Nam quemadmodum Carolus Magnus Bajoariam ob assiduas Ducum rebelliones, Comitibus ad regendum commisit, minime vero ulterius Duci, vid. EGINHART. *de Vita Caroli M. cap.* 11. ita etiam in Alemannia factum est ab eodem, & Pippino patre. Testatur hoc claris verbis ECKHARDUS Junior *de Casibus S. Galli cap.* 1. *in Goldast. Alemannicar. Rer. Scriptorib. tom.* 1. *pag.* 40. *Nondum adhuc illo tempore* (Salomonis, Abbatis S. Galli & postea Episcopi Constantiensis, & Conradi Regis Franciæ Orientalis) *Suevia in Ducatum erat redacta, sed fisco Regio peculiariter parebat, sicuti hodie & Francia. Procurabant ambas cameras, quos sic vocabant, nuncii: Franciam ad Alpes tum Werinbere, Sueviam autem Bertolt & Erghinger, fratres, quorum utroruınque ditioni subtracta sunt per munificentias Regias in utrosque Episcopos, scilicet in Hattonem Moguntinum, & Salomonem Episcopum Constantiensem. - - - Huic (Salomoni) cum aliqua Potamum, Cameræ nunciorum Juris oppidum pertinentia a Regibus darentur, cui Wernhere & Ruodhart Dominum Othmarum, sic ipsi insequi conati sunt & ipsum.* Duces etiam Alemanniæ plane nulli occurrunt in Scriptoribus, & Chartis antiquis sub Carolingicis Regibus, sed tantum Comites. Sic in *Vita S. Magni* a THEODORO scripta *cap.* 31. & in MALAFRIDI STRABONIS *lib.* 2. *de Miraculis B. Galli. cap.* 15. apud *Goldastum loc. cit. pag.* 264. sistuntur Comites Warinus & Ruodhardus, totius Alamanniæ curam administrantes, tempore Othmari Abbatis S. Galli & Pippini Regis. Tales comites plures etiam leguntur in chartis antiquis a Goldasto editis *in Alemannicis antiquitatibus*, & in JOACHIMI VADIANI *libris de Collegiis, Monasteriisque Germaniæ veteribus.* Sub Carolingicis Regibus etiam ab Alemanniæ Ducatu divulsa fuit Alsatia & in peculiarem Ducatum redacta, quod ex divisione Imperii Carolingici ostendit OBRECHT. *l. c. p.* 218.

§. VII. Extinctis Regibus Carolingicis in regno Franciæ Orientalis sive Germaniæ a Conrado primo, Rege, Sueviæ Principum assensu unanimi, anno 917. constitutus est Dux totius Sueviæ iterum primus BURCHARDUS, Gentis illius nobilissimus, & virtutum dote probatissimus, vid. ECKHARDUS *loc. cit. cap. 2.* HERMANNUS CONTR. ad An. 917. & 918. & FRAGMENTUM HISTORICUM *Alberto Argentoratensi præfix.* qui occisus fuit An. 925. ab Hungaris, vid. HERMANNUS CONTR. *ad a. 926.* HEPIDANNUS *ad h. an.* Ejus tam in thoro, quam in Ducatu Alemanniæ Successor fuit, auctoritate Regis Heinrici primi, HERMANNUS. vid. CONTINUATOR REGINONIS *ad h. an.* & HERMANNUS CONTR. *loc. cit.* Post ejus mortem a. 949. ad Ducatum promotus fuit ejus Gener, LUDOLPHUS, Ottonis I. Imperat. filius. vid. DITMARUS *lib. II. p. 331.* cui a. 954. in Ducatu Patri reddito successit ex gratia Ottonis primi BURCARDUS II. Burcardi I. Ducis filius, vid. CONTINUAT. REGINONIS *ad h. an.* Hoc defuncto an. 973. OTTO filius Ludolphi paternum Ducatum recepit, vid. HERMANNUS CONTR. ad an. 973. Eo mortuo an. 982. CONRADUS quidam ignoti generis, Dux Alemanniæ factus est, vid. HERMANNUS CONTR. *ad h. an.* pro quo mortuo an. 997. HERMANNUS quidam Ducatum Alemanniæ & Alsatiæ accepit, qui post mortem Ottonis tertii an. 1002. ad regnum Germaniæ adspiravit, vid. DITMARUS *lib. 5. p. 367. & lib. 4. pag. 359.* Idem DITMARUS loco priori Caput Ducatus ejus Argentinam vocat, quæ dicitur Strasburg. Herimanno secundo filius suus, HERMANNUS III. Juvenis adhuc a Rege Heinrico Sancto in Ducatu substitutus fuit anno 1004. vid. ADELBOLDUS *in vita Henrici Sancti cap. 42.* & DITMARUS restitutus *lib. 6. pag. 378.* qui anno 1012. defunctus successorem accepit sororis suæ Giselæ maritum ERNESTUM. vid. HERMANNUS CONTR. *ad h. a.* qui anno 1015. in venatu interiit, ejusque Ducatum filius æquivocus, ERNESTUS secundus obtinuit, vid. HERMANNUS CONTR. *ad h. ann.* & MARIANUS Scotus *ad h. ann.* Hic Ernestus secundus vero in Conradum Salicum, Imperatorem Vitricumque suum, licet ab eo beneficiis & muneribus multum sublimatus, socius extitit, & fœderatus rebellium Cunonis, Ducis Wormatiensis, & Friderici Ducis Lotharienfis, atque semel atque iterum contra cum bellum gessit, ob quam perfidiam Ducatus dignitate tandem privatus misere periit anno 1030. vid. WIPPO in *vita Conradi Salici*, & HERMANNUS CONTR. *ad h. ann.* Ejus Ducatum suscepit frater suus HERMANNUS, qui in expeditione Italica peste gravatus obiis anno 1038. vid. WIPPO *loc. cit. pag. 442.* & HERMANN. CONTR. Huic successit HEINRICUS I. filius Imperatoris Conradi, teste HEPPIDANNO *ad an. 1044.* qui postea electus in Regem Germaniæ contulit Goslariæ Ducatum Sueviæ anno 1045. OTTONI, Palatino Comiti. vid. HERMANNUS CONTR. *ad h. ann.* Eo mortuo ab eodem Henrico III. anno 1047. Ulmæ Suevis Dux constitutus fuit OTTO Svvinfurtensis. vid. HERMANNUS CONTR. *ad ann. 1048.* Post hunc ann. 1057. Ducatum Sueviæ obtinuit RUDOLPHUS DE RHEINFELDEN, ab Heinrico IV. Rege cum ejusdem Sorore Mathilda: vid. CONRADUS URSPERGENS. *ad h. ann.* & HERMANNUS CONTR. *ad h. ann.* Hic oppositus fuit a Principibus Germaniæ Heinrico IV. Regi infensis, affini suo, & Regi indulgentissimo anno 1077. sed in prælio ad Merseburgum commisso anno 1080. perfidiæ suæ pœnas dedit.

§. VIII. Cæso Rudolpho nova series Ducum Sueviæ surrexit, eaque STAUFFENSIS. Gener quidem Rudolphi, Bertholdus, Comes Zeringensis, Ducatum Sueviæ tanquam a socero sibi concessum usurpavit, verum eundem Du-

 catum

catum Imp. Henricus IV. *FRIDERICO AB HOHENSTAUFFEN*, Genero suo fortissimo fidelissimoque concessit, cui de possessione Ducatus collati acriter depugnandum fuit cum Bertholdo, faventibus huic quam maxime Principibus Alemanniæ, qui post ejus mortem etiam filium ejus, Bertholdum II. Ducem totius Sueviæ constituerunt an. 1093. Sed Fridericus hunc Bertholdum coegit tandem pacem petere hac conditione, ut ille Ducatum exfestucaret, sic tamen, quod Turegum, nobilissimum Sueviæ oppidum a manu Imperatoris ei tenendum remaneret. Exhinc Bertholdus vacuum nomen Ducis gessit, ac hoc, quasi hæreditarium, posteris, Ducibus scilicet Zæringensibus, reliquit, vid. *OTTO FRISINGENS. de Gestis Friderici I. Imp. lib. I. cap. 7. 8. 9. FRAGMENTUM HISTORICUM* ap. Urstisium *tom. II. pag. 83*. Friderico Stauffensi primo ex sua familia Duci Sueviæ inclyto successit *FRIDERICUS II.* sive *Cocles*. vid. *OTTO FRISINGENSIS l. cit. lib. I. cap. 10.* qui testantibus variis diplomatibus se *Sueviæ & Alsatiæ Ducem* scripsit, & vitam produxit usque ad an. 1147. quo in Ducatu eum secutus est *FRIDERICUS III.* postea Imperator hujus nominis primus, cognomine Ahænobarbus, qui fratrueli suo, filio Conradi tertii Imperatoris, *FRIDERICO IV.* sive *de Rotenburg*, Ducatum Sueviæ resignavit. Hic novellus Dux testis occurrit in multis diplomatibus ab An. 1156. usque ad an. 1167. quo peste est absumptus in expeditione Italica. Anno eodem ei surrogatus fuit *FRIDERICUS*, secundus natu filiorum Friderici primi Imperatoris, qui a patre etiam accepit hæreditatem Welphonis & prædium Rudolphi Comitis Phullendorf. vid. *OTTO de St. BLASIO cap. 21. p. 207*. Ejus varia Diplomata occurrunt in Documentis Wirtembergicorum Monasteriorum, obiit anno 1191. in obsidione Acharonis socius expeditionis sacræ. Huic successit frater *CONRADUS II.* vid. *FRAGMENTUM HISTORICUM* apud *Urstisium ad h. an.* Quem secutus est frater *PHILIPPUS* auctoritate Heinrici sexti Imperatoris, vid. *CONRADUS URSPERGENS. ad an. 1197.* qui Imperator factus anno 1198. postea anno 1208. occisus est ab Ottone Comite Wittelspacensi. Post hunc Alemanniæ Dux fuit *FRIDERICUS* secundus hujus Nominis Imperator, qui postea tradit Ducatum filio suo, Heinrico, etiam Regi Romanorum ab anno 1220. Huic ob rebellionem exauctorato & in carcerem detruso substitutus fuit *CONRADUS IV.* ultimus Gentis Stauffensis Rex Germaniæ, quem defunctum anno 1254. excepit *CONRADUS*, ab Italis *CONRADINUS* dictus, postremus & infelicissimus suæ familiæ Princeps, quippe captus in prælio pro recuperatione Regni utriusque Siciliæ cum Carolo Andegavensi anno 1268. ejusdem jussu capite truncatus fuit.

§. IX. Cum extincto Conradino extinctus etiam fuit Ducatus Sueviæ. Nam non solum omnis Sueviæ provincia Duce deinceps caruit, verum etiam omnes ditiones patrimoniales Ducum Suevicorum e Stauffensi familia, regionem Ducalem constituentes, plane dissipatæ & ad alios Dominos translatæ sunt. Hujus fundi calamitas jam cœpit in Philippo Augusto, ditissimo sane Principe. Ita enim ipse opes suas immensas recenset in epistola ad Innocentium III. Pontificem, quæ legitur *in Registro hujus de negotiis Imperii n. CXXXVI. p. 747. Indubitanter enim credere potestis, immo vere scire, quod tunc inter omnes Principes imperii nullus nobis fuerit ditior, nullus potentior, nullus gloriosior. Habuimus enim tot ministeriales, quod nos eos sub aliquo certo numero vix comprehendere potuimus. Habuimus castella, civitates, villas, burgenses ditissimos. Habuimus pecuniam multam nimis in auro & argento, & multis gemmis pretiosis. - Benedixerat quoque nobis, & crescere fecerat & auxerat domum nostram. Hereditas enim multa ceciderat nobis in præclaris, ideoque necesse nobis non fuit, ut nos ambitiose laboraremus pro imperio obtinendo.* Tam amplissima bona ergo posse-

dit

dit Philippus adhuc Dux Sueviæ, ut æquarent bona palatina, quæ eo tempore ad Imperatores pro sustentanda curia pertinebant. Cum vero ipsi esset decertandum cum Ottone Brunsuicensi, æmulo, de Imperio Teutonico gravi ac diuturno bello, ita suas vires exhausit tam donis ac erogationibus, quam stipendiis copiosis, ut ex divite Duce egenus fere fieret. Clare hoc dicit CONRADUS URSPERG. *p. 324. Hic cum non haberet pecunias, quibus salaria, sive solda, præberet militibus, primus cœpit distrahere prædia, quæ pater suus, Fridericus late acquisierat in Alemannia: ita, ut cuilibet baroni, sive ministeriali villas seu prædia rusticana, vel ecclesias sibi contiguas obligaret. Sicque factum est, ut nihil sibi remaneret, præter inane nomen dominii terræ, & civitates seu villas, in quibus fora habentur, & pauca castella terræ.* Aliam occasionem dissipationis terrarum, quæ penes Ducalem familiam Stauffensem fuerant, subministravit Wilhelmus Batavus, Rex, qui Conradum Regem An. 1252. proscripsit, omnibusque bonis, quæ ab imperio tenebat in feudum, & allodiis privavit, vid. INNOCENTIUS IV. *Papa in epistola ad Wilhelm.* in RAYNALDI *Annal. Ecclesiast. T. XIII. n. 17. p. 619.* Autoritate ergo regia præda erant invasorum & hostium ditiones Sueviæ Ducum Staufensium, vix salvis exiguis reliquiis, quas nepoti ægre servavit Ludovicus, Bavariæ Dux, qui ipse ex his postea aliquot insignia loca sibi acquisivit, ut docet ex antiqua charta AVENTINUS *Ann. Bojic. Lib. VII. c. 8.* quæ ita sonat: *Conradus D. Gr. Hierusalem & Siciliæ Rex, Dux Sueviæ, castrum, civitatem Verdunum in Suevia* (Werd) *Laugingen, Hochstadium, Morinos* (Mehringen) *Pittengam,* (Dictigau) *Schongiam* (Schongau) *Schwabeck, Ambrones* (Ammergau,) *Fauces,* (Clausen sive Fyessen) *quæ Ottoni, regulo Bojorum, avo suo materno, Conradus genitor, millibus unciarum auri sexdecim, quod est nostratis pecuniæ aureoli mille centies duodetricies, oppignerarat, Ludovico Bojo avunculo suo vendit. Datum nono Kal. Novembr. A. C. MCCLXVI.* Conf. CRUSIUS *Annal. Suevic. P. III. Lib. II. c. 17. p. 111.* Eadem fere loca dotis loco attribuerat Conradus Rex uxori suæ Elisabethæ Bojæ, quod cognoscimus ex Diplomate Wenceslai, Regis Bohemiæ de An. 1291. in GEWOLDI *Tr. de Septemviratu c. IX. Videlicet oppidum Schongow, Curia super monte, Curia Stauffe, villa Iglingen, villa Durncheim, villa Moeringen cum tota Heybische, Castro Swabekke, Castro & oppido Swebiswerde, Castro Capfbeym, oppido Novoforo, cum toto officio Perengow, Novo Castro & Castro Schonenberch, quæ prædictus Rex Conradus pro dote & in dotem Elisabeth, uxori suæ, matri videlicet Conradi, filii sui prædicti, ac illustrium Principum prædicti Domini Ludovici, & felicis recordationis Domini Henrici Ducum Bawar. sorori assignavit.* Post miserandam cædem postremi Ducis Suevorum, Conradini, plane dispersum fuisse relictum patrimonium Stauffense, omnes uno ore tradunt Historici, & magnas accessiones Comitibus Würtembergicis, Marchionibus Badensibus, aliisque vicinis Imperii Ordinibus ex hoc fatali fortunarum naufragio transcribunt. Pro omnibus hic loquatur CRUSIUS *l. c. P. III. Lib. II. c. 20. p. 123. Postquam - cum Conradino - Ducum Sueviæ stirps concidit, Ducatus hic Imperio venit: Sed tamen in multas partes est distractus, ut etiam nunc apparet. Rudolphus Habspurgensis, postea Rom. Rex, & Sueviam & Austriam accepit, filiis suis tradens: illam Rudolpho, hanc Alberto, Duces nuncupans. Sed tamen tota Suevia, & quæ ad eam pertinuerant, non amplius una remanserunt. Dilapsa sunt alia alio: sicut nihil in rebus humanis perpetuo conjunctum manet. Venerunt etiam Dominia, quæ Duces Sueviæ in Turgovia & Zurichgovia, alibique in Helvetia, habuerant, in potestatem Habspurgensium Comitum. - Sic Pforzheimium & Zella, quæ pertinuerant ad Ducatum Suevicum, post mortem Conradini pervenerunt ad Marchiones Badenses.* Porest ergo non incongrue dici de dilaceratis post exitium Conradini regionibus Stauffensibus, quod Martinus Papa in sententia excommunicationis in Petrum, Regem

Regem Arragoniæ, de familiæ Augustæ Stauffensis interitu pronunciavit apud EBERHARDUM ALTAHENSEM *ad An. 1282. Altissimus sceleſtam Friderici domum, quæ conſueverat quantumvis multis abundare perſonis, ſic pæne redegit in nihilum, ſic illam jacturam ultimo diſſipationis oppreſſit, ut de ipſa non ulla ſcintilla remaneret.*

§. X. Pertinet ad immortalem Imp. Rudolphi Habspurgici, Inſtauratoris Germaniæ optimi maximique, gloriam, quod Sueviæ Ducatum, hactenus tam miſere habitum & diſſipatum, inprimis reſpexerit, & ditiones Imperii, ab eo in turbulento interregni magni ſtatu variis modis ablatas, colligere & ad Imperium revocare omni ſtudio atque cura annisus fuerit. Ita enim hoc teſtatur de eo EBERHARDUS ALTAHENSIS ad An. 1277. *Cum prædicto Rudolpho, Romanorum Rege, omnes Comites & Barones, & Communitates civitatum & civium de Rheno, Franconia,* SUEVIA *& Bavaria ſe ſponte ſubdiderunt, ei fidelitatis jurando bomagia, caſtraque & civitates, & terras, quas tempore vacantis Imperii, ſcilicet a temporibus Friderici olim Imperatoris, occupatas tenuerant, ſibi voluntarie reſignarunt.* Qui non ſponte reſtituere volebant occupata Imperii loca, & fœdere facto potius ea retinere & defendere conabantur, hos armis coëgit ea omnia reddere. Hinc bellum exortum cum coadunatis & valde inſtructis Comitibus Sueviæ, ſed mox feliciter confectum, quod recenſent HISTORIA AUSTRALIS PLENIOR *ad A. 1276.* CHRONIC. COLMAR. *P. II. p. 42.* & GERH. a ROO *in biſt. Auſtr. p. 22. ſq.*

§. XI. An etiam glorioſiſſimus Imp. Rudolphus I. filium ſuum ſecundo genitum, RUDOLPHUM, *Ducem Sueviæ* appellaverit, in comitiis Auguſtanis celebratiſſimis An. 1283. nondum res eſt plene transacta inter Hiſtoricos recentiores. In hoc Rudolpho a benigniſſimo patre Auguſto renovatum fuiſſe Ducis Sueviæ nomen, HISTORIA AUSTRALIS tradit ad An. 1282. his verbis: *Rudolphus Rex Auguſtæ curiam celebrat, ibique, de conſilio & voluntate nobilium, qui aderant, Albertum, filium ſuum, Ducem Auſtriæ & Styriæ conſtituit, &* RUDOLPHUM DUCEM SUEVIÆ CREAVIT. Hæc repetunt CHRONICA AUSTRALIS *ad An. 1283.* GERH. a ROO, FUGGERUS, & fere omnes Scriptores Auſtriaci. Verum enim vero hoc conſenſu tot Hiſtoricorum in hoc facto nondum convicti ſunt illi, qui collatis inter ſe Scriptoribus obſervarunt, adeſſe etiam non levis momenti Hiſtoricos, qui de collato in Rudolphum Ducatu Sueviæ ne verbulum quidem dicunt. Talis eſt EBERHARDUS ALTAHENSIS *ad An. 1281.* ſcribens: *Eodem anno ipſe Rex Rudolphus exivit terra Auſtriæ & ipſum ducatum Alberto, filio ſuo primogenito commendavit, ſed poſtmodum eundem Ducatum eidem Alberto & Rudolpho, filiis ſuis, in feudum obtulit coram Principibus ſuis ſuper boc Auguſto in curia congregatis.* Huic adjungendus ALBERTUS ARG. *pag. 101.* inquiens: *Ducatum Auſtriæ, quem occupavit Ottocharus, Rex Bohemiæ, contulit Alberto & Rudolpho, filiis ſuis.* Hi ergo diſerte dicunt, Rudolphum ad ſimultaneam Auſtriæ Ducatus infeudationem admiſſum fuiſſe, nulla mentione facta Ducatus Suevici eidem aſſignati. Confirmantur in hac ſententia Formula Diſpoſitionis inter hoſce filios ſuos Imp. Rudolphi, quam protulit LAMBECIUS *in Appendice III. Commentar. Biblioth. Auguſtæ Vindob. p. 330.* quæ ita ſe habet: Ein Ordnung von Künig Rudolphen Römiſchen Künig zwiſchen ſeinen Sühnen/ Hertzog Albrechten und Hertzog Rudolfen von Oeſterreich/ nachdem er ihnen die Oeſterreichiſchen Land geliehen/ darin er ihm dann ferner Ordnung/ ſeinem Gefallen nach/ fürzunehmen vorbehalten hat/ inhaltend: Hertzog Albrecht und ſeine Sühne ſollen die Nieder-Oeſterreichiſche Land allein regieren/ ſo ferr aber der

Künig

Künig seinem Suhn; Hertzog Rudolphen / innerhalb fünf Jahren nit mit einem Künigreich oder andern treffentlichen Fürstenthum versieht / so soll ihm sein Bruder / Hertzog Albrecht / eine Summe Geldes geben / wie der Vater mittler Zeit ausspricht / wär aber das Fürstenthum kleinfüeg / so soll ihm Hertzog Albrecht aber eine Summa Gelts / nach erkäntnüs des Vaters / zu einer Zubuße heraus geben / doch in allweg / wann Hertzog Albrechts Manns-Stamm abgieng / daß Hertzog Rudolphen Mannstamm alsdann in die Regierung ermeldter Oesterreichischen Lande angange. Wo Hertzog Albrecht seinem Bruder das gesprochene Gelt nicht bezalte / so soll diese Ordnung absein / und Hertzog Rudolph zu halber Regierung der Nieder-Oesterreichischen Land kommen; Innhalt der Küniglichen Belehnung &c. &c. Datum Rheinfelden unter dem Majestätischen Jnsiegel und Handzeichen prima Junii An. 1283. Ex hac formula ita argumentantur dissentientes: Rudolfo pater prospicere voluit An. 1283. præstantissimo quodam Ducatu, ergo An. 1282. Ducatum Sueviæ ab eodem nondum acceperat. Porro urgent, ipsum hunc Patrem Augustissimum hunc suum filium nunquam appellare *Ducem Sueviæ*, & provocant hac de causa ad multa diplomata, in quibus tituli hujus Principis leguntur, plane omisso axiomate *Ducis Sueviæ*. Inter hæc eminet Confirmatio privilegiorum Austriacorum data Reinfeldiæ die XI. Mensis Junii An. 1283. in LUNIGII *Archivi Imp. Part. Spec. Contin. II. p. 69.* in qua Imperator hunc in modum loquitur: *Venientes ad nos ingenui Principes, dilecti nostri filii, Albertus & Rudolphus, Duces Austriæ & Styriæ, Domini Carniolæ, Marchiæ, & Portus Naonis, Comites in Habspurg & in Kiburg, ac Landgravii Alsatiæ.* In hac plena recensione titulorum Rudolphi titulus *Ducis Sueviæ* non extat. Afferunt in causæ suæ firmamentum præterea codicillum Alberti, Ducis Saxoniæ & Principis Electoris, quo consensum suum dedit in concessionem Ducatus Austriæ, nulla mentione simul inserta Ducatus Sueviæ; Ita enim ibi inquit: *Ob dilectionem & petitionem Serenissimi Domini nostri Rudolphi Romanorum Regis, voluntatem nostram adhibemus plenariam & consensum, quod inclitus Dominus noster Rudolphus Romanorum Rex jam prædictus, filiis suis, Alberto & Rudolpho, terras videlicet Austriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, & Marchiam Slavicam libere possidendas justo titulo conferat feodali.* vid. du MONT *in Corps Diplom. T. I. P. I. p. 247.* Dent ergo operam contrarii Scriptores, ut in lucem proferantur egregia diplomata & documenta, quibus vera & genuina ratio translati Ducatus Suevici in Duces Austriacos magis comprobetur, omnesque scrupuli suborti submoveantur. Hactenus enim hæc nobilissima pars historiæ Suevicæ, ac magna accessio dignitatis Austriacæ, magna caligine pressa, & admodum dubia ac anceps fuit.

§. XII. Clare & distincte nemo hactenus etiam docuit ac commonstravit, quænam illæ fuerint reliquiæ Ducatus Suevici in Rudolphum Austriacum translati. Nullum hic præsidium subministrant tabulæ feudales Imperatorum, quæ nimis generatim loquuntur. Ita Ludovicus Imperator dicit: *Nos - Ottoni & Alberto, Ducibus Austriæ & Styriæ Principibus - Ducatus Austriæ & Styriæ, ac Dominia Carniolæ, Marchiæ, & portus Naonis, nec non comitatus ac dominia, & omnia jura, & bona feudalia, quocunque censeantur nomine, quas vel quæ dicti Duces ac progenitores ipsorum hactenus ab imperio tenuerunt, & possederunt in SUEVIA, in Alsacia & alibi contulimus & conferimus in feudum &c. Datum Monaci Dominico die post invencionem crucis, anno Domini MCCCXXXI. regni nostri anno decimo.* Vid. ANT. SPEYERERUS *in comment. pro Hist. Alberti II. D. Austr. in addit. ad Cap. I. ad h. a. col. 32.* Ejusdem tenoris per omnia est Diploma feudale Imp. Caroli IV. de An. 1348. quod idem reveren-

dus Societatis Jesu Sacerdos ex tabulario Cæsareo Viennensi *l. c. col. 148.* protulit. Ad Historicos in hoc argumento etiam non est recurrendum, quippe qui admodum negligentes fuerunt in describendis reliquiis Ducatus Suevici.

§. XIII. Hæc tamen summa obscuritas non deterruit viros historiæ patriæ cupidissimos in studio enixissimo investigandi & detegendi reliquias destructi Ducatus Suevici, sed potius hoc magis excitavit & auxit. PFEFFINGERUS *in Tomo II. Vitriarii illustrati p. 349.* scribit: *Patrimonii Hohenstauffiorum magnam partem, per Alsatiam præsertim, Imp. Rudolfum An. 1282. annexo titulo Ducali in filium, Rudolfum transtulisse*, quare & in ANNALIBUS COLMARIENSIBUS *ad An. 1290. ap. Urstisium T. II. p. 25.* DUX ALSATIÆ *vocatur*. Alio sensu Ducalis Suevicæ dignitatis vestigia in Landgraviatu Alsatiæ superioris deprehendit OBRECHT *in prodrom. Alsat. cap. XII. p. 253.* inquiens: *Habsburgiorum Landgraviatus ex eodem Alsatiæ Ducatu non originem quidem, sed dignationem tamen Principatus traxisse videtur. Nam Rudolphum Imp. constat Ducatum Sueviæ, Conradini nece vacuum, suæ familiæ asseruisse, eamque in Comitiis Augustanis A. MCCLXXXII. filio suo Rudolpho contulisse in feudum, quem Scriptores ejus ætatis* Alsatiæ Ducem *nominant*: ANNALES COLMARIENSES *ad An. MCCXC.* Dux Alsatiæ Rudolfus filius Regis Rudolfi obiit, & in Praga Bohemorum sepelitur. *Magno argumento connexæ cum Landgraviatu Ducalis dignitatis. Nec alio retulerim, quod* GUILLIMANNUS *Habsburgic. Lib. II. c. 5. se alicubi reperisse scribit*; Regem ipsum Rudolphum I. antiquo titulo Alemanniæ & Elsatiæ Ducatus insignitum. Minime autem Ducali vel Principali axiomate ab eo tempore radiasse Comitiam provincialem Alsatiæ superioris, formulæ titulorum ostendunt a Ducibus Austriacis ab eo tempore adhibitæ, in quibus titulus *Landgravii Superioris Alsatiæ* semper titulo *Comitis in Habsburg & Kiburg* postpositus legitur. vid. ALBERTUS ARGENT. *Chron. p. 123.* Præterea Historici ajunt: Rudolfum Ducem Sueviæ creatum fuisse, de aucto vero Landgraviatu Alsatiæ Superioris Ducali Dignitate Suevica plane silent.

§. XIV. Non tam insolens aliis visum fuit, reliquias Ducatus Suevici quæsivisse in *Landvogtia Sueviæ*. Habuerunt enim Imperatores in provinciis Duce destitutis suos Præfectos sive Advocatos provinciales, Germanice die Land-voegte dicti, imo in Documentor. Wirtenberg. pag. 568. dicitur Rudolf de Honburg Pfleger deß H. Römisch. Richeß in Schwaben An. 1362. Hac de causa scribit LAZIUS *in Comment. de Reip. Rom. Lib. XII. p. 1048. Sueviæ districtus olim Ducatus, nunc dissecta regione Præfectura tantum est, Vogdeia appellata.* Adstipulatur ei DAN. HEIDERUS, cujus verba sunt in gründl. Ausführung der Reichsstadt Lindau die Reichspfandschafft betreffend/ *pag. 192.* Die Landvogtey in Schwaben/ als welche der Gwelphischen Grafschafft Altorf/ darein viel Städ gehört haben succedirt/ und die Reliquias des gantzen Hertzogthums Schwaben zusammengefasset hat; *p. 381.* Es ist ex Historiis erscheinlich/ daß die Landvogtey Schwaben/ bey des Stifft und der Stadt Lindau Herkunfft/ noch nicht in rerum natura, sondern damal das Hertzogthum Schwaben noch in esse gewesen/ und derwegen solchs Landvogtey erst nach Abgang Conradini auf die Bahn kommen; & *p. 578.* Aus diesem altfränckischen Stilo ist geflossen/ und übrig verblieben/ daß man damalen (An. 1143.) schon oder je bald hiernechst angefangen/ nicht allein dem Landrichter in Schwaben (qui tamen in administranda toti provinciæ, salvis statuum exemtionibus, justitia, Comitis antiqui personam repræsentat, & Cæsareus immediate Judex audit (ad differentiam des

Land-

Landvogts) der κατ' ἐξοχὴν Advocatus titulirt worden/ quin Ducis sive Principis Sueviæ partes seu reliquias sustinere videtur; - sondern auch die Amman und Reichs-Vögt in Städten eben mit solchen Nahmen des Ministri zu vociren. Hanc vero sententiam minus idoneam esse ad declarandas reliquias Ducatus Suevici, patet ex eo, quoniam Præfecti Imperiales provinciarum Suevicarum, longe ante excidium Ducatus Suevici Stauffensis, in historiarum chartarumque monumentis occurrunt. Ita A. MX. in literis fundationis Hospitalis Domus Memmingensis Heinricus de Weissenhorn se nominavit *Advocatum Provinciæ Superioris Sueviæ generalem.* Deinde Præfectura Imperialis Sueviæ aliam ob causam gaudent Archiduces Austriæ; & primo quidem hæc illis oppignorata fuit a Wenceslao Imp. 1379. quod testatur Diploma in FUGGERI Ehren-Spiegel des Hauses Oesterreich *Lib. III. c. X. p. 359.* Postea hanc rursus a Domo sua Serenissima alienatam Sigismundus Archidux An. 1473. a Johanne S. R. I. Dapifero de Waldburg gravi ære redemit. Ducatus ergo Sueviæ, & Landvogtia utriusque Sueviæ superioris & inferioris admodum inter se distinctæ sunt dignitates potestate, jurisdictione, origine & acquisitione. Plures etiam olim fuisse Advocatos Provinciales in Suevia, indicat privilegium Alberti I. Rom. Regis de An. 1305. in *Document. rediv. Wirtemb. p. 397. n. XIX.* quo Monasterium Bebenhusanum *a dominatu, jurisdictione, auctoritate, & jugo* ADVOCATORUM *suorum provincialium exemit.* EX CRUSIO *Annal. Suevic. P. III. Lib. III. c. 15.* annotavit ad hoc privilegium BESOLDUS *p. 398.* Anno MCCC. aut circiter ab Alberto Rege tres fuisse provinciales Præfectos constitutos: in Suevia Comitem Wirtenbergicum, in Brisgovia filium Domini Ochsensteinensis, & trans Rhenum in Alsatia D. Henricum de Liechtenberg. Inter plures ergo Præfectos provinciales distributæ fuissent reliquiæ Ducatus Suevici, ac non ad solos Duces Austriacos translatæ. Hi Præsides provinciæ Suevicæ erant Vicarii Imperatoris, ejusque nomine & autoritate census & reditus Imperiales colligebant, & Ordinibus Suevicis jus dicebant. Vid. in LUNIGII Grundfeste Europäischer Potenzen Gerechtsamme *P. II. c. IV. n. I. p. 1.* kurtze doch gründliche Information, aus was wichtigen und standhafften Ursachen das Kayserl. Landgericht in Schwaben nicht abolirt werden kan und solle de Anno 1658. & n. II. p. 15. Scriptum huic oppositum sub titulo: kurtze doch wohlgegründete Gegen-Information des Löbl. Schwäbischen Crayses interessirter Stände auf diejenige im Jahr 1658. zu Insprug verfertigte und publicirte so genante kurtze doch gründliche Information das Landgericht betreffend An. 1666.

§. XV. Dantur non minus docti viri, qui reliquias Ducatus Suevici in patrimoniali Guelphorum antiquorum Comitatu Altorfino, prope Ravensburgum & Lacum Bodamicum, constituunt, quoniam ille hæreditatis jure pervenit ad Duces Suevicos Stauffenses, ac ab his cum Ducatu Suevico conjunctus fuit. Ita enim tradit CHRONICON WEINGARTENSE ad An. 1191. in CANISII *T. I. antiqu. Lect. p. 223. Anno MCXCI. XVIII. Cal. Januarii Gwelfo, nobilis Altorfensis, Principum nostrorum illustrissimus, Heinrici Ducis videlicet & Woulfhildis filius, carne solutus, migravit e seculo, in quo nobilitas Altorfensium non mediocriter completa desiit. - Quibus ex ordine rerum ita dispositis nobile patrimonium cum omnibus suis prædiis, nec non Advocatiis & Ministerialibus, Friderico, Rom. Imperatori, filio videlicet sororis suæ, & filio illius, Friderico, Duci Suevorum sub jure possessionis contulit. Quibus in expeditione Hierosolymitana mortuis, idem Welfo, propter innatam familiaritatem & consanguinitatis lineam prædictorum, patrimonium, cum omnibus suis pertinentiis, Heinrico, illustri Rom. Imperatori sub hæreditaria possessione contradidit.* Conf. OTTO de S. BLASIO

c. XXI. His testimoniis nixi ajunt: Comitatus Altorfinus post discessum hujus Welphonis transiit ad Duces Sueviæ, & ab his possessus fuit, usque ad fatalem finem Familiæ Stauffensis. Sequitur ergo hunc Comitatum portionem fuisse Ducatus Suevici, in Rudolphum Austriacum beneficio sui Patris Augustissimi collati. Nam Altorfium cum sua ditione ab hoc tempore nullos alios possessores ac Dominos unquam habuit, quam Duces Sueviæ Austriacos. Quoniam autem ab hujus sententiæ autoribus pariter asseritur, Præfecturæ Imperialis Suevicæ forum præcipuum esse circa Altorfium villam, ac Præsidem provincialem sedem quondam habuisse in castro montano prope Ravensburgum, potius statuendum esse censemus, Comitatum Altorfensem, separatum a Ducatu Suevico post Conradini mortem, Imperio vacasse, atque hac de causa Præsidem Imperialem accepisse.

§. XVI. Alii dicunt fortunas Ducum Suevicorum Stauffensium superare in illis ditionibus Suevicis, quas nunc Archiduces Austriæ tenere videmus, quales sunt: *Landgraviatus Nellenburgicus, Marchionatus Burgoviensis, Comitatus Hohenbergicus, quatuor Civitates sylvestres, Lauffenburgum, Rheinfelda, Seckinga & Waldshuthum, pagus Brisacensis, Mordnaviensis tractus, Dynastia Schelklingen, Berg & Ebingen,* præter alia oppida & castra. Verum enim vero omnes illæ provinciæ, omniaque illa loca, vel emtione, vel permutatione, vel oppignoratione, vel hæreditario jure, vel aliis rationibus, in potestatem Archiducum Austriacorum venerunt, uti CRUSIUS, FUGGERUS, aliique Historici uberrime ostendunt. In præsentiarum sufficiat duos hujus rei testes excitare. ALBERTUS ARGENT. p. 158. scribit: An. 1353. *Die Augusti venit Albertus, Dux Austriæ, ad partes Rheni redimens a Comite de Nidowe oppidum imperiale Rinfelden, dudum Ducibus ab Imperio obligatum, sicque habuit de oppidis imperialibus super Rheno Schafhusen, Rinfelden, Nuenburg & Brisacum.* De civitatibus Imperii ab Imp. Ludovico An. 1330. Ottoni, Duci Austriæ, pignori datis hæc annotavit GUILLIMANNUS *Hist. Austr. MSS. Lib. VI. p. 326.* in STEYERERI *l. c. pag.* 80. *Pignori in eam summam assignavit Urbes Imperiales quatuor,* TIGURUM, RHINFELDAM, SCHAFHAUSIAM, & S. GALLUM, *quia commoda Austriacis inter eorum ferme dominia sita, simul in vindictam, quod ferme contra se semper fecerant. Redimendi quoque cetera ab Imperatoribus & Regibus facta per easdem regiones pignora potestatem dedit. - Sed Tigurini, quia eorum privilegiis alienatio omnis ab imperio prohibebatur, sive quia tamen Ludovico magis inclinaverant, facile liberati, substituto Brisiaco. Sancti Galli quoque oppidum, Rudolfi, Constantiensis Episcopi, patrocinio - - pristinæ libertati restitutum, & in ejus locum permissum Neoburgum Rhenanum. Cum Imperatorio decreto Neoburgenses obluctarentur, eos Otto obsedit, expugnatosque ad sacramentum coëgit. Illud quoque secuti eadem necessitate ac metu, cum pariter hactenus abnuissent, Brisiacenses Schaffhausiani, & Rhinfeldenses ultro & volentes in ditionem Austriacam concesserunt.*

§. XVII. Accuratius in determinandis reliquiis Ducatus Suevici Stauffensis illi versantur, qui eas in regione Sueviæ transdanubiana perquirunt, circa ditiones, castra, oppida, quæ originarie, & antequam facultates Guelphorum circa Comitatum Altorfinum ad Stauffenses transierunt, olim in Patrimonio eorum fuerunt, ubi in hunc usque diem Ducum Sueviæ tituli & tumuli, & quæ sunt similia, deprehenduntur. Regionem enim Sueviæ cisdanubianam, quæ proprie sic dictam Alemanniam & Sueviam superiorem constituit, vid. HEIDERUS in Reichs-Vogteyischer Apologi *Cap. III. pag.* 166. olim tenuerunt Comites Welphicæ prosapiæ præpotentes, & partim Duces Zæringenses, & qui

cum

cum iis vel communem originem habuerunt, uti Marchiones Badenses, vel ab iis descenderunt, uti Comites, nunc Principes Fürstenbergenses, nec non alii Comites & Barones. Omnis ergo Suevia non pertinuit ad Ducatum Sueviæ, sed in ea habuerunt Episcopi, Abbates, Principes & Comites amplissimas ditiones, ab omni Ducis Sueviæ imperio ac jurisdictione plane immunes, Imperio tamen Germanico obnoxias & clientelares. Abundavit sane hæc amplissima regni Germanici Provincia Ordinibus regni tam sacris, quam secularibus, qui florentibus adhuc Stauffensis familiæ Ducibus comparebant quidem in comitiis provincialibus, in quibus sententiæ ferendæ erant de Ordinum provincialium controversiis, cæterum ditiones suas ex arbitrio regebant, ab omni potestate Ducali regiis privilegiis exemti. Sententiam ejusmodi placiti publici de Anno 1186. proferamus ex LUNIGII *Archivi Imperial. Spicileg. Eccles. P. III. n. XI.* von Salmansweyl. *n. VI. p. 509.* quæ ita se habet:

FRIDERICUS, *divina favente clementia*, DUX SUEVORUM, *omnibus Principibus & quibuscunque fidelibus, sub Ducatu nostro degentibus, præsentibus & futuris in perpetuum. Cum justum sit causas a majoribus institutas, & judiciario ordine diffinitas a successoribus non solum immutari non debere nec cassari, sed magis inviolabiliter conservari & confirmari; Notum facimus cunctis tam futuris quam præsentibus, nobis in publico placito, loco, qui dicitur* Kunige-Stuhl/ *cum universis Principibus totius Sueviæ consedentibus, N. Abbatem de Salem super tali gravamine querelam deposuisse, quod Conradus, Comes de Sancto Monte, prædium duorum liberorum hominum, Eberhardi & Ulrici, qui præsentes erant, & liberam* Wehrschafft *coram omnibus Abbati ferebant, violenter abstulisset, asserens, non esse potestatis eorum, ut ipsi vel aliquis liberorum is sua comitia, sine consensu ejus, ulli Cœnobio vel Ecclesiæ sua conferre valeret; Unde sententia postulata universaliter ab omnibus dijudicatum est, liberis hominibus licere prædia sua quibuslibet Ecclesiis, vel cui vellent, dare posse. Nos itaque prædicti Abbatis & Fratrum suorum quieti contra tales calumnias imposterum providentes, ad confirmationem omnium, quæcunque præfato Cœnobio in præsentiarum, vel in futurum a quolibet homine libero collata fuerint, secundum formam datæ sententiæ, paginam istam sigilli nostri impressione roboratam venerabili Abbaii adversus quorumlibet judicium temerariam in talibus præsumtionem donamus. Et ut præsentis chartæ continentia non solum propter antiquæ institutionis authoritatem, sed & nostræ confirmationis tenorem perpetuum apud Posteros robur obtineant, præmissæ sententiæ executores subnotare dignum duximus: Welfo Dux, Otto, Hartmannus & Rodolfus, Comites de Chilichberg, Otto Palatinus Comes de Witelispach, Ludovicus Comes de Sigmaringen, Henricus Marchio de Rumesberch, Henricus Comes de Wartstein, Manegoldus & Henricus Comites de Veringen, Gebhardus & Wolfratus frater ejus, filii Comitis Manegoldi, Albertus & Ulricus Comites de Chiburg, Gotefridus & Manegoldus filius ejus Comites de Rordorf, Burchardus Comes de Hochenberc, & frater ejus Comes Fridericus, Berchtoldus & Fridericus Comites de Zolleren, Egeno Comes de Urach, Bertoldus Comes de Berge, Conradus Comes de Sancto Monte, Ernest de Stuzelingen, Manegoldus de Otolfswang, Berngerus de Schuzenriedt, Gotefridus de Schwernhausen, Conradus de Teggenhausen, Burchardus & Albertus frater ejus de Frichingen, Hartmannus & Conradus de Mimmenhausen, & alii quam plures. Acta sunt hæc Dominicæ Incarnationis Anno Millesimo centesimo octuagesimo quinto, indictione tertia Imperante Friderico Rom. Imperatore Augusto. Anno autem Imperii ejus XXX. Anno vero Ducatus nostri I.* Immunitatem vero civitatis Thuricensis a Ducis potestate testatur sequens Diploma Richardi Regis Rom. in SIMLERI *Lib. I. de rep. Helvet. p. 30.* & GUILIMANNI *rer. Helvet. Lib. III. c. 5.*

Richardus D. G. Romanorum Rex semper Augustus, universis Romani Imperii fidelibus gratiam suam & omne bonum. Sane fideli relatione pervenit ad nostræ serenitatis auditum, quod Conradinus, olim Conradi Regis filius, qui se Ducem Sueviæ nominat, ea non contentus injuria, quod in vanum sibi gloriam alienam usurpat, insuper & adversus cives nostros Thuricenses, in nostro & Imperii gremio speciali collocatos, nec ad Ducatum eundem, sed ad Imperium, prout stabilivit antiquitas, & modernitas adprobavit, immediate spectantes, tanquam subessent memorato Ducatui, *proscriptionis de facto (cum nullo penitus jure posset) sententiam promulgavit. Nos cautelam eisdem civibus (ne aliquid in simplicium oculis eos infamiæ nubilum decoloret) prædictam proscriptionis sententiam, utpote omni robore vacuam, autoritate regia, & plenitudine potestatis nostræ denunciamus omnino carere viribus, & decernimus esse nullam. Data Hagenoa XX. die Novembr. Indict. V. Anno Domini* CIↃ CCLXII. *regni nostri VI.* Proinde falsum est assertum, extincto Conradino, tot Imperii Ordines Imperii Sacros & Seculares in Suevia demum ortos esse; neque Jura, immunitates & privilegia, quibus illi potiuntur, ex concessione Regum nostrorum, sunt exuviæ dilacerati Ducatus Suevici Stauffensis, qui omnem Sueviam minime comprehendit. Ex nostra ergo etiam sententia reliquiæ ejus fuerunt, post tot alienationes, oppignorationes, donationes & direptiones, dynastiæ quædam, sive domania Ducum pristinorum in Suevia Transdanubiali, quæ ab invasoribus vindicata, Imp. Rudolphus filio suo Rudolpho assignavit. Neque hæc omnia subsequentes Duces Austriæ conservarunt, sed pro lubitu multa vendiderunr, oppignorarunt, vel aliis modis alienarunt. Ita Albertus & Leopoldus, Duces Austriæ, Conrado de Riedersheimb castrum Hohenstauffen, Dynastian Blaubeyren, & Achalm An. 1370. pro 123000. Aureis Hungaricis in pignus concesserunt, qui deinde pro hac pecuniæ summa eadem loca Domui Wirtembergicæ tradidit. Hac de causa jam antea idem Leopoldus, in tabulis pacis cum Imp. Carolo IV. An. 1360. professus est, *se in Palatinatu Rheni, in Suevia & Alsatia Ducem non esse*, ut MUTIUS refert in *Chron. Germ. Lib. XXV. p. 253.* Ipse quoque Imp. Fridericus III. in præcepto de communi fœdere pacis pubicæ tuendæ causa ab Ordinibus Sueviæ ineundo de An. 1487. *dixit* in DATTII *de pace publ. Lib. II. c. 6. pag. 272.* So wir aber als Römischer Kayser zebencken/ daß solcher Fried/ das heilig Reich insgemein anbetrifft/ und dann das Land zu Schwaben uns und dem H. Röm. Reich ohn alles Mittel vor andern zugehörig und unterworffen ist/ und kein eigen Fürsten/ noch jemand hat/ der ein gemein Auffsehen darauf hab/ dann uns als Röm. Kayser; so sind wir uns selbst/ und dem Heil. Röm. Reich/ als desselben Heil. Reichs aigen Sach/ schuldig/ daßelb Land zu Schwaben in seinen Ehren und Würden zu erhalten &c. &c. Cæterum ingenue fatemur, altioris indaginis hoc esse argumentum, & gravius, quam quod pro dignitate a nobis tractari atque exponi potuerit. In magnis tamen etiam voluisse sat est.



DISSER-

DISSERTATIO XL.

JUS PUBLICUM
QUOD IN S. R. IMPERIO
INTERREGNI MAGNI
TEMPORIBUS OBTINUIT.

§. I.

Cum omnis labor in originibus juris publici per sæculorum decursum eruendis collocatus longe utilissimus esse possit, eaque demum in pretio habeatur Imperii nostri historia, quæ non tam res gestas jurium vicissitudinibus nihil lucis allaturas, quam potius ipsam reipublicæ speciem ac figuram complectitur; existimavi, hanc operam temporibus interregni magni præ ceteris omnibus opportune præstitum iri. Præterquam enim, quod in maxima rerum confusione non pauca nobis offerant, quibus lex & mos patriæ illustrari possent, momenta; cum pro rerum dignitate nondum, quod sciam, exposita sunt, siquidem alii simplicem factorum seriem annalium more decurrendo considerunt; alii relictis, qui ceteris præstabant, historiarum fontibus auctores non optimos sequuti sunt; plerique itineris perplexi molestiam celeri saltu & tristi de Germaniæ perturbatione, qua tunc summa imis mixta essent, querimonia superarunt. Hinc multi de interregno magno plus credere, quam scire; audaciores grandia comminisci, vulgus vero, si quæ jurium origines lateant, plerumque ad illa tempora tanquam ad asylum certum & obscuritate sua tutum confugere. Nos insuperhabitis, quæ ad juris notitiam nihil conferre possunt, factis cetera non quo contigerunt, sed quem natura sua in juris publici scientia sortiri solent, ordine documentis haud contemnendis nixi comtemplabimur; non omnia quidem jurium capita excussuri, ne, ubi monumenta rerum deficiunt, fallax conjectura non decipiat, sed ea demum, de quibus fide optimarum auctoritatum edocti sumust

§. II. Sed offendet forsan ipsum opellæ vestibulum eos, quibus interregnum tantum, quantum plerique jactant, non extitisse persuasum est. Nam ut illos taceam, qui Germaniæ solium, nec ex quo Friderico II. sacris interdictum erat, nec ex quo idem decesserat, nec a Conradi IV. morte vacasse contendunt, ne id quidem, quod brevissimum est, interregni spatium a Guilielmi Batavi obitu ad electionem usque Rudolphi I. ab omnibus agnoscitur. Qui enim Richardum Cornubiæ comitem rite post Guilielmi mortem electum ac coronatum, a magno principum Germaniæ numero regis loco habitum, negotiorum Imperii componendorum studiosum, litem vero, quam ipsi Alfonsus Castiliæ rex coram incompetente Pontificis tribunali movebat, nullam, adeoque

que dignitatem ejus non suspensam fuisse censent, illi mihi recte censere videntur, quamvis, cum ita statuant, ab interregni spatio iterum aliquot annos resecent. Superesset ergo interregnum ab A. 1259. quo ex traditione, quæ maximam annalium partem infecit, Richardus Basileam delatus exhaustis, quos secum adtulerat, nummis & diffluente principum comitatu domum redierit inglorius, unde numquam ad Germanos suos redux solo nomine rex in Anglia demum decesserit. Quæ si falsa sunt, ut falsissima esse persuasum habeo, peribit universum illud interregni magni commentum. Haud equidem Richardi reditum in Germaniam cum Ill. STRUVIO & GUNDLINGIO ex diplomate, quo Regis Ottocari investitura de Bohemia & Moravia, nec non Austriæ Styriæque Ducatibus continetur, probaverim, quippe cujus fides ex pluribus indiciis dubia quibusdam visa est. (*a*) Neque utemur debili argumento, cum in promtu sint non exigui numeri fortiora. Nam si Richardus postquam An. 1259. in Angliam redierat, numquam Germanos invisisse vanis auctoribus credamus, numquid hoc uno ictu tot diplomatum hoc anno recentiorum auctoritatem contemremus? aut existimabimus, Richardum inani regis nomine contentum ad rem Germanorum publicam gerendam animum posthac non advertisse, qui tamen An. 1262. Tigurinos a Conrado Sueviæ Duce sollicitatos in suam & Imperii tutelam immediatam recepit, & a Sueviæ Ducatus vinculo, cui alligari periclitabantur, absoluit; (*b*) qui An. 1263. Petro Sebaudiæ comiti terras Kiburgenses donavit; (*c*) qui An. 1267. & 1268. cessionem Ducatus Brabantini inter Henrici III. Ducis filios compositam confirmavit & ratam habuit; (*d*) qui An. 1269. consulibus Wormatiensibus in comitiis ibi convocatis Angariæ abusu interdixit; (*e*) qui denique An. 1271. abbatis & conventus S. Gisleni tutelam Balduino de Avesnis commendavit. (*f*) Quibus documentis ex auctorum non optimæ notæ testimonio de intermisso Richardi reditu in Germaniam & abjecta imperii cura fidem derogare incivile foret, præsertim cum ab Anglorum historicis traditum inveniamus, regem non demum An. 1262. ut viris doctis visum est, sed jam A. 1259. ad iter Germanicum se accinxisse, (*g*) & quamvis denuo Angliam repe-

(*a*) P. ANTONIUS STEYRER in commentariis ad historiam Alberti II. Austriæ Ducis spectantibus, Addition. ad Cap. I. p. 143. seqq. multis ictibus fidem hujus diplomatis profligare fategit, de quibus argumentis infra, quando rem diplomaticam interregni magni excutiemus, pluribus dicetur.

(*b*) Vid. Diplom. in CRUSII Annal. Suev. Tom. III. p. 103. Ægid. TSCHUDII Chron. Helvet. P. I. Lib. III. p. 163. GOLDASTI Constitut. Imper. Tom. I. pag. 308.

(*c*) Extat Diploma in GUICHENON. Histoire genealogique de Savoye. Preuves: p. 74. LUNIG. Cod. Diplom. Italiæ. Tom. I. p. 595.

(*d*) Diploma est apud VREDIUM rerum Flandr. Tom. III. p. 234. BUTKENS trophées de Brabant. Tom. I. preuves. p. 102. AUBERTI MIRÆI Operum Diplomat. Tom. I. p. 433.

(*e*) v. SCHANNAT. Cod. Probation. historiæ Episcopatus Wormatiensis. n. CLIII. p. 134.

(*f*) AUBERTI MIRÆI Opp. Diplomat. Tom. I. p. 590.

(*g*) MATTHÆUS PARISIENSIS ad A. 1259. p. 846. *Interim dum rex Alemanniæ in pace in Anglia moraretur, paratum est iter eidem ad Imperium libere recipiendum.*

repetierit, & per aliquod tempus in vinculis ibi detentus sit, nihilominus quater in Imperium nostrum rediisse. (*b*) Quæ cum ita sint, in fumum abit omnis illa interregni magni jactata diuturnitas. Richardum enim ad mortem usque rebus imperii componendis intentum fuisse, modo demonstravimus, jure vero electum & coronatum esse dudum ostenderunt alii, ut nihil supersit, quo thronum vacasse ostendi posset; nisi quis forte scrupulum a nonnullis temere injectum obvertat, Richardi regnum eo nomine legitimum non fuisse, quod nec Soloduri, nec Lusannæ, ut oportuisset, constiterit. Quamvis enim a Gundlingio recte regestum sit, (*i*) Imperatoribus nostris hæc loca visendi necessitatem nec lege nec more impositam fuisse, tamen si quis morosus insistat, binæ Richardi constitutiones intercedent, de blasphemis & de successionibus adscendentium, quarum illa Soloduri, (*k*) hæc Lusannæ (*l*) data perhibetur.

§. III. Quandoquidem ergo magnum, quod jactatur, interregnum imperio Richardi legitimo & ad ejus mortem usque continuato excluditur, opera quam in eo illustrando collocaremus, inanis esse videri posset, aut certe titulus opusculi non tam interregni, quam potius temporum Richardinorum commemorationem in fronte gerere deberet. Sed ut sæpe nomina rerum, tametsi earum naturæ non omnino consona, longo tamen usu recepta sint, iterum adhibemus; ita quamvis interregnum, quod veterum & recentiorum multi sibi finxerunt, repudiaverimus, obtemperare tamen vulgari & ad hoc temporis spatium designandum introductæ adpellationi aliorum exemplo non dubitamus. Dicamus ergo, utut nec fuisse persuasum habeamus, magnum Germaniæ interregnum omne, quod inter Guilielmi Batavi mortem & Rudolphi I. electionem positum est, temporis spatium; quamvis ejus fines, de quibus regendis cum nemine nobis lis erit, latius aliquando protendi sciamus. Nos libertate communi, qua quisque diligentiæ suæ campum, quem voluerit latum vel angustum definit, optimo jure usuri, mores illius intervalli brevibus exponemus, prætterquam si rerum dicendarum indoles & connexio aliquam in Guilielmi tempora excursionem imperaverit. Richardi vero præsertim tempora excussuri operam, opinor, haud inutilem impendemus, quamvis quodammodo supervacua videri posset, si verum esset, omnia Richardi acta Rudolphi I. successoris auctoritate sublata & rescissa esse. Ita quidem censet Ill. a LUDEWIG, (*m*) visum sibi aliquando Rudolfi I. diploma, quo Richardi non minus ac Alfonsi acta irrita esse jusserit, nisi nova confirmatione robur & valorem consequerentur. Qua in re quamvis magno viro temere obloqui nollem, præsertim cum in tanta diploma-

 tum

(*b*) Chronicon Thomæ Wikes ad A. 1269. apud THOM. GALE Script. Anglic. Tom. II. p. 86. *Romanorum quoque rex illustris detersa jam captivitatis ignominia flagranti desiderio gestiens videre Teutonicos & regni sui negotia, quæ diuscule captivato principe pendule vacillaverant, salubrius ordinare, II. Nonas Augusti Anglia pro tempore derelicta* JAM QUARTA VICE *post electionem de eo factam in Alemanniam transfretavit, rebus pro voto dispositis in Angliam reversurus.*

(*i*) Jac. Paul von Gundling Geschichte und Thaten Kayser Richards, p. 36.

(*k*) LUNIG. Reichs-Archiv. Partis General. Continuat. II. p. 173. & Spicileg. Eccles. Contin. II. p. 14. GOLDASTI Constit. Imp. Tom. III. p. 404.

(*l*) GOLDAST. cit. loc. p. 405.

(*m*) Ill. a LUDEWIG Norimb. Insign. Imper. tutelaris. Cap. V. §. 6. not. oo.

tum antiquorum copia tale quid existere difficilis negatio sit; cum tamen ipse, num recte rei meminisset, subdubitaverit, alios vero audacter in contrarium niti videam, mihi forte conjicere licebit, virum illustrem in animo habuisse Rudolphi Habspurgici constitutionem, cujus nobis EMUNDUS MARTENE & URSINUS DURANDUS (*n*) copiam fecerunt, qua non quidem omnia Richardi & antecessorum quorundam acta, sed donationes eorum & alienationes rerum Imperii consensu majoris partis Electorum non munitæ rescinduntur & abolentur. Quapropter cum nec illud dubium nostro consilio possit obesse, vela ventis, age, permittamus.

§. IV. Fines ipsius Germaniæ proprios temporibus illis accisos esse non constat. Nempe hoc unum quassatæ sub Richardo reipublicæ defuisset, ut exteri, quorum machinationibus jura imperii in Lotharingicum, Arelatense & Italicum regnum varie tunc periclitabantur, etiam contra ipsas Germaniæ provincias aliquid moliti essent. Versus Hungariam per pacem inter Ottocarum Bohemiæ ac Stephanum Hungariæ regem A. 1271. ictam fines constituti ac recti, & ad eundem, quem sub Stephani patre Bela quondam habuerant, modum reducti sunt. Quorum terminorum constitutionem tanta religione partes sanxerunt, ut etiam Archiepiscopo Strigoniensi & Olomucensi Episcopo violatores ecclesiastica censura compescere permiserint. (*o*) Poloniam inter & Marchiam ac Pomeraniam non ita pridem, nimirum An. 1251. fines, ut a quibusdam perhibetur, descripti erant. (*p*) De Slesvicensi Ducatu Dani tunc sollicite vigilarunt, cum Erico Duce A. 1272. extincto affectata primum liberorum ejus tutela, & occupata Ducatus maxima parte non desisterent, donec successor Walde-

(*n*) Thesauro novo anecdot. Tom. I. p. 1169. sq. Huc pertinent constitutionis verba: *Quod omnia donata, confirmata seu facta quocunque modo alio de rebus vel bonis Imperii per quondam Richardum regem illustrem, aut prædecessores suos in Romano Imperio, a tempore quo lata fuerat in olim Fridericum II. imperatorem depositionis sententia nullius habere debeant roboris firmitatem, nisi consensu majoris partis principum in electione Romani regis vocem habentium fuerint approbata.*

(*o*) Pacis tabulas exhibet DU MONT Corps diplomat. Tom. I. p. 293. & præter eos, quos ille recenset, RAYNALDUS in Annal. Ecclesiast. ad A. 1271. p. 185. seqq. Huc pertinent verba: *Includentes eidem paci & eadem volentes regnum nostrum Bohemiæ, terrasque nostras, Austriam, Stiriam, Carinthiam, Morauiam, Carniolam, Marchiam, Aegram & portum Naonis cum omnibus attinentiis eorundem secundum signa, distinctiones & metas antiquas, prout etiam progenitores nostri Reges Boemiæ & Marchiones Moraviæ nec non antecessores nostri Duces Austriæ, Stiriæ & Carintbiæ, Domini Carniolæ, Marchiæ, Aegræ ac portus Naonis usque tempus vitæ domini Belæ inclytæ recordationis patris dicti domini Stephani Regis Ungariæ possederunt & tenuerunt. Verum si termini hinc inde fuissent avulsi & mutati, venerabiles patres Dominus Archiepiscopus Strigoniensis & Episcopus Olomucensis Deum & justitiam habentes præ oculis super ipsis terminis & limitibus cognoscent, & id quod legitime definiverint per censuram Ecclesiasticam partes faciant observare.*

(*p*) Ex Boleslai tabulis finium directricibus terminos tunc constitutos fusius recenset Lœckelius in Marchia illustrata MSCta ad An. 1251. Qui quamvis haud parum indoneas de instrumenti fide dubitandi caussas sibi esse testificetur, prorsus tamen, quod illud a Casimiro rege A. 1364. confirmatum repererit, rejicere religioni sibi duxit.

Waldemarus a Daniæ rege feudi titulo provinciam universam acceptaret. (*q*) Episcopus etiam Slesuicensis Daniæ regi naves & pecunias ad militiam præstare obstrictus fuit. (*r*) Dania ipsa jam pridem nexum, quo cum Imperio nostro continebatur, rescindere quæsiverat, neque dubitandum est, quin Fridericianorum & interregni temporum perturbatio commode Danis supervenerit, ut clientelam jam a Canuto Waldemari filio insuper habitam, nunc eo tutius negligere possent. Juris vero in Poloniam exerciti nullum, opinor, superest interregni temporibus vestigium, ut recte illi quidem sentire videantur, qui reverentiam, qua Poloni adhuc circa postrema Suevicorum Imperatorum tempora Majestatem Imperii nostri suspiciebant, tunc magis magisque exoleuisse statuunt, donec vicennio & quod excurrit post interregnum Przemislaus Poloniæ Dux regiam dignitatem ipse sibi adsciſceret. De Porussia Ottochari Bohemiæ regis aliorumque Germaniæ principum expeditio contra Christiani nominis hostes A. 1255. suscepta celebratur, (*s*) quamvis nec illa nec aliud illorum temporum momentum juribus Imperii, quæ nonnulli jactant, quicquam roboris adjicere videatur.

§. V. In provinciis, quæ Lotharii regno continebantur, varia jurium Imperii monumenta Richardus æque ac Alfonsus, prout quemque principes in contraria studia scissi sequebantur, illis temporibus erexerunt. Lotharingiæ superioris Dux Fridericus Alfonsi partes sequutus vel earum quodammodo antesignanus, de ducatu suo & Comitatu Romaricensi Toleti An. 1258. pridie Id. Martii solemniter quinque vexillis investituram obtinuit. (*t*) Primum eorum officium senescalli curiæ citra Rhenum significabat, ex quo prius ferculum apponere & Imperatoris exercitum sive contra Galliæ regem, sive citra Rhenum moverit, itu præcedere, reditu vero tegere, ac nonnumquam in conflictu primam aciem tenere obstrictus erat. Altero vexillo jus præsidendi duellis nobilium inter Rhenum & Mosam habitantium concedebatur, cujus virtute locum adsignare, ac ne quid in hac sanguinolenta litium decisione contra receptum morem fieret, providere poterat. Nempe hujus juris antiquissimi perquam tenaces fuere Lotharingiæ Duces, idque decennio ante interregnum contra Barrenses Comites armis vindicaverant, ut tabulæ pacis inter Matthæum Ducem & Theobaldum comitem ictæ satis ostendunt. (*u*) Tertium vexillorum Comitatus Romari-

(*q*) v. BRODERI BOISSEN Chron. Slesuicense ad An. 1270. in MENCKEN. Script. Rer. Germ. Tom. III. p. 600. sq. confer. CYPRÆI Annal. Episcop. Slesuic. Lib. II. Cap. XI. p. 287. seqq.

(*r*) v. BOISSEN & CYPRÆUM citatis locis.

(*s*) De notissima expeditione vid. ABBAT. URSPERG. Chron. pag. 253. Anonymi Chron. Bohemic. in MENCKEN. Script Rer. Germ. Tom. III. pag. 1717. sq. BALBINUS Decad. I. Lib. III. p. 122. & Lib. VIII. p. 10. CZECHOROD Mars Morau. p. 362. RAYNALDI Annal. Ecclesiast. ad A. 1255. p. 12. & p. 110. sqq.

(*t*) Notissimas hujus investituræ tabulas præter VIGNIERIUM ediderunt LEIBNITIUS, DUMONT, CALMET, aliique.

(*u*) His vero conditionibus jus duella recipiendi inter Ducem Lotharingiæ & Comitem Barri definitum erat: *De au droit des batailles des Gentilshommes, qui sont entre Mueze & le Rhin, est accordei aussy, qu'elle me* (au Duc de Lorraine) *demeurent toutes, sens de ciaux, qui miex sont hommes liges le Comte de Bar qu'au-*

maricensis indicium fuit, quartum curæ viarum publicarum & fluminum illius terræ, ac quintum denique regalium in monasteriis SS. Petri ac Martini Metis exercendorum, non minus ac protectionis, quæ in universas Lotharingiæ Ecclesias Duci competebat. Horum omnium nomine Fridericus Alfonso Toleti sacramentum præstitit, ea tamen lege, ut intra biennium Imperii Romano-Germanici habenas Rex capesseret; quod si secus evenerit, Ducis nexus salvo Imperii jure solutus esset. Hæc omnia vero tabulis Alfonsinis continentur, integris illis quidem, & nulla, si quid judico, parte mutilatis. Nam quod BALEICOURTIUS, seu ut verius nomen viri esse perhibetur, Abbas HUGO adseveravit, (x) esse sibi hujus investituræ Diploma aliquanto, quam Vignierius & Leibnitius ediderant, plenius & prolixius, illius rei veritas alio diplomate Alfonsi, quod CALMETUS edidit, (y) in magnam dubitationem adducitur. Cujus beneficio patet, particulam, quæ quasi ex integriore investitura Friderici de Ducatu Lotharingiæ profertur, ex alia charta desumi, qua eidem non Lotharingia, sed mille marcarum ex Burgensi civitate percipiendarum summa feudi nomine confertur, quæue altero vel tertio demum, postquam idem de provinciis suis investitus erat, anno conscripta est. Ceterum in hac quoque, de qua modo diximus, charta vestigium juris, quod in Lotharingiam Imperio tunc competebat, superstes est, quippe quæ Fridericum non solum officii pro collata pecunia præstandi, verum etiam illius, ad quod secundum Imperii jus & consuetudinem teneretur, meminisse jubet. (z)

§. VI. In Ducatu Lotharingiæ inferioris & Brabantiæ validum Imperii jus illis temporibus viguit, ut argumentis certissimis ostendit magnum in litteris nomen JO. JACOBUS MASCOVIUS. (a) Si Chronico Belgico crederemus, Ducatus Brabantini appellatio haud diu ante interregni tempora in usu esse, & cum Lotharingia conjungi cœperat. (b) Cui testimonio AUBERTUS MIRÆUS, originem nominis ad An. 1250. referendam esse ratus, aliquid tribuisse videtur; (c) quamvis ea sententia diplomatibus ab Ill. MASCOVIO (d) adductis, &

---

qu'autroy & celles li demorent, & la bataille le comte de Chini aussy li demore; & ces batailles devant dites doit li Cuens devant nommei tenir de moi en accroissement de son fie. v. CALMET preuves de l'histoire de Lorraine Tom. II. p. CCCCLIX. conf. ejusd. Differt. *sur les Duels*, quæ tertio historiæ Lotharingicæ Tomo præfixa est.

(x) Traité historique & critique sur l'origine & la Genealogie de la Maison de Lorraine. p. 110.

(y) Preuves de l'histoire de Lorraine Tom. II. p. CCCCLXXXVI.

(z) *Promisistis etiam nos - - juvare fideliter contra universos homines hujus mundi, excepta persona regis Navarræ, cum centum militibus nobis tamquam vero & legitimo domino serviendo, excepto etiam servitio, quod* RATIONE IMPERII *secundum jus & consuetudinem debetis, & tenemini facere nostræ Regiæ Majestati, quod servitium* AD CONSUETUDINEM IMPERII *vel nihilominus faciatis.* CALMET loc. cit.

(a) Differt. de nexu regni Lotharingiæ cum regno Germ. §. XIX. & XX.

(b) v. Magnum Chron. Belgic. apud PISTORIUM edit. Struv. p. 271.

(c) AUB. MIRÆI Cod. donat. piarum. Cap. 62. Tom. 1. Opp. Diplom. p. 73.

(d) Differt. alleg. §. XVIII. n. 3.

& An. 1250. antiquioribus refellatur. Quicquid harum rerum sit, illud dubio caret, Henricum III. Lotharingiæ & Brabantiæ Ducem suffragiis Electorum inter Richardum & Alfonsum fluctuantibus, hunc sequutum esse. Qui cum ipsi Alfonso contra Richardum succurrere spopondisset, decem millia librarum Turonensium obtinuit diplomate, quod certum de illarum terrarum nexu cum Imperio testimonium præbet. (e) Fortius etiam ad demonstrandam hujus & aliarum Lotharingici regni provinciarum subjectionem allegari potest, quod idem Alfonsus Henricum Ducem Imperii Vicarium a Brabantia usque ad Rhenum & a terminis diœceseos Treuerensis in descensu Rheni usque ad mare constituerit. (f) Num autem Henricus per omnem vitam suam Alfonsi partes sequutus sit, neque facile dixerim, neque ad rem valde pertinet. Hoc certum est, eum in Imperii clientela usque ad mortem perstitisse, suisque ordinibus testamento etiam pollicitum esse, fore, ut exactione nulla premerentur, nisi ob certas caussas, in quarum numero etiam servitium Imperio Romano-Germanico præstandum continetur. (g) Filii, haud secus ac pater, majestatem Imperii coluerunt, sed sub Richardi auspiciis. Nam cum ex eis major natu Henricus corporis & animi virtutibus destitutus fratri Joanni Ducatum inter vivos cederet, & in Monasterium Burgundicum se reconderet, (h) Richardus rex tunc absens Cancellario suo Nicolao Cameracensi Episcopo & Balduino de Auesnis mandatum dedit, ut cessione confirmata suo ac Imperi nomine fidei promissionem & homagium a Joanne Duce reciperent, quem ipse postea, cum A. 1268. Cameracum venisset, de Lotharingia & Brabantia solemniter inuestivit. (i)

§. VII. Imperii jus in Flandriæ, Hannoniæ ac Namurci comitatus celebri controversia Dampetrensium & Auesniensium tunc emicuit. Nam cum Margaretha, Flandriæ ac Hannoniæ Comitissa, ex Burchardo Auesniensi, quocum ipsi consuetudo fuerat, filios Joannem & Balduinum habuisset, postea vero Guiliel-

(e) Huc faciunt verba, quibus Alfonsus Duci pollicetur: *Promittimus etiam, quod jus & factum Imperii nullo tempore vitæ nostræ deseremus, & quod dictum ducem & guerram, quam pro nobis incipiet & faciet, extrahemus & in pace ponemus, & nullam pacem de Imperii negotiis sine eo faciemus, & quod in Imperium quantocius poterimus commode personaliter veniemus.* BUTKENS Trophées du Duché de Brabant. Preuves du Livres IV. p. 95.

(f) Extract de l'histoire d'Edmond de Dintere apud eundem CHR. PUTKENS cit. loc. *Alphonsus anno Domini MCCLV. anno vero VII. regnorum suorum Hispaniæ VI. Romanorum autem primo XVII. Kal. Novembris in civitate Burgensi constituit Dominum Henricum hujus nominis tertium Ducem Lotharingiæ & Brabantiæ universalem tutorem, custodem & defensorem vasallorum, civitatum, oppidorum, terrarum & omnium jurium Imperii, a Brabantia usque ad Rhenum & a terminis dioecesis Trevirensis in descensu Rheni usque ad mare, cum potestate sibi rebelles corrigendi & ipsos conciliandi ac levandi poenas pecuniarum, obuentiones, reditus & prouentus &c. prout in literis desuper confectis plenius habetur.* Errorem chronologicum, qui hanc narrationem infecit, Ill. MASCOVIUS loc. cit. notavit.

(g) Testamenti tabulas v. apud BUTKENS cit. loc. p. 99. & AUB. MIRÆUM Tom. I. p. 207.

(h) Magnum Chron. Belg. cit. loc. p. 279.

(i) Tabulas vid. in DUMONT, Corps diplomatique. Tom. I. p. 226. seq.

Guilielmo Dampetrensi nupta tres alios peperisset, accidit, ut inter hos liberos, ex diversis amplexibus susceptos, acres de futura successione lites bellaque gravissima suscitarentur, quibus describendis haud immorabimur, sufficere rati, si quæ tunc prodiderunt Imperatores auctoritatis suæ indicia previbus designemus. (k) Nempe Guilielmus Batauus, quo imperante controversia jam exarserat, cum ipse Auesnientibus bene cuperet, Margaretham, quæ Dampetrensibus favebat, & ipsum regem vehementer offenderat, consensu principum Germaniæ Francofurti tunc interposito terris suis excidisse pronunciavit, quoniam investituram intra spatium anni a Guillielmi coronatione petere neglexisset. (l) Cui sententiæ Pontifex interdictione Sacrorum Margarethæ intentata robur addere voluit. Et quamvis illa terram Wasiæ, & quicquid Flandriæ citra Scaldim situm est, a Ludovico Gallorum rege feudi titulo se tenere profiteretur; (m) nihilominus Guilielmus rex hanc provinciam Joanni de Auesnis contulit. (n) De Hannonia eundem Joannem Henricus Leodiensis Episcopus, a cujus ecclesia feudi nomine comitatus dependebat, solemniter inuestiverat, (o) ejusque judicium Guilielmus rex principum Imperii consensu ratum habuit. (p) Porro comi-

---

(k) Historiam hujus controversiæ texuerunt Auctor de gestis Ludovici Francorum regis. pag. 437. Chronicon Sancti Bertini apud EMUNDUM DURANDUM thes. nov. anecdotor. Tom. III. p. 736. Cornelius Zantfliet apud eosdem ampliss. collect. Tom. IX. pag. 99. FRANCISCUS HARÆUS in Chronico Ducum & principum Brabantiæ. Tom. I. p. 262.

(l) Instrumentum Henrici Abbatis Fuldensis ad Leodiensem & Lobiensem Abbatem A. 1253. directum apud SCHANNAT. Cod. Probat. Hist. Fuldensis n. XC. p. 203. *Quia nobilis mulier Margareta Flandriæ Comitissa terris & bonis illis universis, quæ ab Imperio tenere debebat, in feudum in generali Curia apud Frankenfort de antiqua Imperii consuetudine celebrata per definitivam sententiam latam a serenissimo Domino nostro Wilhelmo rege Romanorum illustri de consensu principum ibidem præsentium ab hoc fuerit rite privata, quod investituram prædictorum bonorum ac terrarum ab eo infra annum, quo apud Aquisgranum in Romanorum regem fuit divina favente gratia coronatus, recipere non curavit &c.* conf. MARTENE thesaur. anecdot. Tom. I. p. 1053. sqq.

(m) *Nos Margareta Flandriæ Comitissa notum facimus - - quod nos terram Wasiæ, villam & castrum de Ruplemonde cum comitatu Flandriæ ab excellentissimo Domino nostro Ludovico, dei gratia Franciæ rege illustrissimo, ad nostrum feudum tenemus.* LUNIG. Codex. Diplomat. German. Part. II. p. 1967. Eadem in alio diplomate profitetur: *quod non posset facere fortericias novas nec veteres inforciare in Flandria citra fluvium, qui dicitur Escaut, & præfatus Dominus rex (Franciæ) propter necessitatem nostram nobis firmare concessit castrum nostrum, quod est de terra Wasiæ, quod etiam est citra fluvium prædictum, qui dicitur Escaut.* LUNIG. ibid. p. 965. sq.

(n) In eodem, quod modo adduximus, instrumento Fuldensi continetur: *Nobiles vero, ceterosque cujuscunque conditionis homines in quatuor officiis, Wasia Geraudimonte ac comitatu de Alost constitutos personaliter vel per vestras literas diligenter monere curetis, ut dictæ parentes sententiæ subtrahant se a præfatæ dominio comitissæ, & nobili viro Joanni de Auesnis, quem dictus dominus rex de prænominatis terris ac bonis feudaliter investivit, in omnibus pareant & intendant.*

(o) Tabulas vid. apud MARTENE thes. nov. anecdot. Tom. I. pag. 1030. p. 1052.

(p) Diploma Guilielmi regis ibid. pag. 1053. *Nous fasons savoir a tous, que nous fumes à Mallines le Juedy apres les octaves de la Cundeler en la presense de mout de*

comitatum Namurci, quo Balduinus Constantinopolitanus ob neglectum sacramentum & obligatas Franciæ regi munitiones exciderat, idem Guilielmus Joanni Auesniensi ex principum Imperii sententia vindicare permisit. (q) Quod jus imperii etiam Guilielmo extincto in his terris valuit. (r) Neque enim Richardi vestigia deficiunt, quippe qui sententiam Guilielmi contra Margaretham sustulit, (s) Henrico Comiti Lucemburgico investituram, quam a Joanne Auesniensi de Comitatu Namurci consequutus erat, confirmavit, (t) & in Hannonia monasterium S. Gisleni tutelæ Balduini Auesniensis commisit. (u)

§. VIII. Et hæc quidem supersunt juris in provincias Lotharingicas vestigia, quæ quoad Arelatense regnum rariora invenies. Est enim illa veterum multorum traditio, quod in eo auctoritas imperii statim, ex quo Friderico II. sacris interdictum erat, ruere ac retro sublapsa referri cœperit. (x) Fridericus II. hujus juris assertor, non solum Arelatensis regni titulum ceteris suis nominibus nonnumquam interseruerat, (y) verum etiam filio Manfredo idem testamen-

de nos princes, & la fu dit par droit & par jugement, ke li home qui tenoient terres & fies en la conté de Haynau dou signeur de Haynau, devoint faire homage à nostre chier prince & nostre chier serouge Jehan d'Avesnes - - - ensi qu'il est contenu es lettres de nostre chier prince & nostre cousin Henry par la grasse de Diu eslius du Liege &c.

(q) Tabulas inuenies in MARTENE thesaur. novo anecdot. Tom. I. pag. 1032. seqq.

(r) Testimonio Diploma de An. 1257. esse potest apud eund. cit. loc. p. 1098. *Promisimus etiam ac juravimus, quod faciemus fideliter totum posse nostrum sine nostro dando ad hoc, quod dicti dominus rex Alemanniæ electus atque ecclesiæ Leodiensis, episcopus Cameracensis & domini quicunque, de quibus prædictæ movent, recipiant ad homagium de comitatu Haynoniæ, & de homagio Marchionatus Namurcensis & de omnibus illis, quæ supra diximus esse de pertinentiis comitatus Hannoniæ dictum dominum Johannem &c.*

(s) *Richardus dei gratia Rom. Rex semper Augustus - - ad universitatis vestræ notitiam volumus pertinere, publice protestantes, quod nos illustri Dominæ Margaretæ Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ dilectæ consanguineæ nostræ promittimus bona fide sententiam abjudicationis & privationis principatus & feodorum ipsius, quæ ab Imperio tenuit, apud Franckensurd, in solemni curia a claræ memoriæ Wilhelmo Rom. rege prædecessore nostro prolatam, in irritum revocare &c.* v. OLIV. VREDII Annal. Flandriæ Tom. III. p. 96.

(t) Diploma Richardi regis de An. 1257. apud LUNIG Cod. Diplom. Germ. Part. II. pag. 2463. *Unde nos ejusdem Comitis Lucemburgensis precibus benigne, quantum possumus semper succurrere affectati, infeudationem, concessionem & confirmationem ac ratihabitionem à sæpe dictis Rege (Guilielmo) & Johanne ipsi Comiti Lucemburgensi super comitem Namurcensi ac bonis prædictis factas & literas exinde confectas ratas habentes & gratas, eos præsentis scripti patrocinio confirmamus. Volentes tamen, quod quidem Comes Lucemburgensis compareat similis principum nostrorum fidelium suorum parium.*

(u) Tabulas exhibet MIRÆUS Donat. Belgic. cap. CXXII. p. 590.

(x) v. Gesta Treuerensium Archiepiscoporum in MARTENE ampliss. collect. Tom. IV. p. 368.

(y) MONTEFALCONII Palæographia Græca. p. 389.

stamento reliquisse fertur. (z) Sed in quibusdam testamenti superstitis formulis tale quid in Manfredi favorem dispositum haud inuenio, in aliis Henrico filio relinquitur, (a) in universum vero de testamenti fide olim dubitatum fuit, (b) eademque dubitatio vehementer etiam hodie fovetur insigni tabularum, quas circumferri videas, diversitate. (c) Quicquid harum rerum sit, non absurde ambigeretur, qui potuisset Fridericus testamento, si vel illud genuinum foret, de Arelatensi regno disponere, idemque uni ex filiis suis conferre. Petrus tamen Saxius Henricum Friderici II. filium nomen regis Arelatensis tueri conatum esse, Guilielmum vero Batavum reditus regni Comiti Burgundiæ oppignorasse commemorat. (d) De Richardi rebus gestis, quæ ad hunc locum pertinerent, nihil invenio, nisi quod, ut supra dictum est, constitutionis Lausannæ datæ particula circumferatur. Alfonsus Arelatensis regni Senescallum Albertum de Turre, quod viveret, constituerat. (e) Præterea Clemens IV. Pontifex Max. a Jacobo Arragoniæ rege Comitis Sabaudiæ filiam ducturo consultus, num ad eam successio in Comitatum devolvi posset, ad Imperiales leges ibi obtinentes An. 1267. provocavit; (f) ut alia quædam argumenta ad imperii jus in illis temporibus validum demonstrandum facientia taceam, de quibus consuli potest CONRINGIUS. (g)

§. IX.

(z) ABBAT. URSPERG. Chron. ad An. 1250. p. 225.

(a) *Item statuimus, ut Henricus filius noster habeat regnum Ierosolymitanum, vel regnum Arelatense, quorum alterum dictus Conradus prædictum Henricum habere voluerit.* Ita fert testamenti formula, quam exhibet Chronicon Siciliæ in MURATORII Script. rer. Ital. Tom. X. p. 819. & Chronicon P. Francisci Pipini apud eundem Tom. IX. p. 662.

(b) ABB. URSPERG. cit. loc. *Fridericus II. moritur intestatus, ut volunt quidam; alii volunt, quod sui testamentum confinxerint.*

(c) Breues, sed inter se diversissimas Fridericiani testamenti formulas exhibent ODERICUS RAYNALDUS Annal. Ecclesiast. Tom. XIII. pag. 600. MATTHÆUS PARIS, ad An. 1250. p. 702. GOLDAST. Constit. Imp. Tom. I. p. 307. Multo prolixiores sed nec ipsæ in universum consonæ reperiuntur in Chron. Sicil. apud MURATOR. Tom. X. p. 819. & in Chron. P. Francisci Pipini apud eundem. Tom. IX. p. 662. Omnium plenissimæ videntur tabulæ, quas LUNIGIUS in Cod. Dipl. Italiæ Tom. II. p. 910. ex P. Octavii Cajetani Isagoge ad historiam S. Siculam cum vetusto Codice MSCto Bibliothecæ Marchionis Jarratanæ collatas edidit. Quæ formularum varietas, uti dispositionem de regno Arelatensi dubiam reddit, ita & in aliis controversiis obfuit, velut in celebri lite de supremo in terras Ecclesiæ Romanæ dominio. v. Les Droits de l'Empire sur l'Etat ecclesiastique pag. 237.

(d) PETRI SAXII Pontif. Arelat. apud Mencken. Script. Germ. Tom. I. p. 288.

(e) Diploma vid. dans l'histoire de Dauphiné & des Princes, qui ont porté le nom de Dauphins. Preuves du cinquieme Discours p. 121. *Cum ipse vir Nobilis Albertus Dominus de regno Arelatensi & Viennensi noster fidelis nostræ clementiæ supplicaverit, ut eidem cum in dictis partibus fuerimus, ut Dapifer, qui vulgariter dicitur senescallus fercula liceat ponere ante nostram regiam Majestatem; Nos - - dictum officium Dapiferatus sine alterius injuria quamdiu vixerit personale beneficium de nostri muneris largitate duximus concedendum.*

(f) LUCÆ D'ACHERY Spicilegium Tom. III. p. 659.

(g) HERM. CONRINGII de finibus Imperii Lib. I. Cap. XIII. in fine.

§. IX. Sed omnium miserrima facies fuit illi calamitatum infinitarum theatro Italiæ, quam Guelfa & Gibellina factio tunc vehementissime afflixerat, ecclesia vero Romana, quantum ipsi licebat, ab obsequio erga Imperium retrahere studuit, nitentibus tamen in contrarium haud paucis, qui vel ab Alfonsi, vel a Richardi partibus stare, vel si neutrum sequerentur, certe Imperii majestatem tueri constituerant. Cumque illis temporibus Pontifices tantum sibi arrogare, per Italiam dominari, vicarios constituere, regum ac Imperatorum electiones ad nutum suum dirigere, immo cognitionem jure quis an injuria rex salutatus esset, sibi vindicare affectassent; facile colligi potest, quam macilenta prodierit prisci juris in urbem Romam figura. Solebant tunc cives Romani Senatores eligere potentissimos, imo principes exteros, velut Carolum Andegauiæ ac provinciæ comitem, (*b*) & Henricum regis Castellæ fratrem, (*i*) qui sæpe satis pro imperio rem agere & fere regia potestate non parum auctoritati Pontificiæ obesse solebant (*k*). Quæ ut ægerrime tulerunt Pontifices, (*l*) ita nihil molestius, quam si principem potentem & vicinum Romani senatorem elegissent. (*m*) Ex quo facile intelligi potest, quantopere ipsis displicuerit, cum cives urbis Richardo Romanorum regi eandem dignitatem detulissent. Quos autem ille fructus ex Senatoria potestate retulerit, aut quæ jura in Romam eo nomine exercuerit, me nondum comperisse fateor, quamvis a Pontifice omnem lapidem motum esse sciam, ut ne Richardus invisum illud officium, quod viveret, retinere posset. (*n*) Ceterum quod diu ante interregnum in instrumento electionis Conradi IV. electores se ipsos SENETO-

(*b*) ODER. RAYNALDI Annal. Ecclef. ad A. 1264. p. 101. feq.

(*i*) Monachi Patauini Chronicon in MURATORII Scriptoribus rerum Ital. Tom. VIII. p. 729.

(*k*) Quomodo fenatores Romani civium ac nobilium arces destruxerint, Cardinalium cognatos fufpenderint, vel alias Romæ dominati fint, aliquot exemplis ad A. 1258. docuit MATTH. PARIS. p. 833. & 836.

(*l*) Ita Clemens IV. An. 1265. ad Carolum Comitem Andegauensem fcribit: *Quod si prædictus Comes regimen ipsum taliter susciperet, jus ecclesiæ Romanæ, ad cujus dominium dicta urbs plene pertinet, graviter læderetur - - Item ut ipso finito tempore* (Carolus) *dictum Senatum vel regimen dimittere teneretur, ne generaretur præjudicium eidem Romanæ ecclesiæ, quæ sola infolitum dictæ urbis dominium sibi justissime vindicans & non fortis* (lege confortis) *impatiens in hac parte sustinere non posset sine gravissimo præjudicio & enormi jactura, sive in perpetuum sive ad longum tempus quemquam initi dominari.* LUC. D'ACHERY fpicileg. Tom. III. p. 650.

(*m*) Hinc eft, quod promittere debuit Carolus Andegauensis fe tertio ex quo Siciliam obtinuerit, anno fenatoriam dignitatem esse depofiturum. D'ACHERY cit. loc. p. 658. Acta de hac dignitate Caroli Comitis pleniora. vid. in MARTENE thef. nov. anecdot. Tom. II. p. 26. feqq.

(*n*) Ita lego in literis Urbani IV. ad Albertum Apostolicæ fedis notarium: *Hoc autem ideo fieri volumus, ut a tam magno præjudicio memoratæ præcaueatur ecclesiæ, & carissimo in Christo filio nostro* RICCARDO *in Romanum regem electo & coronato nullam injuriam facere videamur; qui cum olim electus esset ad præfatæ Urbis regimen vita sua, nos nullatenus sustinere voluimus, ut ipse illud taliter obtineret, quin immo nos ei super hoc constanter opposuimus, sicut nosti. Si ergo Ecclesia de Comite ipso permitteret, quod de nibilo* (lege illo) *noluit tolerare, ille hoc non immerito revocaret ad animum, magnamque sibi injuriam a nobis & ipsa ecclesia fieri reputaret.* v. MARTENE cit. loc. p. 27.

RES ROMANOS nominaverint, (o) in eo quidem præter tituli lusum & figuram vix quicquam juris quæsiverim.

§. X. In Longobardia ceterisque Italiæ terris numquam forte major rerum perturbatio fuit, quam illis temporibus. Quamvis enim post Friderici II. mortem filius Conradus Italiæ regnum tueri, rebelles compescere, majestatemque imperii confirmare studeret, intercessit tamen Suevicæ familiæ fatum. (p) Guilielmum Batavum a Pontifice in Italiam invitatum alia negotia retraxerunt, & bellum cum Frisiis prius extinxit, quam consilium Italiæ constituendæ perficere poterit. Ad Mediolanenses tamen Spirensem Episcopum Cancellarium suum, qui jam sub Friderico II. Imp. *Legatus totius Italiæ* dicebatur, (q) mittere decreverat; cumque is Germaniæ negotiis impeditus non statim proficisci posset, per illud interjectum temporis spatium R. de Suppino Comitem Romandiolæ *Vicarium Longobardiæ* esse jussit. (r) Ceterum supersunt aliqua documenta, quæ ad Guilielmi regis acta Italica pertinent, v. c. donatio civitatis Taurinensis aliorumque feudorum & jurium in Thomam Sabaudiæ comitem collata, (s) privilegium, quo familiæ Fliscanæ præter Comitivam Palatii alia quædam eminentiora jura conceduntur, (t) investitura Thomasii de Fogliano de quibusdam terris & juribus Romandiolæ, (u) & quæ sunt hujus generis plura.

§. XI. Auctoritatem Richardi apud Italos non magnam fuisse credo, quicquid Anglorum historici jactitent. (x) Certe Alfonsus in Germania minores, in Italia fortiores, quam ille partes consequutus erat, solebantque in Longobardia diaces Richardi nomen scommatibus & versiculis vehementissime insectari.

(o) In insignibus illis electionis Conradinæ tabulis, ut a P. Francisco Pipino apud MURATORIUM Tom. IX. exhibentur verba, legimus: *Cum igitur nos Sigfridus Moguntinensis, Theodericus Treuerensis - - qui circa hæc Romani senatoris locum accepimus.* In editione vero Leibnitiana Prodrom. Cod. Jur. Gent. Diplom. pag. 9. *Cum igitur nos - - qui circa hoc Romani senatus locum accepimus.*

(p) SIGON. de regno Italiæ Lib. XIX. Opp. Tom. II. p. 1012.

(q) Ita eum nominatum esse inuenies in edicto D. Friderici II. de terra Comitissæ Mathildis apud STEPH. BALUZ. Miscellan. Tom. I. p. 451.

(r) Literæ regis Guilielmi ad Mediolanenses in SIM. FRIDERICI HAHNII Collect. Monument. Tom. I. p. 156. *Sed dum obsidio civitatis Aquensis nostrum retardaret adventum, dilectum principem nostrum electum Spirensem imperialis aulæ Cancellarium ad easdem partes prouidimus destinandum. Cujus præsentiam utilem instanti promovendo negotio nobiscum retinentes ad tempus, ne aliqua medio tempore possint contingere nobis inserentia lesionem, nobilem virum R. de Suppino Comitem Romaniolæ, dilectum fidelem nostrum - - constituimus excellentie nostre vicarium in partibus Lombardie.*

(s) Extat in LUNIGII Cod. Diplom. Italiæ. Tom. I. p. 594.

(t) Ibidem Tom. II. p. 2459.

(u) v. Droits de l'Empire sur l'Etat ecclesiastique. p. 484.

(x) vid. MATTH. PARIS. ad An. 1258. p. 832. & 833.

ctari. (y) Jactatur tamen Richardi donatio, qua civitatem Taurinensem & Altrinam sedi pontificiæ concesserit, (z) quamvis eam ab Alfonso profectam esse alii commemorent. (a) Ac si recte se habeat donatio Taurini, quam a Guilielmo rege Comiti Sabaudiæ factam modo adduximus, non facile dixerim, quo loco in universum illa nova, sive Richardi sive Alfonsi fuerit, haberi mereatur, nisi forte rebellio Taurinensis, quæ illis temporibus contigit, mutationi occasionem præbuisse videatur. (b)

§. XII. Superest igitur Alfonsus, cui ut diximus major in Italia fuit auctoritas, vel certe spes letior, quam ipsi Richardo affulsit. Multum ei profuerat amicitia Eccelini, hominis apud Italos potentissimi, qui Guelficæ factionis terror, cum etiam exteros principes adversus Pontificias partes sollicitare consti-

(y) B. HAHNIUS in Collect. Monumentorum Tom. I. p. 394. edidit Guteti de Mirigia Mediolanensis Notarii & sociorum ejus in honorem Alfonsi contra Richardum carmina & literas. Ita vero huic accinunt non nimis alti spiritus Poëtæ

Milue, licet placeas tibi penna forte decora,
Dignum teque putes, ne venereris ea.
Non tamen attemptes aquile te credere pugne,
Que volucres fortis piscat ungue suo.

& paucis interjectis:

Rex regum Comiti preferri debet aperte,
Qui nisi destiterit, pex superabit eum.

Hujus indignationis, quod *Comes* Richardus cum *rege* Alfonso in contentionem descenderit, pleni etiam sunt, qui sequuntur, contumeliosiores adhuc prioribus versiculi:

Nigredo plumbi fuluo nunc nititur auro
Preferri, cursu tentat precedere toruum
Tardus ad hoc nimis atque nimis ridendus asellus!
Testudo celeres sibi sumere cogitat alas,
Ut te precedat, Jouis ales, in aethere puro,
Presumitque lepus, leo, te bellare ferarum
Regem. Certamen tecum presumit alauda,
Ancipiter. Quod in (forte *Quidam*) *regi Comes obuiat alto*
Sed vel desistet Comes aut vincetur ab illo,
Vincetur potius vates optare videtur,
Qui cecinit, rectore bono superabit Hyberus.

(z) v. HERM. CORNERI Chron. in ECCARDI Corpore histor. medii ævi. Tom. II. p. 902.

(a) ABB. URSPERG. Chron. pag. 253. *Alfonsus quidem, ut fauorem sibi Romane Ecclesie conciliaret, duas transpadanas urbes illi permisit, Taurinum & Altriam, facile donans, quod non babuit, & aquilam deplumans. Sic agitur cum infelici Romano Imperio, postquam auaritie nihil satis est, ut qui aspirent ad regnum, promte promittant de non suo.*

(b) De illa vid. Gesta Ludovici Regis Franc. p. 437. nec non ANTONII ASTESANI carmen apud MURATOR. Tom. XIV. pag. 1049.

ſtituiſſet, tandem ſe ad Alfonſum Imperii citius occupandi ſpe facta ſibi conciliatum, quamvis non ſatis proſpero ſucceſſu, convertit. (c) Perſuaſerat autem Alfonſo, in Italia ſibi ſubjicienda Mediolano nihil prius habendum eſſe. Cumque ipſe nobilium ac civium animos tentaſſet, & quantum poterat, Alfonſi partibus adjunxiſſet, miſſis ab Alfonſo militibus octingentis, quibus Guilielmus Marchio Montisferrati ad ſpem Imperialis per Italiam Vicarii erectus acceſſerat, contra eos qui inter Inſubres Turrianorum conſilio partibus Alfonſinis adverſabantur, infelici ac demum ſibi funeſta expeditione movit. (d) Apud Florentinos partes Guelficæ a Manfredo & Gibellinis afflictæ magnam ſpem in Alfonſi noſtri adventu collocaverant, qui cum a Saracenis domi retentus eſſet, Manfredus vero per Italiam arma victricia circumferret, Florentinos Guelficos aliter ſaluti ſuæ conſulere oportuit. (e) Piſani quoque Bandinum Lanceam Syndicum ſuum ad Alfonſum deſtinaverant, qui nomine civitatis fidem regi ac Imperio Romano promiſerat, & viciſſim ab eo confirmationem jurium ac privilegiorum obtinuerat, quamvis in inſtrumentis hujus rei cauſſa conditis adeo ſingulares ac inſolitæ formulæ occurrant, ut quo loco habenda ſint, haud facile dixerim. (f) Certe fuerunt jam olim, qui etiam de aliis Alfonſi

(c) Conf. MONACH. PADUAN. Lib. II. in collect. URSTIS. p. 605. & in MURATORIANA. Tom. VIII. Idem ROLANDINUS tradidit Lib. XI. cap. 2. apud MURAT. cit. loc. p. 326.

(d) ROLANDINUS Lib. XI. cap. 18. apud MURATOR cit. loc. pag. 342. *Rex Caſtellæ ſpeciales literas & nuncios miſerat Eccelino, quod de ipſius conſilio & favore volebat ingredi Lombardiam, unde paratus foret ad eum recipiendum magnifice; erit enim ejus aduentus in breui, ſpectabitque totaliter ad exaltationem ipſius Eccelini & ſuæ partis. His itaque verbis & aliis conſimilibus per regis nuntios ſapienter Eccelino propoſitis, cogitat Eccelinus deinceps, quid ſuper hoc magno negotio ſit acturus. Itaque primitus per ſuam induſtriam nuntiis atque literis, aliisque modis, quibus ſciuit & potuit, taliter laborauit, quod attraxit ad ſuam partem Vaſallos & proceres Mediolani, ita quod ei & ſuæ parti fauere cœperunt, in conſiliis & arengis in propria ciuitate, & jam quaſi ſuo populo reſiſtebant. Et niſi quod dubitabant eccleſiæ indignationem incurrere, plus forſitan in ſuis exceſſionibus proceſſiſſent; ſed habuerunt tunc Mediolanenſes alii & populus, & commune de conſilio ſaniore pro ſuo Capitaneo Martinum de Turre de civitate eadem &c.* conf. SIGON. de regno Italiæ Lib. XX. Opp. Tom. II. p. 1066.

(e) RICORDANI MALASPINÆ hiſtoria Florentina apud MURATOR. Tom. VIII. p. 986. ſeq. *E acciochè* (Alfonſo) *con ſue force veniſſe abbattere la ſuperbia e ſignoria di Manfredi per la quale cagione i Guelfi di Firenze gli mandarono ambaſciadori per ſommoverlo del paeſe, promettendogli grande ajuto, acciochè favoreggiaſſe parte Guelfa, e l'ambaſciadore fu ſer Brunetto Latini, uomo di grande ſenno, ma innnzi che foſſe fornita l'ambaſciata, i Fiorentini furono iſconfitti a Montaperti, e l' Rhe Manfredo preſe grande vigore, e quaſi tutta Italia di parte Ghibellina, ed il potere della Chieſa n'abbaſſo molto, per la qual coſa Alfonſo di Spagna laſciò la'mpreſa dello'mperio, e Riccardo d' Inghiltera non la ſeguiò.*

(f) Extant diplomata in UGHELLI Italia ſacra. Tom. III. p. 435. ſq. LUNIG. Cod. Diplom. Ital. Tom. I. p. 1061. ſeqq. Huc pertinent formulæ: Ego

Alfonsi literis ad Patavinos ceterasque Italiæ civitates directis, in quibus sibi appropinquaturo legatos obviam mittendos poscit, (g) dubitandum esse censuerunt. (h) Verum omnibus his ausis excidit tandem Alfonsus, cum Pontifex non solum ipsi de Imperii cum Richardo contendenti minus faueret, sed & de copiis ejus in Italiam & præsertim in Insubriam transmissis continuo repellendis prospiceret. (i)

§. XIII. Tametsi vero auctoritatis, quam in Italia Richardus & Alfonsus consequuti sunt, forte non multo plura, quam indagauimus, vestigia supersint: non tamen idcirco eorum ambitu omne jus Imperii, quod illis temporibus reliquum fuit, metiri oportet. Fuerunt enim non pauci, qui quamvis neutrum ex his Imperatoribus sequerentur, nihilominus ab Imperii fide, nequicquam obsistentibus Pontificiæ sedis satellitibus haud desciuerunt. Ita Eccelinus tunc quoque, cum nondum Alfonsinis partibus accessisset, in terris, quas sub potestate sua continebat, Imperii Majestatem suspexerat, quo factum est, ut factionis

 Pon-

Ego Bandinus Lanceæ filius quondam Dom. Guidonis Lanceæ de Casalei de Pisis Missaticus, Ambasciator, Sindicus & Procurator Comm. Pisanorum, Sindicatus nomine proprio Communi & ex Baliis & Potestatibus & mandatis mihi concessis per publicum Instrumentum ad gloriam Dei, & ad honorem gloriosissimæ virginis Mariæ Matris Christi Dei viventis, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, & ad honorem S. Matris ecclesiæ Romanæ, & ejus Antistitis suorumque fratrum, & ad honorem bonum, statuum, Principum, Baronum, Comitum, Marchionum, procerum, & aliorum omnium dominorum & civitatum, terrarum & omnium communium & totius populi Christiani & imperii Romanorum inuocata gratia unius Dei & indiuiduæ trinitatis Vos Dominum Alfonsum prædictum præsentem pro toto Imperio Romanorum & ejusdem Imperii nomine & totius populi de Imperio ejus negotium utiliter gerendo IN ROMANORUM REGEM ET IMPERATOREM ROMANI IMPERII NUNC VACANTIS ELIGO, ASSUMO, PROMOVEO ATQUE VOCO &c. Ac iterum in eodem instrumento: *In signum & inuestituram dicti Imperii ego jam prædictus Bandinus sindicus, sindicorum nomine pro Communi Pisanorum & pro omnibus suprascriptis ut servus Jesu Christi per vetus & novum testamentum, & Crucem & ensem vos prædictum Dominum Alfonsum investio & flexis genibus osculum pacis & fidelitatis pedi vestro porrigo &c.*

(g) Extat exemplum harum literarum in LUNIG. Reichs-Archiv. Part. General. Contin. II. p. 179.

(h) Ita quidem censet ROLANDINUS apud Murat. lib. cit. pag. 326. *Et vidi ego tunc temporis literas hujus regis in Padua, ipsius sigillatas sigillo, quibus potestatem Paduæ salutabat & Anzianos & Consilium & populum universum, ipsosque jam suos appellabat fideles, & in literis continebatur eisdem, ut essent providi & parati Ambaxatores & nuncios honorabiles mittere pro Communi Paduæ statim cum fama erit venientem ipsum fines attingere Lombardiæ, qui eum associare debeant venientem. Et creditum fuit in Padua, quod dolose fecerat fabricari Eccelinus illas literas in Verona.*

(i) Vid. ODER. RAYNALD. annal. eccles. ad A. 1272. p. 199.

Pontificiæ scriptores acerrime in eum inuecti sint, præsertim cum aliquo crudelitatis genere, quod ne quidem amici ejus dissimularunt, amplam contumeliarum materiam ipse suppeditauerit. (*k*) Seruavit ille tamen a Guelficæ factionis moliminibus, & quodammodo sub Imperio continuit Marchiam Taruisinam, cujus ipse vicarius cluebat, Veronam, Paduam, Brixiam, Feltro, Vicentiam, arcesque Cremonensium plurimas, quibus nisi fata intercessissent, Mediolanum adjicere constituerat. (*l*) Ita & Humbertus Marchio Pallauicinus Imperii partes in Longobardia & Tuscia tuebatur, quas quoad potuit Mediolani, Placentiæ, Terdonæ, Alexandriæ, nec non apud Papienses, Parmenses, Reginos, & Mutinenses confirmauit. (*m*) Neque in Romandiola majestas imperii exoleuerat. Certe tunc Thomas de Fogliano Episcopo Sassinatensi *jura Imperialia* in illis locis concessit. (*n*) Sed Ariminum postea præsidium Guelficum recepit, domoque Comitum Montis-Feretri diuisa Guido Imperii, Thadæus vero Ecclesiæ partes per Romandiolam tuitus est. (*o*) Genuenses Papa, ut ab Imperio desciscerent, vehementer sollicitauerat. (*p*) Mediolanenses inter utramque factionem fluctuantes, nunc in Philippi Gallorum regis, sed recusantis, tutelam se tradere, (*q*) nunc popularem rempublicam instituere ausi erant. (*r*) Variis quoque argumentis supremum sedis Pontificiæ jus in Sardiniam illis temporibus exercitum defensores Papales probatum eunt. (*s*) Si quis vero paucis descripta velit loca, quæ vel in Imperii fide perstiterunt, vel ad Pontificiam factio-

(*k*) Pleni sunt convitiis in Eccelinum conjectis plerique illorum temporum annales, habuitque princeps connumquam inhumanior commune illorum, quos vulgus tyrannos esse jactat, fatum, ut nempe tragœdia fieret. Albertinus certe Mussatus in scenam Eccelinum produxit, cujus tragœdia extat in binis spendidissimis rerum Italicarum collectionibus GRÆVIANA Tom. VI. Parte II. & MURATOR. Tom. X.

(*l*) Ita quidem ambitum dominationis Eccelini describunt ANTONIUS de GODIS in chronicis apud MURATOR. Tom. VIII. p. 90. & Anonymus Italus apud eundem Tom. XVI. p. 264.

(*m*) v. Chronicon Placentinum apud MURATOR. Tom. XVI. p. 467.

(*n*) Diploma de A. 1259. in UGHELL. Ital. Sacra Tom. II. p. 660. *Thomasius de Foliano Dei Apostolica & Imperiali gratia Comes Romandiolæ - - Quapropter notum esse volumus - - quod nos attendentes devotionem, quam venerabilis pater Joannes dei gratia Ecclesiæ Saxenatis Episcopus* AD EXCELLENTIAM IMPERIALEM *& ad nos gerit - - dicta castra - - & singula* JURA IMPERIALIA *ipsi D. Episcopo in integrum concessimus, & concedimus in feudum in perpetuum: Ideoque - - Mandamus quatenus ipsi D. Episcopo, quæ ad* JURISDICTIONEM *spectant* IMPERIALEM *respondeatis, & persoluatis eidem - - nec aliquis alius se intromittat in prædictis locis & terris* DE JURISDICTIONE IMPERIALI. conf. les Droits de l'Empire sur l'etat ecclesiastique p. 295. sq.

(*o*) vid. Anon. Ital. apud MURATOR. Tom. XVI. p. 261. seqq.

(*p*) Ibidem.

(*q*) v. Auctorem de gestis Ludouici regis p. 480.

(*r*) SIGON. de regno Ital. cit. loc. p. 1026.

(*s*) v. Ragioni della sede Apostolica nelle presenti controversie colla Corte di Torino. Tom. I. Parte I. nella Tavola Cronologica degli atti da' quali apparisce la Sovranità della S. Sede sopra il Regno di Sardegna. p. 206.

tionem se converterunt, is apud Anonymum Italum collectioni MURATORIANÆ insertum nonnihil ad eam rem inueniet. (t) His etiam temporibus caput altius extollere ac potentia inter Italos lætius florere cœperunt eminentiores quædam familiæ, ut domus de Scala, de Malatestis, de Monte-Feretro, de Fazola & aliæ plures. (u)

§. XIV. Cum igitur in tanta rerum vicissitudine nec Richardo motibus Anglorum sæpe nimis jactato, nec regi Castellæ Alfonso valida superesset inter Italos auctoritas, a neutro vero Vicarius constitueretur, vel constituti potestas cito obsolesceret, non ambigendum sibi esse Pontifices censuerunt, quin ipsi Proregem partes suas per Longobardiam valide suffulturum nominarent. Quod officii genus nemini felicius, quam Carolo Siciliæ regi, quo ad Manfredum & Conradinum debellandos utebantur, impositum iri existimabant. Atque ut ea res aliquanto majorem æquitatis speciem præ se ferret, pacis conseruatorem, seu PACIARIUM, nominare placuit, (x) donec succedente tempore titulus Vicarii Tusciæ, imo Italiæ generalis, superadderetur. (y) Neque sibi plus, quam in potestate sua esset, arrogasse Pontifex videri volebat, majorum exempla

(t) Audiamus eum ex Tomo XVI. pag. 261. *Civitates & castra aliqua ceu fideles Imperii sicut ex debito tenebantur, Imperio adhærent; & quamuis nutabat Romanorum Imperium, tamen æquitatem voluntarie sequuti sunt, jura Imperii defendendo, ut ad manus ecclesiæ non venirent, sicut Pisæ in Tuscia Aretium, & etiam Senarum civitas & alia plura loca. In Romandiola autem pro despectu Bononiensium & aliorum, qui partem ecclesiæ sequebantur, Forlivium, Fauentia & Imola. In Lombardia autem & Marchia Trivisana Ezzelinus de Romano jura Imperii pro posse defendit, qui fuit dominus Veronæ, Vicentiæ, Padvæ, Triuisii, & etiam in locis pluribus Lombardiæ. In Lombardia autem erant contrarii Ezzelino & etiam Imperio propter ejus vacationem suadente ecclesia multi nobiles Lombardi, & ciuitates & castra, quæ cum Papa eorum duce adhærebant, scilicet Mutina, Ferraria, cum eorum duce Azzone Marchione Estense, & etiam Mediolanum cum ejusdem dominis Turrianis, & plurimæ aliæ Lombardiæ ciuitates in Tuscia. Etiam Imperio contrarii fuerunt Florentia, Pistorium & ciuitas Luccana, & plurima alia loca &c.*

(u) De his eundem anonymum vide cit. loco p. 266. seqq.

(x) Ita Clemens IV. in literis ad Vicarium Pontificium in urbe ceterosque Tusciæ ac Romandiolæ Prælatos: *Nos sane - - Carolo regi de fratrum nostrorum consilio pacis tutelam in Tusciæ finibus, quæ vacanti subsunt imperio, duximus committendam, eundem inibi* PACIARIUM *statuentes, data sibi sub certa forma plenaria potestate, omnes illos, qui pacem jurare nollent, aut juratam violare præsumerent, comprehendendi.* Extat in MARTENE thesaur. nou anecdot. Tom. II. p. 512. conf. ejusdem Pontificis literas ad Florentinos in ODERICI RAYNALDI Annalibus Eccles. ad A. 1267. p. 142.

(y) Gregorius X. in literis ad Alfonsum apud LUNIG. Reichs-Archiv. Continuat. II. Partis Generalis. p. 181. *Pacis autem eundem regem a principio constituens servatorem, deinde ut in commissa sibi provincia singulis suam reddendo justitiam, pacem melius conservaret, cum pax justitiæ sit opus & fructus, ipsum, ut haberet exhibendo omnibus justitiæ potestatem,* VICARIUM *sub certa forma in eadem provinciæ Tusciæ constituit* GENERALEM &c. Similiter Conradinus in querelis ad principes Germaniæ Chron. Siciliæ apud MURATOR. Tom. X. pag. 827. *Et falcem mittens in nostram messem, præfatum Carolum per universam Italiam Romani Vicarium Imperii statuit in nostram injuriam manifestam.*

pla caussatus, qui vacante throno Imperiali, vel fluctuantibus Electorum suffragiis jam pridem ad illud pacis in Italia tuendæ remedium confugissent. (z) Præterea juribus imperii nihil derogari persuadere omnibus, quibus de illa constitutione sinistrum erat judicium, affectabant, (a) ut etiam a Carolo inter conditiones suscipiendi muneris sibi sponderi curarent, ne quid potestatis post mensem, ex quo Imperator legitime iterum electus foret, usurpare vellet. (b)

§. XV. Quandoquidem ergo lustratis finibus & Imperatoriæ auctoritatis per provincias antiqui regni Lotharingici, Arelatensis & Italici monumentis ad cetera capita descendendum est; succedit, ut de Imperatore, & quæ primo loco explicari meretur, ipsius electione ex illorum temporum sententia disputemus. Septemuiros, quibus jus eligendi regem competit, inter ceteros principes eminuisse, nemo ambiget, cum & ante Richardi ac Alfonsi electionem caput extulerint, & prærogatiuam eorum hujus quoque temporis acta satis demonstrent. (c) Nimirum Archiepiscoporum Moguntini, Coloniensis ac Treuerensis, nec non Regis Bohemiæ, Comitis Palatini, Ducis Saxoniæ, & Marchionis Brandenburgici suffragia inter Richardum & Alfonsum diuisa, in literis suis Urbanus IV. Pontifex Maximus diserte commemorat, quamuis etiam Henrici Bauariæ Ducis aliquas in hac electione partes fuisse, aliunde constet. (d) Non-

(z) Clemens IV. in literis ad Alfonsum apud MARTENIUM Thes. Nov. Anecd. Tom. II. pag. 499. *Sane similia a nostris prædecessoribus facta legimus, quæ non solum vacante Imperio legitime possunt fieri, sed* ETIAM FLUCTUANTE.

(a) Idem citato loco: *Nos videntes discrimen in limine, pacem per Tusciam jurari mandavimus, & carissimum in Christo filium Carolum regem Siciliæ, non imperii, sicut quidam mentiuntur, in contrarium, sed pacis constituimus servatorem.*

(b) Quod bullæ Clementinæ verbis continetur: *Clemens &c. charissimo in Christo filio Carolo illustri Regi Siciliæ Salutem. Et cum te in partibus Tusciæ Romano subjectis Imperio nunc vacanti pacis constituerimus per nostras sub certa forma literas servatorem, - - dictum officium - - ea te lege volumus tantummodo usque ad triennium obtinere, quod si forsan Imperatorem vel regem Romanorum a sede Apostolica approbatum infra prædictum tempus regnare contigerit - - tu amplius eodem officio ultra mensem post interdictum hujusmodi non utaris &c.* v. ODERIC. RAYNALDI Annal. Eccles. cit. loc. p. 142.

(c) Urbanus IV. Pontif. Max. in prolixis literis, quibus argumenta procuratorum Richardinorum & Alfonsinorum pro utriusque jure ad Imperium Romano-Germanicum continentur: *Et quidem,* inquit, *procuratores & nuncii tui - - coram nobis & eisdem fratribus proponere curauerunt quasdam consuetudines circa electionem novi regis Romanorum in Imperatorem postea promovendi, apud principes vocem in hujusmodi electione habentes, qui sunt* SEPTEM *numero, pro jure servari, & fuisse hactenus observatas a tempore, cujus memoria non existit.* v. LEIBNIT. Cod. Diplom. Jur. Gent. p. 12. DU MONT Corps Diplomatique Tom. I. p. 216. seq.

(d) Ita Rudolfus Habspurgicus in diplomate, quod apud LAMBEC. Biblioth. Vindobon. Lib. II. p. 828. extat: *Idemque noster filius Ludovicus coram nobis cunctisque Principibus, Prælatis, Baronibus, militibus & universo populo, qui eidem Curiæ adsidebant, extitit, publice protestatus, quod prædictus* DUX HENRICUS FRATER IPSIUS *olim* ELECTIONI INCLYTI RICHARDI *Romanorum regis nostri prædecessoris una cum ipso præsentialiter cum ceteris principibus Collectoribus*

Nondum tamen septem illi principes ceteros prorsus excluserant. Nam & cum Treuerensi Archi-Episcopo, qui caussam Alfonsi tuebatur, Episcopos Spirensem & Wormatiensem & Sueviæ Nobiles consensisse legimus, (e) & a partibus Richardinis, quarum caput Archiepiscopus Coloniensis erat, multos Duces ac Principes in electione stetisse, Urbani IV. literis continetur. (f) Ceterum fabulam, quæ Gregorium V. collegii electoralis auctorem esse mentitur, temporibus interregni iactatam & a multis creditam fuisse, Martinus Polonus, qui tunc scripsit, exemplo suo demonstrat. (g) Cujus chronicon ne illo loco, ut alias sæpe, interpolatum esse credamus, Radulphus de Columna Canonicus Carnotensis intercedit, qui commentum ex Martino in tractationem suam *de Imperii translatione* statim post interregni tempora compositam transtulit. (h)

§. XVI. Electio more majorum Francofurti ad Mœnum celebrabatur. Nam quod Trithemius (i) refert, conuentum Marpurgi constitutum postea Francofurtum translatum esse, cum etiam alia veritati parum consona narrationi suæ immiscuerit, auctoritate idonea defendi posse vix existimauerim. Procuratores Richardi dominum suum secundum leges & mores electum fuisse Pontifici adprobaturi, præter alias consuetudines antiquas in electionibus obseruandas, eam quoque, ut in ipsa urbe Francofurti, vel extra eam in locis circumjectis principes conuenirent, allegant. (k) Richardus autem tunc extra urbem,

 Alfon-

ribus interfuit, & in eam uterque direxit legaliter votum suum, eundem in Romanum regem una cum aliis Conprincipibus jus in hoc habentibus eligendo.

(e) Gesta Treuerensium Archiepiscoporum apud MARTENIUM in amplissima Collectione Tom. IV. p. 254 & ECCARD. Corp. hist. medii æui Tom. II. p. 2237. *Ipse* (Treuerensis) *adductis secum Spirensi & Wormatiensi Episcopis ac aliis pluribus nobilibus terræ in manu forti & comitatu decenti die certa Frankeuort assignata processit &c.* Chronicon. Salisburgense ad An. 1257. in PEZII Script. Rer. Austriac. Tom. I. pag. 365. *Marchio Brandenburch cum ceteris Electoribus Imperii & Principibus ac Nobilibus totius Sueviæ de consilio domini Papæ ac aliorum Principum Romano Imperio subjectorum Regem Castelliæ de Hyspania in regem Romanorum elegerunt.*

(f) Urbanus IV. cit. loco: *Archi-Episcopus Coloniensis & Comes - - cum de anno & die post vacationem Imperii quindecim dies solum superessent, infra quos nullo modo potuissent propter locorum distantiam & alias facti circumstantias præfati principes iterum conuenire, cum Prælatis, Ducibus & aliis ibidem præsentibus deliberatione præhabita de ipsorum communi consilio & assensu ad electionem procedere decreuerunt, & tandem præfatus Coloniensis - - electionem hujusmodi Magnatum & aliorum adstantium copiosa multitudini publicauit.*

(g) v. Martin. Polon. edit. KULPIS. p. 367.

(h) Radulphus de Columna de translatione Imperii Cap. IX. apud GOLDAST. in Monarchia Imperii Tom. II. p. 94.

(i) TRITHEM. Chron. Hirsaug. ad An. 1257. *Diem electionis ad Marpurg in Hassia per Principes constitutam ad Franckfurt oppidum Imperiale* (Gerardus Moguntinus) *transtulit.*

(k) Urbani IV. litteræ loc. cit. *Die præfixa conuenientibus apud oppidum de Francken-*

Alfonsus in urbe electus est. Cumque Treuerensis Archi-Episcopus & Dux Saxoniæ Castilianarum partium adsertores factionem contrariam neque in urbem venire paterentur, neque ad eam ipsi exirent, factum est, ut ipsorum electio accusaretur, quod clandestina fuerit, & *in camera* Præsulis Treuerensis loco minime legitimo celebrata sit. (*l*)

§. XVII. Imperatorem intra spatium anni ex die, quo vacare thronus cœperat, eligi oportere, Richardi Procuratores apud Pontificem ajebant, Alfonsi negabant. Sed cum utraque pars caussæ suæ serviat, & ex observato die Richardus electioni suæ prærogativam quærat, neglectum vero Alfonsus sibi non nocere contendat, non facile dixerim, an anni decursus pro justo regis eligendi spatio tunc vere habitus fuerit. (*m*) REPKOUIUS ubi jus diem præfigendi ceterosque electores convocandi penes Comitem Palatinum Rheni æque ac Archiepiscopum Moguntinum esse contendit, vapulare solet; & hoc tamen interregni temporibus obtinuisse partium, quas sæpe nominavimus, allegatione continetur. (*n*) Ceterum non ex unius arbitrio, sed consensu ceterorum, diem præfixum, (*o*) verumque electionis terminum ab eo, qui deliberationum & tractatuum habendorum caussa definitur, distinctum esse, in iisdem actis adseritur, multumque num peremtorius sit, an a majore parte prorogari possit, disputatur. (*p*)

§. XVIII. Electores omnes convocari oportuisse, minimum dubii habet, cum etiam eo nomine Alfonsus electioni suæ prærogativam quæsiverit, quod qui ab ejus partibus steterant, nec diem prius definiverint, nec convocaverint ceteros, quam Archiepiscopus Moguntinus, qui ab hostibus suis detentus erat, liberatus fuisset, & ad locum electionis veniendi potestatem habuisset. (*q*) Eum

---

Frankenford intus vel extra ipsum oppidum in terra, quæ dicitur Franckeserde, loco quidem ad hoc deputato specialiter ab antiquo.

(*l*) Ita nempe reprehenditur Alfonsi electio a Richardi procuratoribus in iisdem literis Pontificiis, *quod nulla omnino forma servata in Camera Treuerensis Archiepiscopi contemtis aliis principibus clandestine attentata fit.*

(*m*) Urbani IV. literæ commemorant consuetudines, *secundum quas infra annum & diem, postquam vacat Imperium, talis decet electio celebrari, quacunque parte ipsorum anni & diei, quam ad hoc iidem principes duxerint deputandam.* Ac iterum de procuratoribus Alfonsi: *Consuetudinem, quæ de celebranda tempore vacantis Imperii infra annum & diem regis Romanorum electione præponitur, ac alias omnino negabant.*

(*n*) Ibidem: *Ad Archiepiscopum Moguntinum & Comitem Palatinum Rheni vel ipsorum alterum altero nequente, vel forsitan non volente, pertinet ad electionem ipsam celebrandam diem præfigere ac ceteros Electores Principes conuocare.*

(*o*) Gesta Treuerensium Archiepiscoporum apud MARTENE loc. cit. pag. 254. *Demum principes Alemanniæ, ad quos jus electionis pertinet, diem ad tractandum de electione elegerunt.*

(*p*) Hæc omnia variis locis per literas Urbani IV. sparsis continentur apud DUMONT cit. loc. p. 217. seq.

(*q*) Urbanus IV. in literis aliquoties allegatis: *Certum terminum statuerunt subsequentem Dominicam passionis, quo quidem termino usque ad proximam dominicam Palmarum continuato de die in diem & memorato Maguntino tunc a vinculis liberato &c.*

Eum vero, cui sacris interdictum erat suffragio ferendo, inhabilem esse censebant; cujus rei obtentu partes tam Richardi quam Alfonsi usas esse constat, ut quisque suffragiorum alterius vim & numerum imminueret, cum aliquos Electorum excommunicatione pulsatos esse, nonnullos vero factis suis in eam ipso jure incidisse contenderent. (r) Deinde quamuis tunc nondum definitum fuisse existimem, quot quisque comitibus stipatus accedere posset, copias tamen adduxisse, ut semper inciuile habitum fuit, ita nec tunc reprehensione caruit. (s) Ac licet ipsorum principum præsentia non abscisse requireretur, nihilominus partium studio tribuendum esse putauerim, quod Richardi procuratores Pontifici adseuerent, duorum quoque præsentiam ex antiqua consuetudine sufficere posse. (t) Absentes solebant aut legatos, vel ut frequentius nominantur, procuratores suos in locum electionis destinare, (u) aut suffragium alii cuidam ex electoribus committere, tanta quidem arbitrii libertate, ut se regem, quemcunque demum ille suo & absentium nomine appellauerit, agnituros esse pollicerentur. (x)

§. XIX. Suffragia numerata esse, partemque, cui plurima ciciderant, præualuisse, non opus est multis probare. Magna tunc quidem Electorum ecclesiasticorum auctoritas fuit, & ex sententia quorundam summa rerum ad eos rediit, (y) cujus tamen prærogatiuæ nullum aliud momentum fuisse crediderim,

(r) Ibidem objicitur Archiepiscopo Treuerensi, *quod propter noua pedagia, quæ in terra sua imposuit, erat tunc excommunicatione ligatus.* Contra legati regis Alfonsi urgebant, quod suffragia Coloniense ac Palatinum nullius valoris essent, *cum Coloniensis Archiepiscopus pro eo, quod in bonæ memoriæ P. Sancti Georgii ad velum aureum Diaconum cardinalem tunc legatum in Alemanniæ partibus manus injecerat, ac venerabilem fratrem Paderbornensem Episcopum detineret captiuum, propter quod per eundem Legatum excommunicatus extitit; Comes vero propter clericorum & religiosorum cædes & notorias captiones, & quia contra sententiam felicis recordationis Innocentii Papæ IV. quondam Friderico, olim Romanorum Imperatori, & Conrado nato ejus præstiterat publice consilium, auxilium & fauorem, erant ipsius electionis tempore tam a canone, quam ab homine variis excommunicationibus innodati &c.*

(s) Ibidem: *Qua die præfati Treuirensis Archi-Episcopus - - - ad prædictum oppidum tamquam viri pacifici accesserunt. Supradicti vero Coloniensis Archiepiscopus & Comes cum ingenti armatorum multitudine ad loca circumuicina ipsius oppidi aduenientes requisiti - - - ut idem oppidum intrarent, cum societate decenti &c.*

(t) Ibidem: *Quibus* (Electoribus) *omnibus vel saltem duobus ex ipsis die præfixa conuenientibus &c.* Ac iterum: *Intelligitur autem is electus esse concorditer, in quem vota omnium Electorum principum vel saltem duorum tantummodo in electione præsentium diriguntur.*

(u) Procuratores Regis Bohemiæ in literis Urbani IV. aliquoties commemorantur.

(x) *Qua die præfati Treuerensis Archiepiscopus & Dux Saxoniæ pro se ac dilecto filio, nobili Viro Marchione Brandenburgensi, qui eidem Treuerensi Archiepiscopo vices suas commiserat &c.* Gesta Treuerensium Archiepiscopor. loc. cit. p. 254. *Memorati principes electores suam electionem illa vice eidem Archiepiscopo Treuerensi per suas litteras commiserunt, ut quemcunque præter Anglicanum suo & ipsorum nomine eligeret, ratam & firmam hujusmodi electionem haberent.*

(y) v. ABBAT. URSPERG. Chron. p. 253.

quam quod Archiepiscopi bini Richardinas æque ac Alfonsinas partes antesignani duxerint, & reliquos artibus non eminentia potestatis in castra sua pertraxerint. Est etiam Richardi electio nobis exemplo, quod suffragia interdum mutata fuerint, & electores ad regem, cui, cum a ceteris eligeretur, repulsam dederant, posthabitis prioribus consiliis se converterint. (z) His quoque temporibus potestas dirimendi dissidia suffragiorum electoralium tribuebatur Comitis Palatini arbitrio. (a) Sed quia jam in multis electionibus principes diuidi, regi regem opponi, populoque in contraria studia scisso prouincias Germanicas quassari fere in morem iuerat, & post Guilielmi Bataui fata plerique non multo meliorem conditionem augurio minime fallaci sibi promittebant, factum est, ut magna pars ciuitatum in pacem, quam cum eis principes ac Comites haud pauci sponsione sua confirmauerant, clausulam insererent, qua quid in suffragiorum electoralium discrepantia obseruandum esse, caueretur. Statuerant veto, ne qua ciuitas regem, nisi unus & solus electus fuerit, ope auxilio suo iuuaret, neue ei mutuum daret, aut ipsum intra mœnia sua reciperet, neue qua earum fidem suam alterutri sacramento obstringeret, nisi mallet perjura pronunciari, omnique honore priuata ceterorum copiis inuadi ac destrui. (b) Hujus sanctionis seueritas sine dubio effecit, ut Richardum agnoscere ciuitatum multæ, præsertim vero Wormatiensis, detrectauerint. (c)

§. XX. Quid in Imperatore, ut eligi possit, requisitum fuerit illis temporibus, non video commemorari, nisi quod forte terminum ætatis certum obtinuisse ex literis Clementis IV. Pontificis Max. ad Wernherum Archiepiscopum Moguntinum directis colligi posset. Cum enim ad eum rumor perlatus esset, gliscere fauorem Conradini, partesque ejus in Germania vires acquirere, ut etiam spem obtinendi Imperii concepisset, ille ut electionem impediret, terminum æta-

---

(z) Urbanus IV. in literis ad Richardum regem sæpe citatis: *Præsertim cum non tantum major pars principum prædictorum, imo omnes, excepto nobili viro Marchione Brandeburgensi, qui etiam paratus est tibi obedire - - - electioni de te factæ consentiant, & tibi tam ipsi quam alii magnates Alemanniæ generaliter tamquam regi suo obediant & intendant.*

(a) Ibidem: *Et si votis principum, ad quos spectat eligere, ad eligendum conuenientium diuisis in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit, vel ad prædictum Comitem Palatinum tamquam ad hujusmodi discordiæ judicem est recursus habendus &c.*

(b) Diploma de A. 1256. extat apud DU MONT Corps Diplom. p. 203. in cujus fine ita legitur: *Ad salutem etiam totius populi & terræ statuimus & promisimus ibidem sub debito juramenti, quod si domini principes, ad quos spectat regis electio, forsitan plus quam unum eligerent, vel eligent, quod nos nulli illorum astabimus verbo vel opere, aut aliqua seruitia exhibebimus clam vel aperte aut mutuum dabimas, vel in aliquam ciuitatem intromittemus, neque fidelitatem juramenti præstabimus. Si vero aliqua Ciuitatum hoc infregerit, perjura & carens omni honore reputabitur, & contra illam & ejus perpetuam destructionem totis viribus insurgemus.*

(c) Conferatur Monachi Kirsgartensis Chron. Wormat. in Ill. LUDEWIGII Reliqu. Tom. II. p. 127. & JOANNIS in not. ad Serarium Scriptor. Mogunt. Tom. I. p. 612.

ætatis legitimum obtendit, in cujus defectu inter *eligibiles* personas haberi non mereretur. (*d*) Egit autem Conradinus, cum Pontifex ea scriberet, annum ætatis suæ decimum quartum. Illud magis ad interregni tempora pertinet, num potuerint per patrios mores Richardus & Alfonsus uterque peregrinus eligi, solentque non tantum nostra ætate eorum exempla commemorari, ut ostendatur, obseruantiam in eligendo Germano non usquequaque constantem fuisse, verum etiam inter antiquos de contemtu Germanici sanguinis & translato ad exteros Imperio querimoniæ frequentes audiuntur. (*e*) Sed ut pericula, quibus Imperii acceptatio turbulentis hisce temporibus præsertim ob machinationes Pontificum obnoxia fuit, Germaniæ principes ne ambirent, neue ultro delatum susciperent deterruisse, simulque peregrini electionem quodammodo excusasse videntur; ita nec olim defuerunt, qui originem Richardi æque ac Alfonsi Germanicam jactarent, & eos, quamuis patres Germanos non habuissent, ex eminentissimis tamen Germaniæ familiis ortos eoque nomine Imperii capaces esse contenderent. MATTHÆUS quidem PARIS Richardum nisi a Germanis oriundum, certe tamen cum eis arctissima cognatione conjunctum fuisse probaturus, perquam subtiliter philosophatur, Anglorumque originem Germanicam, utriusque linguæ vicinitatem, & aliqua principum nostrorum connubia in eam rem allegat. (*f*) Certior est Alfonsi origo Teutonica, qui Philippi Sueui nepos ex filia Beatrice fuit. Neque prætermiserunt partes ejus hoc argumento prærogatiuam ejus, qua Richardum superaret, extollere, tantique ponderis illud esse censuerunt Pisani, ut etiam tabulis, quibus huic Alfonso fidem & obedientiam pollicentur, inseruerint, præterea quoque spem magnam conceperint, fore ut utrumque Imperium Romano-Germanicum & Græcum felici vinculo conjungeret, cum æque a Sueuicis Ducibus Germaniæ Imperatoribus, ac ab illis, qui tunc in oriente imperabant, genus augustum duceret. (*g*)

(*d*) Extant literæ de An. 1266. in SCHANNATI Vindemiis Tom. I. pag 207. *Porro non sine magna cordis amaritudine nuper recepimus, quod nonnulli ex his principibus & Prelatis, ad quos jus pertinet eligendi Romanorum regem, ad imperatorem postmodum promouendum in eam venerint audaciam, ut super electione Conradini ejusdem ad Imperium occultos audeant & apertos inire tractatus - - Hunc autem probat esse* INELIGIBILEM *ætatis infirmitas, quæ inhabilem eum efficit ad honores, cujus etiamsi* LEGITIMUM TERMINUM *attigisset &c.*

(*e*) ABB. URSPERG. Chron. p. 253. *Mirum quæ res spem fecerit alienigenis Principibus ad coronam aspirare, quam tantis seculis sola Germania promerebatur.* Gesta Treuerensium Archi-Episcoporum p. 254. *Dominus vero Arnoldus Æpiscopus Treuerensis cum duce Saxoniæ - - fidem debitam Imperio salubriter & prudenter attendentes, virum alienigenam pro pecunia nullatenus eligere voluerunt.* Similibus reprehensionibus pleni sunt illorum temporum annales, quibus describendis non vaco.

(*f*) MATTH. PARIS ad A. 1257. p. 808. *Elegerunt igitur inito diligenti cum deliberatione consilio Comitem Richardum, tum propter linguam Anglicanam, quæ Alemannicæ consonat, & originis communionem antiquam & nouam. Antiqua in Chronicis poterit reperiri, noua in diebus nostris potest certificari, scilicet de Duce de Brunsuic & Duce Saxonum, de Ottone Imperatore, qui de Anglica, scilicet filia Henrici Anglorum regis ortus est.*

(*g*) Diploma Pisanum in UGHELLI Ital. Sacra Tom. III. p. 435. *Cum vos* (Alfonsum) *cognouerint esse natum de progenie domus Ducum Sueviæ, ad quam de priuilegio principum & de concessione Romanæ ecclesiæ Pontificum juste & digne dignosci-*

§. XXI. Quamuis vero Richardus & Alfonsus a sua quisque parte principum Electorum ad Imperium vocati essent, & hic regnum hereditarium, ille multas & magnas in Anglia terras possideret, adeoque metuendum fuisset, ne domesticarum rerum studiosi ad pristinos lares sæpe nimis recurrerent, absentia sua Imperio, quod postea in Richardo reapse contigit, obessent; nullibi tamen reperire potui, Germanis nostris in mentem venisse, ut crebris itineribus, quæ sine Imperii consensu forsan uterque suscipere potuisset, conditione præscripta prudenter obicem ponerent. Ipsi post primum Richardi reditum Angli mirabantur Germanorum facilitatem, qua regem proficisci cum uxore ac filio passi essent, & de reuertendi animo parum solliciti ne quidem obsides eo nomine retinuissent. (*b*) Neque dissimulari potest, dissitas terras & possessiones, quarum tuendarum caussa Germaniam Alfonsus visere numquam potuit, Richardus vero repetitis itineribus deseruit, multiplicis perturbationis & interregni comminiscendi occasionem fuisse. Præterea peregrinæ originis incommodo illud quoque tribuendum est, quod Richardus ab Angliæ Vasallis, cum ad patrios lares rediisset, parum reuerenter habitus, & inter Britannos contemta dignitate regis Romanorum nonnisi Cornubiæ Comitis loco acceptus sit, præterea jusjurandum

dignoscitur pertinere Imperium, & successione ad vos, qui ex ea domo descenditis recta linea, & per vos, cum succedatis Excellentissimo Manueli olim Rom. Imperatori, Imperia abusiue diuisa in unum videantur posse colligi & in vobis diuiniter counire, sicut tempore Cæsaris & Constantini Christianissimi fuit unum. Genealogiam vero, quæ his verbis, utut hinc & inde futilibus continetur, ad originem Alfonsi ex utriusque Imperii capitibus deducendam ita concipere oportet.

Flauius Alexius I. Comnenus. Imp.

Flauius Joannes	Comnenus Imper.	Theodora Comnena uxor Constantini Angeli
Flau. MANUEL	Comnenus Imper.	Andronicus Angelus
		Isaacus II. Angelus Imperator
		Irene uxor PHILIPPI Sueui Imperatoris.
		Beatrix uxor Ferdinandi III. Regis Castellæ & Legionis.
		ALFONSUS Rex Romanorum & Castellæ.

Conf. JO. JACOBI CHIFFLETII lumina prærogatiua ad Vindic. Hispan. p. 365. BLONDELLI plen. assert. Tom. II. p. 419. ADELZREITER Annal. Boic. Gentis P. I. Lib. XXIV. p. 641. Ita & Alfonsus a Carthagena in Anacephal. reg. Hispan. Cap. LXXXIV. Hispan. Illustratæ Tom. I. p. 283. originem Alfonsi regis Germanicam commemorat. Verum familiæ Suevicæ, ex qua ille oriundus erat, per errorem substituit Bauaricam.

(*b*) MATTH. PARIS cit. loc. p. 143. *Mirabantur quamplurimum, quod Alemanni ita permiserunt eum* (Richardum) *in Angliam solutis adire habenis una cum regina & filio charissimis, quod non alterum eorum, quasi pro obside retinuissent, vel exinde, quod post se eos reliquerat, liberius & citius ad eos dominus & princeps rediret.*

randum regiæ Majeſtati parum decorum ordinibus Angliæ præſtiterit, (*i*) & per eorum ferociam aliquamdiu carceris moleſtiam ſubierit. (*k*)

§. XXII. Facit etiam principum peregrinorum vel a loco conuentus Electoralis aliquo interuallo remotorum electio, ut legationes obſeruandæ ſint, quibus ad Imperii gubernaculum ſuſcipiendum inuitabantur. In Angliam nuncii, quorum nomina latent, ſolemni teſtimonio de legitime peracta electione muniri, & poſtea Colonienſis Archiepiſcopus cum aliis Germaniæ Magnatibus deſtinabantur; (*l*) cum contra in Hiſpaniam ad Alfonſum Fridericus Dux Lotharingiæ ſuperioris miſſus eſſet. (*m*) Et quoniam Richardo extincto plurimorum ſuffragia in Ottocarum Bohemiæ regem ceciderant, eique abſenti legatione Imperium offerendum erat, accidit, ut hoc officium Archiepiſcopo Colonienſi committeretur. (*n*) Illud notatu non indignum eſt, quod principes legatione defuncti continuo ſe illis, quos ad Imperium inuitauerant, in ipſis eorum terris ſacramenti fide obſtrinxerint, ibique inueſtituram obtinuerint. (*o*) Ceterum Richar-

---

(*i*) Ibidem pag. 843. *In craſtino autem intrauerant Magnates Angliæ & Alemanniæ, fecerunt apponi textum Euangelii ſuper pulpitum. Aſtitit autem in medio Comes Glouerniæ Richardus, & vocauit palam & reuerenter Comitem Cornubiæ ad ſe, non regem Alemanniæ, ſed nomine ſuo:* Richardus Comes Cornubiæ! *Qui obedienter acceſſit & reuerenter. Cui tale jusjurandum articulatim & aperte impoſuit: Hæc auditis uniuerſi, quod hic juro ſuper Sacroſancta Euangelia, quod ego Richardus Comes Cornubiæ fidelis ero & diligens ad reformandum vobiſcum regnum Angliæ, hactenus nimis malorum conſilio deſormatum; eroque veſter efficax adjutor ad expellendum ejusdem regni rebelles & perturbatores, hocque juramentum obſeruabo inuiolabiliter ſub poena amiſſionis omnium terrarum, quas habeo in Anglia.*

(*k*) Conf. RAPIN hiſtoire d'Angleterre Liv. VIII. p. 488.

(*l*) *Veniunt ad Dominum regem quidam de Primatibus Alemanniæ, nunciantes omnibus, qui ibi fuerant, quod unanimi conſenſu Comitem Richardum in Alemannia regem rite elegerant. Et ipſum in ſuum regem & dominum poſtularunt, dummodo in eorum voluntatem conſentire voluiſſet Comes memoratus. Archi-Epiſcopus autem Colonienſis, Sacri Imperii Prothocancellarius & quidam alii Magnates Alemanniæ literas ſuas ſuper hoc teſtimoniales per eosdem ſolemnes nuncios illuc unanimiter deſtinarunt - - Atque iterum venit Archiepiſcopus Colonienſis, cum quibusdam Epiſcopis & quidam Dux cum eo ad animandum Comitem Richardum, ut intrepidus regnum Alemanniæ intret.* MATTH. PARIS. p. 807. & 813.

(*m*) Fuerunt cum Friderico Duce plures Germanorum, quorum nomina recenſentur in diplomate inueſtituræ Lotharingicæ apud DU MONT. Corps Diplomat. Tom. I. p. 207.

(*n*) Anonymi Chron. Bohem. in MENCKEN. Scriptor. Tom. III. p. 1724. *Poſtea vero anno domini 1271. Colonienſis Archiepiſcopus cum multis Nobilibus de Alemannia ab Electoribus Principibus Imperii deſtinati Boëmiam Ottokarum regem adeunt & inſtant, Imperii dignitatem & faſces aſſumat, eo quod Romanorum in regem concorditer foret electus.*

(*o*) De Alfonſo teſtatur inueſtitura Friderici Ducis Loth. ſuperioris, de qua ſupra diximus. De Richardo MATTH. PARIS. pag. 813. *Eodem tempore Archiepiſcopus Coloniæ Conradus & alii cum eo Magnates Alemanniæ, qui cum dicto Archiepiſcopo Londini venerant, fecerunt homagium & fidelitatem ligantiæ Comiti Richardo. Quo facto Comes contulit illi ſtatim quingentas marcas, pro ſuis viaticis adquietandis.*

Richardus legatione ad se destinata non contentus vicissim aliam ad Germanos siue maioris pompæ, siue veritatis melius explorandæ gratia misit. (*p*)

§. XXIII. Ea vero sunt, quæ de regis electione memoratu digna esse censuimus capita. In qua si quicquam desiderari possit, libertas erit, cui variis modis temeratæ multum insidiis Pontificiis decreuit. Quicquid enim Clemens IV. illis temporibus quereretur, Germaniam iussa Pontificum segniter capessere consueuisse, (*q*) nihil tamen ausibus eorum in Electoribus terrendis, Candidatis rejiciendis, judicioque solemni de valore ac virtutibus electionis instruendo insolentius fuit. Quæ enim illa Papæ temeritas Principibus Imperii, qui Conradino adhæserint, excommunicationem intentare, Electoribus vero, qui eum suffragio suo juuerint, amissionem omnium feudorum & honorum ab ecclesiasticis personis dependentium, ut & juris eligendi ad quartam usque generationem comminari, prælatos denique dignitatibus ac beneficiis ecclesiasticis sine spe restitutionis inhabiles fore, decernere. (*r*) Præterea cum controuersiam Richardi & Alfonsi super imperii jure susceptam sententia sua dirimere suscepisset, aliqui vero ex electoribus utroque repudiato tertium eligere constituissent, Pontifex non solum lite, ut ajebat, pendente omni nouo suffragii usu interdixit, verum & quicquid actum foret, irritum ac nullum futurum esse decreuit. (*s*) Neque Pontifici sufficiebat singulas personas Candidatorum numero exemisse, aut uni alteriue actui electionis vim intulisse, cum classes uniuersas ab Imperio excluderet, veluti non solos Conradinum aut Carolum Andegauensem, sed omnes omnino, qui & nunc essent, & futuris temporibus succederent, utriusque Siciliæ reges. (*t*)

§. XXIV.

(*p*) MATTH. PARIS. p. 808. *Præmissi sunt autem ex parte Comitis* (Richardi) *viri potentes, sagaces & circumspecti, dominus Comes Glouerniæ & dominus Joannes Mansel in Alemanniam, ad explorandam Magnatum prædictorum meram & spontaneam super prænotatis voluntatem.*

(*q*) Vid. in litteris Clementis IV. de An. 1266. ad Simonem Cardinalem in MARTEN. thes. nou. anecdot. Tom. II. p. 385.

(*r*) Talibus diris Electorum & principum, qui Conradinum sequerentur, capita deuouet Clemens IV. in literis ad Wernherum Archi-Episcopum Moguntinum de A. 1266. apud SCHANNAT. Vindem. Collect. I. p. 107. seq. adde Chron. Salisburgense ad A. 1267. in PEZII Script. rer. Austriac. Tom. I. pag. 370. seq. conf. Urbani IV. literas ad regem Bohemiæ in RAYNALDI Annal. Eccles. ad A. 1262. p. 72. sq.

(*s*) Clemens IV. in literis ad regem Bohemiæ. *Hoc si memorati principes, qui de tertia electione, ut supra exprimitur, satis inconsulte cogitare dicuntur, consultius attendissent, pudere eos super jure Imperii ejusdem inter electos ipsos, quos constat eosdem principes elegisse, pendente judicio non sine nimio variationis opprobrio & inconstantiæ nota in vanum talia cogitare, cum scire debeant, quod si iidem non terminato judicio ad illa præsumtuosis, quod vix credere possumus, conatibus prosilirent; & ipso jure foret & nos nihilominus decerneremus, & nimirum, ex nunc decreuimus, quicquid sic præsumptum fuerit, irritum & inane.* v. RAYNALD. Annal. Eccles. ad A. 1269. p. 168.

(*t*) Vid. prolixe instrumentum Clementis IV. Pont. Max. quo Carolo Andegauensi regnum Siciliæ confert in D'ACHERY Spicil. Tom. I. p. 655.

§. XXIV. Verum ex omnibus Papæ moliminibus nullum forte illo solemni judicio de jure Richardi & Alfonsi ac utriusque eorum legitima electione constituto arrogantius fuisse videtur. Et tamen illud audacissime Pontifex exercuit, neque de nostro tantum Imperio, verum de Constantinopolitano, quod illis temporibus etiam in aliquam controversiam inciderat. Nos litem de Romano-Germanico per multos annos agitatam consideraturi, non inutile fore existimamus, si quæ prostant celeberrimæ caussæ acta in compendium aliquod redigeremus. (u) Ac primum, quis ad tribunal Pontificis rei decisionem tulerit, Richardus an Alfonsus an ipse Papa nobili officio caussam cognitioni suæ vindicaverit, haud facile dixerim. Certe Urbanus IV. rem ad tribunal Apostolicæ sedis tunc demum pertinere ne ipse quidem diffitetur, si ad illud vel querelis vel provocatione partium devoluta sit. (x) Si quid intelligo, neuter legitimo judicio contendere, sed per legatos suos uterque coronam Romanam poscere constituerat, fluctuantibus interim Pontificum consiliis, qui quo se verterent nescii, argumenta partium audire, ac ut moram necterent, simulque affectatam sedis suæ majestatem tuerentur, caussam cognitioni prolixæ ac sæpe dilatæ nec facile finem habituræ commiserunt. Consenserunt etiam partes in Pontificis tribunal missisque procuratoribus, qui vel in ordinario vel in extraordinario judicio dominorum caussam agerent, decisioni Pontificiæ se subjecerunt. (y) Inde Pontifex pro auctoritate rem agere, citationes destinare, (z) terminos præfigere, & in judicio, quod forte numquam ad exitum perducere cogitauerat, grandem sollicitudinem simulare. In primo termino, qui adhuc in Urbani IV. tempora incidebat, Alfonsi quidem procuratores, sed nulli pro Richardo, quem Angli tunc captiuum detinebant, comparuerunt; quorum absentia legitimoque impedimento Pontifex motus terminum per anni spatium prorogauit. (a) Sub Clemente IV. in altero termino Richardus rex

(u) Vid. Literas Alexandri IV. apud RAYNALD. Annal. Eccles. ad An. 1256 pag 25.

(x) *Ni forsan super electione vel coronatione hujusmodi suborta discordia per appellationem vel querelam prædictorum Principum ad examen sedi Apostolicæ, quo casu ipsius est in tali caussa cognitio, deferatur.* DU MONT Corps diplomatique. Tom. I. p. 217.

(y) Vid. Procuratorium, quod Alfonsus mandatariis suis dederat in RAYNALDI Annal. Eccles. Tom. XIV. p. 88.

(z) Clemens IV. ad legatum suum in MARTENE thes. nou. anecdot. Tom. II. p. 319. *Citationem carissimi in Christo filii nostri Richardi in regem Romanorum electi cum omni diligentia facias.*

(a) Literæ Urbani IV. de An. 1264. apud RAYNALD. cit. loc. p. 108. sq. Huc pertinent Theodorici Vallicol. versiculi apud eundem:

> *Quamuis egregie proponeret utraque pro se*
> *Pars, coram Papa caussa vocata fuit.*
> *Sed cupiens animo tantis imponere factis*
> *Finem, præfatus pastor utrumque citat,*
> *Richardus minime venit, nec misit, ab ejus*
> *Hostibus & dicto Simone captus erat,*

Solem-

Henricum filium suum instrumentis multis caussam patris defensurum miserat, cum contra legatus Alfonsi, quamuis magna sonaret, probationis tamen nihil adderet, caussatus tantum, quod verbis citationis de probatione nihil contineatur. Tum pontifex, ne quid immature decerneretur, per varias Europæ regiones ad testes audiendos urbes designauit, Francofurtum, Parisios, Burgos & Bononiam, eoque commissarios testimonia legitime audituros direxit. (*b*) Interim Alfonsus probationibus suis forte diffisus moras nectere, legatorum suorum morbos, detentionem, mortes etiam & alios casus obtendere, nouasque dilationes, urgente licet, ut decisio maturetur, Richardo semel iterumque postulare, (*c*) donec idem Richardus caussa protracta nec tunc decisa fato fungeretur. Addidit ejus mors Alfonso animos, mouitque regem riuali suo priuatum, ut legatis iterum ad Pontificem missis coronationem, & omnium, quæ contra electionem suam facta erant, rescissionem peteret, simulque ut electoribus noui regis nominatione interdiceretur, postularet. Neque tamen apud Gregorium X. multo felicior Alfonsina caussa fuit, quippe quam ille per mortem Richardi nihilo meliorem redditam, & Electoribus, qui statim ab initio ei contradixerant, nihilo, quam olim, minus inuisam esse regerebat. (*d*) Hanc vero repulsam electio Rudolphi Habspurgici exiguo interuallo sequuta est, quæ ut aliis Germaniæ malis, ita & indecoræ liti finem imposuit.

§. XXV. In tanta judicii Papalis temeritate non satis dignitati suæ prospexerunt Richardus & Alfonsus reges. Equidem communis fama solum Richardum & quosdam Imperii principes Pontificis ausibus acriter obstitisse perhibet, quamuis in hujus laudis societatem Alfonsum etiam admittendum esse censuerim. (*e*) Sed subierunt postea utriusque procuratores insolentis illius tribunalis judicium, addita tamen a parte Richardi protestatione: *Saluis semper in omnibus & per omnia jurisdictione, potestate, officio, auctoritate, dignitate, honore ac libertate Sacri Romani Imperii, ejusque principum, ad quos specialiter spectat Romani regis electio.* (*f*) Cumque postea semel in discussione judiciaria vel a ventis commissa essent, non amplius a Richardo dubitatum esse inuenio, quin Pontifex jure cognosceret. Certe in priuilegiis, quæ ipse Francofurtensibus, Wezlariensibus, Friedbergensibus aliisque ciuitatibus concessit, clausula

Solemnesque viros Hispanus misit & ejus
Cordis secretum certificarat eis.
Sed quia tunc aberat, pars altera, terminus alter,
Assignatur eis sufficiensque dies.

(*b*) v. Literas Clementis IV. apud RAYNALD. cit. loc. p. 145. MARTENE cit. loc. p. 534.

(*c*) Ejusdem Pontificis literæ apud RAYNALD. ibid. p. 167.

(*d*) Literæ Gregorii X. apud RAYNALD. ibid. p. 197. seqq. LUNIG. Reichs-Archiv Part. General. Continuat. II. p. 179.

(*e*) Ita Urbanus IV. ad Alfonsum regem An. 1262. scripsit: *Præsertim cum tam tui quam præfati Comitis nuncii apud sedem Apostolicam constituti, se nolle in hoc ipsius sedis subire judicium, frequenter duxerint proponendum.* RAYNALD. ad An. 1262. p. 71.

(*f*) DU MONT Corps Diplomatique Tom. I. p. 419.

lula singularis continetur, cujus virtute urbes ab homagio Richardo præstito, si coram tribunali Pontificis caussa ceciderit, penitus absoluuntur. (*g*) Quo autem animo Electores & Principes Romani tribunalis ausus tolerauerint, mihi non adeo certo liquet. Friderici II. temporibus, cum Pontifex Imperatorem diris deuouere suisque sententiis vexare perrexisset, fortiter occlamabatur, eum sibi præter jus coronationis nihil arrogare posse. (*h*) Et hanc animi virtutem neque interregni temporibus prorsus obsoleuisse putauerim. Emersit ea certe, cum protracta multis dilationibus regum contendentium caussa nonnulli nouam electionem, quam Pontifex Ottocaro Boëmo tantopere dissuasit, & in antecessum, ut supra notauimus, nullam ac irritam esse jussit, non expectata litis decisione instituere vellent.

§. XXVI. Electionem peractam sequebatur intra spatium anni coronatio Germanica, (*i*) quæ jam tunc necessitatis esse, ac *Imperii arrha* dici cœperat, neglecta vero Pontifici speciosam coronationis Romanæ denegandæ excusationem tribuebat. (*k*) Non dubitabatur interregni temporibus, quin locus legitimus *Aquisgranum* esset, (*l*) quamuis in literis Clementis IV. *Colonia* nominetur, siue ipsius Papæ, siue quod verosimilius est, librarii vitio. (*m*) Inter antiquas consuetudines, quarum mentionem procuratores Richardi apud Pontificem injecerunt, ea quoque refertur, regem coronandum non solere urbem Aquensem cito pede ingredi, sed potius, quantum deceret, ante illam commorari. (*n*) Guilielmus quidem Batauus eam obsidione cinxerat, non ut mori majo-

(*g*) *Et si forte a sanctissimo Patre nostro Domino summo Pontifice, quod absit, per definitiuam sententiam reprobati, & alius rex contra nos erigatur, qui ad obtentum regni & Imperii Romani nobis potior sit in jure, dictusque summus Pontifex prenominatos ciues & fideles nostros ad auertendum eos a fidei nostre cultu per sententiam interdicti & excommunicationis artauerit, nos ipsos extunc a fidelitatis nobis prestito juramento, & ab omni promisso, quo nobis sicut fideles Imperii sunt astricti, dimittemus & pronunciabimus penitus absolutos.* v. Privileg. der Stadt Franckfurt am Mayn. p. 9. LUNIG. Reichs-Archiv. Parte Special. Continuat. IV. pag. 782. VAL. FERD. de GUDENUS Sylloge I. variorum Diplomat. p. 474. seq.

(*h*) vid. Alberti Stadensis Chron. edit. KULPIS. p. 312. & 315.

(*i*) *Et electione taliter celebrata electus, si electioni consenserit, ante Aquisgranum per dies aliquos facta mora infra annum & diem post celebrationem eandem, quando electus voluerit, per Coloniensem Archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, inungitur, consecratur & etiam coronatur.* Urbanus IV. in literis apud DU MONT. cit. loc. p. 217.

(*k*) v. Clementis IV. literas ad Alfonsum de An. 1267. in MARTEN. thes. nou. aneed. Tom. II. p. 496. seq.

(*l*) Urbani IV. literæ cit. loc.

(*m*) Ejusd. Pontif. literæ ad eundem ibid. p. 488. *Fuit ex aduerso propositum, quod per saltum promoueri volebat, qui nondum recepta Colonie regni Romanorum corona requirebas prope venerandum Imperii diadema.* RAYNALDUS, qui easdem litteras Annal. eccles. Tom. XIV. p 145. seq. edidit, in margine monet legendum esse, *ab Archiepiscopo Coloniæ*; quod ingenio ipsius an Manuscripti auctoritati tribuendum sit, ambigo.

(*n*) Literæ Urbani IV. alleg.

majorum satisfaceret, sed quoniam partes Friderici II. contra Pontificem apud Aquenses praeualebant; unde ipsi, cum urbem oppugnaret, Frisii cruce signati auxilio subuenerunt. (o) Richardus post *moram*, ut dicitur, *decentem* ingressus est, quamuis ipse in literis ad Edmundum fratris filium datis glorietur, famam esse, quod a ducentis & quod excurreret annis nulli Regum ac Imperatorum Romanorum Aquisgranum tam facile patuisset. (p)

§. XXVII. Insignia Imperii circa tempus interregni in loco securo tot undique turbis emergentibus adseruata fuisse, credibile est, satisque literis Guilielmi Batavi regis probatur, quibus Abbati Egmondano refert, quod occupato castro *Driesvelt* λείψανα & insignia, coronam lanceam & ornatum reliquum in potestatem suam redegerit. (q) Hinc est, quod Richardini procuratores apud Urbanum IV. inter ea, quae requirunt ut quis pro rege Romanorum se gerere possit, illud etiam, ut castrum *Treveles* in potestate sua teneat, recensuerint. (r) Nam quod Ill. LEIBNITIUS conjecit, (s) Palatium Trevirense illo nomine significari, propter Guilielmi regis literas verosimile non existimaverim, licet etiam in editione, quam de eodem Urbani IV. instrumento SURITA (t) dedit, pro *Treveles* scribi *Treveris* animadverterim. Num autem post Guilielmi mortem insignia Imperii in eadem arce custodita sint, & ex ea in manus Richardi pervenerint, quamvis affirmare non ausim, veritatis speciem tamen non caret. Cum enim ejus procuratores coram Urbano IV. Pontif. Max. nonnisi eas consuetudines circa regis electionem & coronationem observandas commemoraverint, quas a domino suo Richardo impletas esse noverant; iidem vero diserte adduxerint, castrum Treveles prae ceteris oppidis & arcibus in manu novi regis esse oportere, verosimillimum est, illud ei patuisse, & per occupationem ejus insignia Imperii, sine quibus nulla illius arcis praerogativa fuisset, in Richardi manus incidisse. Sunt, qui Philippum de Falkenstein Clinodia Richardo tradidisse commemorent, cum ea prius a Guilielmo rege accepisset. (u) Qui quamvis auctoritate non prorsus idonea nitantur, eo tamen argumento placere possent, quod interregni temporibus Philippus

(o) v. Anon. Chronicon. Erford. in SCHANNATI Vindemiis Tom. I. pag. 101. Historia Monasterii S. Laurentii Leodiensis in MARTEN. ampliss. collect. Tom. IV. p. 1103. Magnum Chron. Belgic. ad A. 1247.

(p) Edidit eas ex RYMERIANO opere DU MONT Corps diplomat. Tom. I. p. 401. *Nec credimus, quemadmodum vulgaris & communis famae testatur praeconium, quod a ducentis annis & citra aliquis Praedecessorum nostrorum Imperatorum vel Regum, videlicet Romanorum, in suae nouitatis principio nobis duntaxat exceptis dictam ciuitatem Aquiensem sine grauis offensionis seu contradictionis obice sit ingressus.*

(q) *Insuper accedat tibi ad cumulum gaudiorum, quod castrum Triesuelt & insignia Imperialia diadema videlicet cum multis Sanctuariis & ornatu ineffabili lanceam & coronam in nostro dominio jam habemus & pacifice possidemus.* v. JO. BEKA Chron. p. 87.

(r) Urbani IV. literae apud DU MONT Tom. I. p. 217.

(s) LEIBNIT. Cod. Diplomat. Juris Gentium Prodrom. p. 14.

(t) Ex quo varias lectiones in margine notauit DU MONT cit. loc.

(u) v. ACH. AUG. von Lersner Franckfurther Chronic. p. 61.

lippus de Falkenſtein Imperialis aulæ Camerarius fuerit. (x) Quicquid harum rerum ſit, ſi Richardo ipſi credimus, circumdatus eſt inſignibus illis Imperii, (y) ſin aliorum auctoritas apud nos potior eſt, nulla pecunia in poteſtatem ſuam ea redigere potuit. (z) Tempore Guilielmi Batavi & in ipſis nuptiarum ejus ſolemnibus incendio, quo rex cum nova nupta vix elabi potuit, exorto inter alia quoque coronam abſumtam eſſe perhibent, (a) quamvis B. HAHNIO facile adſentiar, qui tantum domeſticam eam fuiſſe exiſtimavit. (b) Richardus coronam & Clinodia plura ſecum ex Anglia attuliſſe, civibusque Aquenſibus donaviſſe dicatur. (c) Ceterum diploma, quod jure cuſtodiendi inſignia per Richardum in Aquisgranenſes collato circumfertur, (d) multis argumentis ſollicitari video. (e)

§. XXVIII. Conſecrabat tunc regem abſque cujusquam contradictione Colonienſis Archi-Epiſcopus, qui etiam cum invitandi Richardi cauſſa in Angliam trajeciſſet, non mediocriter hanc ſuam prærogativam jactaverat. (f) Ritus vero in Richardi coronatione adhibitos ignoramus, exceptis quos ipſe in literis ſuis ad fratris filium directis enarravit. Aquisgranum ingredienti obviam venerat Clerus & multi nobilium atque civium, a quibus magna pompa introductus, & die, quo Chriſti aſcenſio celebrari ſolet, ab Archiepiſcopo Colonienſi unctus, acceptisque corona & ſceptro in Caroli M. ſolio collocatus eſt. (g) Ipſe vero ex moribus illorum temporum Henricum filium cingulo militari donavit, quibus ceremoniis, ut fit, epulum ſolemne finem impoſuit. (h) An autem Archiofficiales in illius diei ſolemnitate quod muneris eorum erat expleuerint,

Mmmm 3 quam-

(x) Ill. a LUDEWIG Reliqu. T. II. p. 233.

(y) In Literis ad Edmundum Henrici Regis Angliæ filium, DU MONT p. 401.

(z) v. LUDEWIG Norimberg. Inſign. Imp. tutel. Cap. V. §. 6. not. pp.

(a) v. Cornel. Zantfliet Chron. in MARTEN. ampliſſ. Collect. Tom. V. p. 96. Chron. Erford. in SCHANNAT. Vindem. Tom. I. p. 104. Albertus Stadenſis in collect. KULPIS p. 319.

(b) Hahns Reichs-Hiſtorie P. IV. Cap. VI. §. 5. p. 280.

(c) JO. NOPPII Aacher Chronik. p. 47.

(d) LUNIG Reichs-Archiv Parte Spec. Contin. IV. p. 58.

(e) LUDEWIG Norimb. inſign. Imp. tutel. cit. loc.

(f) MATTH. PARIS. ad A. 1257. pag. 813. *Comes* (Richardus) *contulit illi* (Archiepiſcopo Colonienſi) *unam Mitram nobiliſſimam, pretioſis lapidibus & laminis aureis redimitam. Quam cum Archiepiſcopus aptaſſet capiti ſuo, ait: Nobili theſauro ditauit me & eccleſiam meam, Comes Richardus, & ego certe, ſicut impoſuit capiti meo Mitram meam, imprimam capiti ſuo Coronam regni Alemanniæ vel Romanorum. Mitrauit me & ego eum coronabo.*

(g) v. Litteras Richardi ad Edmundum fratris ſui Henrici regis filium, loc. cit.

(h) Chron. Thomæ Wikes apud TH. GALE Script. Angl. Vol. II. p. 52. *Completo ſolenniter Coronationis officio rex regio venuſtatus Diademate glorioſus effulgens in throno Caroli M. bonorifice collocatus, Dn. Henricum filium ſuum militiæ cingulo decorauit. - - - Sequebatur tam ſolenne conuiuium, quod judicio principum & procerum, qui perſonaliter interfuerunt, modernis temporibus comparationem recipere dedignabatur.*

quamvis negare non ausim, tamen ambigendum esse censeo. Guilielmo quidem Batauo in coronatione sua insignia porrigebantur ab Archi-Officialibus, quod in Richardina factum esse vel eo nomine haud verosimile putauerim, quoniam pars Electorum, quæ fidem regis Alfonsi sequebatur, Aquisgrano tunc aberat. (*i*)

§. XXIX. Ex binis ergo, qui tunc electi erant, regibus solus Richardus coronam Germanicam, neuter Romanam, Italicam & Arelatensem obtinuit. Nam quod Annales Mediolanenses mentiuntur, (*k*) Richardum, qui coronationis gratia Romam venisset, in ipsa solemnitate, cum ab Alexandro IV. Pontif. Max. consecraretur, a Comite de Monteforte trucidatum esse, ne quidem refutatione dignum est. Alii quamuis de cæde fabulam omittant, coronationem tamen Romanam fingunt, (*l*) de qua Richardum vix cogitasse, illorum temporum acta satis produnt. Alfonsus majorem, opinor, spem de corona Romana conceperat, certe Pisanis aduentum suum & in quærenda coronatione diligentiam pollicitus erat. (*m*) Verum & huic Pontifex, qui se pro judice gerebat, pendente lite viam obstruxit, causam interserens satis speciosam, quod in Germania nondum, ut oportuerat, coronatus sit.

§. XXX. Succederet nunc, ut de regum nostrorum titulis, insignibus & sigillis, quæ his temporibus in usu fuerunt, nonnulla in medium afferremus. Sed vellit hæc res mihi aurem, & meminisse jubet rei diplomaticæ, quam in universum quoad hos annos aliqua lacuna laborare video. Nondum enim, quod sciam, repertus est, qui Henrici VII. Friderici II. Imperatoris filii, qui Conradi IV. Guilielmi Bataui, Richardi & Alfonsi diplomata pro dignitate satis excusserit. Ipse, cui res diplomatica Germanorum tanta debet, Chronici Gottvvicensis illustris auctor filum cum Friderico II. abrumpere, quam illorum, quos diximus, quinque regum documenta examinare maluit. (*n*) Nos quamuis non sine rubore tam splendidæ purpuræ pannum adsuere audeamus, tentasse tamen, cum ita scriptionis occasio ferat, venia dignum fore censuimus. Neque de Richardi tantum & Alfonsi, quod ad institutum nostrum sufficere posset, verum & ad

(*i*) v. REN. SNOI res Bat. p. 89. GOLDASTI Constit. Imp. T. I. p. 307. LUNIG. Reichs-Archiv. Tom. IV. p. 171.

(*k*) Annal. Mediolan. apud MURATOR. Tom. XVI. p. 660. *Isto tempore Ricardus Comes Connubiæ, qui erat electus Rex Alemanniæ, & ibidem coronatus iuit Romam, volens coronam Imperii recipere. Quem cum Papa Alexander IV. vellet coronare & ipsum benedicere, Comes Montisfortio ipsum interfecit.*

(*l*) v. Stadtvvegii Chron. apud LEIBNIT. Script. Brunsuic. Tom. III. p. 273.

(*m*) Diploma Alfonsi de A. 1256. in LUNIGII Cod. Diplom. Ital. Tom. I. p. 1065. *Jurabimus pro toto conamine & posse nostro, quod dante Domino ejusque fauente clementia Imperium Romanum consilio & auxilio communis Pisanorum & aliorum nostrorum fidelium obtinebimus & manutenebimus universum. & quod tempore nostræ coronationis Romam vel ad D. P. P. secundum quod alterum magis de consilio nostro ipsius Communis Pisarum & aliorum fidelium Imperii & regnorum nostrorum præcesserit utile, veniemus magnifice ac potenter, ut nostram decet Majestatem, & quod ad Imperium manutenendum & augendum erimus studiosi pro posse nostro, & operam dabimus efficacem.*

(*n*) Vid. Chron. Gottvvic. Tom. I. Lib. II. p. 438.

ad supplendum hiatum de Henrico VII. Conrado IV. & Guilielmo Batauo breuitate carceribus opellæ nostræ congrua disputabimus.

§. XXXI. Henrici VII. diplomata omnium diligentissime collegit & dispoſuit JO. THOMAS KLUMPFIUS, (o) ad cognoſcendam vero ſcripturæ literarum & quas dicunt, abbreviaturarum rationem tum illud, quod in nupera lite Hildeſienſi æri eſt inciſum, (p) tum ſpecimina SCHEUCHZERIANA (q) ſufficient. Ut autem apices ejusmodi melius inſpectione cognoſci, quam deſcriptione intelligi poſſunt, ita hoc unum ex ſcripturæ ratione notatu dignum eſt, quod nomina propria non plene exſcripta, ſed potius ſæpenumero literis initialibus deſignata ſint, ut exemplo nobis eſſe poſſunt præter Hildeſienſe documentum alia regis Henrici plura. (r) Monogrammatis figuram HEINECCIUS nobiscum communicavit, (s) & ex eo KLUMPFIUS, (t) a quo ſimul obſervatum eſt, illud parum vel nihil diſcrepare ab alio, quod pater Fridericus II. in diplomatibus ſuis uſurpavit, & CANGIUS inter cetera depinxit. Sigilla Henrici triplicis generis invenio, nec tamen inter ſe multum diverſa, præterquam inſcriptione, quæ in Hildeſienſi eſt: HENRICUS DEI GRATIA ROMANORUM REX ET SEMPER AUGUSTUS, cum in alteris binis verba: ET DUX SUEVIÆ, per lineam transverſam adjiciantur. Vereor autem, ut eorum conjectura, qui adjectionem tituli Sueuici ad annum 1234. referunt, ſatis firmo talo nitatur. Ajunt enim Henricum VII. patri Friderico II. rebellem hoc anno ſignum belli civilis extuliſſe, omnique obſequii vinculo reſciſſo, ut patrem in Germania plane nullius auctoritatis eſſe omnibus oſtenderet, Sueviæ Ducatum ejusque titulum non minus ac ipſum regnum affectaſſe. (u) Verum jam An. 1232. uſus eſt Henricus VII. ſigillo cum inſcriptione Ducatus Suevici, (x) alterumque, quod SCHEUCHZERUS cum eadem epigraphe adduxit, ex diplomate de An. 1221. pependiſſe videtur. (y) Quicquid harum rerum ſit, ad primam ſigillorum Henricianorum claſſem Hildeſienſe refero, quo Duca-

(o) In diſſert. de privilegio Henrici VII. Rom. regis Francofurtanis ad Moenum civibus dato, de filiabus libere elocandis p. 22. ſeqq.

(p) Vid. Ill. MOSERI Vindicias eines Diplomatis des Römiſchen Königs Henrici VII. in fine; & Ohnpartheyiſch Reflexiones über das von der Löbl. Dom-Probſtey Hildesheim aus dem wahren Original publicirte Diploma Henrici VII. Romanorum regis.

(q) v. JO. JAC. SCHEUCHZERI Specim. Alphab. ex diplomatibus & codicibus Thuricenſibus Tab. XI.

(r) v. KETTNERI antiquit. Quedlinburg. p. 219. Documenta Monaſt. Wittemb. rediv. p. 465. HEINECC. antiq. Goslar. p. 237.

(s) HEINECC. cit. loc. p. 240. conf. vorläuffige Betrachtung des von der Dohm-Probſtey Hildesheim publicirten Diplomatis p. 31.

(t) Cit. diſſert. p. 53.

(u) Ita conjicit autor der unpartheyiſchen Reflexionen über das Hildesheimiſche Diplom. p. 7.

(x) Privilegia der Stadt Franckfurth am Mayn p. 21. & Tab. I.

(y) SCHEUCHZER. cit. loc.

Ducatus Sueuiæ nulla mentio continetur; ad alteram Heineccianum, (z) & quod in privilegiis Francofurtanis extat, quo titulus ille adjectus est; ad tertiam denique Scheuchzerianum, quod quidem a secunda classe nihil quoad inscriptionem, in figura vero coronæ, throni ac sceptri multum a superioribus binis discrepat. Atque nunc ipsam diplomatum internam structuram & rei formulariæ rationem excussuri primum notamus, quod invocatio divini nominis, ut apud ceteros Germaniæ reges & Imperatores usu venit, nunc præfigatur, nunc, & hoc quidem sæpius, omittatur. Aliquoties & in instrumentis præsertim majoribus auspicium ita capitur IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS AMEN; (a) rarius IN NOMINE DOMINI AMEN! (b) Titulus regis varius est. Nunc enim HENRICUS DEI GRATIA ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS, (c) nunc HENRICUS SEPTIMUS DEI GRATIA ROMANORUM REX ET SEPTEM AUGUSTUS, (d) nunc denique HENRICUS SEPTIMUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM REX ET SEMPER AUGUSTUS (e) inscribitur. Ad minutias, sed quas tamen in his rebus observare juvat, illud quoque pertinet, quod aliquando *rex Romanorum semper augustus*, sæpius vero *& semper augustus*, ut etiam in sigillis occurrit, scribi solet. Quod autem apud LUNIGIUM (f) semel REX ROMANORUM AUGUSTUS, omissa vocula SEMPER, dicatur, illud quidem magis operariorum vitio, quam diuersæ titulorum rationi tribuendum esse censuerim. In salutatione, quæ post titulum in diplomatibus inseri solet, *gratiam & omne bonum*, Henricus VII. pollicetur communi & una vel altera voce hinc & inde mutata formula *Universis Imperii fidelibus, quibus præsens scriptum ostensum fuerit*, (vel *ad quos hæ literæ pervenerint*) *gratiam suam & omne bonum.* (g) Rarius utitur verbis *gratiam suam & omnem bonam voluntatem*, (h) vel *omnem benevolentiam.* (i) In eis diplomatibus, quæ rem per universum Imperium valituram continent, *universos Imperii fideles* compellare solet, aliquando etiam prolixiore formula, veluti: *Scire volumus universos Imperii fideles, Scultetos, Ministros & Officiales per totum regnum nostrum constitutos,*

(z) HEINECC. de sigillis Tab. IX.

(a) v. LEUCKFELDII antiquit. Poeldenses pag. 288. Ejusd. antiqu. Walckenried. p. 367. Privil. Monast. Ebracens. num. 48. p. 7. LUNIG. Reichs-Archiv Spicil. Eccles. P. III. p. 513. 549. 678. Docum. Monast. Würtemb. rediuiv. p. 29. GUDENI Sylloge I. Diplomat. p. 592.

(b) Privilegia der Stadt Franckfurth am Mayn p. 3.

(c) LEUCKF. antiqu. Poeld. p. 289. LONDORP. Act. Publ. Tom. VIII. Lib. IX. p. 658. Docum. Würtemb. rediv. p. 458. & 730.

(d) LUNIG Reichs-Archiv. P. special. Cont. I. Sect. II. p. 643.

(e) LEUCKFELD. antiqu. Walckenried. p. 169. p. 367. Ejusdem Poeldenses p. 288. LUNIG. Spicil. Eccles. P. III. p. 413.

(f) LUNIG Reichs-Archiv. Spic. Eccles. Continuat. I. p. 972.

(g) Docum. Würtemb. Monast. rediv. p. 730. LONDORP. l. c.

(h) LEUCKFELD antiquit. Poeldens. p. 289.

(i) LONDORP. Act. publ. Tom. I. p. 30.

tor, (k) itemque: *Notum fieri volumus omnibus tam nostris successoribus, quam nostræ Excellentiæ judicibus universis*, (l) vel etiam *Fidelibus suis universis officiatis & civibus &c.* (m) Haud frequens reperitur formula brevissima: *Universis in perpetuum.* (n) In ceteris scribendi modis magna varietas est. Dum de se loquitur Henricus, nunc *nostra Majestas*, (o) vel *regia Majestas*, (p) nunc *Sublimitas nostra*, (q) nunc *Celsitudo*, nunc *Excellentia nostræ Majestatis*, (r) nunc alius similis titulus adhibetur. Uxor ipsi *serenissima Conjux* (s) dicitur, pater vero Fridericus II. plerumque *serenissimus princeps ac dominus noster*, (t) interdum *gloriosissimus*, (u) aut *invictissimus*. (x) Frequens est in diplomatibus Henricianis commemoratio consensus & consilii principum, quos quandoque *Proceres sacri Palatii* (y) adpellat, frequentior etiam consensus Imperatorii, quod in rege Romanorum Imperatore vivo electo non mirandum. Illud singulare, quod etiam acta sua, quibus pater Fridericus II. consensum impertiri detrectabat, solemnibus instrumentis iterum ipse rescindere non dubitaverit. (z) Interdum etiam Electorum consensus adducitur, non quidem hoc nomine expresso, quippe quod tunc nondum usu inoleverat, sed sub descriptione *principum, quorum juris est quemque Romanorum regem eligere.* (a) Comminationes vero, quæ in maxima diplomatum parte ad terrendos eos, qui ab obsequio descisceret, continentur, in Henricianis documentis variæ sunt. Sæpenumero mulcta pro parte dimidia in Cameram regis, pro altera vero læsis solvenda intentatur, (b) nonnumquam pœna violatæ pacis, (c) sæpissime generalis illa indignationis regiæ comminatio. Hoc autem forte non adeo frequenter occurrit, ut ceteris minis etiam metus excommunicationis adjiceretur, quale quid in

(k) LUNIG Reichs-Archiv Spic. Eccles. P. III. p. 513.

(l) Idem Part. Special. Cont. IV. Sect. II. p. 613.

(m) Id. Reichs-Archiv Spic. Eccles. P. III. p. 413.

(n) Occurrit tamen in Diplomatibus apud LEUCKFELD. antiquit. Poeld. p. 238. & HERTIUM de fide diplom. P. 1. Tom. II. p. 643.

(o) LUNIG Spicil. Eccles. P. III. p. 678.

(p) LEUCKFELD Antiqu. Walkenried. p. 370.

(q) GUDENUS Diplomat. Syllog. I. p. 594.

(r) LUNIG cit. loc. p. 413.

(s) GUDENUS loc. cit. p. 593.

(t) LEUCKFELD antiqu. Poeld. p. 290. LUNIG Spicil. Eccles. P. III. p. 413. & Contin. I. p. 972.

(u) LEUCKF. antiqu. Walkenried. p. 196. & 367.

(x) LUNIG Spicil. Eccles. P. III. p. 750.

(y) Idem Parte Special. Contin. IV. p. 3.

(z) Exemplum est apud LUNIG Spicil. Eccles. Parte III. p. 102.

(a) Idem Spicil. Eccles. Parte Cont. I. pag. 6.

(b) LEUCKFELD. Antiq. Walkenried. p. 370.

(c) LUNIG. Spic. Eccles. P. III. p. 678.

privilegio Monasterii Augiensis legitur. (*d*) Sigillum suum adjectum esse, in omnibus fere membranis, nec in earum fine tantum, verum etiam in medio textu Henricus commemorare solet, non constante quidem dicendi formula, sed ita potius, ut modo *sigillum Majestatis*, (*e*) modo *sigillum celsitudinis*, (*f*) modo sine omni adjectione characteris sui impressionem significet. Neque caret exemplo, Henricum VII. diplomatibus suis non tantum proprium, sed & alia principum & episcoporum sigilla adjecisse, velut ex formulis patet: *Ad majorem itaque securitatem præsentem paginam celsitudinis nostre sigillo, nec non venerabilis Herbipolensis Episcopi, Austriæ & Bawariæ Ducum jussimus communiri;* (*g*) ac iterum in versione diplomatis de An. 1231. (*b*) **Und damit diese Unserer Majestät Urtheil ewigen Bestand behalten / haben wir die mit Unsers Fürsten des Heil. Stuhls zu Maynts ehrwürdigen Bischoffs Siegfriden Insiegel besiegelt übergeben.** Subscriptio regis in paucissimis, neque alia, quod sciam, formula occurrit, quam *Signum Domini Henrici septimi Romanorum regis invictissimi.* (*i*) Archi-Cancellarius Imperii, Moguntinus Archi-Episcopus Sigfridus in diplomate de A. 1223. commemoratur: *Ego Theodoricus Metensis & Spirensis Episcopus Imperialis aulæ cancellarius vice domini SIGFRIDI Moguntinensis Archiepiscopi & totius Germaniæ Archi-Cancellarii recognovi.* (*k*) Ex quibus verbis simul colligi posset, aulæ Cancellarium tunc fuisse Theodericum Metensem & Spirensem Episcopum, nisi forte vitium librarii subsit, & loco *Theoderici* scribi oporteat *Conradum.* Is enim tunc simul Metensi & Spirensi Episcopatibus præfuit, idemque Aulæ Cancellariatum sub Philippo, Ottone ac Friderico II. gessit, (*l*) & in aliis quoque Henrici nostri chartis hoc nomine insignitus occurrit. (*m*) Inter Protonotarios vero & Notarios aulæ Magistrum Marquardum, & Ulricum & Tegenhardum commemorari video. (*n*) Notæ chronologicæ variis modis nunc parcius adducuntur, nunc plenius. Omnium plenissime in hac formula: *Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis MCCXXIII. indict. XI. regnante Domino Henrico septimo Romanorum rege & semper Augusto anno regni ejus in Imperio secundo. Datum apud Northusen XI. Kal. Octobr.* (*o*) Verum in plerisque anni regiminis, in aliis locus, in aliis annus vel dies, in aliis iterum indictio non exprimuntur, ut dispositis per certas classes diplomatibus illustris MOSERUS ostendit. (*p*) Sæpius *Actum* simul & *Datum*

(*d*) LUNIG Spicil. Eccles. P. III. p. 759.

(*e*) Docum. Würtemb. Monast. Rediu. p. 30.

(*f*) Ibid. p. 382. (*g*) Ibidem p. 731.

(*b*) LUNIG Part. general. Cont. II. pag. 151.

(*i*) HEINEC. Antiqu. Goslar. pag. 249. LEUCKFELDII Antiqu. Walckenried. pag. 370.

(*k*) LEUCKF. cit. loc.

(*l*) v. Chron. Gottwvic. Tom. I. Lib. II. p. 413. CALMET histoire de Loraine. Tom. II. p. 271.

(*m*) LUNIG Parte special. Contin. IV. Sect. II. pag. 643. BUTKENS Trophées de Brabant. Preuves. p. 68.

(*n*) LEUCKF. antiqu. Walckenried. p. 197. GUDENUS cit. loc. p. 595. Docum. Monast. Würtemb. p. 382. LUNIG. Spicil. Eccles. P. III. p. 759.

(*o*) LEUCKF. cit. loc. p. 371. conf. ibid. p. 197.

(*p*) In Vindiciis eines Diplomat. Henrici VII. p. 19. seq.

Datum adnotatur, nec raro vel *Datum* tantum, vel *actum*, ut certa norma constitui nequeat. (*q*)

§. XXXII. Conradi IV. diplomata paucissimis excussuri, primum observamus invocationem: *In nomine sanctæ & individuæ trinitatis*, (*r*) æque ac illam: *In nomine domini amen*, (*s*) rarius occurrere. Titulos adhibet varios, & in primis regiminis annis plerumque CONRADUS DIVI AUGUSTI IMPERATORIS FRIDERICI FILIUS DEI GRATIA ROMANORUM IN REGEM ELECTUS SEMPER AUGUSTUS ET HERES REGNI HIERUSALEM scribitur. (*t*) Interdum vocula hinc & inde mutatur, velut pro *Divi Augusti* legitur *Domini Augusti*, nec non pro *heres regni Jerusalem* apud nonnullos *regni Jerosolimitani*, (*u*) itemque *Friderici secundi* (qui numerus alias abest,) *filius*. (*x*) Illud vero ex operarum vitio esse putaverim, quando in charta de An. 1240. apud FRANCISCUM PETRUM (*y*) legimus: *Conradus divi Augusti Imperatoris Rex filius dei gratia Romanarum in regem electus &c.* Nonnumquam, sed vivo patre Friderico II. rarius, omittitur titulus paternus, quod ex versione documenti de A. 1140. quæ apud LUNIGIUM exstat, (*z*) cognosci potest: Wir Conrad zu Römischen König erwehlt von der Gottes Gnade und Erbe des Königreichs zu Jerusalem. Extincto parente desiit Conradus se *filium Friderici II. Imperatoris & heredem regni Jerusalem* nominare, pristinoque titulo substituit alium: CONRADUS DEI GRATIA ROMANORUM IN REGEM ELECTUS SEMPER AUGUSTUS, HIERUSALEM ET SICILIÆ REX, cui etiam, quamvis rarius, addidit DUX SUEVIÆ. Non tamen illa titulorum mutatio statim post obitum patris contigit. Decesserat enim Fridericus II. d. XIII. Decembr. A. 1250. & tamen cum priore titulo supersunt adhuc diplomata Conradi A. 1251. mense Januar. & Febr. data (*a*) Prima, quibus tituli ratio immutatur, instrumenta mense Augusto A. 1251. data sunt, (*b*) & cum his conspirant alia, quæ sequuntur, plura. (*c*) In omnibus vero, quæ inspexi, Conradus *in regem Romanorum electus* appellari solet, nisi quod aliquoties apud GOLDASTUM *rex Romanorum*, immo & *Romanorum Imperator Augustus* nomine-

(*q*) Conf. Bibliothec. Uffenbach. MSCT. p. 113.

(*r*) Occurrit tamen apud CASP. JONGELIN. Notit. Abbat. Cisterc. Parte II. p. 81. LUNIG. Reichs-Archiv Spicil. Eccles. Parte III. p. 550.

(*s*) Eam extitisse in diplomate de An. 1240. colligo ex versione: In Gottes Nahmen Amen! apud LUNIG Part. Spec. Contin. IV. pag. 1250.

(*t*) v. Privil. der Stadt Franckfurth am Mayn pag. 4. BUTKENS Trophées de Brabant. Tom. I. Preuves p. 84. LUNIG. Spicil. Eccles. Part. II. p. 115.

(*u*) SCHANNAT. Vindem. P. I. p. 204.

(*x*) HUNDII Metrop. Salisb. in Episcop. Ratisbon. p. 152.

(*y*) In Suev. Ecclesiast. p. 859.

(*z*) Reichs-Archiv Part. Spec. Contin. IV. p. 1250.

(*a*) HUNDII Metrop. Salisb. cit. loc. & Tom. III. p. 251.

(*b*) vid. LUDEWIG. Reliqu. T. II. p. 227. LUNIG. Reichs-Archiv. Spic. Secul. T. I. p. 282. & Tom. II. p. 1915. & Part. Spec. Contin. IV. p. 1426.

(*c*) Ex multis vid. apud MURATOR. Script. rer. Ital. Tom. IX. p. 677. LUNIG. C. Juris feud. Tom. I. p. 611.

minetur. (*d*) Intimatio consueta & a ceterorum regum diplomatibus parum diversa formula plerumque concipitur: *Universis ad quos presentes literæ pervenerint, Imperii fidelibus &c.* (*e*) Raro prolixiore: (f) *Dilectis sibi universis Principibus, Comitibus & Nobilibus ceterisque Imperii fidelibus.* Salutationem quoque vix aliam sæpius inveneris, quam quæ & in Henricianis frequentissima extat, *gratiam suam & omne bonum.* In titulis quos ipse sibi Conradus tribuit, nihil constans & perpetuum est; nunc enim *Serenitatis*, (*g*) nunc *Magnificentiæ*, nunc *Majestatis*, (*h*) aliquoties etiam *Celsitudinis* (*i*) elogio utitur, pater vero Fridericus II. æque ac in Henricianis nunc *serenissimus*, (*k*) nunc *gloriosissimus* (*l*) appellatur. Clausula solemnis comminatoria vix aliud, quam *indignationem* & *offensam* regis continere solet; circa finem vero, quando sigilli adjectio commemoratur, nunc *Serenitatis*, (*m*) nunc *Celsitudinis*, (*n*) interdum etiam *Majestatis Sigillum* (*o*) dici consuevit. Conradum IV. monogrammate, quod apud Octavium Stradam extat, usum esse, eundemque aut Cancellarium diplomatibus subscripsisse, negare nolo, quamvis in id genus documentorum exempla me nondum incidisse fatear. In notis chronologicis illud singulare est, quod vix umquam diem, sed fere semper nonnisi annum, mensem ac indictionem expresserit, ut innumera & ubivis obvia documenta evincunt. *Actum* & *Datum* non raro conjunguntur, (*p*) sæpe nonnisi *Datum* annotatur, rarissime vero in fine subjungitur vox *feliciter*. (*q*) Aliquando regiminis Paterni annos Conradus in instrumentis suis notavit, ut in illa prolixissima, quæ mihi quidem occurrit, notarum chronologicarum cumulatione; *Actum anno dominicæ incarnationis Millesimo ducentesimo quadragesimo, mense Augusti, tertia decima Indictione. Datum apud Biberach, anno, mense, indictione præscriptis. Regnante domino & Genitore nostro Friderico secundo Romanorum Imperatore Feliciter. Amen.* (*r*) Sigillum ex Zyllesio HEINECCIUS depinxit, simile

---

(*d*) v. GOLD. Constit. Imp. Tom. II. p. 83. seq. & Tom. III. pag. 397. LUNIG. Reichs-Archiv. Parte gen. Contin. II. p. 169.

(*e*) Privil. der Stadt Franckfurth am Mayn. pag. 4.

(*f*) SCHANNAT. cit. loc. p. 204.

(*g*) LUDEWIG. Reliqu. Tom. II. p. 226. BALUZ. Miscellan. Lib. I. p. 479.

(*h*) GOLDAST. cit. loc. Tom. II. p. 83.

(*i*) Privil. Francof. c. l. LUNIG. Part. Spec. Cont. IV. p. 685.

(*k*) Privil. Francof. ibid. GUDENUS Diplom. Sylloge I. p. 472.

(*l*) LUDEWIG. reliqu. loc. cit.

(*m*) LUNIG. Part. Spec. Contin. IV. p. 559. Francof. priv. p. 4.

(*n*) LUDEW. reliqu. T. II. p. 227.

(*o*) LUNIG. Spicil. Secul. Tom. I. p. 282.

(*p*) Exempla vid. in VREDII rer. Flandric. Tom. III. p. 135. JONGELIN. Notit. Abbat. Cistert. P. II. pag. 81. LUNIG. Spicil. Eccles. Fortsetzung des ersten Part. p. 284.

(*q*) Ut est apud CASP. JONGELIN. cit. loc.

(*r*) LUNIG. Spicil. Eccles. P. III. p. 551.

le privilegiis Francofurtensibus annexum est, in utroque vero Conradus rex imberbis cum corona, sceptro & globo minori nulloque ornatu circumdato solio insidet. Eadem quoque utriusque inscriptio est, neque aliam GUDENUS adduxit, (s) quin & cum titulo conspirat, quem diplomatibus suis præfigere Conradus primis annis solebat. Est autem in orbe: CONRADUS. DIVI. AUGUSTI. IMPRIS. FRIDRICI. FILIUS. DI. GRA. ROMANOR. I. REGEM. ELECTUS. & in linea transversa HERE - S. IERLIM. Mutatum in ipsis diplomatibus titulum eodem modo in Sigillis reformatum esse, verosimillimum puto, quamuis, quod sciam, nullus anno 1251. recentior character depictus extet.

§. XXXIII. In Guilielmi Batavi diplomatibus, quæ non contemnendo numero excussi, vix unum aut alterum invocationis devotione insignitum reperio. Incipit tamen privilegium Aquense de anno 1248. formula: *In nomine patris, filii & spiritus S. amen*, (t) & aliud, quod Comiti Fogliano datum est: *In nomine sanctæ & individuæ trinitatis.* (u) Duplice titulo usus est: WILHELMUS DEI GRATIA ROMANORUM IN REGEM ELECTUS ET SEMPER AUGUSTUS, vel WILHELMUS DEI GRATIA ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS. Crediderim post acceptam Aquisgrani coronam mutationem illam factam esse, nisi notæ chronicæ refragarentur. Equidem primus titulus in omnibus documentis de anno 1247. obuius est. (g) In ceteris de anno 1248. promiscue modo prior occurrit, modo posterior, soletque Guilielmus etiam ante coronationem, quæ demum mense Novembri celebrata est, *Regem Romanorum* se nominare. (y) Post eum annum usque ad vitæ finem posteriore titulo constanter, quod sciam, usus est, (z) neque *Comitatus Hollandiæ* mentionem fecit, nisi semel in primo regiminis anno & in nummis suis. (a) Formulam *dei gratia* perpetuo adhiberi video, nisi quod unicum Aquense privilegium *divina favente clementia* præ se ferat. (b) Digna quoque est quæ adnotetur inscriptio diplomatis a MARTENIO editi: *Willaumes par la grasse de Diu rois des Romains & toudis accroissans a tous chiaus, qui*

(s) Cit. loc. p. 472.

(t) LUNIG. Reichs-Archiv. P. Spec. Contin. IV. p. 57.

(u) vid. Droits de l'Empire sur l'etat ecclesiastique pag. 484.

(x) v. DU MONT. Corps diplomatique. Tom. I. p. 169. Cod. Diplom. Cliv. in TESCHENMACH Annal. Cliv. p. 5.

(y) Confer. inter se diplomata apud LUNIG. Cod. Diplom. Germ. Tom. II. p. 1751. & 2395. TESCHENMACH. cit. I. p. 221. HAHN Collect. monum. T. I. p. 255. MARTENE thes. anecdot. Tom. I. p. 1032. & 1036. MIRÆUM Oper. Diplom. Tom. II. p. 1324. VREDIUM rer. Flandric. Tom. III. p. 342. JOANNIS Spicil. T. I. p. 22.

(z) Ex innumeris diplomatibus v. HEINEC. antiqu. Goslar. p. 272. DU MONT Corps diplomat. Tom. I. p. 200 Docum. Monast. Würtemb. rediv p. 383. 466. 802. & seq. SCHANNAT. histor. VVormat. Probat. pag. 126. Ejusd. Buchonia. p. 389. Privil. der Stadt Franckfurth am Mayn. p. 8. MIRÆUS Opp. Diplom. T. I. p. 583. FRANC. PETRI Suevia Eccles. p. 575. &c.

(a) MARTENE thes. nov. anecd. Tom. I. p. 1036. KOEHLERI Müntz-Belustigung Parte I. p. 193.

(b) LUNIG. Part. Spec. Contin. IV. p. 57.

qui ces lettres veront sa grasse & tout bien. Intimatio fit *uniuersis Imperii fidelibus*, raro *uniuersis Imperii reliquisque Christi fidelibus*, (c) vel enumeratis personarum qualitatibus & conditionibus, velut *Dilectis fidelibus suis uniuersis, paribus, nobilibus, Castellanis, hominibus censualibus, ac hominibus omnibus cujuscunque conditionis.* (d) Offert eis vero consueta formula *gratiam suam & omne bonum*, non ita sæpe *salutem & omne bonum.* (e) Ipse de se nunc *Majestatis regiæ (f)* nunc *Celsitudinis*, (g) nunc *serenitatis*, (h) nunc *regalis culminis* (i) elogio utitur, exteros vero reges plerumque *illustres* (k) appellare solet. Ubi consensus ordinum mentionem injicit, *Principes Magnates & Nobiles Imperii* commemorat. (l) In formulis prohibitoriis plerumque suam tantum indignationem, raro *tremendi judicis offensam*, (m) sæpe mulctam, nunc fisco soli, (n) nunc pro parte dimidia (o) soluendam minatur, enumeratis etiam interdum pluribus personarum, quibus obsequium imperat, gradibus: *Mandamus igitur sub interminatione gratiæ nostræ districte præcipientes, & regali sancimus edicto, quod nullus Dux, Marchio, nullus Comes, nullus Vicarius vel Capitaneus, nulla potestas, nullus Prælatus, nulla utique persona alta vel humilis, Ecclesiastica vel secularis sit, quæ contra hanc nostram concessionem venire audeat.* (p) Sigillum *Majestatis*, (q) *Serenitatis* (r) & *Celsitudinis* (s) promiscue dicitur, idemque, quod apud Henricum VII. obseruauimus, etiam in Guilielmi nostri diplomatibus, quamvis rarissime, occurrit, ut nimirum regio sigillo alia quoque principum velut in

(c) Thes. nov. anecdot. Tom. I. pag. 1053.

(d) LUNIG. Spic. Eccles. Contin. I. pag. 4.

(e) MARTENE cit. loc. pag. 1034.

(f) VREDIUS rer. Flandric. P. III. pag. 345. LUNIG. Corpus Jur. Feud. P. I. pag. 611.

(g) IDEM P. Spec. Contin. IV. P. II. p. 467. & DU MONT Tom. I. p. 202.

(h) Doc. VVürtemb. Mon. rediu. p. 383. SCHANNAT. VVormat. hist. prob. p. 126. MIRÆUS. Op. Diplom. P. II. p. 1324. LUDEVV. Reliqu. Tom. II. pag. 229.

(i) LUNIG. Corp. Jur. feud. German. P. I. p. 614.

(k) Docum. Mon. VVürtemb. rediu. pag. 383.

(l) Ita reges Franciæ ac Scotiæ nominat apud MARTENE th. nou. anecdot. T. I. p. 1032. sqq.

(m) DU MONT. cit. loc. p. 196. MARTEN. cit. loc. p. 1032. & 1034.

(n) PETRI Sueu. Eccles. p. 575. Doc. VVürtemb. Mon. rediu. p. 804. LUNIG. Spic. Eccles. Contin. I. p. 4.

(o) EJUSD. Spicil. Eccles. P. II. Anhang unter Minden p. 115.

(p) MIRÆUS Oper. Dipl. T. I. p. 583. LEUCKF. antiquit. Poeld. p. 292.

(q) LUNIG. Cod. Diplom. Ital. T. I. p. 596. conf. MIRÆUS c. loc.

(r) HEINECC. antiqu. Goslar. p. 272. & 203. VVürtemb. Docum. rediu. p. 803. & 804. MIRÆUS c. l. PETRI Sueu. Eccles. pag. 575. LUDEVV. Reliqu. T. II. p. 229.

(s) DU MONT loc. cit. p. 200. Rethmeyers Braunschw. Lüneb. Chron. p. 498. HARENBERG hist. Gandersheim. p. 199.

in charta de An. 1252. sigilla Moguntini ac Coloniensis adjiciantur. (t) In paucissimis subscriptio est: *Signum Domini Willelmi primi regis invictissimi Romanorum,* (u) eamque comitatur monogramma, quod duplicis generis inuenio. Aliud enim, & nescio an genuinum, OCTAVIUS DE STRADA, (x) & ex eo CANGIUS, depinxerunt, (y) aliud exhibent HEINECCIUS & HARENBERGIUS, (z) utrumque vero non solum inter se, sed & a ceterorum Imperatorum monogrammatibus mirifice discrepat. Posterius etiam orbi est inclusum, & in ejus ambitu formula continetur: *Spes mea dominus a juventute mea, in te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus.* Archi-Cancellarium & ejus vice factam a Cancellario recognitionem in paucissimis invenio; est tamen apud HEINECCIUM in eodem, quo monogramma continetur, diplomate; *Datum per manum venerabilis H. Spirensis electi vices gerentis venerabilis Gerhardi Moguntini Archiepiscopi S. Imp. per Germaniam Archi-Cancellarii.* (a) Hujus Henrici Spirensis magna sub Guilielmo existimatio fuit, (b) quippe quem etiam titulo legati per universam Italiam eminuisse, supra ostendimus. (c) Raro se recognovisse diploma testatur, inter testes vero cum titulo Cancellarii sæpenumero introducitur, (d) imo Henricus ille Spirensis ipse in chartis suis Cancellarii titulum circumferre solet. (e) Plerumque *Spirensis electus* appellatur, apud LUNIGIUM (f) vero semel *elector*, sine dubio ex typographi errore. Vice Cancellarius sub Guilielmo Lubbertus Abbas Egmondanus fuit, ad quem regis epistola extat; sed eum æque ac Arnoldum regalis aulæ Protonotarium MALLINCROTIUS jam adduxit. (g) In notis chronologicis annus domini, nec non regni Guilielmi, mensis, dies & Indictio post locum commemorari solent. Rarius *actum & datum* conjunguntur; alterutrum solum frequentius est. Annos regiminis plerumque a coronatione Aquisgranensi computat, quod etiam diserte formula exprimitur: *Datum A. 1248.* regis

(t) MIRÆUS Tom. II. p. 1324. VREDIUS Tom. III. p. 343.

(u) JOANNIS Spicil. p. 457. LUNIG. Corp. Jur. feud. P. I. p. 582.

(x) HEINECC. antiqu. Goslar. p. 272. HARENBERG historia Gandersheim. pag. 199.

(y) OCTAV. de STRADA de vitis Imperat. p. 478. CANGIUS in v. Monogr.

(z) Uterque citatis locis sub cc.

(a) Antiquit. Goslar. p. 272.

(b) v. LEHMANNI Chron. Spir. p. 608. SIMONIS Histor. Beschreib. aller Bischöffe zu Speyer. p. 101. Chron. Præsul. Spirens. in ECCARD. Corp. hist. medii ævi Tom. II. p. 2269.

(c) Vid. STEPH. BALUZ Miscellan. Tom. I. p. 451. HAHNII Collect. Monument. Tom. I. p. 256.

(d) FALCKENSTEIN Cod. dipl. antiqu. Nordgau. pag. 47. MARTENE thes. anecd. nov. Tom. I. p. 1034. KOEHLERI historia Wolffstein. in Codicillo p. II. LUNIG. Spicil. Secul. T. II.

(e) Exemplum vid. in FRANC. PETRI Suevia Eccles. p. 757.

(f) Reichs-Archiv. spicil. Secul. Tom. II. p. 1556.

(g) v. JO. de BEKA Chron. Ultraject. p. 221.

anno nostro coronationis primo. (*h*) Votum *feliciter amen!* in paucissimis, & nonnisi solemnioribus instrumentis, reperitur. (*i*) Quod autem statim ab initio post invocationem divini nominis anni numerus collocetur, ut est in diplomate Comiti de Fogliano dato, (*k*) illud quidem fere insolens est. Sigillum regis apud HEINECCIUM (*l*) & in privilegiis Francofurtanis (*m*) figuris consuetis & inter se parum discrepantibus cum inscriptione: WILLELMUS. DEI. GRACIA. ROMANORUM. REX. SEMPER. AUGUSTUS. inuenies.

§. XXXIV. Inter diplomata Richardina, quæ non exiguo numero circumferuntur, unicum, cui præfixa est invocatio: *In nomine Sanctæ & individuæ trinitatis,* indagavi. (*n*) Titulus regis constanter hac formula exhibetur: RICARDUS DEI GRATIA ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS, neque certo dixerim, an ante coronationem Aquensem verbis *in regem Romanorum electus* usus sit, quale quid in Guilielmo obseruauimus. In nullum enim diploma coronatione antiquius incidi, omniumque primo, literis nimirum d. 18. Maji An. 1257. ad fratris filium Emundum datis, (*o*) & sequentibus omnibus (*p*) illa, quam adduxi, tituli forma continetur. Pontifices tamen in epistolis suis non aliter fere Richardum, quam *in regem Romanorum electum* compellare solent, (*q*) eodemque erga regem Alfonsum elogio utuntur, (*r*) immo requisitis Cardinalium sententiis certum hujus formulæ usum decreverant. (*s*) Occurrit etiam titulus *Richardus electus in Imperatorem* non quidem in ipsius documentis, sed in pace inter Ottocarum Bohemiæ Stephanumque Hungariæ reges composita. (*t*) In intimatione non multum ab exemplis decessorum suorum recedit. *Universis, ad quos præsentes literæ pervenerint,* vel *Universis sacri Im-*

(*h*) de Cancellarii p. m. 355.

(*i*) Codex Diplom. Cliv. apud TESCHENMACH. p. 221.

(*k*) Ut in sæpe allegatis apud HEINECC. & HARENBERG.

(*l*) Droit de l'Empire sur l'Etat ecclef. p. 484.

(*m*) In Opere de sigillis Tab. IX.

(*n*) Extat in der Apologia des Ertz-Stiffts Cölln wider Bürgermeistern und Raths dessen Haupt-Stadt Cölln. Beylage Num. XI. pag. 14. & apud LUNIG Reichs-Archiv. Part. Spec. Contin. IV. p. 342.

(*o*) DU MONT Corps diplom. T. I. p. 401.

(*p*) Ex bene multis sola d. anno 1257. vid. in Docum. Würtemb. Monast. rediu. pag. 805. Priuil. der Stadt Franckfurth am Mayn p. 6. FRANC. PETRI Suev. Ecclef. p. 575. LUNIG. Part. gener. Contin. II. p. 171. ejusd. Part. Spec. Contin. IV. p. 342. p. 728. p. 786. EJUSD. Cod. diplom. Germ. P. II. p. 2495.

(*q*) DU MONT cit. loc. p. 216.

(*r*) D'ACHERY Spicileg. Parte III. p. 662.

(*s*) Urbani IV. constit. apud RAYNALD annal. Ecclef. ad An. 1263. pag. 89. *Et ideo cum tam memoratus Comes, quam præfatus rex electi fuerint, nos veritatem sequentes sine alterutrius partis præjudicio utrumque ipsorum decrevimus in nostris literis nominandum* IN ROMANORUM REGEM ELECTUM.

(*t*) DU MONT. cit. loc. p. 334.

Imperii Romani fidelibus gratiam suam & omne bonum offert & adprecatur, rarius *salutem & omne bonum*; (*u*) quin & aliquoties sola formula *in perpetuum* usus est. (*x*) Placet sibi Richardus tam *Serenitatis*, (*y*) quam *Celsitudinis* & *Majestatis* nominibus, (*z*) cum exteros reges *illustres*, (*a*) principes Imperii vero *Nobiles & Magnates* (*b*) appellet. Comminationi plerumque generali mulcta nonnumquam propter solum conatum pro dimidia parte fisco, pro altera læsis solvenda annectitur, & hujus divisionis caussa ad Imperii consuetudines provocatur. (*c*) Illa vero sub Guilielmo nobis jam observata prohibendi formula, quæ per personarum classes & conditiones decurrit, in Richardinis diplomatibus hinc & inde prolixior adhuc reperitur: *Nullus dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Vicarius vel Capitaneus, nulla potestas, nullum Commune, nullus Prælatus, nulla utique persona alta, vel humilis, ecclesiastica, vel mundana contra hanc nostram concessionem venire audeat.* (*d*) Adjecisse se profitetur Richardus *Sigillum Majestatis*, (*e*) vel *Celsitudinis*; (*f*) alicubi etiam majus a minore distinguit, & minoris applicationem ideo, quod majus propter belli tumultus & discrimina secum habere non potuerit, excusat. (*g*) In notis chronologicis annos domini ac regiminis sui adducere consuevit, pariterque indictionem, mensem, diem non tamen ut antecessores per Kalendas, Idus & Nonas. Nullum ex diplomatibus ejus mihi occurrit, quo vel subscriptio regis, vel monogramma contineretur; de Archi-Cancellario vero privilegium Coloniense ita seruat: *Datum Coloniæ per manus Domini Nicolai Cameracensis Episcopi, dilecti principis & Cancellarii nostri, vicem gerentis venerabilis principis Gerardi Moguntini Archi-Episcopi, per Germaniam Archi-Cancellarii.* (*h*) Præter hunc Nicolaum Cameracensem Præsulem, aulæ Imperialis Cancellarium, cujus etiam alias mentio fit, (*i*) Magister Arnoldus Met Flauiensis præpositus Protonotarius commemoratur, (*k*) de quo non facile dixerim, an idem sit, qui in privilegiis Argen-

 tinen-

(*u*) Ibid. p. 402. VREDIUS rerum Flandric. Tom. III. p. 96.

(*x*) Docum. Würtemb. Monast. rediv. p. 805. Privil. der Stadt Franckfurth am Mayn. pag. 7.

(*y*) CRUS. annal. Suev. Tom. III. pag. 105.

(*z*) DU MONT p. 221. & 226. Doc. Würtemb. rediv. p. 805.

(*a*) MATTH. WESTMONAST. flores historiarum p. 386. DU MONT. p. 402.

(*b*) IBID. p. 221.

(*c*) LUNIG. Cod. Ital. diplom. Tom. I. p. 597.

(*d*) LUNIG. cit. loc. & DU MONT. pag. 221.

(*e*) IDEM LUNIGIUS Reichs-Archiv. Part. Spec. Contin. IV. p. 342. Cod. Germ. P. II. p. 2465. Privilegia Francofurtana pag. 6.

(*f*) TSCHUD. Eydgenossen. Hist. p. 163. conf. notas.

(*g*) MIRÆUS Operum diplomat. Tom. I. p. 433.

(*h*) Apologia des Ertzstiffts Cölln. cit. loc. pag. 17.

(*i*) DU MONT. Tom. I. p. 226.

(*k*) MARTEN. thes. anecdot. T. I. p. 1105.

tinensibus a Richardo Magister Arnaldus de Hollandia nominatur. (l) Sigillum, quod HEINECCIUS omisit, apud VREDIUM (m) & in Privilegiis Francofurtanis (n) reperies, pro more illorum temporum figura regis throno insidentis cum sceptro ac globo insignitum, circa quam est epigraphe: RICARDUS DEI GRATIA ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS. Ceterum quorundam Richardi Diplomatum γνησιότητα viri docti in dubium vocaverunt, velut privilegii Aquensis de custodia insignium, (o) investiturae regis Ottocari (p) & exemtionis civitati Thuricensi concessae. (q) Sed quod his tribus documentis plerumque objicitur argumentum, esse ea post annum 1259. quo Richardus in Angliam reversus erat, composita, multis modis jam supra diluimus. (r) Aquense non potest ad ceterorum diplomatum rationem nimio rigore exigi, cum nonnisi fragmentum circumferatur. Neque satis intelligo, qui potuerit illud Ill. LUDEWIGIUS eo argumento, quod *sigilli Majestatis* nulla mentio facta sit, oppugnare, cum tamen eam sigilli appellandi rationem minime constantem ac perpetuam esse innumeris exemplis evinci posset. Gravius investiturae Boemicae obstat, quod duplex ejus exemplum diversis formulis & dicendi modis circumferatur, in intimatione vero loco verborum *gratiam suam & omne bonum*, vel *in perpetuum* insolens dictio *habere notitiam rei gestae* occurrat, ut suspicionem de *Marchionatus Stiriae*, quem Ducatum appellare oportuerat, & alias plures omittam.

§. XXXV. Postremo de diplomatibus Alfonsi ne multa dicamus, facit eorum raritas. Ea etiam, quae supersunt, a ratione formularia ceterorum Germaniae Regum ac Imperatorum multis modis recedunt, cum a peregrinis & dicendi generis, quo nostrates utebantur, parum peritis composita sint. Praeterea ipse Alfonsus in re diplomatica novitatis studiosus, sublato latini sermonis usu, inter suos linguam Hispanicam in actis publicis adhiberi jusserat. (s) Invocatio duplicis generis est: *In nomine Patris & Filii & Spiritus S. amen*, (t) & alia frequentior *in aeterni Dei nomine amen*. (u) Post invocationem statim in Alfonsinis succedit intimatio, quam alii reges post titulum demum collocare consueverunt. Est ea vero frequentissima: *Pateat universis praesentem paginam*

(l) v. MALLINCROT. de Cancellariis apud WENCKER. p. 356.

(m) VREDIUS rer. Flandric. Tom. III. tab. I.

(n) Tab. II.

(o) LUDEWIG. de Norimb. insign. Imp. tutelari Cap. V. §. 6. not. (nn)

(p) P. ANT. STEYRER Comment. pro historia Alberti II. addition. ad Caput. I. p. 143.

(q) PFEFFING. ad Vitriar. Tom. I. pag. 625.

(r) Vid. supra §. 11.

(s) JO. MARIANA de rebus Hispan. Lib. XIII. Cap. 12.

(t) UGHELL. Ital. Sacra. Tom. III. p. 436.

(u) DU MONT. Corps Diplomat. Tom. I. pag. 207. BUTKENS Trophées de Brabant. Tom. I. Preuves. p. 95. CALMET. Histoire de Lorraine Tom. II. Preuves. p. 486.

paginam inspecturis (x); vel: *Noverint universi præsentem paginam inspecturi*, (y) raro autem, & si bene memini, nonnisi semel, obseruaui solemne illud: *gratiam suam & bonam voluntatem.* (z) In adeo paucis superstitibus Alfonsi membranis magna tamen titulorum varietas animadverti potest. Communis est: ALPHONSUS DEI GRATIA REX ROMANORUM SEMPER AUGUSTUS ET CASTELLÆ, TOLETI, LEGIONIS, GALLECIÆ, CORDUBÆ, MURCIÆ, GRENNII ET ALGARBII RER; alias etiam *in Romanorum regem & Imperatorem electus*, (a) vel *electus Romanorum rex & rex Castellæ &c.* appellari consuevit, immo nec exemplo caret, quod etiam illis temporibus, quibus de Imperio obtinendo magnopere laborabat, enumeratis terrarum Hispanicarum titulis Regis Romanorum elogium omiserit.. (b) *Majestatis* (c) *Magnificentiæ gloriosæ*, immo *Excellentiæ* (d) titulos ipse sibi circumponit, a PISANIS *Excellentissimus & Invictissimus Imperator* (e), ab ipso vero reges exteri, quod in aliorum quoque diplomatibus obseruauimus, *illustres* dicuntur. (f) Subscriptionem Alfonsi non minus ac monogramma frustra quæsivi, neque ut proferatur documentum Archi-Cancellarii auctoritate munitum expectari potest, cum Moguntinus a partibus Richardinis steterit. Protonotariorum vero ac Notariorum crebrior occurrit mentio, & quidem *Fernandi Roderici Abbatis Cauerubensis*, (g) *Matthæi* cujusdam *Salvii*, (h) *Balduini Lanc*, (i) *Garsiæ Martini*, (k) & *Sucrii Petri Episcopi de Zomarra.* (l) Solet autem in eorum subscriptionibus formula usurpari: *Data Toleti rege per Ferdinandum Roderici Abbatem Cauerubensem ejus notarium imperante*, vel: *Ego Matthæus Salvii quondam filius, Serenissimi Rom. Imperatoris Notarius prædictis omnibus interfui, & hæc omnia rogatu præsenti Domini Alfonsi in Romanorum regem & Imperatorem electi & præfati Sindici ad veritatis memoriam perpetuo conservandam scripsi & meo signo notavi.* His accedunt scribæ. Vix enim unum aut alterum ex Alfonsi diplomatibus erit, in cujus fine non legatur: *Petrus Stephani scripsit*, vel *S. Dominici scripsit*, vel *Petrus Cabero scripsi.* Utitur Alfonsus

(x) Vid. Diplomata locis modo citatis.

(y) Histoire de Dauphine. p. 121.

(z) JO. JAC. CHIFFLETII Vesontio civit. Imperial. P. I. Cap. LIV. p. 222.

(a) LUNIG. Reichs-Archiv. Part. Gen. Contin. II. p. 179. UGHELL. Ital. Sacra cit. loc.

(b) CALMET. Histoire de Lorraine cit. loc.

(c) CHIFFLET. cit. loc. p. 223.

(d) Histoire de Dauphine. pag. 121.

(e) LUNIG. Cod. Ital. Diplom. Tom. I. p. 1067. & UGHELL. cit. loc.

(f) GOLDAST. Constit. Imp. Tom. I. p. 308.

(g) CHIFFLETIUS cit. loc.

(h) UGHELL. Tom. III. p. 436.

(i) BUTKENS Trophées de Brabant. cit. loc.

(k) CALMET. cit. loc. p. 486. Histoire de Dauphiné cit. loc.

(l) LUNIG. Cod. Ital. Diplom. Tom. I. p. 1068.

fonsus in annis exprimendis nunc æra Christiana, nunc Hispanica, (*m*) quæ illam, ut ex elementis chronologiæ constat, annis XXXVIII. anteuertit. In privilegio Pisis dato adjicitur, annum expressum esse *secundum cursum Pisanum*. (*n*) Mensem & indictionem in plerisque, regni annos in nullo reperi, neque, quod sciam, Alfonsi sigillum ullibi depictum est. Equidem cum Romanorum rex electus esset, novum & ab Hispanico diversum sibi fieri curaverat, ut ex ipsis diplomatum formulis colligi potest. (*o*) Usurpaverat illud oculis suis CHIFFLETIUS, cujus tamen descriptio nimis vaga est, nempe sigillum fuisse maximum, in quo effigies Imperatoris sedentis cum sceptro ac globo comparuisset. (*p*)

§. XXXVI. Hæc de re diplomatica dicta sunto. Succedit, ut aulam regis & Archi-Officia perlustremus, de quibus multa commentari nihil attinet. Nam & in tenebris, quibus eorum origines & cum sedibus Archi-Episcopalibus & familiis certis combinationes teguntur, illud tamen perspicuum est, quod ante tempora interregni Præsulibus illis propria domibusque hereditaria facta sint. Quod ut ab aliis dudum demonstratum legimus, ita & ex interregni temporibus præsto sunt diplomata, quibus illa Electorum elogia de supremis officiis continentur. (*q*) De pincernatu tunc inter Boëmiæ regem & Ducem Bauariæ disputatum esse, plerique ajunt, alii negant. (*r*) Hoc certum est, Rudolphum Habspurgicum Wenceslao regi causa cognita muneris illius possessionem confirmasse. (*s*) In Officiis vero Bambergensi ecclesiæ præstandis id unum interregni temporibus observo, quod cum antea Duces Sueviæ Dapiferatum hujus Præsulatus gessissent, nunc autem extincti essent, Berchtoldus Episcopus eum & annexa feuda, Castrum nimirum Hochinstain, Advocatiam bonorum & hominum oppidi Harspruck, Viseck, Aurpach, Pagenz & Velden anno 1269. Ludovico Comiti Palatino concesserit. (*t*) De Subofficialibus Imperii paucis notamus, sub Guilielmo Batavo Camerarium fuisse

---

(*m*) CALMET. & BUTKENS cit. *loc.*

(*n*) UGHELL. allegato loc.

(*o*) Conf. inter se diplomata, quæ CALMETUS & BUTKENS ediderunt; a nobis sæpe adducta & litteras Gregorii X. apud RAYNALD. ad An. 1275. pag. 238.

(*p*) CHIFFLET. Vesontio cit. loc. p. 223.

(*q*) Diplomata, quibus se Moguntini Archiepiscopi Sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarios interregni temporibus dicunt, vid. in JOANNIS Script. Mogunt. Tom. II. p. 537. seq. p. 600. seqq. p. 657. seq. De Coloniensis Archi-Cancellariatu Italiæ. MARTENE Thes. anecd. Tom. I. p. 1108. & 1112. HARENBERG. Historia Gandersheim. p. 780. De Archi-Mareschallatu Saxonico MARTENE. cit. loc. p. 1132. &c.

(*r*) Vid. Disquis. de origine & progressu Archipincernatus Bohemici. Sect. II. §. XXXVII. seqq.

(*s*) BALBIN. Miscell. Decad. I. Lib. VIII. p. 23. seq. TOLNERUS hist. Palat. Cod. Diplom. p. 76. seqq.

(*t*) Diplom. est apud GEWOLDUM. de Septemuir. pag. 754. GOLDAST. de regno Bohemiæ Append. n. XVIII. p. 35. LUNIG. Corp. Juris Feud. Germ. Tom. I. pag. 1510.

fuisse Comitem Hennebergicum, (u) quamvis illud munus, ut sæpe tunc Imperatores Camerarios plures habuerunt, ad familiam Muntzenbergicam proprie pertineret. Richardus vero rex idem officium anno 1257. Falckensteiniis contulit. (x) Dapiferatum in Germania Wernerus de Bollandia frater Philippi de Falckenstein Camerarii gessit, (y) in aula vero citra Rhenum Alfonsus Alberto de Turre imposuit, (z) cum interim pincernatus Limburgensibus maneret, (a) & *Joannes de Auesnes* Richardi regis Senescallus vel supremus belli dux diceretur. (b) Ceterum de officialibus ecclesiarum & provinciarum multa in medium ex illis temporibus proferri possent, si carceres instituti ad hanc rerum prolixitatem nos descendere paterentur. Hoc unum non prætereisse oportet, quod interregni temporibus Episcopi Aychstætenses *Sanctæ Maguntinæ Jedis Cancellarii* fuerint. (c)

§. XXXVII. Haberemus quoque temporibus interregni, si ulla posset apud nos esse fabularum auctoritas, Imperii abdicati exemplum. Ita nimirum ex veteribus nonnulli tradunt, matrem Rudolphi Habspurgici a Richardo & Alfonso precibus impetrasse, ut in favorem filii sui solemniter Imperio renunciarent. (d) Abdicationem Alfonsi etiam BZOVIUS, (e) KRANZIUS, (f) & ex Hispanis RODERICUS SANCTIUS (g) commemorauerunt. Verum ut Richardina renunciatione nihil potest esse falsius, ita & Alfonsinam in dubium nonnulli vocarunt, (h) neque in horum temporum actis aliud inuenio, quam quod Clemens IV. Pontifex Max. Archiepiscopo Hispalensi mandatum dederit, ut animum Alfonsi tentaret, & a petitione Imperii plus oneris quam commodi sibi

(u) Vid. Diploma de A. 1252. in MARTENE Thes. nou. anecdot. Tom. I. pag. 1166.

(x) Wir Richard hierub han wir angesehen die Dienste/ die unsre lieben getrewen Philips von Falckenstein/ und han ihm zu Lehen geliehen/ die van Rich zu Lehen gan mit dem Kemmerer-Amt und allen den Lehen/ die desselben Philipsen Schweher Ulrich von Müntzeberg der eldiste und Ulrich van Müntzenberg der jüngste von dem Rich hatten. vid. JOANNIS Script. Mognnt. T. I. in addendis. p. 1020. LUDEWIG Reliqu. Tom. II. p. 233.

(y) Diplomata de A. 1254. & 1257. vid. SCHANNAT. Histor. Wormat. p. 57. & in Codice probationum p. 124. conf. FALCKENSTEIN Cod. Diplom. Nordgau. p. 47. LUNIG. Reichs-Archiv. Spicil. Secul. Tom. II. pag. 1556. BALUZ. Miscellan. Tom. I. p. 451.

(z) DU MONT. Corps Diplomatique Tom. I. p. 207.

(a) Diploma de A. 1260. vide CRUSII Annal. Suev. Tom. III. p. 90.

(b) MATTH. PARIS. p. 817. & 823.

(c) Diplomata de An. 1265. & 1269. vid. in FALCKENSTEIN Cod. Diplomat. antiquit. Nordgau. p. 53. & p. 57.

(d) v. Magnum Chron. Belgicum apud PISTOR. p. 275. Joannis Imperii Chronicon S. Bertini apud MARTENE thes. nou. anecd. Tom. III. p. 752.

(e) BZOV. histor. ecclef. Lib. XIII. pag. 172.

(f) KRANZII Metropolis Lib. VIII. pag. 215.

(g) In Hispan. illustr. Tom. I. pag. 195.

(h) Velut MEICHELBECKIUS Hist. Frising. P. II. p. 70.

sibi allatura, si fieri posset, deflecteret. (*i*) Sed ursit nihilominus prætensiones suas Alfonsus, etiam post obitum Richardi, & cum Rudolpho I. tam armis quam judicio contendere decreuerat, nisi partim abhortationibus, partim minis Gregorii X. demum adductus fuisset, ut non quidem abdicatione solemni, sed omissis in instrumentis suis Imperatoriæ dignitatis titulis ac insignibus, tacito neglectu juribus suis cederet. (*k*)

§. XXXVIII. De juribus Augustæ temporibus huic opellæ destinatis parum vel nihil occurrit. Coronatam esse Aquisgrani cum Richardo Sanchiam uxorem, præter veteres auctores ipse in literis ad Edmundum fratris filium commemorat, (*l*) quos tamen honores alteri uxori post obitum Sanchiæ regi collocatæ non obtigisse crediderim. Præterea Regis ac Imperatoris Romani libertatem ducendi ac eligendi uxorem quodammodo circumscribere Pontifices ausi erant, cum constitutionibus suis cauerent, ne qua mulier, cui masculis deficientibus successio in utraque Sicilia competeret, Regi vel Imperatori Romanorum nubere posset, nisi juribus suis in terras Siculas omnino cadere mallet. (*m*) Supersunt etiam ex illis annis quædam documenta Mariæ, Ottonis IV. Imperatoris viduæ, in quibus adhuc titulo *Maria quondam Romanorum Imperatrix* usa est. (*n*) De Rege Romanorum, qui vivo Imperatore eligitur, cujus nullum illis temporibus exemplum exstitit, nihil afferri posse, res loquitur.

§. XXXIX. Vicariatus Palatini vestigia circa tempus interregni absente Conrado IV. (*o*) & Richardo defuncto (*p*) deprehendimus. Sed quamuis Richardum tum animi tum tumultuum in Anglia coortorum causa sæpe ac diu Britannos inuisere oporteret, nullibi tamen Saxoni aut Palatino vices demandatas esse reperio. Neque uni ex principibus uniuersum Imperium, sed pluribus, neque omnibus in eminente dignitatis gradu collocatis, sed & inferioribus provincias

(*i*) *Rursum volumus & mandamus, ut cum tibi visum fuerit opportunum, familiariter conferas cum eodem* (Alfonso,) *ut honesto modo a negotio Romanorum Imperii discedere sibi placeat, ex quo multa subiit onera, nec aliquem reportavit honorem.* MARTENE Thes. nou. anecdot. Tom. II. p. 137.

(*k*) RAYNALD. annal. eccles. ad A. 1274. & 1275. præsertim p. 238.

(*l*) Literæ Richardi apud DU MONT Corps diplomatique Tom. I. pag. 401. *Ubi: in festo ascensionis dominicæ - - recepimus coronam, carissima consorte nostra similiter eo die nobiscum solemniter coronata.* conf. Thom. Wihkes chron. ad A. 1257. apud THOM. GALE Script. Angl. Tom. II. p. 5.

(*m*) Clementis IV. constit. de An. 1265. apud D'ACHERY Spicil. Tom. III. p. 655. *Quod si non exstantibus masculis femina in eisdem regno & terra successerit, illa regi vel Imperatori Romano, seu in regem vel Imperatorem Romanum Electo, aut regi vel electo in regem Teutoniæ, seu domino Lombardiæ vel Tusciæ, aut majoris partis eorum, seu electo ad earum dominium nunquam matrimonialiter copuletur, & si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Siciliæ regno, & terra prædictis, maneatque prorsus ipsorum jure privata.*

(*n*) Diploma tale de A. 1258. extat in VREDII rer. Flandricar. Tom. III. p. 243.

(*o*) Epistola Conradi IV. ad Manfredum in Chronico P. Francisci Pipini apud MURATOR. Tom. IX. p. 678. *Relictoque carissimo socero nostro, Duce Bavariæ & Comite Palatino Rheni, super omnibus nostris & Imperii negotiis LOCO NOSTRI.*

(*p*) TOLNERI Histor. Palatina. p. 133. & Cod. Diplom. p. 73.

vincias præsertim Rhenanas commendavit. Archi-Episcopo Coloniensi episcoporum investituras commiserat, (q) Alsatiæ vero Moguntinum, (r) vel ut alii verosimilius narrant, Argentinensem Præsulem, (s) Wetterauiæ Philippum Comitem de Falckenstein, Wormatiæ denique Oppenhemio, Moguntiæ ac Boppardiæ Philippum de Hohenfels præfecerat. (t) Horum constitutionem auctores, quos in notis laudavimus, vehementer reprehendunt, siue quod eos, quos non oportuerat, electos esse censeant, siue quod inuidia ex impotente Vicariorum dominandi cupidine nata in ipsum principem redundauerit.

§. XL. Postquam ita regis electionem, coronationem, aulam & vicarios contemplati sumus, ad cetera capita pedem laturis de prærogativis collegii electoralis nonnulla memoratu digna occurrunt. Quemadmodum enim jus eligendi regem circa interregni tempora Septemviri proprium sibi vindicauerant, ita & in administratione reipublicæ consensuque ad imperii negotia impertiendo principibus ceteris eminere cœperunt. Sane ut Richardi actis & præsertim donationibus robur suum & auctoritas constarent, Imperator Rudolphus requirebat, ne majoris partis Electorum consensus deficeret. (u) Cujus quidem necessitas illis temporibus tanto potior fuit, quanto Comitiorum celebratio erat rarior. Neque tamen hoc ita velim acceptum, quasi tunc demum prærogatiua consensus electoralis orta & nata sit, siquidem ejus vestigia temporibus Friderici II. & in diplomatibus regis Henrici VII. (x) nec non Guilielmi Bataui (y) supersunt. Quam cum forte in donationibus suis & aliis quibusdam actis Richardus rex & antecessores ejus insuper habuisset, e re publica Rudolphus & Imperii proceres censuerunt, si quæ ita gesta fuissent, irrita esse juberent, & solemni decreto rescinderent. Memorem ejus fuisse Rudolphum, ex plurium exemplorum argumentis constat. Supersunt enim tabulæ, quibus electoralis consensus ad actorum Rudolphinorum confirmationem sollicite requisitus continetur. (z) Late tunc illa prærogatiua patuit. Nam, quod mireris, idem Rudol-

(q) Chron. Slav. ad A. 1260. apud LINDENBROG. pag. 261. *Richardus rex cum uxore sua rediit in Angliam, & inuestituram Episcoporum Archiepiscopo Coloniensi commisit.*

(r) TRITHEMIUS Chron. Hirsaug. p. m. 606. Conf. LAGUILLE Histoire d'Alsace p. 232.

(s) Monachi Kirsgartensis Chron. Wormatiæ apud LUDEWIG Reliqu. T. II. p. 128. FRANC. GUILLIMANNUS de Episcopis Argentin. p. 295. & 298.

(t) Conf. auctores modo allegatos sub d. & e. nec non JOANNIS Script. Mogunt. Tom. I. p. 615. seq.

(u) Exstat Constitutio apud MARTENE thes. anecd. nov. Tom. I. p. 1169. seq. Verba descripsimus supra §. III. nota (b)

(x) *Henricus VII - - Nouerit igitur omnis Christi nostrique regni fidelium ætas & successura posteritas, quod nos PRINCIPUM, QUORUM JURIS QUEMQUE ROMANORUM REGEM EST ELIGERE BENEPLACITO, CONSILIO ET FAVORE omnia jura, gratias & libertates - - terrarum Austriæ & Stiriæ - - confirmamus.* CUSPINIAN. Austria p. 27. LIMNÆI Jus publ. Tom. I. Lib. V. Cap. 2. §. 29.

(y) Ita diplomate de a. 1269. Ludouicus Comes Palatinus Rheni subscribit pristinæ Guilielmi concessioni, qua bona in Berengau in Godofredum de Sulzpurch contulerat. vid. KOELERI histor. Wolffstein. Codicill. Diplom. p. 11. seq.

(z) vid. MARTEN. thes. nov. anecdot. Tom. I. p. 1161. & 1190. GOLDAST. Constit. Imp. Tom. IV. p. 92.

Rudolphus etiam ad eluendam in filia Ulrici de Münzenberc natalium maculam omnium Electorum consensum a singulis singulari diplomate postea interpositum requisiuit. (a) Praeterea pertinet ad praerogativas Electorum in illis temporibus obuias, quod vacante throno judicium eornm in caussis feudorum Imperii requisitum fuerit. Certe Sophia Brabantina de juribus filii sui ad successionem Thuringicam sollicita, cum extincto Guilielmo nec rex nec judex esset, cujus opem implorare posset, querelas suas ad Electores detulisse perhibetur. (b)

§. XLI. Inter principes Imperii, praesertim saeculares, extinctis eminentioribus quibusdam familiis, ingentes mutationes tunc factae sunt. Postquam enim Conradinum atra dies & infaustum illud supplicium abstulerat, Sueviae Franconiaeque ducatuum terras laceratas & partim in libertatem assertas, partim in potentiorum manus dilapsas esse, communis & credibilis fama est, quamuis optassem, ut veteres auctores, si quo umquam alio argumento, in hoc certe sterilitatem suam emendassent. Alfonsum Castiliae regem jus, quod a matre in ducatum Sueviae accepisse sibi videbatur, & Conradino viuo persecutus erat, (c) eodem capite plexo iterum ursisse non deprehendo. Petrus vero, rex Arragoniae, quem in utraque Sicilia heredem Conradinus morti proximus instituerat, de Sueviae quoque ducatu cogitasse vel eo nomine crediderim, quod insignia Ducatus Sueuiae *tres nigros cattos marinos in aureo campo* (d) Dapifero de Waldpurg, qui Conradini annulum ipsi adtulerat, concessisse, a quibusdam perhibeatur. (e) Sed Hispanicos conatus, si qui fuerunt, fortuna destituit, non aeque comitum, nobilium ac ciuitatum opportuno tempore libertatem consequendi studium, neque vigilem eorum curam, qui terras suas ex Ducatibus domino orbis amplificare contenderant. (f) Austriacam gentem, ex Babenbergico sanguine oriundam, fata in societatem infortunii Suevici vocauerant, (g) ejusque provincias Ottocarus Boëmiae rex cupidissime quaesitas non adeo diu detinuit. Meraniensium Ducum postremus, & nec is satis honesta morte interemtus, territoria sua pluribus ercifcunda reliquerat, cum interim in Hassia & Thuringia regis Henrici Rasponis obitus bellorum inter Henricum Misnensem & Sophiam Brabantinam theatrum aperiret. Verum cui non dictus ille Hylas? aut quis recentiorum interregni tempora scribendo attigit, quin ceteris etiam rebus omnino neglectis, illa potentissimarum gentium fata & exin natas illustres controversias ita excusserit, ut eis prolixius describendis supersedere queamus. Adde, quod illa tempestate ultimus Carinthiacae gentis terrarum suarum heredem

(a) v. Diplomata in JO. GUIL. WALDSCHMIDII Diss. de S. R. I. Comitum Austregis. p. 32. seqq.

(b) v. JO. ROHTE Chron. Thüring. apud MENCKEN Script. Tom. II. p. 1739. & ADAMI URSINI Chron. Thür. ibid. Tom. III. p. 1293.

(c) Vid. literas Alexandri IV. Pontif. Max. apud RAYNALD Annal. Ecclesiast. ad a. 1255. p. II.

(d) Vid. Chron. Constantiense, in collect. PISTORII p. 746. *Dapiferi* (Waldpurgenses) *Conradino ultimo illius prosapiae mortuo arma Suevica videlicet tres nigros cattos marinos in campo aureo obtinuerunt.*

(e) CRUSIUS Annal. Sueu. P. III. Lib. II. p. 122.

(f) IBID. pag. 123.

(g) Plura de hujus domus interitu diximus in Stemmate Babenbergico-Austriaco circa fin.

dem Ottocarum regem instituerit, (*b*) & Richardus feuda Hermanni Kyburgensis Petro Comiti Sabaudiæ concesserit. (*i*)

§. XLII. Ciuitatum imperii numerum post Conradini fata creuisse, non ambigitur. Sed & eo viuo ciues Augustani liberiorem conditionem magno pretio redemerant, (*k*) & Thuricenses a Ducatus Suevici finibus Richardus exemit, vel potius quasi dudum immediatos a proscriptione per Conradinum ipsis intentata decretis suis absoluit. (*l*) Colonienses illis temporibus vehementer afflicti, & postquam Archiepiscopum Engelbertum captivum detinuerant, ad deprecationis acerbæ humilitatem condemnati sunt. (*m*) Ceterum multa supersunt diplomata, quibus partim de nouo Richardus ciuitatibus privilegia concessit, partim etiam pristina confirmauit. Ita Francofurtanis ad Moenum, Fridbergensibus, Wezlariensibus & Gailenhusanis pollicitus erat, forte ut numquam intra ciuitatis moenia castellum vel munitio exstruatur, neque civis per regem vel ejus imperio per alium captus detineatur, neque ipsa civitas alienetur, sed immediate Imperio seruata maneat, neque aduocatia per Fridericum II. jam sublata iterum restituatur. (*n*) Singulare est priuilegium iisdem ciuitatibus concessum, ne quis filiam, vel neptem, vel aliam cognatam suam, nisi sponte ita voluerit, alicui nuptam collocare cogeretur, quod ab Henrico VII. concessum Richardus denuo confirmauit. (*o*) Adde his alia veluti, quæ Richardus Colonien-

(*b*) Diploma de An. 1267. vid. in CZECHOROD. Marte Morau. Lib. III. Cap. VII. pag. 367.

(*i*) Vid. dipl. apud DU MONT Corps diplom. Tom. I. p. 221.

(*k*) Vid. Langemantel Historie des Regiments der Stadt Augspurg p. 13. & auctores in notis ibi allegatos. CRUSIUS Annal. Seu. P. III. Lib. II. pag. 111. STENGELII res Augustan. p. 195. seq.

(*l*) CRUS. cit. loc. p. 86. & 103. TSCHUD Eydgen. Geschichte. p. 163. *Pervenit ad nostræ serenitatis auditum, quod Conradinus olim Conradi regis filius, qui se Ducem Sueviæ nominat, ea non contentus injuria, quod inaniter ad speciale hoc nobile membrum Imperii, Ducatum scilicet Sueviæ, jam diu incorporatum Imperio, & ad jus & proprietatem ipsius legitime devolutum, nec ipsi Conrado, seu nostra seu aliqua Prædecessorum nostrorum claræ memoriæ libertate collatum, præsumtuose manum administrationis extendit, in ciues nostros Thuricenses, in nostro & imperii gremio speciali collocatos, nec ad Ducatum eundem, sed ad Imperium, prout stabiliuit antiquitas & modernitas approbauit, immediate spectantes tamquam subessent, memorato Ducatui proscriptionis de facto sententiam promulgauit.*

(*m*) Extat laudum inter ciuitatem Coloniensem & Archiepiscopum Engelbertum in der Apologie des Ertzstiffts Cölln. Beyl. Num. 20. p. 50. seqq. *Pronunciamus primo, quod judices, scabini, Magistri Ciuium, & Ciues Colonienses veniant in occursum Domino nostro Archiepiscopo inter Judenbuchel & Husbolz nudipedes, discincti & discoopertis capitibus, & prostrati super terram quærant veniam ab eo, & petant gratiam suam: Item ordinamus & pronunciamus, quod illi XXXVII. quos Dominus noster Archiepiscopus euocavit & proscripsit, præcedant alios bini & bini simul, & portent gladios in vaginis super colla sua, & una cum aliis prostrati veniam petant nudipedes, discincti & discoopertis capitibus - - - & jurent, quod sine præbabita deliberatione ipsum Dominum suum captiuarunt.*

(*n*) vid. Privil. der Stadt Franckfurt am Mayn. p. 5. seqq. GUDENUS Diplom. Sylloge, p. 474. Gegenbericht der Stadt Friedberg/ Append. pag. 2.

(*o*) Ad illud vid. Differt. JO. THOMÆ KLUMPFII. Notum vero est, nobiles in Imperatoris curia constitutos sæpe puellas forma vel dote commendabiles impetrato principis consensu parentibus extorsisse, quo casu virgo ante domum

nienſibus largitus eſt, ne exercitus prope Coloniam ducatur, neue ibi curia ſolemnis celebretur, neue ciues ad præſtanda ſubſidia cogantur, neue in cauſſis & litibus ſuis extra urbis juriſdictionem euocentur, (p) quale priuilegium de non euocando interregni tempore Aquenſibus etiam a Pontifice datum fuiſſe conſtat. (q)

§. XLIII. Comitia, quæ Richardi auſpiciis celebrata eſſent, præter Wormatienſia non inuenio. Indixerat ea vero, ut vectigalibus immenſis, quibus Rheni nauigatio premebatur, finem & modum imponeret, (r) quod ipſe quoque in charta de Wormatienſium angaria data ſignificat. (s) Præterea circumferuntur illius ætatis priuilegia, quibus ciuitates imperii, ne qua curia ſolemnis apud eas habeatur, obtinuerunt, ut modo de Colonienſibus commemoratum eſt. (t) Video etiam, ſed incertis auctoribus, conventum principum adduci, quo An. 1270. Quedlinburgi pacem publicam libertatemque contra inſultus peregrinos & ſuperioritatis territorialis confirmationem decreuiſſe perhibentur. (u) De legibus vero, quas Richardus ordinum conſenſu ſanxerit, ſolas conſtitutiones contra plaſphemos (x) & de aſcendentium & collateralium ſucceſſione, (y) modo genuinæ ſint, temporum memoria conſeruauit.

§. XLIV. De forma judiciorum illius temporis non adeo multa memoriæ prodita ſunt. Sub Guilielmo Batauo Comes Waldeccius Imperialis aulæ vel Cameræ Juſtitiarius celebratur, cujus officium erat pacis leges ſeruare, (z) nec

domum paternam per Mareſchallum prouocabatur ſolemni formula:

Hört zu ihr Herren überall
Was gebeut der Käyſer und Marſchall/
Was er gebeut und das muß ſeyn/
Hier ruff ich aus NN. mit NN.
Heut zum Lehn/ Morgen zur Ehen
Über ein Jahr zu einem Paar.

v. Lersner Franckfurter Chronick. Lib. I. Cap. VII. p. 59.

(p) LUNIG Reichs-Archiv. Parte Spec. Contin. IV. p. 343.

(q) Extant Bullæ Pontificiæ in NOPPII Aacher Chronick. Lib. III. p. 9.

(r) *Facta ſtatim in urbe Wormatia principum & Magnatum Alemanniæ convocatione non modica, coepit Richardus cum eis mutuo pertractare, qualiter ſalubrius & melius deſolatæ provinciæ poſſet oppreſſionibus obuiari, ut pertuſa veſpillonum rabie pertinaci ſuccederet optata tranquillitas ſuper Rhenum &c.* Chron. THOMÆ WIKES ad A. 1269. apud THOM. GALE Tom. II. p. 87.

(s) Charta Richardi de An. 1279. *Noſſe volumus univerſos, quod Conſules Ciuitatis Wormatienſis in GENERALI COLLOQUIO per nos celebrato Wormatiæ in noſtra & venerabilem Moguntini & Treuirenſis Archiepiſcoporum, Wormatienſis & Spirenſis Epiſcoporum, dilectorum principum noſtrorum ac aliorum multorum Comitum & Magnatum fidelium noſtrorum &c.* SCHANNAT. Cod. probat. Hiſt. Wormat. n. CLIII. p. 134.

(t) LUNIG Reichs-Archiv Parte Spec. Contin. IV. p. 343.

(u) Ita refert SCHILTERUS de libertate eccleſ. German. Lib. V. Cap. X. §. 5. p. 730. & ex eo PFEFFINGERUS ad Vitriarium Tom. I. p. 161.

(x) GOLDAST. Conſtit. Imperial. Tom. III. p. 404. LUNIG Spicileg. Eccleſ. Continuat. II. p. 14.

(y) GOLDAST. cit. loc. p. 405. *Filius patre & matre ſuperſtite ſine liberis defunctus excluſis fratribus & ſororibus patrem & matrem ſolus habet ſucceſſores. Poſt patris autem obitum & diuiſione paternæ hereditatis facta, filio ſine liberis decedenti in feudalibus ſoli fratres conſanguinei, in allodialibus ſorores pariter & fratres conſanguinei excluſa matre ſuccedant.*

(z) Tabulæ pacis de An. 1255. apud DU MONT. Corps diplomatique Tom. I. pag.

nec non judicia æque ac Sculteti Cæsarei Boppardiensis, Francofurtanus, Oppenheimensis, Hagenus, Weissenburgensis & Colmariensis exercere. (a) De præsidio, quod iisdem temporibus Misnensis Marchio in judiciis provincialibus gessit, aliquoties Chronicon Erfordiense mentionem injicit. (b) Austregarum autem usum circa interregnum magis inualescentem, cum alii multis descripserint, repetere rem notam nihil attinet. Quam caste vero tunc jus dictum sit, haud facile definiuerim, feliciter certe ac sapienter dictum esse, barbaries sæculi credere vetat. Ne quidem ordalia in judiciis inferioribus prorsus obsoleuerant. (c) Usus juris Romani non adeo multis indiciis, præterquam in re formularia diplomatum & documentorum hinc & inde conspicuus est, patriique moris tenaces, etiam a Pontificibus consuetudinum suarum confirmationum, velut Aquenses, (d) impetrauerant. Jus vero Magdeburgense Weichbildicum An. 1258. Comites Holsatiæ Hamburgo, (e) A. 1261. Henricus & Vladislaus Silesiæ Duces Wratislauiæ, (f) & Salome Ducissa Glogouiæ (g) concesserunt. Audiebantur tunc etiam prouocationes, quas Lubecam, Magdeburgum & in alia loca celebriora illi destinabant, penes quos usus jurium Magdeburgicorum & Lubecensium inualuerat. (h)

§. XLV. Sed cum judiciorum auctoritas torrenti satis resistere, litiumque violentas decisiones tollere non omnino posset, crebro de pace constituenda deliberandum fuit, ut aliquoties sub Guilielmo Batauo deliberatum esse, insignes, quæ supersunt, tabulæ demonstrant. (i) Ita conuenerunt ciuitates & principes A. 1254. 1255. & extincto Guilielmo A. 1256. variis ad tuendam pacem propositis consiliis, præsertim vero generali colloquio ob eam caussam quater per annum celebrando. (k) Richardus rex Hagenoæ de pace tractasse dicitur. Non tamen definiuerim, generalis illa fuerit, an tantum ad turbas Argentinensium tollendas tentata sit. (l) Absens vero rescriptis suis ex Anglia transmissis tranquillitatem & præsertim viarum securitatem restituere sategerat,

 ut

pag. 204. *Convenientibus Nunciis dominorum ac civitatum confoederatarum in Moguntia præsente Domino de Waldecke* IMPERIALIS AULÆ JUSTITIARIO &c. Porro REINERI SNOI rer. Batau. Lib. VII. p. 91. *Glorioso Romanorum regi Guilielmo senatores prætoresque civitatum superioris Germaniæ debitam obedientiam Majestatem tuam certiorem facimus, quod conventus civitatum Germaniæ superioris celebratus est, a nobis prope Moguntiam XXIX. Junii atque ibi authore IMPERIALIS CAMERÆ JUSTITIARIO Illustri Viro de Waldec sopitam omnem belli materiam &c.*

(a) vid. Diploma de A. 1255. apud DAT. de pace publica. Lib. I. Cap IV. p. 22.

(b) Apud SCHANNAT. Vindem. P. I. p. 103. & 105.

(c) Privilegium Hamburgensibus a Pontifice Alexandro IV. An. 1257. datum, quo ferri candentis usus tollitur, extat apud LAMBEC. rer. Hamb. Lib. II. p. 41. LUNIG. parte Spec. Contin. IV. p. 45.

(d) vid. NOPPII Aachner Chronick. Append. Document. p. II. seq.

(e) Chartam vid. apud LAMBEC. cit. loc. p. 44. seq.

(f) LUNIG. Reichs-Archiv P. Spec. Contin. IV. andern Theils Fortsetzung p. 230.

(g) HENELII annal. Siles. apud SOMMERSBERG. Tom. II. p. 1238.

(h) Exemplum v. in KRANTZ. Metrop. Lib. VIII. Cap. 17. p. 210.

(i) Vid. eas apud DU MONT Corps diplomat. Tom. I. p. 203. LUNIG. Part. Spec. Contin. I. zweit. Fortsetz. p. 3.

(k) Confer. DU MONT. citato loc. REN. SNOI rer. Bat. pag. 91. TRITHEM. Chron.

(l) ABBAT. URSPERG. Chron. p. 256. seq.

ut ex fragmento superstite, de cujus fide jam non disputabimus, intelligitur. (*m*) Imperii quoque principes in ea Richardi absentia, ut certe recentiorum nonnulli tradunt, A. 1269. Quedlinburgi pacem renovarunt, & ut viarum usus tutus esset, providerunt. (*n*) Verum hæc neque satis fortiter, neque sat diu furores eorum reprimebant, quibus tunc latrocinium agere virtus erat. Nam & nobilissimo loco nati prædonum & grassatorum turbas ducere, ne quidem horrendis suppliciorum generibus deterreri potuerunt. (*o*) Erfordiæ magna laus, circumiectas terras latronibus purgasse, imo tanta fuit, ut etiam illustri elogio CIVITAS PACIS adpellaretur. (*p*) Multum etiam illis temporibus de salutari ad securitatem præstandam conducendi jure, quod superioritati in territorio cohæreret, ab antiquis auctoribus commemoratur. (*q*)

§. XLVI. Sed cum tanto turbarum ciuilium malo singuli principes singulæue ciuitates, quantum sufficeret, mederi non possent, consultius visum est foederibus rem agere, junctisque principum ac civitatum viribus provincias malis hominibus purgare. Duravit magnum fœdus Rhenanum usque ad interregni tempora, de quo & auctores veteres multa commemorant (*r*) & tabulæ superstites, ex quibus personis quibusque conditionibus coaluerit, satis ostendunt. (*s*) Num & Hanseaticæ conventionis potentia illis temporibus gliscere viresque acquirere cœperit, quamuis in tanta obscuritate harum originum, non satis certo dixerim, verosimilitudine tamen haud caret. Illud non ambigitur, principes & Magnates, quamuis aliqui eorum ciuitatibus ipsi foederati essent, postea tamen indies crescentem potentiam urbium ægre tulisse. (*t*) Vulgo ad interregnum origines etiam Ganerbinatuum referri solent, quod quamuis refellere nolim, putauerim tamen, paucis illis, quibus opella nostra destinatur, annis eorum incunabula non sine temeritate assignari. Hæc omnia vero uti securitatis, ita per eam commerciorum promovendorum caussa instituta sunt, quibus non parum adjumento fuit Richardi electio. Factum est enim ejus precibus, & providentia, ut mercatores Germani majorem in Anglia negotiandi liber-

(m) *Breue Domini regis, eo tamen absente, emendavit ad omnes Duces, Comites & Præfectos, in quorum Ducatibus, Comitatibus & Balliis solebant viatoribus imminere pericula, ut omnes passus periculosos tam in viis concavis & boscis & baiis, quam aliis pacis regiæ perturbationibus faciant videri & in continenti aut per dominos locorum aut per semetipsos emendari.* GOLD. Constit. Imp. Tom. I. p. 308.

(*n*) Vid. Rethmeyers Braunschw. Lüneb. Chron. p. 506. & auctores ibi allegatos.

(*o*) v. Herm. Corneri Chronicon in ECCARDI Corp. histor. med. ævi. Tom. II. pag. 904.

(*p*) GUDENUS histor. Erfurt. apud JOANN. Script. Mogunt. Tom. nou. pag. 158. seq.

(*q*) Exemplum est in Magno Chron. Belgico apud PISTOR. pag. 280. *Comites Montensis & Juliacensis atque cives urbis Coloniensis Ducem (Limburgensem) deprecabantur, ut castrum Woronch, Archiepiscopi Coloniensis in terra ipsius situm, in quo nonnulli raptores latitarunt, & ex eo exilentes repentinis incursibus mercatores & alios viatores in via publica spoliare & deprædari solebant, obsideret, & viam tutam redderet, asserentes, securum conductum per eandem viam ad eum tamquam Ducem Limburgensem spectare.*

(*r*) vid. Chron. August. ad A. 1255. FREHER. Tom. I. p. 531. edit. Struv. conf. GUILLIM. de episcopis Argentin. p. 292. seqq.

(*s*) DU MONT. Corps Diplomatique Tom. I. pag. 204.

(*t*) Corn. Zantfliet. Chronicon apud MARTENE ampliss. collect. Tom. V. pag. 101.

libertatem impetratis a fratre Henrico privilegiis consequerentur. (u) Ipsi Pontifices eorumue legati mercaturæ caussa solliciti contra piratas navigationibus infestos sollicite insurrexerunt. (x) Neque fœdera commerciorum in illis temporibus deficiunt, quale inter Hamburgenses & Ducem Brabantiæ percussum commemorari video. (y)

§. XLVII. Ad commercia bene constituenda pertinebat etiam rei monetariæ cura, quam audi homines ut alias sæpe, ita his quoque temporibus perturbauerant. Monetarii Colonienses, qui vulgo Hausgenossen appellabantur, sententia Conradi Archiepiscopi ob privilegiorum partim defectum, partim abusum, meruerunt monetæ custodia & feudis eo nomine possessis exui. (z) Præterea Ottoni Comiti Palatino e re videbatur pecuniæ Ratisponensi, quæ in territorio suo usurpari consueuerat, aliam novam a se cusam substituere. (a) Verum hoc morbo grauior alius, vectigalium nempe multiplicatio commercia totamque rempublicam vehementer afflixerat, quæ præsertim ad Rhenuun nullo jure tam acerbe adaucta erant, ut etiam Angli negotiorum Imperii sub Richardo curiosi *furiosam Teutonicorum insaniam* eo nomine accusauerint. (b) Cui ut obuiam iretur, Pontifices interdictione sacrorum reges decretis Comitialibus providerunt. Sane inter capita, quorum caussa Clemens IV. Henrico Treuerensi Archiepiscopo excommunicationem intentabat, primum & prope præcipuum erat, quod nouum vectigal nullo priuilegio vel immemoriali præscriptione munitus imposuerit, vel impositum continuauerit. (c) Richardus in comitiis Wormatiensibus ut tollerentur, omnem operam nauabat, exceptis Boppardiensi ac Verdensi vectigalibus, quæ regum reditibus adnumerabantur, (d) habuitque consilium, si scriptoribus Anglis fides est, successum ipsa spe prosperiorem. Ceterum in vectigalium privilegio concedendo consensum ordinum Imperii, quem etiam Electores singularibus instrumentis interponere solebant, necessarium fuisse, documenta illorum temporum loquuntur. (e)

Pppp 3 §. XLVIII.

(u) vid. LUNIG. Part. Spec. Contin. IV. Fortsetzung des andern Theils pag. 3. LAMBEC. rer. Hamburg. Lib. II. p. 61.

(x) LUNIG. Reichs-Archiv. Part. Spec. Contin. IV. p. 926.

(y) LAMBEC. cit. loc. p. 59. & p. 63.

(z) Apologia des Ertzstiffts Cölln Beyl. n. 12. p. 17.

(a) Chron. Augustense apud FREHER. Tom. I. pag. 529. TOLNERUS histor. Palatin. Cap. XVIII. p. 398. & 401.

(b) Chron. Thom. Wikes ad A. 1269. apud THOM. GALE Vol. II. p. 87.

(c) Acta hujus excommunicationis vid. apud MARTENE amplissima collect. Tom. IV. p. 256. seqq. & thes. anecd. nou. Tom. II. p. 550.

(d) Thomas Wikes cit. loc. *Sane prospiciens* (Richardus) *tam salubre propositum sagacitate potius, quam viribus ad effectum posse perduci, ciues vicinarum urbium, qui de Mercimoniis viuere consueverant & potentiores regni unanimi foedere colligatos jurisjurandi cautione præstita counivit, quod si quis inposterum, quantæcunque foret præeminentiæ, supradicta telonea præsumeret extorquere, statim omnes & singuli contractis undequaque viribus invicem conglobati sub mulcta intolerabili irruerent in rebellem, munitiones ipsius solo tenus complanando terris & possessionibus ipsius usque ad exterminium depopulationis extremæ crudelissime deuastando, excepto duntaxat Veropardiensis & Verdensis oppidorum consueto telonio, quod ex antiquo jure in Romanorum regem incumbere consuevit.* Conf. SCHANNAT. Cod. probat. Wormat. hist. p. 135.

(e) JOANNIS Spicileg. Tabular. pag. 457. & 469. LUNIG Corpus Juris feud. Tom. I. pag. 581.

ſ. XLVIII. Diximus modo, vectigalia quædam reditibus regis annumerata fuiſſe. Alias vero reditus illi neque ſatis ubere copia affluebant, neque optime adminiſtrati erant. Vetus enim fama eſt, ab obitu Friderici unumquemvis, quæ rapere ad ſe poterat, ex Imperii bonis ſibi vendicaſſe. (*f*) Præterea Imperatorum & regum alienationes vix illa requirendi conſenſus electoralis neceſſitas coërcere potuerat, quin adhuc ad eas evertendas civitates ſibi privilegiis proſpicere conſultum exiſtimarint. Ita quidem Richardus effuſis Britanniæ theſauris, ut conſtanter veteres referunt, in Germania eguit, mirorque Anglos in jactandis Richardi divitiis gloriari potuiſſe, facultatibus ejus ex reditibus Germanicis quotidie inſignem acceſſionem factam eſſe. (*g*) Ceterum veſtigia ſuperſunt cenſus, qui regi a civitatibus obſervato tempore certo ſub pœna dupli præſtabatur. (*h*)

ſ. XLIX. Ut autem regum ac Imperatorum reditus & auctoritas illis temporibus decreverunt, ita nemo ambigit, potentiam principum & in territoriis poteſtatem magnopere auctam eſſe, cum reges regibus oppoſiti largiendo & indulgendo partibus ſuis placere cuperent, & abſentia quoque ſua viam ad acquirendas & adaugendas vires magnatibus aperirent. Quid autem quisque principum in territoriis ſuis interregni temporibus potuerit, quærere prolixum, & in tot hiſtoriarum hiatibus irritum foret. De priuata eorum conditione nonnulla, quæ hujus ætatis ſunt, notare juvabit. Huc enim pertinet, quod Ottocarus Boëmiæ rex exemplum præbuerit diuortii propter ſterilitatem uxoris Margarethæ Pontificis auctoritate illis temporibus facti. (*i*) Accidit in eo ſingulare, quod Margaretha de ſterilitate ſuſpecta marito, ut maſculam ejus virtutem exploraret, pellicem collocaverit, liberosque ex ea ſuſceptos Pontifex legitimatos pronunciare non dubitaverit, (*k*) qualem legitimandi poteſtatem etiam proxime ante interregnum in liberis Margarethæ Comitiſſæ Flandriæ & Hannoniæ ſibi arrogaverat. (*l*) Similiter cum tunc Albertus Thuringiæ Landgravius conſuetudinem, quam cum Cunegundi habuerat, in juſtas nuptias commutare, filiumque jam ex ea natum per ſubſequens matrimonium legitimare vellet, Cunigundis in ipſis hierologiæ ſolemnibus puerum ſub pallio ſecum tenuiſſe perhibetur. (*m*) Tutelarum illuſtrium maternæ & agnatorum aliquot exempla occurrunt, neque ſine controverſiis earum cauſſa coortis. Ex tutela Florentii, qui regis Guilielmi Batavi filius erat, intelligitur, ordinum provincialium conſenſum in tutore deſignando alicujus virtutis fuiſſe, feminas etiam a latere junctas remo-

---

(*f*) v. Chron. Colmarienſe apud URSTISIUM Tom. II. p. 38.

(*g*) MATTH. PARIS p. 809. *Æſtimatus eſt eodem tempore theſaurus Comitis Richardi ad tantam pecuniæ ſummam, ut qualibet die per decennium centum Marcas poſſet exponere, non computatis proventibus, qui ex reditibus regni Alemanniæ & Angliæ quotidie ſuccreverunt.*

(*h*) Huc refero, quod in conventione urbis Bremenſis cum Hildeboldo Archiepiſcopo de An. 1259. legitur: Ock ſchall de Vaget wegen des Könings Gerechticheit alle Jar up St. Martens Dach by Sunnenſchin den Könnigetinß entfangen/ und de den nicht uthgifft by dem Sunnenſchine/ deme ſchall de Tinß duppelt upſchaln/ ſo vacken de Klacke ſchleit/ de Hane krevet/ de Wint weget/ Sunne unde Maen/ Ebbe und floet up unde dael geyt. LUNIG. Reichs-Archiv Fortſetzung der zweyten Continuation. p. 444.

(*i*) Vid. Anon. Chron. Bohem. in MENCKEN. Scriptor. T. III. p. 1723.

(*k*) CZECHOROD. Mars Morau. Lib. III. Cap. VII. p. 368.

(*l*) MARTENE theſ. nou. anecdot. Tom. I. p. 1047. ſeq.

(*m*) Vid. GE. FABRIC. rer. memorabil. Saxon. univerſæ ad A. 1271. p. 344.

remotioribus masculis præferri contendisse, tutrices sibi contutores elegisse, eisque a subditis & vasallis fidei jusjurandum præstitum esse. (*n*) Non parum fructuosas etiam illis temporibus oportet fuisse tutelas, quarum caussa interdum gravibus bellis certatum est. Solebant autem tunc se non tam personarum, quam provinciarum tutores appellare, ut in diplomatibus occurrit *Aleidis tutrix Hollandiæ.* (*o*) *Henricus tutor Marchiæ.* (*p*) &c.

§. L. Quandoquidem ita finem oppellæ imponere properamus, juuabit, ut paucis adhuc Judæorum & Pfalburgerorum mentionem injiciamus. *Servorum Cameræ* appellatio circa interregni tempora de Judæis crebrius usurpari cœperat, (*q*) quo titulo ipsi forte parum contenti *Comitum Cameræ* illorum principum, sub quibus degebant, nomen in litteris suis affectarunt. (*r*) Gaudebant & hi fructibus pacis publicæ, illorumque commodorum, quæ injusto vectigalium onere sublato in patriam nostram redundarunt. (*s*) In Misnia de contractibus eorum A. 1265. prolixe legibus cautum est. (*t*) Alibi durius habiti sunt, velut in Brabantia, qua per testamentum Henrici III. Ducis, nisi foenori renunciaverint, penitus cedere jubebantur. (*u*) Præsertim in Conciliis parum honorifica eorum mentio fit, velut in Viennensi Austriaco de An. 1267. (*x*) & in Arelatensi de A. 1260. quo etiam signum in vestibus, ut dignoscerentur, gerere jussi sunt. (*y*) Pfalburgerorum receptio ciuitatibus tunc prorsus interdicta erat, (*z*) alicubi etiam, si quoque recepti essent, vel matrimonia ibi contraxissent, pristinis dominis jus mortuarium & alia seruilis conditionis onera præstare cogebantur. (*a*)

§. LI. Atque ut tandem de rebus ecclesiasticis vel binis verbis disputemus, non possumus quidem in tam caliginosa temporum illorum nocte speciosam ecclesiæ formam quærere, cum contra præter doctrinæ peruersitatem etiam disciplinæ corruptio & portentosarum sectarum furor omnia teterrime inquinauerint. Episcopi rerum sacrarum immemores arma induere, vicinos lacessere, & in ceteris bellorum tumultibus non postremas partes agere consueverant, ut etiam Richardus cum fratris filio Edmundo jocetur, si Angliæ regi tanta fortissimorum Præsulum, quanta sibi, copia esset, fore, ut motus domestici facili negotio supprimerentur. (*b*) Cumque ecclesiarum bona vendere ac diffi-

(*n*) Vid. Magnum Chron. Belgicum in PISTOR. p. 275. & 279. JO. de BEKA de Episcopis Ultraject. pag. 88. BUTKENS Trophées de Brabant. Tom. I. Preuves pag. 97.
(*o*) VREDIUS rer. Flandric. Tom. III. pag. 243. & 343.
(*p*) BECMANNI Anhalt. Historie. P. IV. Cap. IV. §. 3.
(*q*) Vid. Privileg. der Stadt Franckfurth am Mayn. p. 4. LEIBNIT. Cod. Juris gent. Prodr. p. 10. GOLDAST. Const. Imp. Tom. II. p. 85.
(*r*) Charta de An. 1259. apud MEICHELBECK Histor. Frising. Tom. II. Cod. Probat. p. 23. *Ego Lublinus & frater meus Nekelo Judæi, COMITES CAMERÆ illustris Ducis Austriæ &c.*
(*s*) Vid. DU MONT. Corps diplomatique Tom. I. p. 203.
(*t*) GOLDAST. Constit. Imper. Tom. III. pag. 399. Struv. Histor. und Polit. Archiv. P. V. p. 310.
(*u*) Vid. AUB. MIRÆL. Opp. Diplomat. Tom. I. p. 207. BUTKENS Trophées de Brabant. Tom. I. Preuves. p. 99.
(*x*) CANISII antiqu. lect. Tom. IV. p. 83. seqq.
(*y*) NATAL. ALEXAND. ad Secul. XIII. p. 172.
(*z*) DU MONT. cit. loc. p. 203.
(*a*) Vid. chartam de A. 1267. in Docum. Würtemb. Monast. rediv. p. 918. seqq.
(*b*) *Ecce quam animosos & bellicosos Archiepiscopos habemus in Alemannia, non multum* vobis

dissipare nonnulli ausi essent, proxime ante Richardina tempora Guilielmi regis constitutione temerariæ & auctoritate Prælatorum sola tentatæ alienationes omni virtute sua privatæ sunt. (c) Diœcesium fines confusi auctoritate Cæsaris iterum regebantur, ut jussu Richardi Moguntinos terminos a Wormatiensibus distinctos esse Gerardus Archi-Episcopus Moguntinensis in charta quadam commemoravit. (d) Pontifices obtentu bellorum contra Christiani nominis hostes centesimam omnium redituum ecclesiasticorum per Germaniam tunc exegerunt, (e) cumque etiam decimas involarent, Joannis Semecæ, viri plus quam illorum temporum indoles ferebat, docti & cordati provocationem experti sunt. (f) Novum & antea tanta solemnitate non celebratum Corporis Christi festum Urbanus IV. A. 1262. in ecclesiis etiam Germanis introduxit. (g) Tunc denique vecors flagellantium secta, quæ tota Italia se diffuderat, breui quoque Germaniam inundavit, & præter verberum insaniam stupris etiam aliisque criminibus nocturnarum obambulationum obtentu fœdam occasionem præbuit. (h) His malis ut obuiam eatur, & alias quoque ecclesiarum disciplina & salus promoveantur, synodi & Concilia crebro celebrata sunt, ut A. 1260. Coloniæ (i) itemque Moguntiæ, (k) A. 1261. iterum Moguntiæ, (l) 1266. Magdeburgi & Bremæ, nec non Coloniæ, (m) ac denique 1267. Wratislaviæ, & Viennæ Austriæ. (n) Habes, lector, præcipuorum capitum juris publici, quod interregni magni temporibus obtinuit, historiam; in tanta scriptorum sterilitate prope diplomaticam, in qua cum multa uberius dici potuissent, rationem tamen, quam carcerum exercitationis academicæ habuimus, olim forte pleniore diligentia compensare licebit.

---

vobis inutile reputantes, si tamen in Anglia crearentur, quorum ministerio uti possetis secure contra importunos rebellium vestrorum incursus. DU MONT. Corps diplomat. Tom. I. pag. 401.

(c) Vid. LUNIG Corpus Jur. Feud. Germ. Tom. I. p. 34.

(d) Apud TRITHEM. Chron. Hirsaug. P. I. p. 599.

(e) Literæ Urbani IV. ad Archiepiscopos Magdeburgensem & Coloniensem de anno 1262. leguntur in MARTEN. thes. nou. anecd. T. II. p. 6.

(f) Herm. Corn. Chronicon apud ECCARD. Tom. II. p. 920. conf. HEINECC. antiqu. Goslar. Lib. III. p. 253.

(g) vid. Bullarium Magnum. Tom. I. p. 121.

(h) RAYNALD. annal. eccles. ad an. 1260. p. 56. NATALIS ALEX. Secul. XIII. p. 80. AVENTIN. annal. p. 668. HAGEC. chron. Bohem. p. 440. seqq.

(i) HARDUIN. Collect. Concil. Tom. VII. p. 518. LUNIG. Spic. Eccles. Fortsetzung des I. Part. p. 346.

(k) Vid. SERRAR. rer. Mogunt. apud JOANN. Tom. I. p. 154.

(l) SERRAR. cit. loc. SCHMIDII differt. de Concil. Mogunt. apud JOANN. T. III. p. 297. Chron. S. Ægid. apud. LEIBNIT. Script. Brunsuicens. p. 591.

(m) LUNIG. Spicil. Eccles. Contin. II. pag. 257. Spicil. Eccles. Fortsetzung des I. Partis Anhang p. 114. HARDUIN. Tom. VII. p. 560.

(n) HARDUIN. cit. loc. pag. 579. Chron. Claustro-Neob. PEZ. Tom. I. p. 465. MEICHELBECK. histor. Frisingensis P. II. p. 67. CANISIUS antiqu. Lect. Tom. IV. p. 85. LUNIG. Spicil. Eccles. Contin. III. p. 769.

Typis Ludovici Stoffelii.



